S. IOANNES
CASSIANVS
ILLVSTRATVS.

SIVE

CHRONOLOGIA VITÆ S. IOANNIS CASSIANI ABBATIS ET MONASTERII S. Victoris ab eodem Massiliæ conditi.

PRIMARII INTER OCCIDENTALIA Cœnobia antiquitatis ab Anno Christi CCCC XX.

Opera & studio P. IOANNIS BAPTISTÆ GVESNAY Aquensis, Theologi è Societate IESV.

Accedit Elenchus Sanctorum, virorumque illustrium, & Abbatiarum, Prioratuum, Cellarum, Ecclesiarum ab eodem Monasterio dependentium. Item Onomasticon Rerum & Verborum difficiliorum in Commentariis S. Cassiani.



LVGDVNI,
Sumpt. ANTONII CELLIER, viâ Mercatoria sub signo sancti Antonij.

M. DC. LII.
Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

NOBILISSIMIS

AC RELIGIOSISSIMIS

DOMINIS

DD. PRIORI ET CONVENTVI

VENERABILIS AC PERILLVSTRIS

MONASTERII S. VICTORIS

MASSILIENSIS.

IOANNES BAPTISTA GVESNAY Theologus, è Societate IESV.

Libens merito dedicat consecratque.

VOBIS, qui maiores mundo, Religiosissimi Proceres, telluris Punctum maius orbe terrarum offero. Vobis, quibus, dignius nihil Monasterium vestrum delineo, quo nihil ad religionis dignitatem magnificentius est. Hinc loci Sanctitas, illinc Antiquitas occurrit, & muti exesique lapides diuinum quidpiam eloquuntur. Si Cœnobij natales, & progressum considerem, quot iam dirutæ vrbes, quot arces in cineres abierunt, quot euersa sunt regna, quot Imperia corruere, & Domus. Hæc Augustissima, nouantiqua stat Domus, sibi superstes, seipsâ pulchrior, in ruderibus noua, in

nouis substructionibus antiqua, cui nihil par est vllibi, & nihil secundum eminet. Domum appellare libuit haud satis splendido nomine, quæ virtutum Arx omnium, quæ deuicti mundi Trophæum, quæ humanarum rerum contemptus inclytum monumentum, quæ Portus in ipso Massiliensi Portu aduersus mundi procellas, & vitiorum tempestates tutissimus est. Næ fundamenta iecerit illarum ædium eadem, quæ Cœlum condidit dextra, neque mortalis esse manus immortale operæpretium putem. Iam si celebritatem Loci attendo, non satis erat Scientiarum in Gallia, nisi huc suas & Græcia conferret, non sat in Europa Virtutum, nisi suas explicaret Ægyptus; nec satis in Occidentis Patribus authoritatis, ni Patres Orientis lumina, ac præcipuè Chrysostomus ore Cassiani suauissimo loquerentur. Huc olim, fateor, se Magdalena appulerat, Huc Lazarus bis natus, adeóque homine maior; Eodem post superata lacerâ naui, sine velo ac remis, emensi maris pericula, victrix Sanctorum familia conuenerat. Sed inchoarant dumtaxat ipsius Christi discipuli, quæ Beatissimus Cassianus perfecit, Sanctitatem inde, ac Religiosæ vitæ institutum, quaquauersùs ad cæteras orbis Prouincias diffundens. Animus itaque est mihi laudare sydera terrestris illius Cœli, commendare Homines haud minùs gloria dignos, quam suæ gloriæ hostes, excitare qui mortui in hominum existimatione erant, & vocem reddere his, quibus cum silentij lex cordi fuerit, sua vel maximè decora siluerunt. Aperiam annuentibus vobis sepulchra, vnde se odor pietatis effundet;

mouebo

mouebo pretioſos cineres qui diuini amoris ignem diſpergent, reſerabo Theſauros ſæculorum, & venas indicabo, auri, argentique, quibus Cœlorum regnum paratur. Quicunque tandem futurus ſit iſte Conatus, meus dicendus non erit partus ſed veſter, illum enim ſingularis expreſſit humanitas, qua Societatem noſtram proſequimini. Ego certè cùm ex Præpoſitorum imperio Maſſiliæ ſex prope annis haberem, pretioſo beneficiorum veſtrorum pondere toties fui obrutus, vt temperare mihi non potuerim, quo minus grati animi ſpecimen aliquod editurus, Sanctum Caſſianum, erga quem mirum quantum affecti eſtis, in eam qua meritis ſuis illucet ſanctitatis ac doctrinæ famam & exiſtimationem vendicare conarer quod quidem aptius moliri me non poſſe duxi, quàm mirabilem eius vitæ ſeriem, ac Monaſterij veſtri ab eo Maſſiliæ conditi hiſtoriam pertexendo. Nec deterruit me querela quam autori noſtro intentatam nonnulli eſſe voluerunt, vt enim omnia in malignos ſenſus detorquerentur ecquis adeo iniquus rerum æſtimator vocaret in inuidiam ſubtiliores de gratia quæſtiones, in quas iurare non niſi poſt Arauſicanum Concilium quiſpiam tenebatur ac proinde Sanctus Caſſianus qui centum ante annis Collationes omni pietatis ſenſu fœtas ſcripſit nulla penitus hæreſis ſuſpicione infici poteſt, niſi ab iis fortè quibus nihil placet niſi quod obſoletum eſt. Alterum, quod à vobis benignum patrocinium ſperare iubet, ingentis eſt pompæ apparatus, quo Sancti Caſſiani reliquias cohoneſtatis, nec enim meus labor iniucundus poterit accidere iis

qui nulli pepercerunt impensæ vt institutoris sui memoriam posteritati commendarent. Omnium oculos in se conuertunt magnifica Basilicæ sacræ aulæa in quibus amica contetione ars cum natura disceptat,nec facilè statui potest vtra palmam præripiat. Nihil iucundius argenteis ferculis, vasis, & lipsanis in quibus erudito scalpro quidquid incisum est nemo non viuere putet. Vix quisquam decernere attentarit an pithaulica organa auribus, vel oculis suauius adblandiantur. Denique toto in Monasterio noua vestra latè viget magnificentia cuius singulare illud prodigium quod ad coepti operis domesticum natiuumque splendorem longè actis retro sæculis maiores vestri vix ac ne vix quidem suffecerant nunc omnibus numeris absolutum à vobis, maximam ipsi dignitatem conciliet. Atque adeo cum nilil penitus intentatum reliqueritis vt vestra in Sanctum Cassianum pietas elucesceret, dum in sacri huius criminis communionem admitti expeto, vestra fuere exposcenda suffragia. Me quoque allexit ad ea Eminentissimus Cardinalis Lugdunensis vester Abbas, qui tot nominibus me totum sibi deuinxit vt animo sedeat æternam ipsi profiteri clientelam, cuius patrocinio velut ineluctabili scuto securus, quæcumque in me contorquerentur facile retunderem. Scopum habetis (Viri amplissimi) causamque consecrati operis, quod ipsum & me vnà, nunc dono. Fœlix illud si in manum, & me si in animum parte aliqua admittitis. Lugduni 12. Calend. Ianuarij anno CIↃ IↃC LII.

AD LECTOREM MEVM CVI SALVTEM.

DAMVS en, Pie Lector, S. Ioannis Caßiani opera minus fortaße hactenus illustrata & in omnibus recognita, quamquam variè edita primùm ab Antonino, & à Dionysio Carthusiano, tum ab Henrico Cuychio Theologo Lonaniensi & Episcopo Ruremundensi: post auctiora & meliora non nihil facta obseruationibus Petri Ciaconij, hominis in colligendis veterum è naufragio scriptis accuratißimi, & in exponendis eruditißimi. Demum ab Alardo Gazeo, cuius commentarij paucos ante annos vulgati, dum pangeremus hoc nostrum Sophocleum, in manus meas inciderunt P. Achilles Galliardus, vir pietate & doctrina clarißimus cuius opera S. Carolus plurimùm vsus est præter cætera ingenij sui monimenta pridem vulgata, eius præclarum ad Caßiani illustrationem conscripsit, quod M. S. aßeruatur Romæ in Tabulario Societatis IESV. Quæ tamen viri illius insignis lucubratio, accuratißimum Scriptorem Philippum Alegambe, Syllabum Scriptorum Societatis conficientem fugit, sed qui vidit, testimonium perhibuit. Nihil enim eorum quæ vel hominum incuria vel temporum diuturnitate, sicut natura fert in omnibus ferè rebus, paulatim consenescere aut aliqua ex parte laxari solent; ita denuo perfectum & exactum vnius aut alterius opera restitui potest, vt non sit quod in eo desiderari videatur. Id maximè experiuntur & verum eße intelligunt ij, qui hoc saxum voluere, librorumque obscuritates remouere, maculas eluere, deprauationes emendare suscipiunt. Nam etsi quisque pro suo instituto id quod præ manibus habet, studeat omni ex parte perfectum expolire, omneuè ingenij acumen & sedulitatis operam & in inserendis nouis sententiis ac verborum interpretationibus & in euellendis insitis adhibeat, tamen vt ingenia semper florent, qui Vicarij nostræ diligentiæ succedunt homines acuti magis interdum quàm eruditi sæpè in iis quæ suum nitorem à nobis recepiße videbantur,

debantur, erroris suspicionem deprehendunt maculasque intercipiunt.

Quod in S. Cassiani scriptis, vt alios in præsentia taceam, manifestius est quàm vt commemorare attineat, licet enim iterum ac tertiùm fuerit excusus ab authoribus supra memoratis, quorum non laudare operam, quam in eo perpurgando quantum in ipsis fuit impenderunt, animi esset ingrati: nunquam tamen hactenus vel ab erroribus ita vindicatus vel inclinata eius doctrina æque ac sanctimoniæ authoritate, ita demum dignitati restitutus est, quin, ne perire quidem tacitè obscureque plura in eo genere concederetur, alios præterea oculos & manus postularet. Nunc ergo prodibit tandem vt spero correctior multò, locupletior, & auctior, quàm vsquam antea.

Et ita multorum collata manu, prout quemque genius duxit, prodit tandem aliquid accuratum. Sed etiam id videor posse in his controuersiis haud temere profiteri, satis me idoneum censeri testem debere, quamquam de cætero tenuitatem meam neque ignoro neque inficior, quoniam de re agitur quæ maximè antiquis è codicibus & schedis pendet, in quibus per annos plus duodecim diligentia quanta maxima non illaboriosè homini fas fuit assiduè versatus sum, & nactus sum Tabularia sanè quam luculenta iisque potissimum instructa monumentis, quibus Monasterij S. Victoris Massiliensis eiusque Patriarchæ & Conditoris S. Cassiani initia fideliter & copiosè explicata conseruantur.

Quibus item partibus sit auctior facilè est colligere & iudicare ex commentariorum quos in lucem adere instituimus accessione. Vitam S. Cassiani & res præclare gestas vix ab historicis veteribus delibata & maiori ex parte ignoratas ex eius scriptis fideliter collectas primo commentario in multa capita descripsimus. Tum alterum subiecimus in quo apertissimè redarguitur inconsideratissima quorumdam temeritas qui sibi tantum ius censendi & iudicandi de antiquorum scriptis vsurpauit vt ex ipsius Cassiani egregiis lucubrationibus præter ea quæ S. Prosper iure refellit & erroris coarguit, magnam partem pro libidine aut indignè referari voluerint aut illius, quales nunc sunt, non esse reclamauerint atque suis ipsorum censuris vanisque commentis in infimas vilium scriptorum classes redegerint. Alterum de eius gloria commentarium nouo quodam modo veluti summam quamdam operis rerum temporumque

rumque ordine seruato contextum calci huius tomi 1. adiecimus vt palam fiat in ore atque oculis omnium, quantis pra sanctitate & doctrina virum prosequeretur honoribus ac studiis Ecclesia, qui tanti Romanam ipse viuens in summis Pontificibus Innocentio præsertim ac Leone semper fecit Ecclesiam. Volumus etiam inusitatas vias indagare, tritas relinquere interpretandi eius sententias ex consuetudine aliorum Doctorum in explanandis cæteris Patribus, nec metiendi eas vt quidam indocti, aut longitudine, aut contractione orationis, aut ambiguitate, aut inflexione atque immutatione verborum. Neque enim inauditum aut nouo more vt in aliquorum Patrum voluminibus aliquid extet, quod excusatione tegi omnino aut dissimulari nequeat. Quamquam id accedisse non malo animo sed & illorum sincera pietate & amore Christianæ disciplinæ credendum est vt dum errorem vnum impugnarent & destruere curarent in contrarium si non inciderent saltem incidisse viderentur. Sic D. Hieronymus dum immodico castitatis amore virginitatem propensius commendat aduersus Iouinianum nuptiis & matrimonio detrahere falsò à nonnullis creditur. Et ipse D. Augustinus dum acrius defendit gratiam diuinam aduersus Pelagianos minus tribuere quam par sit libero hominis arbitrio non rectè sentientibus apparet. Sic & plerique alij de quibus nos copiosè & abundè loquimur Commentario 2. cap. 31. dum nimio contentionis studio hæresim aliquam oppugnabant in alteram oppositam labi, & vitantes Charybdim quasi in Scyllam declinare putabantur. Quod tamen ipsorum sanctitati sanæque doctrinæ quam professi sunt minimè derogat sed interim cautè legendi sunt, habenda enim est ratio temporis & personarum quibus cum disputarunt.

Thomas Braduuardinus contra vim grauitatemque censuræ quorumdam recentiorum contendit vt Chrysostomum, Damascenum & alios Patres qui Pelagianis æque atque Cassianum consensisse videntur, in bonum & Catholicum sensum ac mentem alliciat. Similibus, inquit, fortè modis quibus Chrysostomus & etiam per vigesimo octauo huius præmissa, potest fortaßis & Damascenus exponi, & similes Doctores Catholici qui similia protulerunt. Rationabiliter namque debemus Catholicorum dicta in benigniorem partem quam possumus interpretari; hæreticorum vero in odium eorum perfectum iuxta ipsorum hæresim æstimare. Intelligentia

Lib. 2. de causa Dei cap 3. in Corolla. circa finem.

namque dicti ex intentione & causa pensatur dicendi. Nec debeo rationabiliter argui, accusare Chrysostomum, Damascenum, & alios Sanctos crimine pessimo, hæreticæ scilicet prauitatis, quoniam & si dixerint hæresim, non statim hæretici haberentur: qui enim ex simplicitate & ignorantia dixerit hæresim, non intendens illam pertinaciter defensare, sed paratus stare iudicio Ecclesiæ & maiorum, non statim pro hæretico habendus est. Absit; tunc enim nimis multi & magni Doctores Catholici essent hæretici; Absit, Absit; sed potius de numero talium qui æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam: quolibet dici potest; si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit, corripiendus est ergo & leniter instruendus. Dicit enim Papias, hæretici dicuntur, qui de Domino vel creatura, siue de Christo vel Ecclesia praue sentiunt, ac dehinc conceptam noui erroris perfidiam pertinaci prauitate defendunt. Augustinus quoque 18. de Ciuitate Dei 52. Qui, inquit, in Ecclesia Christi morbidum aliquid prauumque sapiunt, si correpti vt sanum rectumque sapiant resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis. Hoc idem euidenter probatur per Innocentium tertium, qui sicut patet. Extra, de summa Trinitate & fide Catholica C. Damnamus, Damnauit, & reprobauit quendam libellum Abbatis Ioachimi de Trinitate, tanquam hæreticum; ipsum tamen Ioachim quia omnia scripta sua submisit iudicio Romanæ Ecclesiæ, nequaquam sicut hæreticum condemnauit. Vnde sic ait; Si quis sententiam vel Doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus confitetur; In nullo tamen propter hoc florenti Monasterio, cuius ipse Ioachim exstitit institutor, Volumus derogari; quoniam & ibi regularis est institutio, & obseruantia salutaris; maximè cum idem Ioachim omnia scripta sua nobis assignari mandauerit Apostolicæ sedis iudicio approbanda, siue etiam corrigenda; dictans etiam Epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter continetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ disponente Domino, cunctorum fidelium mater est & magistra.

Quod, cùm illos nobis quatenus de hæresi purget, excipiamus excusationem, erroris tamen suspicionem & crimen, aliter atque

nos existimamus, sentit eos habere absconditum. Scio inquit, (vbi Chrysostomum Caßiani Magistrum in hanc cum discipulo suo communem suspicionem vocat) Scio quod poßis fingere ei glossas sed reuera non habeo scientiam, nec conscientiam ipsum glossandi in istis: Ideo sicut dixi superius, Theologica studia lectorem pium & prudentem requirunt; qui autem magis pius & prudens ipsum in huiusmodi glossare veraciter sciuerit non reconciliando Pelagium, placet mihi, congaudeo, acquiesco. Absit, quin lubentius semper addiscam à quolibet cuiuslibet Doctoris irreprehensibilis verã mentem, quam ipsum non intelligendo ex ignorantia reprehendam. Sed caueant, quæso, dictorum ipsius huiusmodi glossatores, ne Pelagianis à Christi Ecclesia relegatis viam aperiant redeundi, & dictis ipsorum hæreticis Catholicam glossam parent. Si nempe inueniatur talis glossator magis pius & prudens Augustino, Gregorio, Beda, Prospero, quampluribus Sanctis Papis, & inferioribus Episcopis, Synodis, atque Conciliis, & tota Ecclesia Sancta Dei, similia dicta Pelagij, & Pelagianorum non glossantibus, sed absolutè damnantibus, sicut docent multa capitula primi & secundi, & quamplures libri authentici, & historiæ contestantur, mirabiliter admirandum quis se similem ac tantum audeat profiteri, si namque hi Sancti Patres sciuerunt talia dicta Catholicè glossauisse, & noluerunt, sed tanquam hæretica condemnarunt, impietas pessima: si voluerunt & nescierunt, ignorantia maxima, cum tu solus & faciliter istud scias. Idem videtur dicendum de Damasceno, & aliis patribus superius memeratis, quanquam & quidam eorum in quibusdam dictis suis Coloratius possent glossari. In promptu est quod respondeam, &c. Hactenus Braduuardinus.

Cæterum si qua dixero eo accipiantur animo, quo ex me proficiscuntur, fiet spero quod maximè optabile est, vt vtraque disceptantium inter se partium vicisse se putet, quia veritas pro qua vtraque dimicat superabit. Sed de his doctores arbitrentur, equidem meos conatus in Caßiano legitimo illustrando in manusque tradendo Romanæ Ecclesiæ Fidei parenti volens lubensque submitto, dedicoque. Viue & Vale.

S. AVGVSTINVS.

Lib. contra Secundinum Manichæum.

SEnti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Quod enim ait Apostolus. Mihi minimum est vt à vobis iudicer aut ab humano die. Ego autem vicem tibi non rependam vt de tua mente aliquid existimare in malam partem audeam, quod intueri non valeo. Nec dico quod me subdole lacerare volueris. Sed tantùm de te opinor quantum de te iudicas verbis.

IDEM.

Lib. 2. De Trinitate.

Nec trepidus ero ad proferendam sententiam meam, in qua magis amabo inspici à rectis, quàm timebo morderi à peruersis, gratanter enim suscipit osculum columbinum pulcherrima & modestissima charitas, dentem autem caninum vel euitat cautissima humilitas, vel retundit solidissima veritas, magisque optabo à quolibet reprehendi, quàm siue ab errante siue ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est aut amicus: si inimicus insultat, ferendus est; amicus autem si errat docendus, si docet audiendus. Laudator verò & errans confirmat errorem, & adulans iniicit in errorem, emendabit ergo me iustus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.

IDEM.

Lib. 3. Contra lit. Petil. Donatis.

Si autem non aurem solam percutit iracundia criminantis, verùm etiam conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodest si me continuis laudibus totus mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam conscientiam conuiciantis opprobrium. Nec sic tamen decipitur spes vestra, quæ in domino est, etiam si fortè in occulto tales simus quales nos putari cupit inimicus, quia non eam posuistis in nobis nec vnquam hoc audistis à nobis. Securi ergo estis qualescumque nos simus, qui dicere didicistis. In Domino sperans non infirmabor. Et in Domino sperabo non timebo quid faciat mihi homo.

SENECA.

Epist. 102.

Si de me vir bonus sentit, eodem loco sum quo si omnes idem sentirent. Omnes enim si me cognouerint idem sentient. Par illis idemque iudicium est: æque verò sentitur ab his qui dissidere non possunt. Apud malos dissimilia sunt iudicia, dissimiles affectus. Apud eos falsa sunt, quibus assentiuntur. Numquam autem falsis constantia est. Variantur & dissident.

ELEN.

ELENCHVS LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER I.

Effigies S. Cassiani, siue Idea Vitæ Religiosæ.

PROLOQVIVM.

Cap.52.

LIBER II.

De Gloria & Beatitudine.

PROÆMIVM.

R^do

Eminentissimo ac Reuerendiss. Dom.

D. ALPHONSO LVDOVICO DV PLESSIS DE RICHELIEV,

S. R. E. CARDINALI ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI,

PRIMATI GALLIARVM.

ABBATI MASSILIENSI S. VICTORIS, &c.

RELIGIOSIOR est Sanctus Cassianus,
Quàm vt ex secessus tenebris exeat
Sine Abbatis sui licentiâ:
CARDINALIS EMINENTISSIME
Virtute quàm Nomine ditior!
Hanc à te petit, rediturus in secessum, si abnuas.
Maiorem lucem trahit ex suis tenebris,
Quòd purpuræ tuæ radij eas discutiant,
Nec parcitas lucis ibi esse possit,
Vbi diuitis loci augusta fulget Maiestas.
Sic clarior est, quia diu fuerat obscurus.
Ne tamen ambitus accusetur, dum ambit purpuram,
Eam tantùm prehensat,
Quam virtutum luce illustras,
Eaque multiplici nomine Eminentissima
Sine ambitus suspicione prehensari potest.
Aliena caligine obscurus, non suâ
Tuam quærit vmbram, vt liberaliùs vibret.
Quanta RICHELEII Lux,

***

Si vel vmbra multam lucem impertiat?
Inuidiæ telis appetitus,
Debuit se tueri patrocinio illius,
Qui omni superior inuidiâ:
Quâ obstrepente, securus deinceps stabit,
Nec enim quis vacillare potest,
Dum innixus RICHELIO:
Vt pote cum Ecclesiæ Gallicanæ vnicus cardo Gallicus,
Quia vnicus ipse Cardinalis Gallus,
Cuius tamen vnius virtutes
Plurimos Eminentissimos conflarent.
Multa debet Cassianus iis,
Qui eum fuerunt insectati,
Quòd tale ad Asylum ipsum impulerint.
De gratiâ si locutus sit ambiguè
Planum fecit operibus, quod ambiguè protulerat:
Nulli certiores verborum interpretes
Ipsis operibus.
Subtilitates scholæ ignorasse, non pudet Ascetam,
Qui totus simplicitatem Christi sequebatur.
Ex cellulâ perorauit, non ex pulpito;
Interdum pugnant illa subsellia,
Nec possunt ad scholæ trutinam expendi,
Quæ sacelli feruor expromit.
An potuit esse impius.
Qui tot à sæculis pietatem inspirat?
Sanctus esset ille error
Qui plurimos Christo manciparet.
Probæ doctrinæ lydius Lapis, sunt probi mores.
Quamuis tamen aliquâ lue infectus esset,
Pateret ipsi aditus ad Eminentiam tuam,

Quæ lue infectos sæpius adiit vt sanaret.

Te Arbitro iniuriam gratiæ facere non potest:
Hæreticus non audiet, qui nec peruicax,
Nec à RICHELIO alienus.
Si vitam eius probaueris
CARDINALIS EMINENTISSIME
Probabuntur & mores;
Emendabisque Errorem sæculorum
Dum Ecclesiæ Vindex
Sanctitatem, quam Cassiano contulit, ratam esse iubebis.
Sic decet Pontifices, inaugurare Sanctos,
Et Cardinales prospicere vt inaugurati colantur.

Eminentiæ tuæ

Seruus humillimus, & obsequentissimus,
IOANNES BAPTISTA GVESNAY,
è Societate IESV.

*** 2

APPROBATIO ET CENSORVM IVDICIA.

EGo infra scriptus Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta potestatem à R. P. Nostro Generali mihi factam, facultatem concedo P. IOANNI BAPTISTÆ GVESNAY, eiusdem Societatis Theologo mandandi typis librum cui titulus est, S. Ioannes Cassianus Illustratus, siue Chronologia Vitæ Sancti Ioannis Cassiani ac Monasterij S. Victoris ab eodem Massiliæ conditi à tribus de Societate Theologis approbatum. In cuius rei fidem has ei literas meo sigillo munitas manuque mea subscriptas dedi Lugduni die 28. Mensis Maij 1651.

IOANNES GAYETVS.

DOCTORVM THEOLOGIÆ FACVLTATIS Parisiensis Approbatio.

SANCTVM Cassianum illustratum cum mirabilibus de Monasterio Sancti Victoris Massiliæ, opera, & studio R. P. IOANNIS BAPTISTÆ GVESNAY, è Societate IESV, nos infrascripti Doctores in facultate Parisiensi perlegimus, nihilque contra fidem aut bonos mores reperimus datum Lugduni die 12. Februarij anno Domini 1652.

FRANCISCVS LORNET,
Ordinis Prædicatorum.

F. M. MICARD, Minor.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.

IOANNES GAYET Prouincialis Societatis IESV, in Prouinciâ Lugdunensi iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianiss. Henrico III. 10. Mart. 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1608. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. & Ludouico XIV. nunc regnante 23. Decembris 1650. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros, ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant; permittit ANTONIO CELLIER Bibliopolæ Lugdunensi vt Librum, cui inscriptio est Sanctus Ioannes Cassianus illustratus, siue Chronologia Vitæ Sancti Ioannis Cassiani ac Monasterij Sancti Victoris ab eodem Massiliæ conditi, authore P. IOANNE BAPTISTA GVESNAY, eiusdem Societatis Theologo, ad sex proximos annos imprimere ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die 28. Maij anno 1651.

IOANNES GAYETVS.

R^do^ PATRI

IOAN. BAPTISTÆ GVESNAY.

ACERRIMO SS. PHOCENSIS PROVINCIÆ VINDICI.

SCAZON.

IN SANCTVM CASSIANVM.

QVos inquietus Innouantium liuor
Cineres Beatos, exulare Maiorum
Templis Iubebat, Gente peius Hebræa:
Gvesnæe forti vindicasse Censurá
Non sat putabas; Lazarumque bis natum
Iterum excitare, Magdalinque famosam
Seruare rursum dentibus Pharisæis,
Martham & Tarasco reddidisse pugnaci,
Fossasque Marij verius Marianas
Dixisse non sat: Pergis & nouum Sidus
Nunc Cassianum sorde Pelagianâ
Purum, reponis inter Astra Phocæa
Sic te vna mordet cura plebe Sanctorum
Salyum beare limitem, & nouos Cœlis
Vocare Ciues; obstrepat licet Momus;
Macte, & procacis ora rumpe Liuoris;
Candore vultus, Castitate doctrinæ,
Et mente recti Consciâ, probes talem
Prouinciali Serus vt mices Cœlô,
Sanctum daturus Patriæ nouum, de quô
Nulli licebit Zoilo dubitasse.

P. IOANNES BERTET,
è Societate Iesv.

SANCTI VICTORIS
MASSILIENSIS ABBATIÆ,

A Sancto Ioanne Cassiano Conditæ.

PROSOPOPEIA.

Ad Reuerend. Patr. IOANN. BAPT. GVESNAY. Benefactorem suum.

RVDERIBVS visenda meis, titulisque decora
Nobilibus, longo senij pædore iacebam,
ABBATIA Sacrum CASSIANI monimentum:
Cum tetigit me Docta manus, positâque Senectâ,
Prima mihi reducis dedit ornamenta iuuentæ.

Qui tuus est, GVESNÆE, fauor, tua gratia nobis,
Palmari collata libro, cum nostra recenses,
Illustras, clarumque paras de morte triumphum.
Quàm me fata iuuant! SALYÆ quæ gloria gentis
Extiteram, mihi nunc SALYVS fit gloria ciuis.
AST facit hoc mihi fœnus amor, pia dona rependens
Multiplicat, vitamque ferens, dona omnia confert.
Vsque adeò, GVESNÆE, faues scribendo, decorem
Splendidus insinuas Patri, & mihi; vtrique salutem
Instauras, vtrique nouæ das nomina vitæ.

Hoc opus hoc gratum SALYIS, quo tota triumphet
Massilia, & toto resonet PROVINCIA tractu.
Huic nomen, numenque mihi, SALYISQVE patronum
Restituis, tresque vna simul tua dextra Coronat.

Non tibi sat fuerat firmandæ Magdalis aræ,
Pro sacro patriæ iure, ac pietate parentum,
Impia susceptum Generosè in dogmata bellum!

Res

Res noſtras adeò curas, præque omnibus vnum
Relligionis amans ſemper meditaris honorem!
ô fortunatam patriam te prole parentem!
ô prolem patriâ dignam, cui viuere ſemper,
Scriberéque in patriæ laudes eſt gloria vitæ:

Hinc igitur (quoniam licet hîc aperire futura)
Inſculptum SALVIS radiabit nomen in aris
GVESNÆVM, SALVIS per te dum templa manebunt,
Æternumque feret pietas in ſæcula nomen.

Aſt Ego quas reddam grates, ſi reddere poſſim
Auguſtīs impar meritis? Quid agam? accipe tandem
Quæ ſuperant mihi vota tuo pro nomine fuſa,
Accipe, queis mea, méque dehinc tibi conſecro totam:
TESTOR, MENDACES FALLENT MEA VISCERA PARTVS,
Si qui degeneres fuerint à mente parentis;
Si tua non memores cumulent altaria donis;
Si tua non faciles exornent tempora lauro.
Si tibi non meritas tribuant in præmia laudes;
Si quibus haud fuerit grato GVESNÆVS amori.
ESTO AMOR ÆTERNVM NOBIS QVI GLORIA FIET.

FRANCISCVS SIRIIANIS,
è Societate IESV.

In

In obſcuram olim,

D. CASSIANI, S. CHRYSOSTOMI DISCIPVLI SANCTITATEM,

A R. P. IOAN. BAPT. GVESNAY, Aquenſi nunc Illuſtratam.

HENDECASYLLABON.

DISERTISSIME temporum tuorum
Patrum gloria, ſolitudiníſque
Monſtrum nobile, ſtella nauigantum &
Portus Maſſilienſium, Aureæque
Vox pulcherrima Caſſiane Linguæ.
Ni Lucem tibi perſpicax, & ingens
GVESNÆVS, decus Eruditiorum
Aquarum vnio ſextiarum, & ille
Lucidus pretioſioris hoſpes
Ingenî, tibi reddidiſſet, ô lux
Mundi publica, nunc adhuc lateres.
Ni vitam tibi mortuo dediſſet
O Vox aurea nunc adhuc ſileres.
Alas ni ſua penna commodaſſet
Monſtrum nobile ſolitariorum
Quis te ad ſidera crediſſet iſſe.

ANTONIVS BILLET,
è Societate IESV.

LIBER

LIBER PRIMVS,

DE VITA.

EFFIGIES SANCTI CASSIANI, SIVE IDEA VITÆ RELIGIOSÆ.

PROLOQVIVM.

1. MIRABITVR fortaſſe aliquis, ne dicam temeritatis dedecus improperabit illicò, & cenſoria virgula ſuffixam volet *Sancti* appellationem in ipſo ædificij noſtri Apologetici veſtibulo prænotatam, viroque inſcriptam eximio licet, rerumque geſtarum magnitudine inclyto, non tamen vſquequaque Catholico, imo etiam de erroribus in fide comperto. Suſpicabitur quæſitam in tam ſpecioſo titulo lenocinij fraudem & artificij ſimulationem, quò facilius conciliari verbis fides, & in incautos legentium animos liberius tractatæ & à communi Patrum & Conciliorum ſenſu detortæ explicationes inſinuari poſſint. Hi enim ſcopuli quo tectiores eò perieuloſiores. Quam ob rem ſapienter monet Lirinenſis, iuge intentumque ſtudium adhibendum eſſe librorum delectui, ne auctores ementiri ſanctitatis nomen, & manente luporum ferocia deponentes lupinam ſpeciem, diuinæ legis ſententiis quaſi quibuſdam velleribus ſeſe obuoluant, vt cùm quiſque lanarum mollitiem præſenſerit, nequaquam aculeos dentium pertimeſcat. De Seuero quidem ſcribit Anaſtaſius veritatis inſigne fronti ſuorum operum præfixiſſe impudentiſſimè, hoc titulo φιλαλήθης in quibus tamen non ceſſaret ore impio & ſacrilego animo, Euangeliorum corrumpere ſinceritatem. Veneficos diceres, qui teſte Lucretio

Anaſta. ἐν τῷ ὁδηγῷ.

prius oras pocula circum
Contingunt flauo mellis dulcique liquore.

aut Ægyptios in Deorum suorum cultu stolidè superstitiosos, qui templorum adytis crocodili, aut felis, aut hirci, vel alterius cuiuscumque fœdissimi animalis imagine conspurcatis, propylæa pulcherrimè substructa varioque marmore incrustata obtendebant.

2. Verùm quisquis es, amabo, sustine tantisper, & causam prius cognosce, quam supremum iudicem agas; erudire per otium consilij nostri sapientissimis rationibus. Facem præfero quæ suspicionis in hoc genere caliginem omnem & ignorantiæ tenebras discutiat, Senecæ panaceam & Epicteti myropolium exhibeo, (sic enim librorum salutares admonitiones appellabant,) ex quibus accipere liceat præsentissima remedia & alexipharmaca æquissimæ huiusce patrocinij tuendæ veritati, & contra omnes animæ morbos, & scrupulorum ægritudines certissimam opem. Non feres, vt opinor, ingestum ab Augustino Manichæis opprobrium, quod Diuinarum institutionum parata subsidia ad errorum suorum opprimendam pestem ea mentis vesania despuerent, quæ ægri delirio laborantes salutaria medicamenta reiiciunt, atque etiam in os medici impingunt aliquando. *Et miserebar eos rursus*, inquit, *quod illa sacramenta, illa medicamenta nescirent & insani esse vellent aduersus antidotum, quo sani esse potuissent.* Agnouerunt eamdem vim medicam & recreandi ab erroribus animi facultatem in accuratioribus historiarum recognitionibus plerique scriptores sapientissimi, eamque sanæ mentis cupidis commendarunt. Periclitabatur olim, aut certè minus erat communis & explorata Valeriani Cemeliensis Episcopi, Vincentij Lirinensis, Gennadij, Sulpitij, Origenis, Hosij, Luciferi Calaritani, Fausti Rhegiensis, aliorumque virorum illustrium sanctitatis fama, atque etiamnum semipelagianismi notabatur quorumdam doctrina propter furfuris alicuius aut farinæ non bonæ admixtionem. Verùm prolatis iis omnibus & ad sinceræ fidei amussim exquisitè aptatis, vnde labes aliqua posset aspergi, ita rem nauiter diligenterque pro more excussit Baronius, & plerique recentiores historici Theologi, vt euicerint non nisi per calumniam & inanem planè suspicionem posse illis tum sanæ doctrinæ, tùm sanctæ vitæ decus abrogari.

Augustin. lib. 9. Confess. cap. 4.

3. Cassiani scriptum vrgeri puto vehementius è re Christiana esse, est enim prudentissimus & incredibili lectione author in eo præsertim opere, quod de sententiis Patrum à se collectis Collationes nominauit in quo tam accuratè, tam acri ingenio, tam consideratè, tam doctè, tam distinctè, tam liberè de tanta multitudine & varietate verborum iudicium facit, vt nihil animaduersione dignum prætermisisse videatur. Deinde quanti æstimas, scire nos saltem quot bonorum scriptorum in omni genere doctrinæ qui viro illi παλαιογραφίᾳ visi lectique, naufragium fecerimus. Quod ergo multis aliis Patribus in eadem suspicionis & repudij naue, ita commodauerint retractatæ historiarum disquisitiones

nes, & inuenta recens rationum momenta Patrumque testimonia, quid ne de ipso ægrè sperare liceat, cùm in pari causa argumenta omnia quæ pro aliis allata sunt atque etiam multo plura, vt ex inferioribus liquidò constabit, eius sanctitati patrocinentur. Locos argumentorum pararos & expeditos præbebunt 1. excerpta quædam ex tabulis publicis & antiquis Manuscriptis Codicibus Chronicorum Massiliensium sanctissima firmissimaque testimonia. 2. Ipsa quæ in eius Commentariis latet assimilata ex vero vultu animi effigies ideaque vitæ Monasticæ. Quod Ennodius in vita S. Epiphanij laudando extollit. *Pingebat*, inquit, *actibus suis paginam quam legisset, & quod liber docuerat vita signabat.* Et Augustinus lib. 2. de ordi. cap. 9. cum dixisset humanam authoritatem plerumque falli. *In iis tamen*, inquit, *videtur excellere qui quantum imperitorum sensus capit multa dant indicia doctrinarum suarum & non aliter viuunt quàm viuendum esse præcipiunt.*

EX CHRONICIS ET MM. SS. Codicibus Ecclesiæ ac Monasterij S. Victoris Massiliensis de S. Ioanne Cassiano Abbate.

1. *Vita Cassiani nulla est apud nos, præter id quod in eius festo legitur in officio, quod quidem festum celebratur solemniter die 23. mensis Iulij cum Octaua etiam solemni, non solum in nostro Monasterio & locis ab eodem dependentibus, sed etiam in Ecclesia Cathedrali Massiliensi & in tota fere Diœcesi Massiliæ.*

Corpus autem sancti Cassiani, nostri Monasterij diuersis in locis seruatur totum & integrum magno equidem honore & cultu. Caput enim eius auro & argento elaboratum & adornatum est, forma & structura percelebri, subtus eius collũ videtur & legitur huiusmodi inscriptio magno caractere: CAPVT SANCTI CASSIANI. *Super illius caput reperitur mitra auro, argento ac lapidibus pretiosis in magna quantitate honestata & ditata. Extat etiam brachium eius dextrum oblongum & magnum, longitudine circiter trium palmorum, eodem planè modo quo caput elaboratum & honestatum. Obserua autem quod tam caput quàm brachium erecta sunt ac in tali honore posita, labore, studio pietate atque sumptibus Vrbani V. Summi Pontificis huiusce modi Monasterij Abbatis. Hac de causa insignia eius multis in partibus deprehenduntur & in capite & in brachio.*

Quoad reliquum eius Corpus iacet in sepulchro marmoreo supra quatuor columnas posito in Ecclesia inferiori, sed ante huius-

modi sepulchrum extat lucerna semper ardens diu noctuque propter reuerentiam & sanctitatem reliquiarũ eius illic quiescentium; ac proinde constat nullas corporis illius portiones locis aliis extare.

De miraculis eiusdem sancti Cassiani nulla nobis viget memoria, quia cum hoc Monasterium à Vuandalis & Barbaris multoties destructum & euersum fuerit; consequenter scripta nostra & documenta vetera Monasterij erepta & surrepta fuere.

Fuit igitur primus Abbas, primus fundator huiusce Monasterij virorum, & alterius quod est mulierum: pater etiam quinque millia monachorum; fundauit autem huiusmodi Monasterium ad honorem Omnipotentis Dei sub titulo SS. Petri & Pauli & ad instantiam & prædicationem eius sanctus Leo I. Pontifex Romanus illud consecrauit. ann. Domini 445.

EX IISDEM CHRONICIS AD Ecclesiastici officij ritum perantiquæ Breuiariorum Lectiones de S Ioanne Cassiano Abbate.

TEXTVS II.

Cassianus vir sanctissimus atque Doctor præclarissimus apud Athenas natus, omnis illic Philosophiæ studiis edoctus, primus Apostolorum canonicam functionem imitatus multos ibidem suo instituit exemplo atque doctrina informauit. Inde peragrans omnium Christianorum instituta Hierosolymam vsque tetendit & apud Bethlehem quorumdam sodalium præsidio Monasterium instituit non longè à spelunca, in qua Dominus noster Iesus Christus ex sacra Virgine natus infantiæ suscipere dignatus est incrementa, &c.

In id vnum, ac textuum reliqua, conspirant historici plerique omnes, S. Prosper in Chronico ann. 436. & in opusculo contra Collatorem. Gennadius in Catalogo illustrium virorum. Honorius Augustodunensis lib. de Ecclesiasti. scriptor. Trithemius in Catalogo illustrium virorum. Photius in Bibliotheca Cod. 197. S. Fulgentius apud Surium Tom. 1. die 1. Ianua. Sigebertus ann. 427. Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 59. Cassiodorus lib. de Institutio. diuin. lect. cap. 29. Vincentius lib. 20. specu. historial. §. 18. Dionysius Carthusianus in paraphrasi tertia collatio. 11. Volaterranus lib. 4. Antropo. Baronius in Annalibus ann. 404. num. 78. & ann. 430. num. 90. 92. 93. Item ann. 433. num. 25. 28. Bellarminus lib. de Scriptor. Ecclesiasti. Platus de bono status religiosi lib. 2. cap. 25. Possevinus in Bibliotheca V. Ioannes Cassianus. Martyrologium Gallicanum in supplemento 23. Iulij, atque alij passim, quos enumeramus infrà lib. 2. cap. 12.

CAPVT I.

CAPVT I.

Cassianus genere Scytha, patria Athenienſis.

1. IN ea Tranſiſtranæ regionis ora, qua ſe maximè à Thraciæ littoribus Pontus Euxinus expandit in ſeptentrionem; Mare ſubit vaſto receſſu, donec quinque millium paſſuum interuallo abſit à Mœotide, vaſta ambiens ſpatia, multáſque gentes (ſinus Carcinites appellatur) flumen, Pacyris. Ibi, Iſthmus eſt, qui Putrem (ſic enim vocant Sapram) lacum à Mari diuidit, latus ſtadia quadraginta; atque is eam efficit peninſulam, quæ Taurica, ſeu Scythica Cherroneſus dicitur, quondam aquis circumfuſa & ipſa, quaqua nunc iacent campi. Præcopenſis, Sarmatarum lingua, quaſi perfoſſa, quia Iſthmus, qui peninſulæ adiacet, ſpatio mille ducentorum paſſuum perfoſſus eſt, ſeu ab oppido eiuſdem nominis huic oppoſito cognominata. A Carcinite, Taphræ in iſtis anguſtiis peninſulæ, Eupatoria Ciuitas, quæ & Pompeiopolis, mox Heraclea, libertate à Romanis donata, quam Heraclienſes Ponti accolæ coloniam deduxerunt, à Tyra fluuio diſtans ſtadiis quater millibus & quadringentis, curſu maris metiendo. Megarice vocabatur àntea, præcipui nitoris in eo tractu cuſtoditis Græciæ moribus: quinque millibus paſſuum ambiente muro. Excipit Iſthmus, qui paruam Cherroneſum magnæ portionem Cherroneſi habentem occludit, habens ciuitatem eiuſdem nominis Cherroneſum, quæ principio libera propriis virens erat legibus, at deinde à barbaris direpta eò neceſſitatis adducta eſt, vt Eupatorem Mithridatem, ſibi ducem præfectumque militiæ delegerit, armis cum hoſte certaturum, ac leuioris pugnæ quaſi proluſionibus, auſpicaturum futura grauiora aduerſus Romanos prælia, & victorias frequentiſſimorum ac acerbiſſimorum bellorum exitu terminandas.

2. Ille igitur per has tantas ſpes in Cherroneſum cùm miſiſſet exercitum, pariter Scytas inermes & imparatos quàm tumultuoſiſſimè adorſus, Regem Scylurum eiuſque liberos quinquaginta, vel etiam, (teſte Apollonide,) octoginta numero, circa palatium duxit captiuos in triumpho, & ita, vniuerſo potitus tandem Boſphoro, accepta vltrò, ditione loci à Periſade, qui eum præfectus obtinebat, Cherroneſitarum ciuitatem vectigalem & ſtipendiariam ſubiecit, Boſphoranorum Principum Imperio ac poteſtati.

3. Vltra etiam numerantur in oppidis, Theodoſia, Cyte, Zephirium, Acre, Nympharum, Dia, Panticapæum, ſiue Phanagoria. Eſt verò Panticapæum in oſtio Mœotidis, Boſphoranorum Metropolis, tumuli in ſpeciem, frequentibus circumpoſitis habitaculis inclyti, ad ſtadia viginti; ad ortumque portu cingitur celeberrimo, & pleniſſimo nauium: habet & arcem ſitu & opere munitam à Mileſiis iam olim conditam. Sed inter cæteras, quæ dignitate longè multúmque præſtabat, Theodoſia, vrbs & Natura & loco & deſcriptione ædificiorum,

& pulchritudine imprimis nobilis, perueftuta fuit, ac gentilitia ſedes Caſſianorum familiæ, ex qua ſtirpem paterni generis ac ſeminis duxit Ioannes hic noſter, vir in omnem poſteritatem admirabilis, cuius res geſtas moreſque mandare literis inſtituimus, haud procul admodum à Panticapæo abeſt ciuitate; A Cimmero verò oppido trans fretum ſito, Euripi anguſtiſſimi latitudine diſtinguitur, eaque ipſa, pedibus plerumque peruia, glaciato Mari. Portum ſimiliter habet tutum & tranquillum, vel centenis nauibus accommodum, planities magnitudoque regionum frumento admodum beata, & baccarum vbertate conſpicua, vndequaque frugum omnium fertiliſſima, ac paſcendis gregibus valde idonea; vt ſi forte foſſore proſcinderetur, vbique triginta redderet, ideoque, ſupra ducenta argenti talenta, modiorum inſuper frumenti centum & octoginta millia, tributi nomine perſolueret Mithridati tyranno. Atque iſte finis antea & Boſphoranorum & Taurorum agro fuerat adſcriptus.

4. Maternum genus imprimis clarum, ac perilluſtre, Athenis ortum, nobiliſſimo Græciæ totius Emporio, & vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges profectæ, atque in omnes terras diſtributæ putantur, contrahendarum præſertim rerum vſus inter gentes commerciumque ex nauigandi facilitate, & traiiciendi in alias Prouincias opportunitate. Huc enim Boſphoranorum frumentarij commeatus frequentiſſimi ſicut è palude ſalſamentaria, cùm de Leucone Rege memoriæ proditum ſit, decem ac ducentas modiorum myriadas ſimul an ſemel, è Theodoſia Athenienſibus tranſmiſiſſe. Sed & florentiſſimæ videbantur hoc tempore, laudandarum artium omnium procreatrices, & quaſi parentes Athenarum ſcholæ, quarum cauſa tùm diuerſis locis magnus hominum concurſus fieret; tùm ex Scythia imprimis conueniret lectiſſima iuuentus, ad eos animi ſatus accipiendos, quibus ex aggreſti Immanique vita, exculti ad humanitatem, & mitigati, ſapientiæ fructus vberrimos ferrent, & in virtutis adoleſcerent officiique, ac bene viuendi diſciplinam.

5. Hæc cauſa fuit, cur in eo Græciæ oppido, primam lucis vſuram hauſerit Ioannes Caſſianus, cuius de vita & moribus quæ nobis fuerint comperta in vnius Dei gratiam gloriamque, literis mandare decreuimus Patre Scytha, matre indigena: vtroque in ſua gente & honeſta familia nato, & in honoribus ampliſſimis fortuniſque maximis conſtituto, & quod magni faciendum, Chriſtianis inaugurato myſteriis. Frequens enim tum forte Athenis aderat pater, florenti ætate iuuenis, inter Academiæ honorarios, cum eum cupido cepit prenſandi mulierem & nobilem puellam Athenienſem. Quod vbi deliberatum & conſtitutum habuiſſet, operam dedit, vt prima vtriuſque familiæ capita, etiam huius conſilij certiora fierent, iiſque tandem auſpicibus, dicta dote matrimonium inter ipſos, ſolemnibus Eccleſiæ myſteriis & Sacramentorum religionibus expiatos conuenit.

6. De parentibus & patria ſua Athenienſi, fidem ipſe ſibi ac nobis facit

facit autor Collat. 24. cap. 1. *Igitur ad hunc Abraham cogitationum nostrarum impugnationem anxia confessione detulimus, quia ad repetendam prouinciam nostram atque ad reuisendos parentes quotidianis animi æstibus vrgebamur. Hinc etenim nobis maxima desideriorum nascebatur occasio, quod tanta religione atque pietate parentes nostros præditos recordabamur vt eis nequaquam nostrum propositum præponeremus, hoc iugiter mente voluentes quod profectum magis ex illorum essemus assiduitate capturi, nullaque nos corporalium rerum sollicitudine nullisque prospiciendi victus distentionibus occupandos, illis affatim omnem cum gaudio præbitionem nostræ necessitatis explentibus. Insuper etiam spe inanium gaudiorum animum pascebamus, credentes fructum nos maximum percepturos de conuersione multorum, qui velut nostro essent ad viam salutis exemplo ac monitis dirigendi. Tùm præterea ipsorum locorum situs, in quibus erat maioribus nostris habita possessio, ipsarumque amœnitas regionum iocunda ante oculos pingebatur, quamgrata & congrua solitudinis spatiis tenderetur, ita vt non solùm delectare monachum possint secreta syluarum, sed etiam magna victus præbere compendia.* hactenus Cassianus.

CAPVT II.

Ortus & occasio nominis Cassiani.

1. IGitur Ioannes Cassianus Ioannis Chrysostomi discipulorum primus, Magni Leonis Romani Pontificis firmus sectator, ac fidelis amicus, Monasterij SS. Petri & Victoris, & eius qua longe lateque patet, ordinis Religiosi auctor atque institutor, ad annum reparatæ salutis secundum supra trecentesimum quinquagesimum, natus est Liberio Pontifice maximo Ecclesiæ Romanæ clauum tenente, Imperij vero Constantio magni Constantini filio, & Gallo Cæsare eiusdem Constantij patruele Orienti præfecto, Cùm apud Massiliam vrbis illius sacra tum Antistes procuraret Claudius Marius Victorinus; Fuit circiter is annus, duobus ex diuerso Catholicæ Religionis casibus insignis; albi cœptis Arianorum machinis adhiberi constantius, & labefactare perniciosius; alibi enascentibus Deo dicatorum hominum ordinibus. Eodem quippe tempore Osius Episcopus Cordubensis, acerrimus olim fidei defensor, in persequutione Diocletiani, ac Religionis Catholicæ ingens per Orientales Ecclesias in summa temporum difficultate columen, vocatus Firmium ab Imperatore, tam crudeles ne dicam sceleratos & impios Arianos perpessus est, vt vi & verberibus tormentisque compulsus tandem cum Vrsatio & Valente communicarit, & Sirmianæ blasphemiæ subscripserit, cuius lapsus pernicies, omnibus eò luctuosior & acerbior fuit, quò spoliantem iam & exultantem euertit, & perculit ab abiecto: cùm enim tot enauigatis scrupulosis doctrinæ cotibus & vitæ scopulis ad quos aliorum passim & quotidie nauim afflictam videre, aliquando tandem ex longa nauigatione ad portum salutis magna gloria venisset

venisset incolumis, & ibi ex naufragio luculentæ prædæ, atque triumphi, ad hæc Ariana deplorandum in modum saxa proiectus est. Neque iis tantùm creuit finibus calamitas, quæ casu Liberij Romani Pontificis longè reddita est lugubrior, negata in Concilio Romano communione Arianis per Legatos expetita, dirè vexatur ea de causa à Constantio Augusto, & tandem pellitur Berœam Thraciæ, vbi tædio victus exilij, & Athanasij damnationi consensit, & fidem Firmij conscriptam approbauit.

2. Sed ille Antonij & Hilationis ortus ab omni laude felicior, quorum iste primus in Palestina, cœnobia fundauit, cùm antea in Syria tota nunquam Monachus fuisset, Ad Antonium verò in Ægypto, eius sanctitate toti iam mundo elucescente, quod verè dicere possumus annum circiter trecentesimum quinquagesimum sub aureum Constantini sæculum adeptam esse, tantus animorum motus ipsius exemplo & Monachorum concursus factus est, vt & Armeniæ, & Scythiæ, & Nitriæ, & vtriusque Thebaidis, ac totius denique Ægypti deserta Monasteriis complerentur, iisque primus ipse leges condiderit sanctissimas, quæ totum hoc viuendi genus ad perfectam Christianæ vitæ regulam saluberrimè conformarent.

3. Tempus itaque natale cum virorum sapientissimorum tota Ecclesia occasu præsulum, cumque religiosarum familiarum exortu commune habuit, futurus perpetuus tùm Arianorum duce Chrysostomo, tum authore Leone Nestorianorum hæreticorum malleus simul, & religiosæ disciplinæ per omnes pene Orientis prouincias, atque in Occidente toto propagator & lumen. Hæc enim certissima esse solet ratio Diuini consilij, vt nunquam Ecclesiam deserat neque patiatur succrescentes spinas vitiorum, semen à cælesti satore sparsum malignè suffocare; sed eo opportune conscribat milites, & defensores opponat, qui hæreticorum frenare impetus, errorum radices euellere, vitia tollere, mores componere, denique vniuersum terrarum orbem admirabili vita atque doctrina illuminare, atque ad Dei amorem accendere possint.

4. Indendi autem puero dum salutaribus ablueretur aquis, Ioannis nomen, nulla alia ratio occurrit quàm vt in eo forte auiti aut paterni nominis felix memoria perennaret, siue id filio imponi optarent parentes, religione tanti nominis, quod apud Orientis populos in gratiam Ioannis Apostoli tam bene de ipsis meriti summo in honore semper fuit. Quanquam ex eorum cognomine vsitatius, quàm præ nomine vocari solitus, plerique enim veteres historici non nisi Cassianum nominant, cùm tamen authore S. Prospero in Chronicis liquidò constet appellatum esse, proprio nomine Ioannem, cognomento verò Cassianum. Neque vrget quod genuinum interdum reperiatur Cassiani vocabulum, & non nemini proprium: ad vsum quippe satis hoc frequens vt minus prænomen simul & cognationis nomen alteri adscribatur.

5. Beatus

5. Beatus Petrus Damianus Cassiano Martyri de huius nominis præstantia summis cum laudibus gratulatur. *Eminuero Cassianus cui potissimum famulaturus est sermo, diu quidem latuit, sed cum ad certamen peruentum est, quid acrimoniæ, quid saporis, quid fortitudinis granum sinapis occultaret, aperuit. Nam iuxta nominis sui præsagium cum in passionis pila persequutoris manibus, pindi cœpit & atteri, mox fragrantiam odoriferæ suauitatis, quæ in se latebat adspersit. Cassia siquidem species est aromatica, quæ integra quidem nullius esse videtur odoris. trita autem naturalis vim suauitatis emittit.* Cæteræ appellationes vel à vitæ disciplina quam profitebatur vel à scribendi modo impositæ. Collatorem vocat Prosper, ab inscriptione librorum quos vulgauit Patrum nomine in Scythica Eremo commorantium. Eremitam alij siue Anachoretam propter diutinam ac per tot annos continuatam in eadem eremo & cum iisdem Patribus consuetudinem.

Damia. ferm. de SS. Martyri. Cassiano & Hippoli.

CAPVT III.

Primus Cassiani pueritiæ cultus, & Indoles.

1. AC de prima ipsius pueritia id vnum certò scimus, in genere ac liberaliter educatum à suis fuisse: atque ab ipsis incunabulis vt in sancta & religiosa domo eos hausisse spiritus, quibus ingenia ad summum excitantur decus. Elucebat in eo quædam præcox gratia pietatis, tantaque morum festiuitas & præclari argumenta ingenij, vt ad amorem-ne suauitatis eximiæ, an ad singularis admirationem indolis, vehementius traheret eos in quos incidisset, haud facile discernere. Sortitum omninò diceres animam bonam, cuique vt eam sibi Diuina sapientia formabat ad magnam nominis sui commendationem & gloriam, ita puero materiem atque naturam omnium capacem destinaret ornamentorum. Nec verò illi ad propositum sanctitatis fastigium adiumenta vel Diuina vel humana vnquam defuerunt. Peracta infantia, parentes iis literis quibus ætas puerilis informari debet filium erudiendum curant, & in Syriam nescio per quam causam traducunt, nisi, quod est simillimum veri, coniectura trahimur ad suspicandum, Hierosolymam, cæteraque Palæstinæ loca sancta (quod iam dudum in votis haberent) sub initium anni 366. petere omnino constituisse, idque ex veteri Christianorum exemplo atque instituto, & imitatione optimi cuiusque. Primis enim illis temporibus mirum quantum inardescerent fidelium animi cupidine perlustrandi sacra illa monimenta, Christi Domini, Mariæ Virginis, & Apostolorum nobilitata vestigiis. Quanta peregrinorum turba concurreret vndique, ad religiosè colendam visendámque terram altricem sanctitatis, tyrocinium militiæ nostræ, incunabula Dei, Euangelicæ scholam disciplinæ, tot ac tantorum mysteriorum & excellentium donorum consciam atque testem.

2. Notæ & insignes Alexij Romani, Ioannis Calybitæ, Paulæ, Eustochij, Melaniæ, Hieronymi, Ruffini peregrinationes qui eamdem circiter temporum ætatem Hierosolymam profecti tam incredibilem ex ipso illius sacratissimæ vrbis aliorumque locorum conspectu cepere animo voluptatem, vt omnibus rebus facile posthabitis in augustis Iudæorum finibus pedem figere, & sacris reliquiis tota mente ac corpore venerandis, reliquum vitæ tempus traducere, peregrinorumque obsequiis pro sua virili deseruire, sibi statuerint: quod non existimarent vel vbi sanctius in terris vitam degere vel in quo numere fructuosius operam collocare possent. Erat Cassiani nostri religiosissimis parentibus iam diu deliberatum, vt diximus, illustrium Palæstini orbis Ecclesiarum peregrinationem suscipere, ac puerum quatuor aut quinque duntaxat annos natum; & mulierum manibus & potestate Matris ereptum secum eò perducere, & hac mente nacti opportunam Mercatorum nauim instructam & ornatam secundis ventis Ioppem, Palæstinæ portum, aliàs Ionæ, fugientis, & religatæ ad saxum Andromedes, vt fabulantur Poëtæ spectatricem, fœliciter appulerunt. Vbi verò sacra ipsa attigere loca, toti in lacrymas abire, pietatis sensu colliquescere, & eximio animi fructu venerabundi, haud semel, obire modò inclyti quondam templi reliquias, modò sepulchra Prophetarum, hic docentis & Christi, mirabilia patrantis, illic morientis in cruce, aut sepulchro condiri monimenta. Sed prope speluncam imprimis Bethlehemiticam in qua natus & à matre Virgine susceptus vagierat sensim colligere curas, & conuocare ad stupendam illam incunabuli speciem quàm religiosissimè hauriendam, immortales domino agere gratias, humo pia oscula imprimere, nec os nisi ad reliqua raperentur posse ab eo diuellere.

3. Plane hoc consilio venerant vt eam reliquæ vitæ sedem, eam requiem filio prouiderent, quem sibi peregrinationis comitem & socium adiunxerant. Cùm enim is locus esset peregregio religiosæ familiæ Cœnobio, & educationis causa eò confluentium puerorum concursu maximè celebris, placuit optimis parentibus Cassianulum suum in eum conuictorum numerum & ordinem spiritualibus Magistris iuxta, discipulisque florentissimum aggregare, ab iis vt prima fidei ac literarum rudimenta doceretur.

CAPVT IV.

Fidei ac literarum rudimentis imbuendus traditur Monachis Cœnobij Bethlehemetici.

1. SCribit hoc luculenter Cassianus ipse Collatione 11. capite 1. in quo longissimarum procul in Ægyptum & Thebaidis Eremos peregrinationum suarum ducturus exordia in hanc fere sententiam præfatur.

præfatur. *Cùm in Cœnobio Syriæ consistentes, post prima fidei rudimenta, succedentibus aliquatenus incrementis, maiorem perfectionis desiderare gratiam cœpissemus.* Tum etiam capite 5. *Debet hoc saltem labor tanti itineris obtinere, quod huc de Bethlehemitici Cœnobij rudimentis institutionis nostræ desiderio, & profectus nostri amore properauimus.* Et Collatione 17. cap. 7. *Quamuis etiam illorum doctrinæ summas grates rependere debeamus, qui vos docuerunt à paruulis magna conari, & dato boni sui gustu, egregiam perfectionis sitim nostris visceribus indiderunt.* A paruulis, inquit, hoc est à pueritia, qua ætate Cassianus cum suo Germano Monachus est factus in Cœnobio illo Bethlehemitico, vnde in præfatione sua ad Castorem. *Ea*, inquit, *quæ à pueritia nostra inter eosdem constituti, atque ipsorum incitati quotidianis adhortationibus & exemplis vel agere tentauimus vel didicimus.*

2. Quod autem Monachi, conuictum instituerent ac ludum literarium pueris aperiendum, suosque ea occupatione distinendos putarent, quæ laboriosa & permolesta est & abiecta in speciem, & non satis propria religionis videtur, ne hoc quidem & veteri instituto discrepat. Ita enim diuino iure iam olim cautum legimus apud Hebræos, vt à vigesimo anno, & suprà, recenseretur populi multitudo, Leuitæ verò ab vno duntaxat mense & suprà, quasi indicare vellet Sacerdotes ac viros religiosos, non tam à foro & puluere ac sæcularibus negotiis quàm ab vberibus, à lacte, ab infantia ad diuinum cultum esse transferendos. Iisque deinceps coniunctum aliquid habuere aut continens, perantiqua Ecclesiæ Concilia, Nona Synodus, & Concilium Moguntinum, in quibus statuitur vt Presbyteri & Monachi scholas aperiant in Monasteriis & Ecclesiis, quo possint fideles filios suos mittere.

Synod. 9. c. 4. & 5. Moguntin. cap 45.

3. Inter hos igitur verè ab infantia magnos & excellentes viros diuinoque cultu velut ab vbere initiatos, ordinem suum nactus Cassianus ea pietatis simul atque scientiarum tyrocinia posuit, vt inter Abbates sui sæculi esset clarissimus, tanto fœliciori forte euentu, quanto Bethlehemiticum Cœnobium ob singularem loci reuerentiam & sanctitatem, cæteris omnibus religiosarum familiarum gymnasiis anteibat: erat enim ex cunabulis Christi sacrosancto ac venerando præsepio vicinum & continens. Et verò si Parnassi rupes cæteraque fictorum numinum adyta, scientias & fatidicam nescio quam mentem cœlitus adspirabant, vt fabulantur Poëtæ, quidni credere fas sit de spelunca, veri Numinis maiestati consecrata, velut de Cœli cortina diuinitus afflari Dei oracula, mentisque illustrationes, ad rerum fidei singularem intelligentiam comparandam? Vt vt sit de Monasterio suo sic ipse narrat. *In nostro Monasterio vbi Dominus noster Iesus Christus natus ex Virgine, humanæ infantiæ suscipere incrementa dignatus est, nostram quoque adhuc in religione teneram & lactentem infantiam sua gratia confirmauit.* Rursus vbi de Pynufio Abbate latebras quærente. *Nostrum Monasterium protinus expetiuit quod non longè fuit à speleo, in quo Dominus noster Iesus Christus ex virgine nasci dignatus est*, Item Coll. 17. Ab-

Cassia. l. 3. Instit. cap. 4.

Cap. 31. Ibid.

Col. 17. cap. 5.

batem Iosephum sic affatur. *Si promissione quam seniorum charitate nos compellente deprompsimus, & quam coram cunctis fratribus in spelæo in quo Dominus noster ex aula uteri Virginalis effulsit, ipso teste deprompsimus, satisfacere voluerimus, summum spiritualis vitæ incurrimus detrimentum.* Propterea Syriæ Cœnobium, magna cum excellentia præstantiaque, Cœnobiorum reliquorum dici consueuerat, ex Collationis vndecimæ capite mox citato quòd inter cætera omnia ex antiquitate & dignitate & Monachorum frequentia & sanctitate præcelleret.

CAPVT V.

De eiusdem educatione vsque ad annum septimum.

1. POstquam suo alumno parentes amantissimi prouisos habuere Ludimagistros, viros vita moribusque tam sanctis, Græciam repetituri ad iter se accingunt, nauique conscensa ægrè quidem sed tamen Piræum Atticæ portum aduecti sunt, inde Athenas salui peruenerunt, mense vix vno in ea nauigatione consumpto; Iam verò quanta cura diligentiaque inter Monachos sit educatus, facile ex eo fuerit assequi, quod his pene suppar ætate scribit Hieronymus, ad Lætam Romanam, pro institutione Paulæ puellulæ, cui hunc præ cæteris omnibus Bethlehemi locum designat, tanquam magis religiosum & ad exercenda virtutum literarumque opera ex animi sententia peraccommodum. *Postquam,* inquit, *ablactaueris eam, cum Isaac, & vestieris cum Samuele, redde præstantissimam gemmam cubiculo Mariæ & cunis* IESV *vagientis impone. Nutriatur in Monasterio, sit inter Virginum choros, iurare non discat, mentiri sacrilegium putet, nesciat sæculum, viuat angelicè, sit in carne sine carne, omne hominum genus sibi simile putet.* Huic Cassianus institutione similis, primis statim fidei Christianæ rudimentis imbutus, vnà cum doctrinæ lacte, ea virtutum semina imbibit, quæ in omnem ætatem adhæserunt.

Hieron. ad Lætam. Epist. 7.

2. Delectabat vehementer Magistros eius institutioni præfectos, hic pueri gliscens in Deum resque cælestes amor ac studium, & in tam tenera ætate constantiam, in tam alieno tempore prudentiam oculis animoque lustrantes planè obstupescebant. Quare tum sponte sua intenti ad morum magis quam animi expolitionem; tum bonitate indolis promptoque ingenio perspecto inuitati, multo enixius meliorem illam magisterij partem ad virtutis conformationem exequi cœperunt. sequebatur puer non secus atque facilis cera fingentis manum, sensimque in imaginem Dei pulcherrimam figurabatur. Tum prima legendi scribendique rudimenta edoctus tantos in Latinæ Grammaticæ studiis habuit processus, vt citò æqualibus antecellere ingenij gloria contigerit, & erat præter memoriæ felicitatem, aliqua etiam suauitas vocis & actionis venustas. Ex diuinis Euangeliis illustres habebat excerptas

sententias,

ſententias, quas de memoria diſceret, & deinceps cuſtodiret; Aliorum quoque piorum codicum appoſitæ lectioni, præcipueque commemorandis ſanctorum hominum exemplis ſedulo nauabat operam. Poſtremò quæ certiſſima eſt & compendioſiſſima via docendi, ſua ipſi religioſi Patres probatiſſima vita illuſtrabant ardentioribus facibus, ac deſiderium vehementius ad pietatem bonæ menti adiiciebant: &, vnde Magiſtrorum non pauci, viri vt plurimum ſcelere & egeſtate perditi, perniciem periculumque ſuis diſcipulis ferunt, inde illi virtute & honoribus aucti, ſalutem & morum diſciplinam comparabant. Non erat inanis labor, diligebat enim eo ſenſu, verebaturque Magiſtros ſuos Caſſianus, nihil vt iis carius nihil eorum auctoritate grauius haberet: ac dum in eo Monaſterio fuit aſpera illa & planè difficili Monachorum viuendi ratione delectatus, earum rerum, quibus apud ſuos blandè & delicioſè tractari potuiſſet, deſiderium penituſque memoriam faſtidire cœpit, & arctum pietatis ac veræ ſubmiſſionis iter, quod erat poſtea alto & excelſo animo peracturus, agnoſcere.

CAPVT VI.

Ad perſequenda literarum ſtudia Athenas reuocatur.

1. CVm adoleſceret in animo tenero flos pueritiæ, & virtutum ſemina mirificè iam excreuiſſent, quò maiores in ſtudiis faceret progreſſus & cultioris vitæ modum formamque condiſceret, in Græciam reuocatur à parentibus. Erat illis temporibus Athenienſis Academia non ſolum vetuſtate famaque ſapientiæ inclyta, ſed etiam ob Magiſtrorum præſtantiam maximè celebris, acerrimis vndique ingeniis eò confluentibus, vt inde referrent eruditionis eximiæ palmam. Docuiſſe enim ibidem reperiuntur, imperante Conſtantio, Anatholius clariſſimus Orator eidemque Imperatori percharus, qui ipſum Romam vocauit atque præfectura Prætorij inſigniuit: Proæreſius ob facultatem dicendi, ab eodem Imperatore in Gallias primum, deinde Romam miſſus, & ex Senatus conſulto ſtatua donatus eiuſmodi inſcriptione nobilitata: *Regina rerum Roma, Regi Eloquentiæ.* Muſonius, qui ex lege lata à Iuliano ne Chriſtiani liberalium artium doctores eſſent, ſcholas deſeruit. Tradit inſuper Sozomenus Gregorium Nazianzenum & Baſilium ibidem Hemetio & Libanio præceptoribus vſos fuiſſe.

2. Et licet in aliis quoque Orientis vrbibus præclarioribus Cæſareæ Palæſtinæ, Alexandriæ, & Conſtantinopoli florerent inſtituta diuerſarum facultatum Gymnaſia, accidere tamen ſolebat vt qui prius in eis operam ſcientiis dediſſent demum Athenas ſe conferrent, vt penitus conſummarentur. Sic enim planè factum à Gregorio Nazianzeno, qui cum Cæſareæ Palæſtinæ primùm, inde Alexandriæ vnà cum fratre Cæſario auditor extitiſſet, poſtremò Athenas profectus, illic primò

discipulus deinde doctor publicè professus est. Sed & post eum Basilius Cæsariensis Cappadox cùm prius Cæsareæ Palæstinæ, inde Constantinopol. egregiè literis excultus fuisset, Athenas concessit literarum & Metropolim literatorum. Simul eodem traxit Iulianum, hominem rectæ fidei desertorem ac stolidè gloriosum acerrima illa & fortissima cognitionis atque scientiæ parandæ cupiditas: quamquam authorè Gregorio Nazianzeno duplicem proficiscendi causam alteram speciosiorem & honestiorem vt Græciam eiusque scholas viseret, alteram tectiorem paucisque notam, vt regionis illius sacrificos & impostores de rebus suis consuleret, impietate videlicet nondum plenam libertatem habente. Inuitabat etiam & allectabat commentitiorum numinum cultorem sacrilegum Asylum illud impietatis ab Alarico Tyranno, fauentibus Christianis postea dirutum ac penitus dissipatum; in quo Eleusiniarum Antistes clam sacris homines initiabat atque futura prædicebat. Cum hoc enim fuit Iuliano quidem hospitium vetus, sed ea causa etiam cum aliis compluribus superstitionum authoribus, & Magistratibus Gentilium sacrorum familiaritas tanta, eaque cùm officiis multis, tum etiam consuetudine quotidiana sic aucta, vt nihil esset eorum familiaritate coniunctius. Quam ob rem perniciosas quidem aliis quoad animæ salutem, Athenas fuisse ait Nazianzenus, tum quod nefariis opibus hoc est simulachris magis affluerent quam reliqua omnis Græcia: tum quod ægrè temperarent, ne hospites simul cum eorum laudatoribus & patronis in errorem abriperent; sibi autem & Basilio nihil detrimenti allatum esse vt pote animo communitis firmissiméque obseptis: quin potius quod vix credibile est hinc ad fidem confirmatos fuisse, ipsorum fraudem & imposturam cognoscentes, atque illic Dæmones contemnentes, vbi in mirifica laude essent Dæmones.

Nazianze. orat. .. in Iulia.

3. Cassianus ergo Athenas reuersus vt cœpta studia prosequeretur, dum in Academia fuit in qua magno cum fructu annos aliquot insumpsit, optimis moribus & disciplinis animum diligenter excoluit atque in eo amplo & ancipiti totius Orbis Orientalis theatro, vniuersis qui illum nossent apprimè charus, præsertim sodalibus, vitæ cuiusdam verè Christianæ rarum præbuit exemplum, & pudore atque modestia incitamento fuit ad virtutem. Primis annis traditus in contubernium peritis (vt locis ac temporibus illis) Ludimagistris spectatæ sanctitatis & doctrinæ viris, scholastico more lusit in controuersiis declamandis. Humanitatis artes, bene dicendi vim, Græcas & Latinas literas super ætatis captum auide ita imbibit vt linguæ vtriusque facundia, cæteris vnus in Gymnasio facile antecelleret, & inter laudatissima quæque floreret adolescentium ingenia. Logicæ quoque spatia, vt moris erat Græciæ, percurrit, & nonnihil etiam de Philosophia degustauit. Ad sacras deinde literas & studia quæ animum ad diuina sustollunt, & Theologia mystica continentur, (quam viam ipsi institerant, vt eadem per vestigia ducerent Cassianum) exemplo admonebant & compellebant Gregorius Naziangenus, Basilius, Isidorus, Germanus pluresque alij ex prima Chri-

ſtianæ iuuentutis nobilitate quos ibidem tanquam vitæ ſocios conſiliorumque duces nactus fuerat.

Caſſianus collat. 14. c. 12.

4. Quod inſignis & valde notandus locus Caſſiani demonſtrat. Cùm enim Germanus ex ore Abbatis Neſterotis audiſſet, mentis puritatem eſſe apprime neceſſariam ad intelligentiam ſacrarum literarum, in hunc modum ſeniorem interrogat. *Ad hæc ergo occulta primum compunctione permotus, ac d inde grauiter ingemiſcens. Hæc inquam omnia quæ copioſiſſimè digeſſiſti, maiora mihi intulerunt deſperationis augmenta. quam hactenus ſuſtinebam. Quippe qui præter illas generales animæ captiuitates, quibus non dubito infirmos quoſque pulſari, extrinſecus ſpeciale impedimentum ſalutis accedit, per illam, quam tenuiter videor attigiſſe notitiam literarum, in qua me ita vel inſtantia pædagogi vel continua lectionis macerauit intentio, vt nunc mens mea poëticis velut infecta carminibus illas fabularum nugas, hiſtoriaſque bellorum quibus à paruulo primis ſtudiorum imbuta eſt rudimentis, orationis etiam tempore meditetur, pſallentique, vel pro peccatorum indulgentia ſupplicanti, aut impudens poëmatum memoria ſuggeratur, aut quaſi bellantium Heroum ante oculos imago verſetur. Taliumque me phantaſmatum imaginatio ſemper illudens, ita mentem meam ad ſupernos intuitus aſpirare non patitur, vt quotidianis fletibus non poſſit expelli.* Sic ille interrogauit, cui ſapientiſſimus ſenex reſpondit ſimili inſtantia ac diligentia erga ſacram ſcripturam impenſa inanium rerum recordationem eſſe ſenſum abolendam.

5. Interim vt erat puerili educatione probè apud Monachos inſtitutus, diuina eum gratia ad meliora prouehente, pietatis ſtudia toto animo complectebatur. Iam tum ſentire cœpit cœleſtes afflatus, faſtidire præſentia, & de perfectioris vitæ ratione in aliqua piorum hominum familia tranſigenda tacitus agitare apud ſe, quo fiebat vt viciſſim ſeſe vtraque ſtudia & doctrinæ & pietatis eò validius adiuuarent, quò ſinceriùs ipſam quoque literarum diſciplinam ad ſanctitatis apparatum profectumque, atque ad Dei gloriam referebat. Imprimis vero iuuenilis licentiæ fuit oſor acerrimus, pudicitiæ ac candoris amantiſſimus, vt quæ facillimè propter imbecillitatem conſilij deprauatur ætas adoleſcentiæ, in illa, Caſſianus, & innocentiam perpetuam cuſtodiret, & earum virtutum ſemina iaceret, quæ decedente ætate in immenſas frugiferaſque arbores excreſcerent. Nec tamen omnino periculis caruiſſe videtur quibus per id genus datam occaſionem, teneræ hominum mentes excipi ſolent à parentibus & propinquis, hæc enim in pleriſque mortalium ſui ſuorumque commendatrix cupiditas viget, vt quò & illuſtriora vident in filiis magnarum rerum exordia, & vberiora futuræ claritatis ſemina, hoc magis ea conuertere ſtudeant ad inanem ſplendoris vmbram, & humana ſtirpis atque familiæ incrementa. Sed id quoque fœlicius vertit adoleſcenti Caſſiano, qui ex patriæ ac parentum conſuetudine & amore, illud etiam emolumenti accepit, vti res omnes prudentius, quoad ætas ferret, ne à ſuſcepto religioſæ vitæ conſilio tranſuerſum animum agerent, adminiſtraret.

CAPVT VII.

Par voluntatum consensio & mutua Beneuolentia Germanum inter & Cassianum.

Gregorius in orat. de laud. Basilij.

1. Estque illud in hac re non iniucundum scitu quod Gregorius testatur de incredibili discipulorum studio satagentium quemque discendi causa Athenas aduenientem præoccupando lucrari, & suo cuique (nam in partes diuisi erant,) adsciscere præceptori. *In hoc*, inquit, *elaborantes vt & numero crescant, & illos opera sua locupletiores efficiant. Praeoccupantur vrbes, viæ, portus, summa montium planities, solitudines, omnis denique Attica & reliqua Græciæ partes, atque adeo incolarum permulti, nam & illos in partes ac studia distractos habet.*

Hisce principiis exorta amicitia, hinc coniunctionis igniculus ipsum Gregorium inter & Basilium. Habebant illos Athenæ, profluuij cuiusdam fluuialis instar, ex eodem patriæ fonte in diuersas regiones, doctrinæ cupiditate distractos, rursumque velut ex composito, Deo videlicet ita impellente, coëuntes; Ac Gregorium quidem aliquanto ante habuerant, Basilium autem haud multò post, & quidem cum mirifica & luculenta spe expectatum. Etenim in multorum linguis versabatur antequam aduenisset, nec quisquam erat qui non præclarè secum agi putaret, si ad quod summo studio expetebat prior occuparet. Quare vrbem ingressus, cùm primò Gregorium suum non dubia Dei voluntate obuiam habuisset, tantùm eius consiliis tribuit, quantùm cui tribuisset plurimùm: nec aliarum in Academia partium esse voluit, quàm iis conditionibus & legibus quas sibi Gregorius suo ac suorum exemplo tradidisset. Hæc & alia de his multa loquutus Gregorius, Oratione in laudem Basilij, qui rursus quænam fuerit mutua Athenis conuersatio atque studia, quibus hisce principiis exorta amicitia maioribus in dies adaugebatur accessionibus, sic ipse describit. *Par spes doctrinæ hoc est rei omnium inuidiosissimæ nos ducebat, & tamen aberat inuidia, sola æmulatione flagrabamus, hoc vtrique certamen, non vter primas ferret, sed vter alteri primas cederet. Vterque enim alterius gloriam suam existimabat vna vtrique anima videbatur, duo corpora ferens. Quod si minor fides iis habenda est, qui omnia in omnibus posita esse dicunt: at nobis certè credendum est, quod vterque in altero & apud alterum positi eramus, vnum hoc ab vtroque nostrum agebatur, vt virtutem coleremus, atque ad futuras spes, vitæ nostræ rationes accommodaremus, ante mortem à terra migrantes. Quod quidem nobis ob oculos proponentes vitam actionésque omnes nostras dirigebamus, tum diuini præcepti ductum sequentes, tum alter alteri virtutis studium extimulantes: atque (nisi hoc arrogantius dicere videar) vterque alteri norma atque amussis eramus, qua rectum à prauo discernitur. Nec enim cum flagitiosissimis ac petulantissimis quibusque sodalium nostrorum consuetudinem*

consuetudinem habebamus, sed cum optimis & honestissimis, nec cum pugnacissimis, sed cum tranquillissimis & pacatissimis, iisque quorum consuetudo maximos fructus afferebat, illud nimirum exploratum habentes multo facilius vitium contrahi, quàm virtutem communicari: quemadmodum facilius quoque morbus contrahitur quam sanitas impertiatur. Disciplinis porro non tam iucundissimis quàm præclarissimis oblectabamur; nam huic quoque vel ad virtutem vel ad vitium iuuenes informantur. Duæ nobis via nota erant, altera primaria & præstantior, quæ videlicet ad sacras domos nostras, sacrosque doctores ferebat; altera secunda via nec eiusdem honoris, nimirum, quæ ad externæ doctrinæ professores ducebat, reliquas omnes quæ ad festa, spectacula, celebres conuentus, epulasve ferebant, volentibus reliqueramus. Nihil enim, mea quidem sententia, magni faciendum est quod nihil affert ad rectè honesteque viuendum, nec sui studiosos meliores reddit. Iam cùm aliis alia quædam cognomenta sint vel à parentibus accepta vel ex seipsis hoc est ex propriis vitæ studiis institutisque comparata: nobis contra magna res erat & illustre nomen Christianos *& esse & nominari.*

2. Ex quo inquit, id assequebamur, vt non solùm apud præceptores & socios, sed apud totam etiam Græciam, ac præsertim clarissimos quosque Græciæ viros, illustri fama celebraremur, quin etiam vltra Græciæ fines progressi sumus sicut multorum sermone compertum est: nam vt quocumque Athenarum, eodem quoque Præceptorum nostrorum fama sese proferebat; ita quicumque Præceptores, iidem quoque nos cognoscebant, simulque de nobis audiebant & proloquebantur, ac par quoddam non obscurum & incelebre apud eos eramus & dicebamur. Nec nobiscum Orestes suos, & Pylades vllo modo comprehensos putabant.

3. Simillima & maximè genuina occasio fuit contrahendi ibidem Germanum inter & Cassianum iucundissimam vitæ eiusdem literariæ atque officiorum societatem, cùm enim auspicatò vtrique cessisset tum institutionis tum institutoris ac moderatoris Palæstra; quotidiano vsu & familiaritate adeo sibi illum Germanus obstrinxit, vt piis admonitionibus & exemplis se Cassianus (vt erat ad pietatem propensus) libens eidem tradiderit, quo de vitæ studiorumque optimo genere deligendo & salute maturè quærenda constitueret. Decursis & hic, vt constanter sic feliciter liberalium artium & Philosophiæ spatiis, non doctrinam sibi modo sed doctrinæ etiam decus peperit, præcipue verò ad dicendum mira fuit in eo ingenij fœlicitas & actionis venustas, qua laude nobilis etiam tum inter æquales discipulus ferebatur, clariusque explendescebat. Namque perfunctus deinceps honoribus amplissimis, & Christianæ reipublicæ muneribus, sapientiam eximiamque in vtraque tam Græca quam Latina lingua facundiam cùm egregiè probasset suam, pacis internuntius & Orator Romam cum Cassiano delegatus est, cum imperio & potestate ambo lecti à Clero Constantinopolitano ad Chrysostomi negotium cum Theophilo Alexandrino in supremo Ecclesiæ tribunali, Innocentio summo Pontifice, disceptandum. Assiduus

Cassiani lateri adhærebat simul innocentiæ custos & quasi illius lingua, cùm in suis Collationibus non nisi vno & altero loco videatur per se loquutus Cassianus, aliàs semper quasi per suum Magistrum & Doctorem Germanum, qui suo & Cassiani nomine cum Patribus colloquebatur mutuaque ferebat ac referebat responsa. Quamquam etiam in hoc consilio religiosæ modestiæ specimen & silentij exemplum præbere voluit Cassianus, vt qui seniori ac Presbytero iunior ipse & Diaconus duntaxat (sed fortè doctior ac peritior) loquendi officium & honorem detulerit.

4. Acuebat, vt fit, eximia quædam indoles virtutis studium animumque ad sapientiæ satus accipiendos tanquam purum solum diligentius præparabat. A Monachis autem, inter quos deinceps cooptatus est, non diligebatur solùm sed etiam in tanta habebatur sanctitatis existimatione, vt expeteretur in Cœnobio ad prima & præcipua charitatis ministeria, & præfecturas. Vel illud argumento erit, quod præ cæteris coætaneis suis, vix bene florentis adhuc adolescentiæ annos emensus, sacerdotij ordine initiatus est, postmodum creatus Abbas publicam Monasterij rem curare cœpit, tanta cum prudentia & ingenij mansuetudine, vt neque propriæ perfectionis studium è demandato sibi munere rectè obeundo quidquam illum abstrahere, neque vlla siue suorum siue externorum occupatio, ab excolendo veris solidisque virtutibus animo retardaret. Id ipse quoque testatum reliquit Collationis primæ capite primo in quod amicitiæ inter vtrumque quanta iam non scintilla, sed fax conspicua & sublimis esset accensa, his verbis coniecit. *Cùm in Eremo Scythi, vbi monachorum probatissimi Patres & omnium sanctorum morabatur perfectio, Abbatem Moysem qui suauius inter illos egregios flores, non solùm actuali verum etiam theorica virtute flagrabat, institutione eius fundari cupiens, expetissem, vnà cum sancto Abbate Germano, cum quo mihi ab ipso tyrocinio ac rudimentis militiæ spiritualis, ita indiuiduum deinceps contubernium tam in cœnobio quàm in eremo fuit, vt cuncti ad significandam sodalitatis ac propositi nostri parilitatem pronunciarent, vnam mentem atque animam duobus inesse corporibus, pariterque ab eodem Abbate ædificationis sermonem fusis lachrymis posceremus*; Rursus vbi de Abbate Ioseph. *Qui cùm*, inquit, *institutionem suam nos desiderare sensisset, percunctatus primùm vtrumnam essemus germani fratres, audiensque à nobis, quod non carnali sed spirituali essemus fraternitate deuincti, nosque ab exordio renunciationis nostræ tam in peregrinatione quæ ab vtroque nostrum fuerat obtentu militiæ spiritualis arrepta, quàm in Cœnobij studio indiuidua semper coniunctione sociatos, tali vsus est sermonis exordio.*

Collat. 16. cap. 1.

5. Hoc igitur socio auctus Cassianus, viro eximiè prudente, & vt arbitror populari suo & oriundo ex Scythia; dubitares vtrum in virtute an literis maiores progressiones haberet, cùm in vtrisque haberet maximas. Et iam inde solitò vehementiùs religiosæ vitæ amore diuinique seruitij cœpit ardere, & initium facere austerioris vitæ. Sed quia annis adhuc minor, neque integra res, qui non dum sui iuris esset, tametsi studiorum

studiorum metam quam primùm attingere optabat, quo liberiùs omnem curam atque operam in cognitione altiorum rerum consumeret, Germani tamen authoritas & exemplum inflexit, ad altiora Christianæ disciplinæ fundamenta iacienda, vt mirum videri debeat, si ad eruditionis & sanctitatis tam excelsum fastigium, quam postea consequutus est, famam perduxerit.

CAPVT VIII.

In Palæstinam cum Germano reuersus animum ad Religionem appellit, & Cœnobium Bethlehemiticum inire statuit.

1. SVb annum ætatis circiter vndeuigesimum, vix exercitationibus iis perfunctus, vel vt opinor nondum omnino perfunctus, vbi conditionis liberioris esse cœpit, ac sibi quasi mancipatus sancto in otio, tum secum ipse, tum etiam cum Deo solus agere, & spiritualibus se meditationibus excolere diligentius instituit, aridæ instar materiæ quæ facillimè concipit flammam, ita mentem lux cœlestis impleuit, vt omnem repentè terrenarum rerum affectum procul adolescentis animo relegarit, ac nouo quodam intelligentiæ diuinæ vigore perfuderit. Quanta scilicet fallacia, quanta inconstantia esset humanæ vitæ? Quanta incertitudo supremæ illius horæ? atque vbi minimum timoris est, ibi plurimum esse mortis. Multos in ipso flore iuuentæ, plurimos latentis febriculæ caloribus extingui, nonnullos spes longas ac diuturni temporis præcepta gaudia, noctis vnius compendio finire.

2. Dum has similesque cogitationes cum animo versat, non potuit suum celare Germanum, eumque ad suscepti consilij non inuitare partem, cui pro intimæ necessitudinis vsu quotidie solitus esset, dicti factive rationem reddere, & quæcumque cogitationem subiissent, per ingenuam bonitatem exponere. Coiuere facile inter se vtriusque animi, & quidem Germanus, quod docile ingenium nactus esset, & obsequens, nec ad parendum peruicax, ita paulatim mente sensibusque immutatus est, vt Cassiani verbis in cognitionem vanitatis mundanæ rerumque caducarum adductus, nouis illico exarserit desideriis, totum se consecrandi vitæ Religiosæ. Agere dixisses actum à Gregorio subducente Basilium suum, à sæculi periculis laqueisque, ac procurante ne formosum adeo lilium inter luxuriantes vitæ profanæ tribulos & spinas languendo emoreretur, sed in amœnissimos religionis hortos depangendum transportaretur. Hunc nouum suum instinctum ac deliberationem, suo ab secretis consiliis indicauit Cassiano adeóque se illi totum permisit, vt promitteret ab eius imperio ne transuersum vnguem discessurum. Vestigium autem illud Cœnobij Bethlehemitici, in quo primum Cassianus institisset, hærebat eius pectori altè impressum, iamque inflexerat ad eligendam præ reliquis tam sanctis legibus fœderatam Monachorum

illorum societatem. Suspiciebat, memor educationis olim puerilis, veterum Magistrorum suorum illustres eminentésque virtutes, eximiam imprimis charitatem, & ardens studium nihil nisi Christo collaborandi in animarum salutem. Totus ad imitationem rapiebatur, eorumque gesta omnia sibi pro forma proponens ac regula, ad quam vitam deinceps componeret ac dirigeret suam. Nihil iam dubitabat, quin ea demum Sanctorum sedes ac domicilium esset, ad quos ipse ex diuinæ voluntatis impulsu deberet adiungi. Tanti interest pueros optima præoccupari doctrina, maturéque à turba & colluuione mundi semotos discere salutaria magis, quam vana sectari, & non literarum modo in studiis, sed etiam sapientiæ solidæ disciplina ad suam & reipublicæ vtilitatem atque diuini nominis gloriam informari.

3. Concepto religionis proposito, ideoque facta sui in Cœnobio Bethleheemitico consecrandi oblatione, ne tantillum relangueret feruor ille, quem tum ipsis Deus iniiciebat, in omnem nauigandi occasionem intendunt. Cúmque stare ad Pyræum peregrinam nauem audiissent, illuc itinere terrestri se contulerunt, factúmque est Dei beneficio, vt ora tandem soluta incolumes in portum Palæstinæ penetrarint. Adeunt ad Abbatem custodémque Cœnobij, à quo primum seuerioris repulsæ ignominiam passi & pro vsu inter veteres Monachos recepto, domicilij mœnibus & aditu exclusi, vbi ad fores excubassent, diebus aliquot, & in propositi constantia aduersantibus etiam amicis perseuerassent, domum tandem recepti limen intrarunt. Exemplum id genus consuetudinis ab eo literis mandatum reperio in hæc verba.

Cass. Insti. l. 4. cap. 3.

Igitur ambiens quis intra Cœnobij recipi disciplinam, non ante prorsus admittitur, quàm diebus decem vel eo amplius pro foribus excubans indicium perseuerantiæ ac desiderij sui pariterque humilitatis ac patientiæ demonstrauerit. Cúmque omnium prætereuntium fratrum genibus prouolutus, & ab vniuersis de industria refutatus atque despectus, tanquam qui non Religionis sed necessitatis obtentu Monasterium optet intrare: iniurijs quoque & exprobrationibus multis affectus, experimentum dederit constantiæ suæ, qualisque futurus sit, in tentationibus opprobriorum tolerantia declarauerit, atque ita fuerit explorato mentis ardore susceptus. Mox in cellam hospitum admissi vbi cœpere Monachos habere amicos, quibus cum possent familiares conferre sermones, Germanus eos admirabatur tantopere vt dubitaret hominesne magis, quos quæsiuerat, an Angelos Domini inuenisset. Nec verò minus Abbatem & sapientia cepit adolescentum & bonitas. Nota verò Cassiani virtus, nota vitæ innocentia, notum ingenium, indoles magna omnia pollicebatur. Ita non magno negotio factus vterque voti compos in Tironum deinceps ordinem ac numerum aggregatus est.

CAPVT IX.

De institutione & antiquitate huiusce Monasterij Bethlehemitici.

1. CÆterum iis non inficiari hoc loco non possum, qui oscitantes hallucinantur, Bethlehemiticum hoc Monasterium, Cassiani literarium primum secessum, ac religiosum deinceps domicilium, à S. Paula fundatum & à D. Hieronymo administratum fuisse asserunt. Quomodo enim, non facillimè arguantur erroris, cùm certò constet nullum adhuc Paulæ Monasterium prioribus hisce Cassiani temporibus in toto Bethlehemitico tractu fuisse erectum. Neque Hieronymus à frequentissimis peregrinationibus desiit, in quibus annos benè multos versatus est, nisi iam vergente ætate, cùm occasionem regrediendi Hierosolymam ex Damasi Pontificis morte, atque ex impia hominum persecutione commodè nactus, relicta Roma, magna Sanctorum comitante caterua nauem in Romano portu conscendit & per Siciliæ atque Italiæ fauces Peloponnesi Promontoria & Cyprum nauigauit, Paulinianum adolescentem fratrem secum ducens Antiochiam appulit, atque inde Hierosolymam & suam lætus reuertitur Bethlehem. Id quidem anno Christi 385. factum esse ex eo perspicuum redditur, quod cum ipse testetur Epistola ad Asellam se penè triennium Romæ mansisse pariterque post obitum Damasi eam deseruisse, constetque ex iis quæ ad Principiam scribit, se vocatum à Damaso Romam venisse, quo tempore Paulinum Antiochenæ vrbis Episcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri aliósque permultos tam Orientis quam Occidentis Episcopos propter quasdam Ecclesiarum dissensiones, Imperiales literæ contraxissent, sub Consulatu Ausonij & Syagrij anno 382. ipsum deinceps anno 385. qui tertius erat ab hinc annus, ab vrbe oportuit recessisse.

Baronius an. 385.

Epist. 99.

Epist. 61.

2. Aduenit autem eò, non multo post Paula cum Eustochio filia, & Melania Marcellini Consulis nepte multis stipata virginibus, & Hieronymi nauigationem sequuta, post Cyprum Antiochiæ etiam ipsa appulit: deinde sancta Palæstinæ terra (quemadmodum late eius iter in Epitaphio prosequitur D. Hieronymus) lustrata, Bethlehem perpetuò militiæ inseruitura contendit. Referuntur alij priores eiusdem Hieronymi, Bethlehemitici ac Hierosolymitani accessus & recessus, sed qui moram non traherent, imo potius ad alienas regiones celerem quasi transitum itinere coniungerent, vt infra explanabitur.

3. De profectione in Syriæ Eremum vbi cum fidelissimis comitibus Innocentio atque Hyla S. Melanij famulo, Heliodoro, Euagrio Antiocheno totos continenter annos octo commoratus est longè abest à contradicentium proposito. Licet enim illa contigerit anno septuagesimo supra trecentesimum, quo pariter diximus Cassianum cum Germano

C 3

deuenisse in Palæstinam & in oppido Bethlheem religionis tyrocinium ingressos esse: tamen locus à S. Hieronymo in ea solitudine tunc ad habitandum delectus, procul inde à Bethlheemiticis finibus remotus, in ea fuit Eremi parte, quæ inter Syros & Saracenos vastum limitem ducit. Chalcidis Prouinciæ ea erat solitudo, vt ipse testatur ad Chromatium & ad Florentium scribens. Ibique Theodosium Anachoretam, cuius tanquam præfecti spiritus arbitrio atque consiliis, Monasticæ vitæ arduum institutum arripuit, certum est hoc tempore egregia claruisse sanctitate, cuius res præclarè gestas Theodoretus conscribit illumque patria Antiochenum, eò sanctitatis peruenisse tradit, vt nautæ eius nomine inuocato tempestatem maris ingruentem sedarent, quem Antiochiæ defunctum affirmat sepulturaque Sanctorum honorificè tumulatum.

Epist. 43. Epist. 6.

Thedor. in Philothe. c. 10.

4. Sed hoc temporis Cassianus iam vndeuigesimum annum natus multò Athenis puer excesserat, & in Cœnobium Bethlehemiticum translatus, prima virtutis & Grammaticæ rudimenta posuerat. Neque Paula cœpit Monasteria construere, quàm triennio post suum in Palæstinam aduentum, qui in fastis ad annum Christi octingentesimum quintum supra trecentesimum adscribitur, ætatis Cassiani trigesimum quartum, & suscepti ab eo instituti Religiosi decimum sextum. Oportuit omnino supra Hieronymi & Paulæ secessum illum prius aliquod Monasterium Bethlehemiticum extitisse, in quo idem ipse Cassianus prima vitæ Monasticæ tyrocinia posuerit. Origenes haud obscurè significat dum Adriani Imperatoris iussu, quæ sanctissima habebantur loca in odium Christianorum ibi degentium, sacrilegis prophanationibus execrandisque Deorum simulachris polluerentur: siquidem existimans se fidem Christianam locorum iniuria peremptururum in loco Passionis Domini simulacrum Veneris vnde *Venerarius* dicebatur, Iouis autem in loco Resurrectionis consecrauit, solum tamen pagum Bethlehemiticum minimè violatum, sed & fama celebrem ob natalem Domini ipsis etiam Gentilibus fuisse, semperque floruisse ibidem veri numinis cultum & aduersus Christum eiusque Sanctissimam Genitricem religiosam venerationem. Quamquam exauguratum nonnulli auctores volunt Adonidis fano quod idem ipse Adrianus erexit, & ita per annos circiter septuaginta supra centum vsque ad Constantini imperium remanserit, cuius tandem opera expiatis superstitionibus, Christiana sacra restituta in integrum, maiori quàm olim Sacerdotum famulatu, ac religiosorum hominum frequentia celebrari cœperunt, vt in confesso sit longè ante claruisse Bethlehemitica Monasteria, quàm ab Hieronymo & Paula frequentari potuerunt.

Orige. lib. contra Celsum.

5. Cæterùm quod ait Baronius anno 1110. authoritate Paschalis Papæ, id agentis per legatum suum, Bethlehem erectam esse in sedem Episcopalem & à Balduino Rege dotatam si coniicere licet id transactum in hoc Cassiani Monasterio quod propter eminentiam supra cætera omnia *Cœnobium Syriæ* appellabatur. Ita enim sæpe aliàs accidit vt in illustrioribus Abbatiis Episcopatus instituerentur, & sigillatim anno 1319.

Ioannes

Ioannes XXII. Abbatiam Montis Cassini Ordinis S. Benedicti, in Nouam sedem Episcopalem erexit, primumque Episcopum in eadem ordinauit. Quodque propius Cassiani res gestas accedit, Vabrincum & Castrum Abbatias, Monasterij S. Victoris Massiliensis nobilissimas propagines, idem Ioannes XXII. Cathedralis Ecclesiæ titulo donauit, & sacris infulis insignes fecit. Vabrincum, cuius Ecclesia B. Mariæ dicata & à Comitibus Tolosanis fundata, Rutenensis Diœcesis, tum verò diuulsa & distracta sedes, sub Metropoli Bituricensi & Parlamento Tolosano, Petrum de Olargio ex vltimo Abbate, primum Episcopum habuit anno 1320. Castrum siue Castrina vrbs ex Albiensis Diœcesis quasi manu dimissa sub eodem Archiepiscopo Bituricensi, & in Parlamento Tolosano, similiter ex vltimo Abbate Pontificem numerat Deodatum seu Deusdedit quem obiisse memorant Tabulæ Ecclesiasticæ Pontificatus sui anno 10. & Christi 1327.

6. Taceo Magalonensi Ecclesiæ permagnas accessiones recens factas, & fortunæ & dignitatis, ne refricare videar obductam iam religiosæ Cassiani familiæ cicatricem, quod enim Vrbanus V. Pontifex Maximus insigne Collegium SS. Benedicti & Germani villæ Montis Pessulani pro sua in Christianam religionem ac Monasterium S. Victoris Massiliensis pietate (de cuius regimine ad summum Pontificatus apicem nuper assumptus fuerat) à fundamentis extruxerat & dotauerat anno salutis humanæ 1366. Deinceps Paulus tertius de consensu Francisci I. Regis Christianissimi, & annitente Augustino S. Adriani Diacono Cardinali de Triuultiis nuncupato, cui pro tempore Abbati Monasterij S. Victoris Massiliensis tanquam clientelari Domino aut Generali Patri tenebatur obstrictum id genus Collegij Monspeliensis, communicatum & adiunctum esse voluit in dupliciariam nouæ sedis Episcopalis atque Capituli annonam, cùm ipsam è Magalona Insula Monspelium transtulit & amplificauit.

CAPVT X.

Cassiani Monastico ritu vestitus.

1. QVam primùm fuit in sacram familiam adlectus tanto animi ardore cœpit cum mundo bellum gerere, vt per omnia illi aduersus, præter ignominias crucis, nihil aliud expeteret. Sæculares ergo vestes, quibus adhuc induebatur subito deposuit earúmque loco rudi opere alias maléque sartas & Monastici habitus forma viles, de more accepit. Vnde primum egregio tyroni data opportuna occasio de animi submissione, deque paupertatis virtute benemerendi copiosa seges. Statum & solemnem hunc ritum describit idem ipse his verbis. *Quamobrem ita nudatur quisque cum receptus fuerit omni pristina facultate, vt ne ipsum quidem quo opertus est indumentum, habere permittatur vlterius,* *sed*

Lib. 4. Instit. cap. 5. & 6.

sed in concilio fratrum productus in medium exuatur propriis, ac per manus Abbatis induatur Monasterij vestimentis, vt per hoc se non solum vniuersis rebus suis antiquis nouerit spoliatum, verùm etiam omni fastu deposito mundiali ad Christi paupertatem & inopiam descendisse. Iamque opibus sustentandum non saeculi arte quaesitis, nec de infidelitate pristina reseruatis, sed de sanctis ac piis Monasterij largitionibus militiae suae stipendia percepturum, atque inde se deinceps vestiendum alendumque cognoscens, & nihil habere & nihilominus de crastino non esse sollicitus, secundum Euangelij discat sententiam, nec erubescat pauperibus id est corpori fraternitatis quibus connumerari Christus, & quorum se fratrem non erubuit nuncupare, quin potius glorietur domesticis eius factum se esse consortem.

Illa verò quae deposuit vestimenta Oeconomo consignata tandiu reseruantur donec profectus & conuersationis eius ac tolerantiae virtutem, diuersis tentationibus ac probationibus euidenter agnoscant. Et si quidem posse eum inibi perdurare tempore praecedente perspexerint, & in eodem quo coepit feruore persistere indigentibus eadem largiuntur: sin verò quoddam ex eo murmurationis vitium vel paruae cuiuslibet inobedientiae culpam processisse deprehenderint, exuentes eum Monasterij quibus indutus fuerat vestimentis, & antiquis reuestitum, quae fuerant sequestrata, depellunt. Nullum etenim fas est cum illis quae accepit abscedere, nec quemquam patiuntur illis adhuc indui, quem semel ab institutionis suae regula tepuisse peruiderint. Vnde etiam copia nulli penitus palam discedendi conceditur, nisi aut in morem serui fugacis captans densissimas tenebras nocte diffugiat, aut certè hoc ordine & professione indicatus indignus, cum confusione & nota coram cunctis fratribus deposita veste Monasterij expellatur.

2. Id porrò vestium genus erat omne. *Baltheus* siue *Zona* pellicea aut ex lino cingulum, quod nudis indueretur lumbis, prima quasi sacrae militiae thesseta vestiaria, Monachum siquidem tanquam militem Christi in procinctu semper belli positum accinctis lumbis iugiter incedere. Proximè corpori reliquo adiunctum & continens *Leuitonarium* siue *Colobium* genus tunicae lineae à summo ad imum integrae, nulla scissura, & infra genua, paululum ad medios poplites vsque productae; manicis penè nullis quaeque vix ad cubitorum ima pertingerent, qualia nunc sunt lintea indusia nostra, aut camisiae. Amictus exterior *Toga pulla* seu vestis superior, is enim erat plebeiae inductus tinctu color. Vnde pulla paupertas Calpurnio dicta; talaris & lanea, quae corpus contegeret, tantùm, ac repelleret nuditatis verecundiam & frigoris retunderet inuidiam, non quae seminaria vanitatis aut elationis enutriret. In eum sensum Apostoli verba interpretatur *habentes alimenta & operimenta his contenti simus*, Operimenta inquiens, non vestimenta id est quae corpus operiant non quae amictus gloria blandiantur, ita vilia vt nulla coloris vel habitus raritate inter caeteros huius propositi viros habeantur insignia, ita studiosis accurationibus aliena, vt nullis rursus sint affectatis per incuriam sordibus decolorata. Capitis integumento, *Cucullum* perparuum vsque ad ceruicis & humerorum confinia demissum,

1. Tim. 6.

quo

quo indesinenter diebus vteretur ac noctibus. Cingeretur necne toga illa docet ipse, cùm affirmat gestasse etiam Monachos *Resticulas* duplices laneo plexas subtegmine, quas Græci *ἀναβολάς*, nos verò, inquit, succinctoria seu redimicula, vel propriè, *Rebrachiatoria* possumus appellare. Quæ descendentia per summa ceruicis, & è lateribus colli diuisa, vtrarumque alarum sinus ambirent, atque hinc inde succingerent, vt constringentia latitudinem vestimenti ad corpus contraherent atque coniungerent, & ita constrictis brach is impigri ad omne opus expeditique redderentur. Sub ista *Palliolo* angusto tam amictus humilitatem quàm vilitatem pretij compendiumque sectaturus, colla pariter atque humeros tegebat. *Maforte* seu *Mauort.* veterum Monachorum nuncupabantur eloquio. Postremo inductus habitus pellis caprinæ, *Melotem* vel *Peram* alij dixere, & *Baculum*, quæ gestarentur ad imitationem eorum, qui professionis huius præfigurarent lineas in veteri testamento. Nam calceamenta velut interdicta euangelico præcepto recusans, vix ac ne vix quidem per occasionem aliam, quàm cùm infirmitas corporis vel matutinus hyemis rigor seu Meridiani æstus feruor exigeret, caligis suos muniebat pedes.

3. Sed quia non ignorabat plurimos pallio tenus esse Philosophos vestémque facilius multò mutari, quàm mentem, omni ope sibi enitendum existimauit vt illa exterioris amictus insignia ad intimos animi sensus occulta quadam affinitate pertingerent. De ea re loquentem quasi ex ore ipsius h bemus Dorotheum doctrina 1. de obedientia. Habitus seu vestitus noster is est *Colobium* id est curta & truncata vestis absque manicis, *Zona pellicea*, *Analabus* idest succintorium seu *Bracchiatorium* & *Cucullus*, hæc autem symbola sunt quædam, quæ quid portendant ignorare non expedit. Decet enim nosse quid innuat indumentorum nostrorum forma. Cur autem ipsi Colobium gestamus absque manicis cum cæteri omnes manicas gestent? quod verò nos manicas non habemus, signa sunt manuum: manus enim ad practicem pertinent. Quando igitur cogitatio aliqua operandi seu manibus contrectandi quicquam eorum, quæ veteris erant hominis nobis incesserit, puta furandi aut conuitiandi, vel aliquem contemnendi aut (vt breuiter dicam) peccatum aliquod seu scelus manibus perpetrandi cogitatio surrepit, tunc lustremus animo atque oculis quæ vestium nostrarum sit forma, & discamus abesse nobis manicas, idem non habere nos manus, ad operandum quippiam eorum, quæ veteris erant hominis.

4. Habet & Colobium nostrum signum purpureum. Quid tandem sibi vult signum hoc purpureum, quicumque enim Regi militant purpuram gestant in clamyde illa sua militari. Quando quidem enim Rex vestem gestat purpuream, quicumque sub illo militant purpuram apponunt sagis suis, hoc est signa quædam ex regio indumento, vt per hoc innuant atque omnibus palam faciant, sese regios esse milites, & Regi commilitare. Ita & nos signum purpuræ assumimus in colobium, innuentes nos in Christi militiam accitos esse ac proinde debere easdem

pro eo afflictiones & incommoda æquo animo perferre quæ pertulit ille pro nobis; Cùm enim Dominus noster IESVS passus est, purpuream vestem portauit, primùm quidem vt Rex, ipse enim est Rex omnium regnantium & dominantium Dominus, secundò autem vt delusus ab impiis & profanis. Nos igitur habentes hoc signum nempè Colobium omnes afflictiones eius & incommoda perferre, vt dixi, iubemur. Et quemadmodum miles haud quaquam dimissa militia sua agricola fit aut mercator, sic enim militia sua excideret, nam (vt ait Paulus) *Nemo militans implicat se negotiis huius vitæ vt Imperatori suo placeat.* Ita & nos si veri certatores & Christi milites esse velimus, ad hoc totis viribus incumbamus, vt mundum hunc & quæ sunt mundi contemnamus nullaque sæculi huius cura & sollicitudine tangamur, sed soli Deo placere, adhærere, & seruire studeamus, vt sit quod dicitur. *Virgo assideas & immobilis ac sine vlla distractione.*

5. Habemus autem & *Zonam* circa lumbos nostros. Quid obsecro sibi vult Zona? primùm quidem Zonæ symbolum significat vt ad quoduis opus bonum accincti simus ac parati. Quicumque enim operaturus est aliquid, primum quidem Zona succingitur, & sic demum opus aggreditur, vt illud testatur, sint lumbi vestri Zona præcincti. Secundò verò vt quemadmodum ex pelle mortua Zona conficitur, ita & nos voluntates nostras omnes, omnésque delicias & illecebras ac desideria carnis mortificemus Gestatur enim Zona circa lumbos & renes, ibi nimirum nerui sunt quidam, in quibus vis illa animæ nostræ sita esse dicitur, quæ concupiscibilis nuncupatur, & hoc est quod dicit Apostolus ***Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, & immunditiam***, & cætera quæ sequntur.

6. Habemus & *Analabum*. Analabus in modum crucis ponitur super humeros nostros, significat enim symbolum crucis quam nostris humeris iugiter gestare debemus iuxta id quod dicitur. *Tolle crucem tuam & sequere me.* Quid verò aliud est crux, quàm perfecta & absoluta mortificatio, quæ quidem non nisi per fidem in Christum rectè à nobis geritur. Fides enim vt à maioribus ac senioribus nostris accepimus, ea comprimit semper & amouet, quæ poterunt esse impedimento, & liberam nobis reddit ac facilem operandi viam, quæ nos ad perfectam hanc qua de agitur mortificationem deducit; hoc est vt seipsum quisque à sæculi huius rebus omnibus exuat atque omnino mortificet & illorum amorem ac desiderium deponat. Si enim parentes reliquerit, hæc eadem mortificatio in fide fundata efficit, vt vel illorum affectum & desiderium radicitus è corde diuellere contendat. Simili modo si pecunias, si latifundia, si denique rem quamuis aliam deseruerit & abrenunciauerit, vult vt desiderio pariter & affectui illius rei abrenunciet prorsus, & valedicat. Hæc enim vera & perfecta est (vt paulò antè dicebam) abrenunciatio.

7. Gestamus autem & Cucullum quod symbolum quidem est innocentis animi, puri, & verè humiliati, Pueri enim, infantuli & innocentes cucullum.

cucullum geſtare ſolent, non viri perfecti. Nos autem præterea illum geſtamus vt *malitia ſimus paruuli*, vti ait Apoſtolus, *Nolite pueri eſſe mente & ſenſu, malitia eſtote paruuli.* Quid vero eſt paruulum eſſe malitia, paruulus abſque malitia eſt etiam ſi contemnatur, non qui iraſcitur. Si honore afficitur, non in vanam gloriam effertur. Si rebus ſuis ſpolietur non dolet neque affligitur. Paruulus enim eſt malitia. Non vlciſcitur iniuriam, non gloriam affectat inanem; eſt etiam cucullus diuinæ gratiæ ſymbolum, quoniam quemadmodum cucullus tegit ac fouet puerali caput, ita & Dei gratia mentem noſtram tuetur & fouet, vt maiorum noſtrorum monimenta teſtantur. Eſt igitur cucullus ſignum gratiæ ſeruatoris noſtri Dei mentem noſtram tuentis ac protegentis, nec non ſimplicitatem noſtram & innocentiam quæ in Chriſto eſt circumfouentis, propter eos qui nos quotidie vulnerare ac deuorare conantur. Ecce Zonam habemus circa lumbos pelliceam quod irrationalis appetitus & concupiſcentiæ mortificationem ſignificat: nec non Analabum, id eſt ſcapulare quod ab humeris dependet, & crucem ipſam ſignificat, & cucullum geſtamus, id innocentiæ & puritatis ſignum prætendit, & Chriſtianam infantiam ac ſimplicitatem præmonſtrat. Itaque vitam noſtram fratres iuxta veſtimentorum typum & formam componamus, ne veluti perſonati figuram alienam circumferamus.

8. Quæ de melote, baculo, & calceamentis prætermittit interpretando explanat Caſſianus ipſe propriis & ſuis argumentis. Habitus pellis caprinæ ſignificat mortificata omni petulantia carnalium paſſionum, debere eos in ſumma virtutum grauitate conſiſtere, nec quidquam petulcum, vel calidum iuuentutis ac mobilitatis antiquæ in eorum corpore, reſidere. Baculi geſtatio ſpiritualiter monet nunquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes & inuiſibiles nequitiarum ſpiritalium beſtias inermes incedere de quibus B. Dauid liberari poſtulans dixit: *Ne tradas Domine beſtiis animam confitentem tibi*, ſed irruentes eas retundere Crucis ſignaculo ac longius propulſare, atque aduerſum ſe ſæuientes iugi memoria Dominicæ paſſionis & imitatione illius mortificationis extinguere. Vſu denique calceamentorum vel Dominica permiſſione ſignatur, vt ſi in hoc mundo conſtituti, cura & ſollicitudine carnis huius, omnimodò exuti eſſe non poſſumus, nec ab ea penitus præualemus abſolui, ſaltem occupatione leui & implicatione tenui, neceſſitatem corporis explicemus; Ne vel animæ noſtræ pedes qui expediti ad ſpiritalem curſum & prædicandam Euangelij pacem ſemper debent eſſe parati, quibus poſt odorem vnguentorum Chriſti currimus, & de quibus Dauid Cucurri, inquit, in ſiti. Et Hieremias. *Ego autem non laboraui te ſequens*, morticinis huius ſæculi curis patiamur inuolui. De his ſcilicet cogitantes quæ non ad ſupplendam neceſſitatem naturæ, ſed ad ſuperfluam noxiamque pertinent voluptatem. Quod ita implebimus, ſi ſecundum Apoſtolum, *carnis curam non fecerimus in deſideriis*. Quibus tamen caligis quamquam licitè vtantur, vt pote Domini mandato conceſſis, nequaquam tamen pedibus eas inhærere permittunt,

Lib. I. de Inſtitut. cap. 8. 9. & 10.

cùm accedunt ad celebranda seu percipienda sacrosancta mysteria, illud æstimantes etiam secundum literam custodiri debere, quod dicitur ad Moysem vel ad IESVM Filium Naue, *Solue corrigium calciamenti tui: locus enim in quo stas terra sancta est.*

Basilius in Regu. fusior. Interrog. 22.

9. Cætera complectitur generatim & vniuersè Basilius, atque vtilem præterea in hoc peculiarem hanc amictus rationem esse demonstrat. Quod ea qualis sit vnusquisque ante iudicat, & vitæ quæ ex Deo est professionem ante veluti testificatur. Quæ res facit vt ab iis qui vos viderint actio ne actiones etiam illi professionis consentaneæ requirantur; neque enim si quid indecorum, inhonestumve geritur id similiter & in obscuris hominibus & in iis qui illustres magna quædam profitentur animaduerti perinde solet haud propalam Elenchis. Nam de vulgo aliquem aut alioqui obscurum, si in publico is haud pulset aut aliunde in se pulsetur, & obscænas voces emittat, aut frequens in ganeo versetur & alia generis eiusdem flagitiose agat, haud facile quidquam attenderit, quippe cùm id existimet quisque eius facta illa, vniuerso vitæ ipsius instituto respondere. At qui vitæ genus ab omni parte absolutum profiteatur hunc si vel latum vnguem ab officio suo recedere visus sit, omnes confestim obseruant, ipsique probri loco illud obiiciunt, & id quod in Euangelio scriptum est faciunt *Conuersi dirumpent vos.* Quò fit, vt imbecillioribus, veluti pædagogi disciplina sit quædam, qua inuiti etiam à rebus flagitiosis prohibentur, hæc quæ in vestitu foris apparet professio. Hactenus Basilius.

CAPVT XI.

Cella exilis & perangusta, eiusque tenuissima supellex.

Palladius cap. 38. Cassia. lib. 1. Instit. cap. 12.

1. ASCETAS veteres Ægyptios in vna plures sæpius habitasse cellula testatur Palladius de Tabennesiotis in sua Lausiaca, & alij passim, quibus aptè congruenterque Cassianus ipse de cellula loquutus. *Vnusquisque*, inquit, *ad suam recurrens cellulam, quam aut solus aut cum alio tantùm inhabitare permittitur, quem scilicet societas operationis vel discipulatus & disciplinæ imbutio copulauit, vel certe quem similitudo virtutum comparem fecit.* Item, *Si cum illo qui cellæ suæ cohabitator non est confabulari quantumcumque præsumpserit.* Et eiusmodi cohabitator *Syncellita* appellabatur apud eundem. Sidonius Concellitas dicit, Ennodius *Concellaneos* eadem significatione. Id etiam fiebat in Monasteriis Syriæ & Palæstinæ vt videre est eadem Collatione. Idem institutum sequutus videtur S. Columbanus vt notum est ex eius Pœnitentiali M.S. vbi eadem verba profert quæ citata habes in Cassiano, sed Tabennesiotæ Monachi etiam Ægyptij ex instituto S. Pachomij tres in cella simul habitabant, vt constat ex notato Palladij loco. *Fac*, inquit, *diuersas cellas in eadem domo, & tres per singulas cellas maneant.* Tamen vt multò tutius & commodius separatim degerent, ita & frequentius & vsitatius singulos fuisse colligimus ex Philone, vbi de Therapeutis Alexandrinis hæc

Lib. 4. Instit. cap. 16. Cass. collati. 20. cap. 2.

Collati. 10 cap. 1. Cass. l. 4. insti. cap. 16.

Philo. De vita contemplatiua.

hæc scribit, *Singuli autem habent sacras ædiculas vbi solitarij sancta vitæ mysterio dant operam.* Tum subiicit commune etiam apud eos extitisse *σεμνεῖον* quo statis diebus & horis ad celebrandas Dei laudes liturgiasque conuenirent, nequis falsò interpretaretur, ædiculas illas sacella potius fuisse, quàm cellas. S. Fructuosus singulis nouitiis singulas cellulas assignare videtur, quemadmodum & S. Ferriolus. *Vicinam tamen Monasterio cellulam accipiat.* Sanxit & Iustinianus Imperator in Nouella V. De Monachis, vt eis vna quidem sit domus, vna cœnatio, diuersa tamen cubicula & sua cuique exedra, aut *Si forte*, inquit, *non sufficit ad multitudinem Monachorum domus vna, in duas aut plures distribuantur: non tamen seorsim & apud semetipsos, sed in communi testes alterutri sint honestatis & castitatis. Nisi tamen quidam eorum in contemplatione & perfectione degentes, vitam remotam habeant in secessu, quos vocare Anachoretas & Hesychastas consueuerunt, tanquam ex communiore ad meliora exceptos,* Concilium Turonense. Nec cellas eis liceat habere communes vbi non bini maneant sed singulares iaceant. Cuius instituti rationem reddit Petrus Blesensis ad Alexandrum Monachum. *Ad exemplar*, inquit, *domus illius de qua scriptum est in domo patris mei mansiones multæ sunt, habet vnusquisque cellulam & mansiunculam suam vt contemplationi & orationi liberius vacet.* Et Cassinenses secundum modernum morem propter honestatem & vt liberius fratres se exercere possint in orationibus & aliis exercitiis spiritualibus, vt vitetur curiositas, dormitorium diuisum est per diuersas cellas, & assignamus vnicuique Fratrum cellam vnam, sic vt singuli in singulis dormiant.

Ferrio. cap 5. Regulæ.

Concilium T...2. c.15.

Petr. Blesensis Epist. 36.

Cassinens. cap. 12. Reg. S. Benedicti.

2. Quæ verò & quanta esset ædificij vniuersa species; & amplitudo ex vsu colligere licet, cum enim paupertatis Euangelicæ supra quàm credibile est studiosi essent, enitebat isthæc in rebus omnibus virtus, in victu cultuque corporis, lecto, cubiculo, cæterísque, vt in Christi adeo inopis, vt quo in loco caput reclinaret non habuerit, vestigiis pedes viui morientésque ponerent. Quò diligentia summa illa spectabat, qua perquireretur, *Ne de pristinis*, inquit, *facultatibus suis inhæserit ei vel vnius nummi contagio. Sciunt enim eum sub Monasterij disciplina diuturnum esse non posse sed ne humilitatis quidem aut obedientiæ apprehensurum esse virtutem, nec illa Cœnobij paupertate ac districtione fore contentum, si in conscientia eius, pecunia quantulumcumque latitauerit: sed vbi primùm exorta fuerit qualibet occasione commotio, fiducia stipis illius animatum, continuò de Monasterio velut funda rotatum fugiturum. Et idcirco ne vsibus quidem Cœnobij profuturas suscipere ab eo pecunias acquiescunt. Primùm ne confidentia huius oblationis inflatus, nequaquam se pauperioribus fratribus æquare dignetur: tum ne per hanc elationem nullatenus ad humilitatem Christi descendens, cùm in disciplina non possit Cœnobij perdurare, egressúsque exinde, ea qua in principio renunciationis sua spiritali feruore succensus intulerat, tepefactus postea non sine iniuria Monasterij, sacrilego spiritu recipere atque exigere moliatur. Quod omnimodis obseruari debere, multis sunt experimentis frequenter edocti, nam per alia minus cauta Monasteria, simpliciter quidam*

Cass. lib. 4. Insti. c. 3. & 4.

suscepti, de eis quæ intulerant, quæque in Dei opera fuerant dispensata cum ingenti pro blasphemia redhibitionem poscere tentarunt.

3. Sed cum non alibi facile magis triumphantem paupertatem uidisses, quàm in eorum suppellectile. Nihil omnino quod ad cultum attinet, penes se habere volebant, nisi quo amiciebantur sago, tunica lacera, & à variis temerè assutis pannis deformata. Non illis scrinium, non arcula, non cista, non librorum aut alius generis thecæ nuodo in cubiculo fuerunt. Eximia illius paupertatis cum documenta tum exempla, Vitæ Patrum Annales suppeditant. Atque vt minus illustria sileantur Stylitasque omittamus, qui tot annis sub dio, in columnis animo magis quàm corpore supra mortales elati, cœlestibusque quam hominibus propiores, nouum terræ cœloque spectaculum præstiterunt: vt taceamus Hilarionem, qui ætatis annum circa decimum quintum in solitudinem se recipiens, extructa exigua casa, quæ vix ipsum caperet, humi cubabat; vt Marcum, qui annis septem & triginta, humenti loco cellaque angustissima & aquis peruia perseuerare longum sibi non duxit: vt Moysem ac senem illum prope Antinouum prætereamus, qui ipsos annos septuaginta voluntario carcere durarunt inclusi; vt non memoremus Bauonem ex prædone Monachum in Gallis, quem longissimis temporum spatiis in Monasterio cella inclusum pedibus ac manibus catena constrictis pane hordeaceo cinere mixto vixisse, ac cilicium pro stratu, lapidem pro puluillo habuisse accepimus, perseueraturum porro diutius nisi terrestris ipsa corpusculi sponte soluta domus exitum animo præbuisset.

4. Subeat animum memoria veterum ea de re sanctionum & quidem Pachomij suorum priuatam suppellectilem hac regula metientis: *Ne quis in domo & cella sua habeat præter ea quæ in communi lege Monasterij præcepta sunt: non tunicam laneam, non pallium, non pellem intonsis arietum lanis molliorem, non paucos nummos, non puluillum quidem ad caput, aut aliud variæ supellectilis exceptis his quæ à Patre Monasterij per domorum præpositos diuidentur, id est armatura sua, Lenitonariis duobus, vt vno adtrito ex vsu, sabano longiori, quo collum humerique circumdantur; pellicula quæ pendet ex latere gallicis & cucullis duobus; Zona & bacillo, præter hæc quidquid inueneris absque contradictione auferes.* De lectulis subiicit S. Benedictus, *Stramenta autem lectorum sufficiant, Matta, sagum, læna, & capitale, quæ tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt, propter opus peculiare, ne inueniatur & si cui inuentum fuerit quod ab Abbate non acceperit grauissimæ disciplinæ subiaceat, & vt hoc vitium peculiaris radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, id est, tunica, cuculla pedules, caligæ, bracile, cultellum, graphium, acus, mappula, tabula. vt omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia, quia Dabatur singulis prout cuique opus erat.*

Menardus in Concordia Regula. c. 61

Act. 4.

5. Veterum igitur suorum exempla & regulam æmulatus Cassianus paupertatem habuit in amoribus & in thesauris, vt non à superfluis modò, sed etiam à pretiosis & curiosis temperaret; In hac magis quàm opulenti

opulenti homines in copiarum affluentia delectabatur, & acquiescebat vtique, cùm quotidie magis eum vsus doceret, quam fortunata foret huiusmodi paupertas, quæ animum anxiis curis solutum ac liberum cœlestibus affatim ditaret bonis, efficeretque vt nihil habenti nihil deesset. Quocirca id omne semper abhorruit, ex quo speciem vllam quicquam sibi priuatim quasi proprium vindicantis habere videri posset. Ac si quando egeret his quæ opus essent, accepta quasi ad tempus quandiu vsui forent retinebat, postmodum vnde acceperat referebat. Sic enim verè pauperem spiritu decet esse animo affectum erga ea quibus vtitur, vt instar statuæ cuiusdam cogitatione se fingat, quæ nullo pacto resistit recusatve minus si omni pretiosa supellectile & ornatu confestim exuatur. Si quæ maioris momenti aut ad vsum aut ad memoriam seruanda, vel deponebat apud præsides, vel facta ab eis potestate cum primum occasionem erat nactus, aliis donare solebat: ita vt cum aliorum commodis prouidè accuratéque prospiceret, ipse tamen sui neglector egregius religione contenderet, nil penitus ex hoc mundo possidere, nihil desiderare, atque ab omni re mortali distractum esse. Angustè habitare exoptabat qui prius amplas & plenas dignitatis ædes occupasset, id genus commoda fugienda existimans quod inter mortuos sæculi haberentur religiosi, sitos verò in sepulchro breuis vrna miniméque sumptuosa caperet.

6. Eximius semper habitus ab illis Bernardi sugillationibus ad quosdam Fratres de monte Dei, quos ait, *Cellas non tam eremiticas quam Aromaticas sibi construere.* Stratus erat matta, & pelles lauatæ, paleisque infartus ad caput puluillus. Velum appendi nedum peripetasmata, quin & stoream seu tegetem parieti ad ceruical affigi, probro atque infamiæ non vulgari. Audacter etiam dixero nec temerè affirmarim, voluntate imitandi adductum, lectuli vsu planè interdicto habuisse in angulo cellæ virgultorum fasces interdum, quibus caput acclinaret: corpore pauimento porrecto, cum fessus à nocturna precatione somnum repetere cogeretur. Sanè ea fuit patientia paupertatis ornatus, vt in diuersoriolo per summam rerum omnium inopiam, Christi domini sui præsepe quod sibi tanquam propositum exemplar habebat ad veræ & Euangelicæ perfectionis amussim repræsentaret.

7. Hinc illud eius encomium quod Monachorum suæ ætatis, nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam possidere fas esset, nec tale aliquid quod proprium retinens suo deberet communire signaculo. *Quos ita nouimus*, inquit, *omni ex parte nudos vt præter colobinm, mafortem, caligas, melotem ac psiathium nihil amplius habeant, cum in aliis quoque Monasteriis in quibus aliqua remissius indulgentur hanc regulam videamus strictissime nunc vsque seruari vt ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum: magnúmque sit crimen ex ore Monachi processisse codicem meum, tunicam meam, caligas meas, proque hoc digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem vel ignorantiam huiusmodi verbum de ore eius effugerit. Et cum tantos vnusquisque eorum quotidie de opere ac sudore proprio reditus*

Cass. lib. 4. Insti. cap. 13. & 14.

reditus conferat Monasterio vt ex his sustentare non solum suam valeat parcitatem, verùm etiam vsibus possit exuberare multorum: in nullo tamen inflatur nec sibi de tanto operis sui quæstu ac sudore blanditur; sed præter duo paximacia quæ tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibimet amplius vnusquisque præsumit. Inter quos nullum peculiare opus, quod pudet dicere, quodque in nostris Monasteriis vtinam fieri nescirem, non dicam effectu, sed ne cogitatione quidem ab aliquo penitus affectatur. Cúmque totam entbecam cœnobij suam credat esse substantiam cunctisque rebus vt omnium dominus, omnem curam sollicitudinémque dependat: ad retinendam nihilominus arreptæ nuditatis virtutem, quam studet ad finem vsque perfectè atque inuiolabiter custodire, ita semetipsum à cunctis extraneum & ex omnibus indicat alienum, vt tanquam peregrinum se gerat & incolam istius mundi, alumnumque se potius Monasterij reputet ac ministrum, quàm dominum rei cuiusque præsumat.

8. Quàm sedulò & constanter ad extremum vsque, virtutem illam coluerit, vt non modò ipse proprium haberet nihil, sed ne alios quidem quamuis genere nobiles, ac deliciis assuetos, quidquam habere pateretur, facile intelligi potest ex proximo sequenti capite 10. vbi non exprobrandi causa sed commonendi gratia eos sugillat qui cellas luculento instructu muniendi & exornandi, nimio plus incensa cupiditate & studio feruntur. *Ad hæc*, inquit, *nos miserabiles quid dicemus? qui in cœnobiis commorantes ac sub Abbatis cura & solicitudine constituti, peculiares circumferimus claues, omnique professionis nostræ verecundia & confusione calcata, etiam annulos, quibus recondita præsignemus in digitis palam gestare præsumimus. Quibus non solum cistellæ vel sportæ, sed ne arcæ quidem vel armaria ad ea quæ congerimus, vel quæ egressi de sæculo reseruauimus condenda sufficiunt. Quique ita nonnumquam pro vilissimis nullisque rebus accendimur eas duntaxat velut nobis proprias vindicantes, vt si quis vel digito quidquam ex his contrectare præsumpserit, tanta contra eum iracundia suppleamur, vt commotionem cordis nostri ne à labiis quidem ac tota corporis indignatione reuocare possimus. Sed prætermissis nostris vitiis & his quæ vel commemorari quidem dignum est silentio traditis, secundum illud eloquium. Non loquatur os meum opera hominum, virtutes potius quæ apud illos sunt, & ea quæ nos quoque omni studio debemus appetere cœpto narrationis ordine prosequamur.*

CAPVT XII.

Magna charitate in Xenodochio peregrinis, in Cœnobio fratribus deseruit.

1. NOstro itaque tyroni sanctitatis palmam petenti prima vt assolet, opera & cura in iis artibus, iisque rudimentis ponenda fuit, quibus nouum illud religiosæ vitæ genus ad omnem pietatem instituitur. Formam

Formam habes atque his ab eo verbis expressam libro 4. institutionum cap. 7. *Cum igitur quis susceptus est, & hac perseuerantia quam diximus comprobatus, ac depositis propriis vestimentis habitu Monasteriali fuerit accinctus, non statim congregationi fratrum commisceri permittitur, sed deputatur seniori qui seorsum haud longè à vestibulo Monasterij commanens, habet curam peregrinorum & aduenientium deputatam, eisque omnem diligentiam susceptionis & humanitatis impendit? cúmque ibidem integro anno deseruiens absque vlla querela suum erga peregrinos exhibuerit famulatum, imbutus per hac, prima institutione humilitatis & patientiæ, atque in ea longa exercitatione precognitus, admiscendus ex hoc congregationi fratrum; alij traditur seniori qui decem iunioribus praeest, quos sibi creditos ab Abbate instituit pariter & gubernat.* Sic & Isidorus in regula. *Qui renuncians sæculo ad Monasterium venerit non statim in cœtus deligendus est Monachorum, vitam enim vniuscuiusque in hospitalitatis seruitium tribus mensibus considerare oportet, quibus peractis ad cœtum sanctæ Congregationis accedet, neque enim intus suscipi quemquam conuenit, nisi prius foris positus eius humilitas siue patientia comprobetur.* Id etiam patet ex Beda vbi agit de Monasterio S. Hildæ. *Erat enim hac ipsa hora, cum aliis nonnullis Christi ancillis, in extremis Monasterij locis seorsim posita, vbi nuper venientes ad conuersiones fœminæ solebant probari: donec regulariter institutæ ad societatem congregationis suscipiantur.* Et ex Fructuoso Archiepiscopo. *Neque interna fratrum diuersoria accedet, sed delegata in exteriore atrio cella perfruatur.* Ab aliis verò fratribus nouitij separabantur, ne ea quæ in Monasterio geruntur in eorum notitiam venirent, & discedentes ea sæcularibus reuelarent. Id etiam eorum tranquillitati maximè congruum erat, vt ab omni consortio seiuncti facilius contemplationi & vitiorum extirpationi studerent.

Isidorus c. 4

Beda 64. hist. Anglic. c. 23.

Fructuos. c. 21. Regu.

2. Hæc præcipue fuere studia quibus animum à rerum caducarum amoribus abductum, cum Deo quam arctissimè conciliauit Cassianus. Cumque inter cætera virtutum officia, quæ Tyrones alij passim in Cœnobio Bethlehemitico pro virili præstabant, vnum esset peregrinis & aduenis, qui ad Palæstinæ sacra loca perlustranda proficiscerentur, ad hospitij gratuiti & commodi assignationem: vbi & corpus fessum inedia fluctibusque reficeretur, & animus maximis grauissimisque curis leuatus conquiesceret, suppetias ferre; hoc ipse partim ministrando, partim hortando & consolando grauiter efficiebat. Igitur venientibus obuiam longissimè procedere, & euocare ductaréque longo ordine cantantes ad Christi Domini sacratissima incunabula; tum in paratis atque instructis ædibus collocare, & in Cœnobium etiam introducere, ligna & aquam ferre, ignem accendere, detersaque illuuie & sordibus pedes eorum perpurgare; mox mensas extruere, & aliquid esculenti poculentive ad refrigerationem suppedirare. Quos magis afflictos maiorique ope indigentes animaduerteret, ad valetudinarium deportare & adiutum ac refocillatum ire, lectulos sternere ad quietem, pannos eluere

sarcinulas colligere, vestres resarcire, & ad alia munia quamuis contempta & humilia, tanta cum tranquillitate & iucunditate animi descendere, vt illum ad eum diem nunquam alienis ministeriis vsum, sed in aliorum seruitio ætatem contriuisse diceres.

3. Quod reliquum est admiratione non caret, ingenij vim & Christianæ pietatis promouendæ inflammatum ardenti amore studium, inter hæc abiectissima ministeria, quibus religiosorum tyronum animi ad crucis ignominiam parantur, latere nequiuisse. Nam post corporum curationem & refectionem submittebat vt plurimum & alterum animorum pastum, nempe breuem quamdam & familiarem monitionem, quâ vel pueros prima fidei rudimenta doceret, vel homines ad odium peccatorum amorémque probitatis hortaretur. Nullum ibi verbum ex ore, siue in vsu communi vulgarique congressu, seu publicè seu priuatim abibat, nisi quod Dei laudem ac pietatem sonaret. Idque ea fiebat sanctitatis comitatisque prudentia, vt audientium plerique bene affecti & animati, ab expiatione noxarum morumque emendatione ad nouam vitæ rationem pellicerentur.

4. Sed non his externæ atque aduentitiæ Charitatis finibus contentus, de fratribus etiam bene mereri satagit. Domi vilibus applicari operibus exoptabat, & ad munia quamuis abiecta & humilia, tam lætus alacerque descendebat, vt in ea se daret totum, perinde ac res quælibet omnium maxima fuisset eaque sola administranda. Nihil artium illiberalium tam vile neque tam vulgare non exequi, prædia fructuaria studiosè colere, arbores serere, hortulos irrigare, ædium pauimenta verrere, lances & instrumenta culinaria mundare, coquere, triclinium struere, condire obsonia, valetudinariis ministrare, cæteraque id genus præstare, quæ viri cœlestium rerum vsu assuefacti, religiosæque perfectionis studiis intenti gemmarum instar in reliquis virtutum ornamentis æstimabunt, habebuntque vt indices certissimas eximiæ cuiusdam charitatis & sanctissimæ mentis. Comperio ab ipso notata exceptaque tabulis ea omnia quæ per id tempus inter Monachos quotidiana fratribus exhiberentur obsequia, memoriæ gratia & obseruationis, corúmque minuta etiam quædam & inferiora persequi consilium mihi est, vt inde ex his, primum quibus ipse moribus atque sanctitate inter socios postquam in eorum numerum receptus est egerit explicatius & distinctius referam; tum vt habeant posteri in omni domestica functione, vnde religiosæ submissionis charitatisque exemplum sumant. Sic habent eius verba. Libro 4. Institutionum cap. 19. & sequentibus.

5. *Ne quid sane de institutis Cœnobiorum prætermisisse videamur quemadmodum quotidiana fratribus etiam per alias regiones exhibeantur obsequia, commemorandum breuiter puto. Per cunctam namque Mesopotamiam, Palæstinam & Cappadociam ac totum Orientem singulis hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt, ita vt secundum Cœnobij multitudinem, ministrorum quoque numerus deputetur. Quæ explere tanta deuotione & humilitate deproperant quanta nullus seruorum durissimo domino*

ad

ac præpotenti exhibent famulatum, ita vt ne istis quidem solis contenti obsequiis quæ canonico iure soluuntur, etiam nocte surgentes illos quos specialiter hæc manet cura, studio suo releuent, & ea quæ ab ipsis perficienda sunt, furtim præuenientes implere contendant, has autem septimanas vnusquisque suscipiens vsque ad cœnam dominici diei ministraturus obseruat. Qua peracta ministerium totius hebdomadis ita concluditur, vt hi quibus succedendum est conuenientibus in vnum fratribus, ad concinendos psalmos, quos quieturi ex more decantant, omnibus in ordine pedes lauent, hanc scilicet ab eis pro labore totius septimanæ benedictionis mercedem fideliter expetentes vt eos explentes mandatum Christi, emissa generaliter ab omnibus fratribus oratio prosequatur, quæ vel pro ignorationibus intercedat, vel pro admissis humana fragilitate peccatis, & commendet Deo, velut sacrificium pingue consummata eorum deuotionis obsequia. Itaque secunda sabbati post matutinos hymnos aliis rursum succedentibus, vtensilia in quibus ministrauerant ac vasa consignant quæ suscipientes tanta solicitudine curaque custodiunt, ne quid ex iis imminuatur vel pereat, vt credant se etiam pro minimis quibusque vasis, tanquam pro sacrosanctis rationem non solum dispensatori præsenti sed etiam domino reddituros; si forte aliquid ex eis negligentia eorum fuerit imminutum.

6.. Cuius disciplinæ qui modus sit, vel quanta fide & cautione seruetur, vno testimonio quod exempli gratia ponam poteritis agnoscere; sicut enim studemus satisfacere vestro feruori quo plenam vniuersorum cognitionem desiderantes, etiam ea quæ optime nostis hoc libello vobis cupitis iterari: ita veremur mensuram breuitatis excedere. In septimana cuiusdam fratris, cum præteriens œconomus tria lenticulæ grana in terra iacere vidisset, quæ hebdomadario festinanti, dum ea præparat coctioni, inter manus, cum aqua qua diluebantur elapsa sunt, confestim super hoc Abbatem consuluit, à quo velut interuersor neglectorque sacri peculij indicatus, ab oratione suspensus est. Cuius negligentiæ reatus non aliter ei remissus est, nisi eum publica pœnitentia diluisset. Non solùm enim seipsos non esse suos, sed etiam omnia quæ sua sunt credunt Domino consecrata, propter quod si quid fuerit Monasterio semel illatum vt sacrosanctum eum omni decernunt reuerentia debere tractari, tantaque fide vniuersa procurant atque dispensant, vt etiam ea quæ despectui habentur, paruaque reputantur ac vilia, si vel loco mouerint vel competentius collocauerint, si gillonem aqua impleuerint, si ex eo cuipiam obtulerint ad bibendum, si tenuem festucam de oratorio cellave submouerint, mercedem se consecuturos à Domino tota credulitate confidant. Nonimus fratres, in quorum septimana cùm accidisset tanta lignorum penuria, vt non esset penitus vnde soliti cibi fratribus pararentur, & donec possent coëmpta deferri, vt Xerophagia contenti essent, Abbatis fuisset authoritate præceptum, essetque hoc vniuersis placitum, nec quisquam posset vllum coctionis sperare pulmentum, illos, velut qui fructu ac mercede sui laboris & obsequij fraudarentur, si in ordine vicis suæ cibos fratribus non secundum consuetudinem parauissent, tantum sibi spontanei operis ac solicitudinis indixisse, vt in illis aridis ac sterilibus locis in quibus ligna nisi de fructiferis arboribus excidantur omnimodis nequeunt inueniri (nec enim vt apud vos vlla reperiuntur fruteta siluestria) per extenta

auia discurrentes & Eremum quæ versus mare mortuum tenditur obeuntes, festucas tenues ac spinulas quas ventus huc illucque disperserat, suo sinu & gremiis colligentes, cunctam solemnitatem ciborum spontaneis obsequiis præpararent: ita vt de solita præbitione nihil paterentur imminui: tanta fide hæc sua munia fratribus exhibentes vt etiam cum illos honestè posset, vel lignorum excusare penuria, vel Abbatis imperium, pro fructu suo atque mercede noluerint hac abuti licentia.

7. *Hæc sint dicta secundum typum vt præfati sumus totius Orientis, quem in partibus nostris necessario ducimus debere seruari. Cæterum apud Ægyptios quibus maxima cura est operis non est hebdomadarum mutua vicissitudo, ne sub occasione huius officij omnes ab operis canone impediantur: sed vni probatissimo fratrum cellarij vel coquinæ cura committitur, qui donec vires eius vel ætas admittit, iugiter opus istud exerceat. Non enim magno labore corporis fatigatur, quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum vel coctionis impenditur, quippe qui maximè xerophagiis vel homophagiis vtuntur, & apud quos festa singulis mensibus porrorum folia, lapsania, sal frictum, oliua, pisciculi minuti salliti, quos illi manidia vocant summa voluptas est.*

CAPVT XIII.

S. Hieronymum documento habuit & exemplo.

1. HActenus aggregato recens in Cœnobij Bethlehemitici familiam Cassiano nouum diuina prouidentia subsidium misit, per quod longè maiores & insigniores in cœpto religiosæ vitæ curriculo sanctitatis progressus faceret. Agebatur annus nostræ salutis trecentesimus septuagesimus, quo S. Hieronymus Romæ sæcularibus literis ad plenum iam eruditus & Christo in fide renatus, ad Theologiam & grauiora studia adiiciens animum, Gallias primum comite Bonoso contendit, vt Romani studij grauitatem Gallico cothurno sustolleret & ex omnibus doctis viris quibus tunc Gallia abundabat cunctisque Bibliothecis Thesaurum sibi scientiæ compararet, inde Aquileiam concessit, conseditque ibi aliquo temporis spatio, fruiturus consortio sanctissimorum virorum Valeriani eius ciuitatis post Fortunatianum Episcopi, Heliodori, Nepotiani, Ruffini, Chromatij, Iouini, Eusebij, Florentij Nicææ Subdiaconi, Chrysogoni Monachi, ad quos omnes intimæ necessitudines testes eiusdem Hieronymi literæ extant. Tum in Dalmatiam ac patrium solum veniens sororem iuuenculam ætatis lubrico lapsam, viro maxime pio Iuliano Diacono, qui eam ad meliorem vitam restituerat commendauit, cæterisque in rebus familiaribus ita parentes consilio iuuit, idque prouidit, vt in perpetua pace esse possent.

2. Hic verò nihil interualli fecit ad diuinum de se responsum per omnia piorum operum genera petendum & explorandum, nec frustrà, nam.

nam breui clariores diuinæ lucis radios calorémque vehementiorem expertus, secum statuit Christum vocantem sequi, ac religiosum aliquem siue Monachorum siue Anachoretarum ordinem inire. De loco curis denuo in studia versis, quo id peragerer, veniebat illi in mentem patria in qua natus; veniebat Roma in qua renatus & edoctus fuerat, sed nimirum qui alia omnia destinabat Deus hisce cogitationibus interlapsus, repente procul ab animo omnem vtriusque relegauit affectum. Patriæ quidem quod à cognatis & propinquis semper illi, si sic ageret, immineret periculum, quodque genus hominum ad honestatem natum malo cultu prauisque opinionibus corruptum deprauatumque esset, vt illud ad Chromatium docet, cum ait. *In mea enim patria rusticitatis vernacula Deus venter est, & in dies viuitur, & sanctior est ille qui ditior est. Accessit huic patellæ iuxta tritum populi sermone prouerbium, dignum operculum Lupicinus Sacerdos, secundum illud quoque de quo semel in vita Crassum ait risisse Lucilius, similem habent labra lactucam asino carduos comedente. Videlicet vt perforatam nauem debilis gubernator regat, & cæcus cæcos ducat in foueam, talisque sit rector, quales illi qui reguntur.* Romæ autem quamuis sancta esset Ecclesia & trophæis Apostolorum ac Martyrum decorata, & vera Christi in ea confessio reperiretur, alienum tamen à Monachi ac solitarij proposito erat, in tanta ciuium ac peregrinorum frequentia versari, & procul vt ipsemet ait ad Marcellam *à quiete videri & videre, salutari & salutare, laudare & detrahere & inter linguas rodentium ministrorum postes ingredi deauratos.*

Hieronym. Epist. 43.

Hieron Epist. 17. & 18.

3. Stetit tandem sententia vt longinquæ peterentur regiones, & illæ quæ tum locorum sanctitate tum habitantium Monachorum vicinitate, ad seruiendum Deo magis commodæ forent & opportunæ. Domi igitur ordinatis rebus, & locupletissima Bibliotheca vnà cum viatico tantæ peregrinationi necessario assumptis, à patria relictis, vt ipse testatur, ibi vtroque parente, sorore, & cognatis Hierosolymam militaturus accessit. Comes itineris ac propositi, Heliodorus præcipuus fuit, cui se adiunxere Ruffinus Aquileiensis, Innocentius, Euagrius, & Hylas sancti Melanij famulus. Nec tamen semper Hierosolymæ mansit, sed partim etiam Bethlehem ab eo electa & habitari cœpta est: mortuo enim Damaso Hierosolymam rediens, illo scilicet tempore, quo Paula & Melania eò adnauigarunt, tunc videlicet, cùm Bethlehem ab eo ad habitandum electam cæteri aiunt, ita ipsemet de Bethlehem scribit libro 3. contra Ruffinum. *Intraui Hierosolymam, vidi multa miracula & quæ prius ad me fama pertulerat, oculorum iudicio comprobaui. Inde contendi Ægyptum, lustraui Monasteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros aspides latere perspexi, protinus concito gradu Bethlehem meam reuersus sum, vbi adoraui præsepe & incunabula Saluatoris.* Suam Bethlehem non appellasset nec se concito gradu ad eam reuertisse sed accessisse potius diceret, nisi prius quoque, hoc scilicet de quo tractamus tempore, sedem illam tenuisset.

4. Incredibile memoratu quàm suauibus cogitationibus piisque af-

sectibus gestiret, peregrinantis animus, vbi receptum se primò conspexit in speluncam in qua Virgo puerpera Deum fudit infantem, nam vt hi Deo soli noti sic à nemine sunt notati: Venienti longè obuiam processit turba frequentissima Monachorum, & eorum conspectu tanta fuit interius dulcedine perfusus, vt ob tenerrimum animi sensum, lacrymis continenter indulgere cogeretur. Quid ego narrem clarorum virorum aut tacitos congressus, aut ludicros sermones, aut rerum colloquia diuinarum? Cuius non intrauit cellulam? Quem familiariter atque hilarem non est amplexatus? Quem in manibus non habuit, non fouit, non osculatus est, per singulos sanctos, Christum se videre credebat, & quidquid in illos contulerat, in Dominum se contulisse lætabatur.

5. Has velut inter gemmas cum pretiosissima gemma micaret & quasi iubar solis paruos stellarum igniculos obrueret & obscuraret Cassianus, etsi clam maximè omnibus pro vili se gerere anniteretur, vix tamen ac ne vix quidem fieri potuit, vt Hieronymum, qui intensis obseruandi & æmulandi studio in singulos oculis inhiaret, omnino fefellerit, suspiciebat in illo singulare quoddam modestiæ specimen, suspiciebat illustres eminentésque virtutes, vultum iucundum, semper serenum & eundem vbique animi tenorem, indicem edomitorum affectuum, & pacis tranquillitatisque internæ, qua assiduò fruebatur: vt mirum, quantum ex eius aspectu & consuetudine gaudium caperet, priuatisque cum eo sermonibus de diuinis rebus tempus extraheret. Nimirum iuuabat virum sanctissimum hanc teneram stirpem intueri, iam tum à præclara indole notatam commendatamque, vsque eò cœlestis auræ aspiratione eductam virtutumque robore ac vetustate florentem, in tantam perfectionem bonorum operum, maturitatémque prudentiæ, & haustam diuinitus sacrarum literarum intelligentiam adoleuisse. Ipse vicissim Cassianus plurimùm lætabatur nactum se esse hominem, cuius piis excitationibus informandum se traderet, consiliisque studia sua & vitæ sanctioris incundæ rationem moderaretur. Cùm enim ex celebritate famæ de singularibus eius meritis ac laudibus multa didicisset, cuncta Hieronymi dicta factáve, præsertim quæ ad institutum viuendi morem tenendum ac persequendum spectarent æquè auidè atque è Dei oraculo edita combibebat.

6. De patria certior factus quod Atheniensis esset Cassianus, commisit, vt par est credere, Hieronymus discendi percupidus, quin sciscitaretur ex eo, quibus studiis iam tum floreret atque ingeniis Academia Atheniensis, hoc est *Bonarum artium eo tempore mercatus*, cui cum ille Anatolios, Procæresios, Musonios, & reliqua Christi columnarum nomina memorasset, de Gregorio & Basilio suggessit; quemadmodum præ cæteris venerationi & admirationi essent cunctis etiam absentibus, eisque taræ cuiusdam virtutis & eruditionis certum testimonium tribuerent, quotquot alumni, atque in ludis bonarum literarum discipuli ipsis Magistris ac ducibus vbique terrarum gloriabantur. Hæsit in medullis ac visceribus tanti nominis commendatio, quin etiam instituit post

post aliquot annos, Cassiani forte suasu, vel potius Gregorij ipsius fama permotus impulsusque Hieronymus vnà cum Collega Vincentio, è Syria tam longinquo terrarum spatio conferre se Constantinopolim, vbi Theologiam publice profitebatur Gregorius, & in cuius Ecclesiam componendæ seditionis causa translatus fuerat sub Theodosio seniore Augusto, vt vrbem ab Arianis infestatam liberaret. Testatur ipsemet qui se Gregorium Nazianzenum præceptorem habuisse expendit atque æstimat pluribus in locis. Ad Pamachium scribens, aduersus Ruffinum *Eo ego magistro glorior & exulto.* Et libro 1. aduersus Iouinianum, eum sic laudat. *Præceptor meus Gregorius Nazianzenus virginitatem & nuptias disserens Græcis versibus explicauit.* Tum alibi, in Catalogo de scriptoribus Ecclesiasticis. *Gregorius*, inquit, *primus Sasimorum, deinde Nazianzenus Episcopus, vir eloquentissimus præceptor meus, in quo scripturas explanante didici.* Denique ad Domnionem Gregorium Nazianzenum suum Catechistam appellat, quasi eius comparatione planè rudis, qui fidem eo explanante didicerit.

Hieronym. Epist. 51.

7. Est illud præterea non indignum memoria quod nonnulli coniecturis, aliisque argumentis quantumlibet videri possint à longè petitis, suspicantur ipsum in familiam huius Cœnobij Bethlehemitici cooptatum, Monasticæ vitæ institutum arripuisse: vel certè quod plures affirmant tot tantorumque Monachorum & imprimis Cassiani exempla, quibus rus Bethlehemiticum tunc florebat, longè vehementius generosum scilicet Hieronymi pectus percussisse, qui alienæ virtutis flamma accensus, mox etiam paris desiderio religionis exarserit, scripsit super hoc argumento ad Theodosium Anachoretam magni nominis virum & alios præclaros Monachos, petens eorum precibus, solui vinculis sæculi; vbi hæc inter alia. *Nunc vestrum est vt voluntatem sequatur effectus. Meum est vt velim. Obsecrationum vestrarum est, vt quod velim, & possim.* Et inter hæc temporis spatia, cum quid esset decernendum de statu suo Deum Deique seruos consuleret, relicto Cœnobio Bethlehemitico & Hierosolyma, profectus in Thraciam, inde in Pontum, atque Bythiniam, postea in Galatiam, Cappadociam, Ciliciam, ac demum penetrauit in Syriam, vbi tandem consedit in solitudine Monachus, sicut ipse testatur ad Ruffinum scribens. Atque hic totius eius fuit peregrinationis extrema periodus.

Hieronym. Epist. 38.

CAPVT XIV.

Refrænat affectus, & seniori suo nihil de cogitationibus subtrahit.

1. Solebant religiosi Tyrones ex vetere instituto postquam in secessu illo nouorum contubernalium, haud longo à Cœnobij vestibulo, primæ probationis annum magna superiorum ac patrum fratrumque satisfactione transegissent mox rectum ingressos cursum, in monasticæ

vitæ

vitæ ratione progressus iam aliquot fecisse, neque omnino peregrinos esse appareret: plures item annos seorsim ad priuatam & arctiorem aliam sedem destinari; vbi certa domus parte, à cæteris disclusi decem omnino socij non plures vitæ seuerioris ac religionis suæ tyrocinium ponerent. Ad cuius intelligentiam notanda sunt verba D. Hieronymi in præfatione regulæ S. Pachomij. *Habent*, inquit, *vei singula Monasteria Patres, & dispensatores, ac hebdomadarios, ac ministros, & singularum domorum Præpositos, ita vt in vna domo quadraginta plus minusve fratres habitent, qui obediant Præposito, sintque pro numero fratrum triginta vel quadraginta domus, in vno Monasterio, & ternæ vel quaternæ domus, in vnam tribum fœderentur, vt vel ad opera simul vadant, vel in hebdomadarum ministerio sibi succedant per ordinem.*

2. Administrabat eam domum & tyrones probabat senior quispiam grauis, & rerum Asceticarum peritus, qui eos pœnitentia lustraret, dirigeret, vice denique in eo loco Magistri spiritualis fungeretur. *Cuius*, inquit, *hæc erat sollicitudo & eruditio principalis per quam iunior introductus ascendere consequenter etiam culmina perfectionis summa praualeat, vt doceat eum, primitus suas vincere voluntates, quem studiosè in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare de industria curabit, quæ senserit animo eius esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti tradunt, Monachum & maximè iuniores ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrenare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates. Ideoque pronuntiant nullatenus praualere, vel iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec firmam diuturnamque posse retinere concordiam, sed nec in cœnobio quidem diutius perdurare eum qui prius voluntates suas non didicerit superare.*

Insti. lib. 4. cap. 8.

3. His præsidiis atque artibus Cassianus ad vitæ sanctioris excellentiam, affectuumque moderationem nitebatur; nec minore studio perfectionem in omni virtute, atque opere qualicunque, omni loco, ac temporum occasione procurabat, eósque in via spirituali progressus, superiorum ductu habuit, vt omnibus rem intelligentibus afferret admirationem. Nam & vberiore sacrarum rerum cognitione imbutus, affluentius quoddam lumen in agendo sequebatur, & quia voluntatem suam, nisi congrueret penitus cum diuina abiiciebat, actiones omnes suas vnico Dei gloriæ amplificandæ studio, atque pleno in eum charitatis ardore condecorabat. Id vt procederet fœlicius ne corporis retractatio peruicaciaque, perfectionis cursum moraretur, edomandum sibi esse statuit, euellendásque penitus prauarum affectionum ab animo radices. Quocirca ieiuniorum, vigiliarum, verberum, ciliciorum asperitates velut cupiditatum moderatrices delictorúmque vindices adhibuit; eorum maximè reliquias persequuturus ad quæ auidius olim adhæsisset; Tum deinde noctem plerumque insomnem suspiriis & lachrymis exigere plures diei horas flexum, vel stantem cum egregia quadam voluptate inter preces perseuerare; pane solo & aqua non sæpius, semel interdiu vesci,

vesci, quamquam his etiam ipsis totos aliquando dies abstineret: plagis humeros incessere, toga detrita vsu, laceraque indui, ac totius domesticæ vestis deterrima: cæteraque id genus perinde quasi iugem corpori iniuriam facere, id demum foret animi imperio vti.

4. Illud præterea antiquum illi erat, sæpius ad seniorem Decanum suum venire, conscientiæ rationem vt superiori ac Patri redditurus, quam tanta retegebat simplicitate vt ne interiores animi sui cogitationes, propensiones desideriáve reticeret. Videretur hæc Cassiani laus ficta propemodum & commentitia, nisi ex eiusdem iam senis affirmatione chirographoque constaret. Nam libro 4. Institutionum capite 9. vbi de institutis, quibus eos, quos initiabant, velut elementis quibusdam ac syllabis imbuerent ad perfectionem. *Ad id*, inquit, *vt facilius valeant peruenire consequenter instituuntur nullas penitus cogitationes prurientes in corde, perniciosa confusione celare, sed confestim vt exortæ fuerint, eas suo patefacere seniori: nec super earum iudicio quidquam suæ discretioni committere, sed illud credere malum esse vel bonum, quod discusserit ac pronuntiauerit senioris examen. Itaque fit vt in nullo circumuenire iuuenem callidus inimicus velut inexpertum ignarúmque præualeat, nec vlla fraude decipere, quem preuidet non sua, sed senioris discretione muniri & suggestiones suas vel ignita iacula, quæcumque in cor eius iniecerit, vt seniorem celet non posse suaderi. Aliter quippe subtilissimus diabolus illudere, vel deiicere iuniorem non poterit, nisi cùm eum suis per arrogantiam siue per verecundiam ad cogitationum suarum velamen illexerit. Generale namque & euidens indicium diabolicæ cogitationis esse pronuntiant, si eam seniori confundimur aperire.*

5. Nequaquam igitur aliis curis contentus Cassianus, cum apertissimus illi simplicissimúsque esset animus index etiam minimarum rerum, cuncta institutori candidè exponebat; nec solùm per arcanam sacram confessionem totam illi nudabat conscientiam, sed quotidie solitus erat diei rationem reddere, vt interiorem mentis habitum nihilo minus, quàm exteriorem corporis figuram in conspectu habens, totum hominem fingeret, atque componeret, si quæ similiter immoderatio vel excessus ex ordine incidisset, quidquid, quocumque modo visus esset sibi dicto factove deliquisse, per ingenuam bonitatem aperiebat, vltróque apud eum, sui accusatorem agens paratum ad subeundam quamlibet pœnam se offerebat, nulla vti assolet verecundia retardatus vel pudore vel metu. Plura de his ab Abbate Moyse Collat.2.c.10.& 11.

CAPVT XV.

Exercitiis obedientiæ statim se dedit & publicè reprehendi anhelat.

1. AT incredibile memoratu est quàm assiduo spiritualis huius militiæ exercitio animum exercere laborarit. Imprimis verò veterum

consuetudinum obliuione humanarúmque rerum omnium despicientia, vitæ simplicitate, studio diuina meditandi, sui ipsius subiugatione, contumeliísque ac perpetua sibi aduersandi contentione, & omnium aliarum virtutum duce tutissima obedientia, quæ quanta esset olim apud ipsos laudat maximè, ac seniorum res præclare gestas enumerat quibus per hanc enituere virtutem. *Post hæc*, inquit, *tanta obseruantia obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absque præpositi sui scientia vel permissu, non solum non audeant cellam progredi, sed ne ipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere sua authoritate præsumant. Sicque vniuersa complere quæ vmquam fuerint ab eo præcepta tanquam a Deo sint cælitus edita sine vlla discussione festinant, vt nonnunquam etiam impossibilia sibimet imperata, ea fide ac deuotione suscipiant vt tota virtute ac sine vlla cordis hæsitatione ea perficere & consumere nitantur, & nec impossibilitatem præcepti pro senioris reuerentia metiantur.* Et mox capite 12. *Itaque considentes intra cubilia sua, & operi & meditationi pariter intendentes, cùm sonitum pulsantis ostium, ac diuersorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet seu ad opus aliquod inuitantis; certatim è cubilibus suis vnusquisque prorumpit, ita vt is qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat. Sed in eodem puncto, quo ad aures eius sonitus pulsantis aduenerit, summa velocitate prosiliens, ne tantùm quidem mora interponat quantum cœpti apicis consummet effigiem; sed imperfectam lineam literæ delinquens, non tam operis compendia lucraue sectetur, quàm obedientiæ virtutem exequi toto studio atque emulatione festinet. Quam non solùm operi manum, seu lectioni, vel silentio, & quieti cellæ verùm etiam cunctis virtutibus ita præferunt, vt huic iudicent omnia postponenda, & vniuersa dispendia subire contenti sint, dummodo hoc bonum in nullo violare videantur.*

Lib. 4. Instit. cap. 10.

2. Hanc virtutem amabat vnicè Cassianus atque illam imprimis absolutam in minimis etiam rebus obeundis, non timore aliquo pœnæ natam, sed desiderio ipsius virtutis. Quoniam vbi res minimæ, accuratè studioséque seruantur ibi res magnæ haud dubiè maiori quoque cura administrare plerumque delectat. Quotiescumque religionis ergo pœnam aliquam decerni sibi, aut facultatem indulgeri postulabat, supplicem se cuiusque superioris genibus aduoluebat, neque adduci poterat vt rem vllam aut lege aut verbo vetitam efflagitaret, quin potius eas vel sibi omnino interdiceret, aut si fors necesse, veniam fieri à superioribus obsecraret, quas alius quilibet, absque omni religionis metu credidisset, pro communi vsu & more vsurpare sibi licuisse. Iussus nauare aliquid & efficere, non defugiebat, vllius operis impositi curam & sollicitudinem, sed absque omni recusatione aut nihil vnquam questus suscipiebat. Sic verò persoluendis officiis erat addictus & tam promptè alaceriterque moderatorum suorum dictis obtemperabat, vt parentis loco veneraretur, & vix ac ne vix quidem vel leuiter inflectendus, ne dum reprehendendus ab iis vnquam videretur; Aduersus priuatos rei domesticæ curatores, qui inferiorem subditámque maioribus potestatem gererent,

gererent, tantam reuerentiam obseruantiamque adhibebat, vt ne Abbatem quidem ipsum maiori coleret. Quoniam non eum, cui obediebat, sed cuius vicem gereret spectabat: tantoque luculentius eminere id genus submissionis arbitrabatur, quo minus in ea humanus sensus dominaretur, paucioraque essent in eo qui imperaret ornamenta, quæ obsequentis animam ad se conuertere & rapere possent. Dolebat maximè imminutam sibi obediendi materiam & beatam, quam in obsequij sinu reperiebat mentis tranquillitatem, si quid ad suum commodum aut libitum sponte moueret licuisse aliquando, tum si ad subeundam aliquam prouinciam quicquam occurreret tam graue ac difficile, vt ad eam minimè idoneus se profiteretur: tamen in Christi nomine & obedientiæ virtute spem & fiduciam collocabat, & quid facto opus esset, prius agendo quàm inquirendo, intentoque potius digito quàm vtilitate nutuque præstabat. Quare nihil mirum si tam coniunctus per suos præsides cum præpotente Deo, inde vires ducens & aptè motum excipiens, tanto successu quidquid aggrederetur, effectum daret.

3. Sed iuuat ex ipsius autogropho his attexere quædam seniorum gesta, quibus per hanc enituere virtutem, quæ & ipse iam senior literis consignauit, & de profectu ex notitia & colloquiis sanctissimorum eiusmodi Patrum Ægyptiorum narrationem exponit, in quibus Dei vicariis, diuinam ipsam maiestatem reuerebatur.

Lib. 4. Instit. cap 2. & sequentibus quæ leges apud ipsum si allubet.

4. Cupiebat autem flagrantissimè suas sibi culpas publicè ab acri aliquo reprehensore exprobari ac seuera castigatione puniri, eosque sibi libenter adiungebat socios, qui hoc officio charitatis districti, censorum instar perpetuo in illum intenti commonefacerent, si quid vitij obseruassent.

5. Quare de modo & vsu inter Monachos sui temporis recepto diuersarum id genus correptionum ita scribit libro 4. Institutionum capite 16. *Si quis igitur gillonem, quem baucalem nuncupant, aut huiusmodi aliud casu aliquo fregerit aut perdiderit, non aliter negligentiam suam quam publica diluet pœnitentia: cunctisque in synaxi fratribus congregatis, tandiu prostratus in terram veniam postulabit, donec orationum solemnitas consummetur, impetraturus eam, cùm iussus fuerit Abbatis iudicio de solo surgere. Eodem modo satisfaciat, quisquis ad opus aliquod accersitus vel ad congregationem solitam tardius occurrerit; aut si decantans psalmum vel modicum titubauerit; similiter si superfluè, si durius, si contumacius responderit, si negligentius obsequia iniuncta compleuerit, si vel leuiter murmurauerit, si lectionem operi vel obedientia præferens, officia statuta segnius fuerit executus, si dimissa synaxi non concitus ad cellam recurrere festinauerit, si cum aliquo vel ad modicum substiterit, vel si ad punctum temporis vspiam secesserit, si alterius tenuerit manum, si cum illo qui cellulæ suæ cohabitator non est, confabulari quantulumcumque præsumpserit, si orauerit cum illo, qui est oratione suspensus, si parentum quempiam vel amicorum sæcularium viderit, vel collocutus eis sine suo fuerit seniore, si epistolam cuiuscumque suscipere, si rescribere sine Abbate tentauerit: hucusque & in huiusmodi ac similibus admissis*

procedit animaduersio spiritalis. Residua verò quæ apud vos indifferenter admissa reprehensibilinsve sustinentur, id est aperta conuicia, manifesti contemptus, contradictiones tumidæ, libera & effrenata processio, familiaritas apud fœminas, ira, rixæ, simultates, & iurgia, operis peculiaris præsumptio, phylargyriæ contagio, affectus atque possessio rerum superfluarum, quæ à cæteris fratribus non habentur, extraordinaria ac furtiua cibi refectio, & his similia, non illa increpatione quam diximus spiritali: sed vel plagis emendantur vel expulsione purgantur.

CAPVT XVI.

Eius in victu ratio, & parcitas.

1. AD hæc semper diligentissimus circumspectissimúsque fuit in se custodiendo aduersus vmbras etiam earum labecularum, quæ honestatis virtutem castimoniamque obscurare possent, vt sunt, ciborum lautiorum appetentia, ingluuies, oculorum incauta licentia, similiaque libidinis irritamenta. Idque eò religiosius in se quærebat, & acrius inuigilabat, quo florente adhuc crescentéque primùm adolescentia, natura vberioris nutrimenti indiga subinde illi famem & sitim extimulabat: adeoque graues & quotidianæ illi cum intemperantia intercedebant inimicitiæ, eamque velut castitatis hostem & earum, quibus condiri religiosa vita solet, deliciarum corruptionem mirum quantis execrationibus abominabatur. Ne id igitur malum glisceret consilio prouisum ac lege cautum erat inter Monachos, vt morbi materiam abstinentia consumerent; qua illa sua opinione constrictus Cassianus tam moderatè vescebatur, tantúmque sibi de modicis escis & potationibus accidebat, subtrahebatque in dies, vt appetentis egentisque naturæ necessitati vix satisfaceret.

2. Ac certè super hoc modo, cùm non possit facile vniformis regula custodiri ac necesse sit interdum stomacho, naturaliter à quibusdam abhorrente præter vulgare obsonium quidquam in cibum adhibere, quia nec robur vnum cunctis corporibus inest, nec sicut cæteræ virtutes, animi solius rigore victus ratio paratur, talem super his definitionem à senioribus traditam sibi esse affirmat. *Diuersum quidem refectionis tempus ac modum & qualitatem esse, pro impari scilicet corporum statu, vel ætate, vel sexu: vnam tamen esse omnibus pro mentis continentia atque animi virtute castigationis regulam. Neque enim cunctis possibile est hebdomadibus protelare ieiunia, sed ne triduana quidem vel biduana inedia refectionem cibi differre. A multis quippe ægritudine & maximè senio iam defessis, ne vsque ad occasum quidem solis ieiunium sine afflictione toleratur. Non omnibus infusorum leguminum esus conuenit eneruatus: nec cunctis puororum olerum habilis est parsimonia, nec vniuersis sicci panis refectio castigata conceditur. Alius quantitate librarum duarum saturitatem non*

Lib. 5. Instit. cap. 5.

sentit,

sentit, alius libra vnius siue vnciarum sex, edulio pregrauatur: attamen vnus in omnibus his continentiæ finis est, ne quis iuxta mensuram capacitatis suæ saturitatis oneretur ingluuie, non enim qualitas sola sed etiam quantitas escarum aciem cordis obtundit, ac mente cum carne pariter impinguata, noxium vitiorum fomitem ignémque succendit.

3. Inde vero cum caperet alicuius cibi satietas & fastidium, illo tamen ita abstinebat, vt nihil sibi apponi eius loco sustineret, aut curatiùs à quoquam se accipi, vel aliqua in re eximium haberi non ferebat, ratus Deo cordi fore vt obsonia vulgaria non nocerent, si iis vteretur, ne discederet à communi vsu & genere continentiæ. In qua, inquit, summæ reputabantur deliciæ, si herba sale condita, quam lapsanium vocant, aqua diluta ad refectionem fratribus apponeretur, aliaque complura his similia. *Neque enim ad puritatem cordis infirmitas corporis officit, si hæc tantummodo quæ fragilitas non quæ voluptas exigit vsurpentur, facilius vidimus viros qui ab escis corpulentioribus omnimodis temperarent, quàm moderate vsos pro necessitate concessis; & qui totum sibi pro continentiæ amore denegarent, quàm qui eas sub infirmitatis occasione sumentes, mensuram sufficientiæ custodirent, habet etiam corporis imbecillitas continentiæ suæ palmam, dummodo escis defectioni carnis indultis, adhuc indigentem se refectione defraudet tantumque esus indulgeat, quantum sufficere ad viuendi vsum temperantiæ discretio rigida iudicauerit, non quantum desiderij appetitus exposcit. Esculentiores cibi, vt procurant corporis sanitatem, ita castitatis non adimunt puritatem, si cum moderatione sumantur. Quidquid enim fortitudinis esu eorum percipitur, ægritudinis labore ac defectione consumitur. Quamobrem vt nulli statui virtus parsimoniæ adimitur, ita ne integritatis quidem consummatio denegatur.*

Lib. 4 Instit. cap. 11.

Lib. 5 Instit. cap. 7.

4. Nunquam potionis aut comestionis immoderatæ conscientiam habuit. Ad hanc verò puritatem tuendam strictè obseruabat, ne potus quicquam aut esus vlla oblectatione deuinctus, ante stationem legitimam communémque refectionis horam extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeret sed refectione quidem transacta ex his præsumere sibi quantulumcunque permitteret. Tum incedenti per hortos & pomaria cum passim blandéque per arbores poma pendentia non solum obiiciant se pectoribus transeuntium, verùm etiam strata per terram conculcanda pedibus se offerant, atque ad colligendum parata facilè ad consensum concupiscentiæ illicere valeant intuentes, & opportunitate vel copia quamuis districtos atque abstinentissimos ad sui desiderium prouocare, sacrilegium duceret, non modo quicquam ex his degustare, verùm etiam manu contingere, absque eo quod palam cunctis in commune reficientibus exhiberetur, & ad percipiendum Oeconomis dispensatione per fratrum obsequia publicè ministraretur.

Lib. 5. Instit. cap. 20.

Lib. 4. Instit. cap. 18.

5. Non prius vmquam mensæ recordabatur quam audito epulationis quotidianæ signo admoneretur. In triclinio solemne illud, quod exaggerat, vt precatione religiosè peracta, aliquo post spatio quàm Monachi accubuissent ipsis reficientibus, sacræ lectiones in Cœnobiis

supra mensam recitarentur. Qua in re sibi quasi ad iuris normam aut iudicij formulam legémque præscripsit vbi de iis quibus authoribus id fuerit inuentum. *Non de typo*, inquit, *Ægyptiorum sed de Cappadocum id processisse nouerimus, quos nulli dubium est non tam spiritalis exercitationis causa, quam compescendæ superfluæ otiosæque confabulationis gratia, & maximè contentionum, quæ plerumque solent in conuiuiis generari, hoc statuere voluisse: videntes eas aliter apud se cohiberi non posse. Apud Ægyptios enim vel maximè Tabennensiotas, tantum silentium ab omnibus exhibetur vt cùm in vnum tanta numerositas fratrum refectionis obtentu consederit, nullus nec mutire quidem audeat præter eum, qui suæ Decaniæ præest. Qui tamen si quid mensæ super inferri vel auferri necessarium esse peruiderit, sonitu potius quàm voce significat: tantaque vescentibus eis silentij huius disciplina seruatur, vt cucullis vltra oculorum palpebras demissis, ne scilicet liber aspectus habeat curiosius copiam euagandi, nihil amplius intueantur quam mensam. & appositos in ea vel quos ex ea capiunt cibos: Ita vt quemadmodum vel quantum reficiat alius, nullus inuicem notet.*

Cass. Inst. lib. 4. cap. 17.

CAPVT XVII.

Pinufio Abbati præstantis virtutis maturaque prudentiæ viro conciliatur.

1. His curis dum maximè insistit, paulo post initium anni 380. commodè factum est vt ex peregrinorum atque aduenarum numero, qui profectionem Hierosolymitanam concursu vndique confluentium maximè celebrem aggrederentur: Pinufius Abbas insigni sanctitate vir, ex Ægypto, vbi primùm fugæ adornatu, occasio permisit, vestem alienam indutus Bethlehem venerit, Christi augustissima sanctissimaque visurus incunabula. Vix autem substiterat aliquot dies peregrini habitu, quasi animo præferens ac sibi despondens certa hominum studia & idoneam aliquam rotum se consecrandi religiosæ vitæ opportunitatem, cùm breui certum exploratúmque seni optimo fuit, quod à Deo in ordinem familiæ Bethlehemiticæ, quam à Christi spelæo & cunis indigeratam aiunt, vocaretur. Neque exiguo illi incitamento fuere, quod ibi Monasticæ vitæ instituta quasi integra adhuc ætate, neque vllis vnquam moribus in peius mutata, salua & intemerata hactenus vigerent. Insuper animi ardor nec non rara quædam virtus & bonitas, per quam cœnobij huius alumni, omni ope atque opera, impensas qua de suo, qua ex aliorum liberalitate corrogata stipe, tot egentissimorum hominum calamitates subleuare laborabant. Concepto igitur proposito ac renunciato Abbati, inter Monachos adscriptus est tam secundo euentu, tam singulari & externorum & domesticorum ex vsu, vt occulto planè diuinæ prouidentiæ motu istam eius fugam & secessionem contigisse dubitare non liceat. In cæteris memoratur eximius tanquam præfœcundæ

eundæ stirpis fructus viri sapientissimi, quod Cassianum & Germanum contubernales deinceps, qui iam emeritis tyrocinij stipendiis mox in publicum prodituri eadem in officina virtutum, tela spiritus exacuebant, ingenij & prudentiæ ornamentis conciliatos, vnus omnium maximè promouit ad tantos in spirituali disciplina progressus, vt & innocentia vitæ & reliquis quoque virtutibus omnibus excellerent: vicissimque capti ambo sancta doctaque consuetudine ita diligere, facereque tanti cœperunt, vt eius consilia multum exquirerent. Nimirum facillimè pares, quod est in veteri prouerbio, cum paribus præcipuéque Christiani sapientes inter sese conglutinantur. Atque inde contractus est vsus qui ad extremum vsque vltro citroque permansit.

2. Sed dum vel vltimis terrarum finibus imminet Pinufius, vt Monasterij, cui præerat, regimine se abdicet, ac refugiat inter hominum plausus honoréque versari, delegatis circumquaque nuntiis diligentissimè conquisitus certo tandem aliquo cœli signo, aut egregia viri fama longè latéque manante inuentus est, captúsque in Ægyptum Panephysim tractus, & in Abbatis pristinam suam dignitatem restitutus est. Rem totam exploratam habes apud Cassianum, qui se illius testem ac spectatorem viuum ac præsentem producit, Libro 4. Institutionum citato. *Vidimus Abbatem Pynufium qui cum esset immanis Cœnobij presbyter, quod est in Ægypto non longè a Panephysi ciuitate, & pro ipsa reuerentia vel vita sua vel ætatis, vel sacerdotij cunctis honorabilis ac venerandus existeret, videns se pro hoc ipso humilitatem illam quam secundum suæ mentis ardorem concupierat exercere non posse, nec habere quo virtutem desideratæ subiectionis extenderet, clam fugiens de Cœnobio secessit solus in Thebaïdis vltimas partes, ibique deposito habitu Monachorum, assumpta seculari veste Cœnobium Tabennensiotarum expetiit, quod sciebat cunctis esse districtius, & in quo se vel pro longitudine regionis credidit ignorandum, vel pro magnitudine Monasterij ac multitudine fratrum facile posse celari. Vbi diutissime pro foribus perseuerans, cunctorum fratrum genibus prouolutus, vt susciperetur summis precibus exorabat. Cúmque multo despectu tandem fuisset admissus, quod scilicet decrepitus senex, & qui omnem suam in sæculo vitam peruixisset, ætate vltima ingredi cœnobium postularet, quo tempore iam ne deseruire quidem suis voluptatibus præualeret, ac ne hoc quidem ipsum causa religionis eum expetere assererent, sed famis & inopia necessitate constrictum: vt seni nullique operi penitus apto, horti cura diligentiaque mandatur? Quam sub alio fratre iuniore, qui eum sibi creditum retinebat, exercens, sic eidem subdebatur, tantaque obedientia desideratam humilitatis excolebat virtutem, vt non solùm ea quæ ad horti curam diligentiámque pertinebant, verùm etiam vniuersa officia, quæ cunctis erant aspera vel indigna atque ab omnibus ducebantur horrori, tota quotidie sedulitate compleret. Complura etiam nocte consurgens ita furtim nullo teste, vel conscio, tenebris occulentibus faciebat, vt penitùs authorem operis nemo deprehenderet. Cúmque ibidem triennio delitescens, dispersis per vniuersam Ægyptum vbique fratribus quæreretur; à quodam tandem visus, qui de Ægypti partibus commearat, vix potuit pro humilitate habitus*

Lib. 4. Instit. c. 30. & 31.

habitus sui ac vilitate officij quod gerebat agnosci. Nam sarculo deorsum incuruus laxabat oleribus terram: deinde stercus humeris suis aduectans eorum radicibus ingerebat. Cùmque hæc intuens frater super agnitione eius, diutissima fuisset hæsitatione detentus, propiùs tandem accedens & non solùm vultum, sed etiam sonum vocis diligenter explorans, ad pedes eius cominus procidens, primò quidem super hoc stuporem summum videntibus cunctis incussit, cur videlicet istud fecerit ei, qui apud ipsos velut nouitius ac de sæculo nuper egressus habebatur extremus. Post verò miraculo sunt maiore perculsi cùm eius nomen, quod apud ipsos quoque magna fuerat opinione compertum, protinus prodidisset, à quo vniuersi fratres prioris ignorantiæ veniam postulantes, quod eum videlicet tanto tempore inter iuniores ac paruulos deputassent, inuitum ac flentem, quod inuidia diaboli digna sibi fuisset conuersatione atque humilitate fraudatus, quam diutissimè requisitam tandem aliquando se inuenisse gaudebat, nec meruisset, vitam suam in illa quam arripuerat subiectione finire ad proprium cœnobium reduxerunt, custodientes eum summa diligentia, ne ab eis quoque similiter quoquam dilapsus aufugeret.

3. *Vbi cum fuisset modico tempore demoratus, eodem rursus humilitatis desiderio atque ardore succensus, captans nocturna silentia, ita diffugit vt iam non vicinam Prouinciam, sed ignotas & alienas longéque diuisas regiones expeteret. Nam conscendens nauem in Palæstinæ partes commeare festinauit, credens se tutius latitaturum si ad illa semetipsum asportaret loca, in quibus ne nomen quidem suum fuisset auditum. Quò cùm aduenisset nostrum Monasterium protinus expetiuit, quod non longè fuit à spelæo in quo Dominus noster Iesus Christus ex Virgine nasci dignatus est, in quo permodico tempore delitescens, secundum sententiam Domini, tanquam ciuitas super montem posita diutius abscondi non potuit, nam continuo quidam fratrum qui ad loca sancta de Ægypti partibus orationis causa conuenerant, agnitum cum summa vi precum, ad suum Cœnobium reuocarunt.*

EX CHRONI. IBIDEM.

TEXTVS II.

CVmque plurimos sanctorum Patres Monachos & Anachoretas agnoscendi gratia, remotissima Ægypti & Thebaidos vnà cum Beato Germano Abbate peragrasset, &c.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Cum Germano contubernali & populari suo peregrinationem destinat in AEgyptum.

1. MAturuerat inter hæc paulatim Cassianus sic vt, & ipse in Bethlehemitico Monachorum conuentu, & societate, eorum exercitationibus, & illi, in ipsius virtutibus ac profectu spiritus acquiescerent. Iamque viri indoles etiam foris spectanda, ferebatur de amicorum sententia in consilia noua quidem, sed plena prudentiæ & fidelitatis. Annus ætatis suberat trigesimus secundus, cùm desiderium inuasit pium & vehemens proficiscendi in Ægyptum & remotissimas Thebaidis Eremos, ibique sacra loca, quæ ex impressis tot Sanctorum vestigiis miram redolebat pietatem, perlustrandi studiosissimè, ac deuenerandi religiosè.

2. Causas, quæ se in eam mentem impulissent, adducebat. Prima erat commemoratio vetustatis, exemplorúmque prolatio Athanasij, Basilij, Gregorij Nazianzeni, Theodori, Hieronymi, Ruffini, aliorumque sexcentorum passim domi & foris, quorum vsu & communi quadam consuetudine didicisset, vt qui in cœnobiis diu multúmque se approbassent, cùm Patribus peridonei viderentur, tum demum in aliquas solitudines se traducerent, & animum conuerterent ad Anachoretarum sublimia instituta sectanda, vt quisquis eam superioris vitæ cœnobiticæ professione, Iacob illius, inquit, intelligibilis nomen carnalium vitiorum supplantatione promeruerat, insuper diuinæ puritatis intuitu ad meritum & vt ita dixerim dignitatem transiens Israëlis, quid in hoc quoque perfectionis culmine deberet obseruare, intra illos de turba & ab oppidis disiunctissimos recessus, non sine cœlesti aliquo mentis instinctu afflatuque diuino similiter instrueretur; 2. quod floreret in illis Eremus religiosæ disciplinæ incorruptæ primus vigor, viueretque recens quædam & viridis monasticarum obseruatio legum 3. vt erat in seuera viuendi ratione; afflictionéque corporis admodum deditus, inclinare animus videbatur vt se ad Ægyptios Monachos applicaret, qui asperitate victus habitúsque duritie cæteris omnibus antecellerent. Nam recessus ipse in sola nemorum & syluarum loca, tum aspectus vilis asperique cultus, egregiis sanctæ vitæ exemplis ornatus, vt fere assolet, animis rei gerendæ cupidis, non leue præsidium irritamentúmque affert. Postremò sentiebat illecebras desiderij, multas narrationes tot rerum gestarum, tot cœnobiorum descriptiones, quas in Ægypto sua Pynufius, nescio quomodo pleniore ore ac prope quotidiano sermone laudauerat, hinc supra quam credi facile possit, Cassianus exarsit, prima illa Monachismi sacra cunabula aspicere, vrbes cœlestibus olim prodigiis inclytas, ac tot sanctorum feraces.

3. Maius itaque operæ suæ pretium se facturum existimauit, si ad cæteras perfectiones adeo propensus, hanc quoque studij partem sibi capesseret, cumque prouisas maximè suas omnes actiones haberet, nihilque penitus, nisi Deo consulto aggrederetur, dedit operam vir prudentissimus, vt quàm fieri posset certissimus de Dei voluntate. Ideòque auxit orationes, duplicauit asperitates, salutationémque sanctissimæ Eucharistiæ, Deum obtestando, ne ab eo tantillum abire animum pateretur, in quo diuinæ suæ maiestati obsequium abs se reddi præcipuè placuisset. Apud eum ita hæc se res habet. *Cùm in Cænobio Syriæ consistentes, post prima fidei rudimenta, succedentibus aliquantenus incrementis, maiorem perfectionis desiderare gratiam cæpissemus, statuimus confestim AEgyptum petere, ac remotissima etiam Thebaidis Eremo penetrata, Sanctorum plurimos, quorum gloriam fama per vniuersa diffuderat, si non æmulandi studio, agnoscendi saltem inuisere.*

Collat. 11. c. 1.

4. Tamen obstabant desiderio, vt fit, seniores non pauci, quibus properare in re magna non placebat, hi enim quamquam celebres in Cassiano progressus eximiè probarent, tamen ætatem adhuc his consiliis immaturam, suspectabant, remque periculosam & lubricam ab eo suscipi existimabant, si relicto Cœnobio vbi minimè dubiam salutis opem prudentiæ subsidiis morumque suauitate tam multi afferrent, simul & solum vertere, vbi in incerta non aliorum modo sed sui ipsius salute inofficiosam operam collocaret. Vt igitur ea se cura absoluerent, Germano viro pio iuxta & docto negotium dant, qui Cassiani sui sensa penitus exploret, secumque quid fieri decenter, in ea re possit ex æquo bonoque statuat. Sed nobis interdum, latent Dei consilia, quæ licèt Cassiani quoque fortassis, expectationem superabant, tamen ita eius mentem superna lux collustrarat, ac fixerat, vt de propositi sanctitate & ipsa numinis voluntate neutiquam dubitaret. Quare Germanus, cum in eo matura iam omnia deprehendisset, censuit non rectè neque ordine facturos qui viri æquissima postulata porrò morarentur. Simulque significauit eadem se religione voti alligatum supplicare amantissimis Patribus, vt eius exequendi quantocyus vtrique potestatem facerent.

5. Gauisus amici iudicio & consilio Cassianus æque instare illico atque auide deprecari vacationem communitatis, & abeundi veniam postulare. Nec finem orandi prius facere, quàm obsequuturos se Patres annuissent. Quàm ægrè tamen tot votis expetitam missionem indulserint siue hanc rati susceptam esse non tam maturo consilio, quàm iuuenili quodam impetu, quem dies ipsa fractura esset: seu paternæ Charitatis studio quæ filium suauissimum amittere vetabat, humanisque rationibus permoti, vocem ipsius indicem habemus, Collatione 17. capite 2. Vbi alteram in Ægyptum peregrinationem si Bethlehem regrederetur, ab iisdem impetrandam iam propemodum vel planè potius desperabat. Quin imo spem veniæ perderet nisi iuratus in propria lite, & Sacramento obstrictus, reuersurum se post breuissimi temporis spatium spopondisset. *Quid agimus*, inquit,

ingenti.

ingenti namque discrimine nos videmus & per quam miserabili conditione constrictos, quos & ratio ipsa conuersioque Sanctorum, quid salubrius sit ad profectum vitæ spiritalis efficaciter docet, & eligere id quod expedit data senioribus sponsio non admittit; Etenim potuimus exemplis talium ac tantorum virorum ad perfectiorem vitam propositúmque formari, nisi nos instanter ad Cœnobium recurrere promissi pactio coarctaret. Quò si reuersi fuerimus, copia nobis vlterius huc remeandi nulla tribuetur; sin verò hic residentes desiderium nostrum maluerimus explere, quid agimus de sponsionis fide? quam senioribus nostris velocissimum reditum pollicentes dedisse nos nouimus, vt vel cursim liceret nobis huius prouinciæ sanctos ac monasteria circumire?

6. Item posteriori proximo capite 5. *Credebam nos vestræ beatitudinis visione non solum lætitia spiritali, sed etiam profectu abundè repletos ad nostrum Cœnobium recursuros, & ea quæ fuissemus vestro magisterio consecuti, à nobis post reditum vel tenui æmulatione sectanda, hoc enim & seniorum nostrorum dilectio sibi spondere nos compulit, dum sublimitatem vitæ vestræ atque doctrinæ posse vos aliquatenus imitari in illo Cœnobio crederemus. Vnde cum ex hoc nobis omnem æstimaremus lætitiam conferendam, intolerabili è contrario dolore conficimur, considerantes illo nos ordine id quod salutare nobis esse cognoscimus, obtinere non posse. Ex vtroque ergo nunc latere coarctamur. Si enim promissioni, quam coram cunctis fratribus in spelæo in quo Dominus noster ex aula vteri virginalis effulsit, ipso teste deprompsimus, satisfacere voluerimus; summum spiritalis vitæ detrimentum incurrimus; si autem sponsionis immemores, & in his regionibus residentes, vtilitati perfectionis nostræ illam voluerimus postponere pactionem, abrupta mendacij pericula formidamus. Sed ne hoc quidem æstus nostros possumus releuare consilio, vt postquam velocissimo reditu sponsionis fuerit impleta conditio, hæc denuo loca celeri petamus recursu. Nam quamuis ad profectum spiritalium rerum virtutémque tendentibus periculosa ac noxia sit etiam parua dilatio, tamen pollicitationem fidei nostræ quamuis moroso reditu solueremus, nisi nos non solùm charitate verùm etiam authoritate seniorum nostrorum sciremus inexolubiliter colligandos, ita vt remeandi ad hæc loca nobis potestas deinceps nullo modo tribuatur.*

7. Pridie quàm ab oppido discederet, perfunctus salutationum officiis, seorsim Abbatem & Cœnobij primarios quam submissimè orauit supplex, vt sibi benè precarentur, idque dum faciunt tanta significatione amoris & complexu inter se cohærent inuicem, vt eum plerique abundantibus lachrymis restarentur. Postera luce Ioppem versus stadiis vix quatuor aut quinque supra octo distantem, iter capessit domesticis nonnullis atque intimis familiaribus prosequentibus, & quod maius est Germano sibi vsu, consuetudine, officiis coniunctissimo viæ totius ac peregrinationis duce ac magistro. Vt cuius fidei virtuti ac singulari beneuolentiæ, longè plurimum tribuebat, quemque pro sacerdotij dignitate ac temporis antiquitate, loco patris agnosceret.

CAPVT XIX.

Hodæporicon & varia nauigationis periodi Thennesum vsque.

1. TArdi erant venti & omnis pigra velocitas. In ea tamen statione moram aliquam attulit, quod interdum vectores tempestatis causa nauigatione prohiberentur, qua tandem commutata & quamprimum bona & certa persolutisque Deo gratiis, cum nauis vela fecisset, magno labore multisque erepti periculis, per infesta & ventorum procellis & scopulis maria Gazam Palæstinæ, hospites peruenere, quam proximè anno salutis 362. & ante Cassiani aduentum 31. sub Iuliano Imperatore, Christianæ religionis nomine plurimorum nobilitarat martyrium. Cùm enim prius regnante Constantino, Christiani sacra Deorum profanassent, multaque simulachra confregissent, Gazenses Gentilissimo deditissimi Iuliano & Christiana fide deficiente, per occasionem seditionis inde captatam pellecti sunt, vt Christianos sibi aduersarios miserrime trucidarint. Idque eiusmodi eorum factum non solum laudasse Iulianum, sed & Gazæ Præfectum magistratu abdicasse tradit Sozomenus, quod cædis authores in vincula coniecisset, cùm Gazenses vt asserebat, iustam causam habuissent vlciscendi iniurias, quas iis sæpè ac Diis intulissent Galilæi (quo nomine Christianis illudebat) horribile verò fuit, quod additur à Theodoreto, eosdem Gazenses atque finitimos Ascalonitas, Presbyterorum ac Virginum sacrarum ventres dilaniasse ferarum instar & hordeo farcientes porcis deuorandos abiecisse. Natabant pauimenta & madebant parietes cruore quasi recentissimo Cyrilli Diaconi, quem mactasse crudelissime parum fuit conscceleratis & perfidis nisi etiam dissecto ventre iecur eius degustassent.

Sozomen. lib. 5. c. 8.

Theodoret. lib. 3. c. 46.

2. Ingressus vrbem Cassianus cuncta hæc Martyrum monumenta tanto ardore ac studiis circumiuit, vt nisi ad reliqua festinaret, ab ipsis non posset abduci, prostratúsque aut sacra reliquiarum fercula quasi triumphantes ipsos Martyres cerneret, suppliciter ac demissè venerabatur. Ad cellam quoque Hilarionis se contulit, quæ in septimo milliario à Maiuma, Gazæ emporio, per littus euntibus in Ægyptum, ad læuam flectitur, vbi à Gazensibus quæsitum ad necem in Siciliam profugisse, ibique ligna in desertis montibus collecta venditando victitasse idem Sozomenus testatur paululúmque substitit in eius Monasterio ad solum diruto à Gazensibus. Vix vnquam satis & huius infelicem euentum fortunámque miseratus, & virorum tot illustrium ac religiosorum cladem, quos amor sancti viri de toto illuc orbe conduxerat. Inde breui cursu Maiumam peruenit, Nauale seu portus Gazæ appellabatur olim, postea verò è Constantino dicta est Constantia, sed Iulianus Apostata in odium illius & nomine & prærogatiua iuris, eandem abdicauit, quæ per synodum deinceps in antiquum statum restituta est.

Sozomen. lib. 5. cap. 9.

3. Hinc

3. Hinc celeri cursu Palæstina derelicta Rhinocoluram delatus, stetit ad sepulchrum Melæ sanctissimi quondam Episcoporum, qui decem vel octo prope abhinc annis passus exilium, & alia grauia pro fide Catholica, ibidem in pace quieuerat. Scribit de eo Sozomenus & Cassiodorus qui certamen eius pro fide Catholica aduersus Valentem Imperatorem Arianum susceptum narrant.

Sozom. lib. 6. c. 31. Cassiod. lib. 8. c. 1.

4. Haud procul, per Ostracinæ oras transfretauit ad tumulum Pompeij, Casiotidi siue Cassio monti penè cohærens, vbi olim Iouis Casij templum sanè sanctum apud Ægyptios & religiosum visebatur. Post ad læuam transito Sirbonide lacu tandem emensa nauigatione, Thennesum egregiam Ægypti vrbem applicuit.

EX CHRONI. IBIDEM.

TEXTVS III.

ADueniente itaque Cassiano ad Thennesum Ægypti oppidum, clemens Diuinitas præstitit Beati Archebij Episcopi aduentum, qui cum sanctum Cassianum humanissimè suscepisset, ac eius desiderium agnouisset, ad tres Patres seniores Cheremonem videlicet, Nestorem, & Ioseph non longè à suo Monasterio distantes perduxit. In his autem Patribus antiquitas, corporibus iam curuatis demonstrabatur, & sanctitas tanta in Christo fulgebat aspectu, vt vel sola contemplatio eorum magnam intuentibus posset conferre doctrinam. A quibus adeo diligenter instructus est institutione Cœnobialis professionis & Anachoreticæ sublimitatis, atque inflammatus, vt non tam verbis quàm ipso vitæ exemplo, qualiter margaritam illam comparasset, demonstraret, &c.

CAPVT XX.

Conciliato Archebio Episcopo Pelusium traiicit, & inde Panephysim.

1. CAssianus mirè lætus se aliquando in portum à se totiestam vehementer optatum peruenisse, Deo & Archangelo Ægypti Præside, vt eius, de quo infra libro 2. cap.7. institutum ferebat, inuocatis, Archebium Panephysis Episcopum adit, qui tum fortè negotiorum causa Thennesi morabatur, eique comiter simul ac reuerenter salutato demonstrat, se bona cum superiorum suorum venia, nec sine cælesti aliquo mentis instinctu traiecisse in Ægyptum, vt Sanctorum, inquit plurimos, quorum gloriam fama per vniuersa diffuderat, si non æmulandi saltem agnoscendi studio inuiseret & sacra loca, eaque præsertim vestigia religiosè veneraretur, quibus impressis humum hanc Christus & præstantissimi Hebræorum Duces, & quasi signiferi nobilitarant.

2. Thennesus Bechriæ caput est, quam ex Ioanne Leone tertiam Ægypti Prouinciam definit Ortelius, vrbs in Africæ confinio fermè & è regione sinus Pelusiaci posita ab Ostrassimæ portu millia passuum circiter quadraginta, cuius accolæ, vt scribit Cassianus, coll.11. cap.1. ita vel mari vel stagnis salsis vndique circumluuntur, vt solis (quia terra deest) megotiationibus dediti, opes atque substantiam nauali commercio parent, ita vt ædificiis, cum voluerint extruendis terra non suppetat, nisi de longinquo nauigiis apportetur. Sunt etiam qui velint referente Strabone, hanc Ægypti partem priscorum temporibus fuisse mari submersam vsque ad paludes prope Pelusium, & ad Cassium montem ac Serbonidem; sed Nili beneficio sua inundatione limum continuò deferentis, fuisse opertam; istic enim sub arena salsa conchylia nonnulla passim adinueniuntur. Ex quibus constat nesciuisse Maginum cap.21. & alios, qui hoc oppidum cum Pelusio confundunt: sed etiam turpiùs lapsos esse illos, qui hanc sententiam Ortelio adscribunt, cùm manifestò compererit vtramque vrbem Bechricæ totius interpositu interiectuque à se inuicem dirimi.

3. Cæterum quàm citò & arctè animos conciliet vera humilitas non aliàs magis apparuit, quàm in eo, quod de eximio & singulari erga se Archebij studio memorat auctor Coll.11. cap.2. & 3. *Nam de Thenneso oppido*, inquit, *vbi cum aduenientibus nobis, fauens desideriis nostris diuinitas, Beatissimi atque præcipui viri Archebij Episcopi præstitisset aduentum, qui raptus de Anachoretarum cœtu, & Episcopus Panephysi datus, tanta districtione omni æuo suo propositum solitudinis custodiuit, vt nihil de præterita humilitatis tenore laxauerit, aut de adiecto sibi honore blanditus sit. Non enim tanquam idoneum se ad istud officium testabatur ascitum, sed velut indignum ab illa Anachoreseos disciplina querebatur expulsum, eò* quòd

quòd triginta septem annis in eadem commoratus, ad puritatem tantæ professionis nequaquàm peruenire potuisset: Hic igitur cum in supradicta Thennesi; quò enim eligendi illic Episcopi causa perduxerat, piè nos, atque humanissimè suscepisset, agnito desiderio nostro, quo sanctos patres etiam in vlterioribus Ægypti partibus inquirere desiderabamus: Venite, inquit, *& videte interim senes haud longè à nostro Monasterio consistentes, quorum ita, & antiquitas in corporibus iam curuatis, & sanctitas in ipso etiam fulget aspectu, vt vel sola contemplatio eorum magnam intuentibus possit conferre doctrinam, à quibus id, quod ego amissum doleo, quodque tradere iam perditum nequeo, non tam verbis, quàm ipso sancta vita discatis exemplo. Credo autem inopiam meam hoc studio aliquatenus subleuandam, si inquirentibus vobis illam Euangelicam margaritam, quam ipse non habeo, saltem prouidero, vbi eam commodiùs comparetis.*

4. *Sumpto itaque baculo & perâ, vt illic cinctis viam ingredientibus Monachis moris est, ad ciuitatem nos suam, id est, Panephysim itineris dux ipse perduxit. Cuius terras, imò etiam contigua regionis plurimam partem quondam opulentissimam (siquidem ex ea cuncta, vt fama est, regioni cibus administrabatur) repentino terremotu excussum mare transgressis limitibus occupauit, atque ita collapsis fermè omnibus vicis, opimas olim terras salsis paludibus supertexit, vt illud, quod in Psalmo spiritaliter decantatur: Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea: secundum literam de illa putent regione prædictum. In his igitur locis multa in hunc modum oppida eminentioribus tumulis collocata, fugatis habitatoribus eluuiis illa velut insulas fecit, quæ desideratam secedentibus sanctis solitudinem præbent, in quibus tres senes, id est, Cheremon, Nesteros & Ioseph Anachoretæ antiquissimi consistebant.* Cæteras eius laudes & viæ vitæque gradus persequitur. Et quoniam nos ad huiuscemodi narrationem diuertere, Patrum virtutes & gratia prouocarunt, necessarium reor memorabile opus charitatis, quam summi viri Archebij humanitate sumus experti, in hoc volumine commendare, quo puritas continentiæ operi charitatis inserta propensiùs enitescat pulchra varietate distincta. *Itaque cum de Palestinæ Monasteriis ad oppidum Ægypti, quod Diolcos appellatur, rudes admodum venissemus, ibique plurimam turbam Cœnobij disciplina constrictam, & optimo ordine Monachorum, qui etiam primus est, institutam mirificè videremus, alium quoque ordinem, qui excellentior habetur, id est, Anachoretarum, cunctorum preconiis instigati, sagacissimo corde videre properauimus.*

Cassian. lib. 5. Instit. c. 35.

5. *His igitur visis, cùm imitationis eorum nos ardor accenderet, prædictúsque Archebius probatissimus inter eos humanitatis gratia nos ad suam cellulam pertraxisset, explorato desiderio nostro, confinxit se de eodem loco velle discedere, ac nobis cellulam suam velut exinde migraturus offerre, sese id facturum, etiamsi minimè adfuissemus, affirmans. Quam rem nos & desiderio commorationis accensi, & assertionibus tanti viri indubitatam accommodantes fidem libenter amplexi, cellulam cum omni suppellectile, vtensilibusque suscepimus. Itaque religiosa potitus circumuentione, paucis diebus, quibus construenda*

construendæ cellæ pararet impendia, de loco discedens, reuersus post hac aliam sibi summo labore construxit. Quam rursum non longo pòst tempore aliis superuenientibus fratribus, eodemque desiderio cupientibus ibidem commorari, simili charitatis mendacio circumueniens, eum vniuersis tradidit instrumentis. Ipse verò erga opus charitatis infatigabilis perseuerans, tertiam sibi cellulam, in qua commaneret, extruxit.

6. *Operæpretium mihi videtur aliud quoque eiusdem viri charitatis opus memoriæ tradere, quo nostratum partium Monachi non solùm continentiæ rigorem, verùm etiam sincerissimum retinere dilectionis affectum, vnius, eiusdem viri instituantur exemplo, hic namque non ignobili oriundus familia, ad Monasterium, quod à prædicto oppido fermè quatuor millibus distat, mundi huius, ac parentum affectione contempta, à puerilibus annis aufugit. Vbi ita vita suæ omnem exegit ætatem, vt nunquam prorsus per totos quinquaginta annos non solùm vicum, ex quo egressus est, nec fuerit ingressus, nec viderit; sed nec cuiusquam quidem fœminæ, vel ipsius matris suæ conspexerit vultum. Interea pater morte præuentus, centum solidorum debitum reliquit. Cùmque hic esset omni inquietudine penitus alienus, vt pote qui vniuersis paternis facultatibus esset extorris, à creditoribus tamen inquietari vehementer comperit matrem. Tunc hic ab Euangelico illo rigore, quo ante hac in statu prospero parentibus constitutis, nec patrem in terra se notat habuisse, nec matrem, pietatis consideratione mollitus, ita se habere credidit matrem, eique subuenire festinauit oppressæ; vt nihil à propositâ districtione laxaret, intra Monasterij namque claustra perdurans, soliti operis pensum sibimet triplicari poposcit. Et ibi per totum anni spatium diebus pariter noctibúsque desudans, debiti modum operis sudore, partim creditoribus soluens, matrem omni inquietudinis iniuria liberauit; ita eruens eam debiti sarcinâ, vt nihil de propositi rigore piæ necessitatis obtentu pateretur imminui. Ita districtionem solitam custodiuit, vt nequaquàm pietatis opus maternis visceribus denegaret, quam pro Christi charitate prius despexerat, pro eius rursus pietate cognoscens.*

Palla. hist. Lausia. c.7. Heraclid. c.2. Paradisi Sozom. l.6. c.30. Nicepho. l.11. c.37.

7. De Arsisio, apud quem Palladius habitasse se dicit, & de eo, quod laudat Heraclides, quodque Sozomenus & Nicephorus huic adscribunt nostro Archebio, res videtur extra modum absurda. Nam ille fuit æqualis tempore magno Antonio, sedémque habuit in monte Netriæ: hic autem ætate longè inferior, habitandi locum circa Panephysium occupauit dîsiunctissimum, maximeque diuersum. Certiùs & constantius loquitur Petrus in Catalogo, & hunc eundem Archebium Pamphysiensem, non Archebium pamphilien em (vt deprauatè legunt) ex Anachoreta factum Episcopum commendat, eiusque vitam hoc compendio describit: *Archebius Episcopus Panephisiensis ex Anachoretica vita ad Episcopalem iam dictam sedem inuitè & renitenter assumptus est. Qui tamen in Episcopatu degens Eremi vitam non deseruit; quinimò ieiuniis & orationibus iugiter intentus curam pastoralem sedulo administrabat, & ad Eremum sibi dilectam sæpiùs accedens sanctos Anachoretas & patres frequentius persona & benedictionibus visitabat.*

Petrus Equili. in Cata'. c.58.

8. Tanti

8. Tanti ergo ducis viæ & magistri nixus præsidio, sed multo magis Dei quo in alias mox Ægypti oras aperiretur ianua, Pelusium primò traiecit & in ipsa florentissimæ ciuitatis luce peregrinationis suæ exequi munera instituit. Itaque & in templis, & in Cœnobiis frequenter agere, Xenodochiorum & literariæ Christianæ palæstræ limen terere, viros conuenire doctrina vel sanctitate conspicuos, de quibus audiuerat & legerat, acutissimè indagare, & odorari omnia, semper promptas habere aures rerum diuinarum colloquiis & disputationibus, vt ea studiorum assiduitate varietatéque munerum, multis esset & admirationis materia & sermonis. Neque enim tectorum frequentia, ciuium & incolarum multitudine, commercio, diuitiis, virtutúmque & religionis studio nostris Europæ præcipuis vrbibus concedebat Pelusij oppidum, quod etiam hodie famosum ad mare ibidem mediterraneum iacens, *Damiatam:* Geographi nouitij appellant: olim Æliopolis ab Ælio principe dictum, qui triplici muro illud cinxerat. Quia verò circum circa lacus, & maximas & continuas paludes habet, quas nonnulli *Bathra* vocant ab hoc luto & cœno murorum instar regionem ad stadia supra viginti ambiente, Pelusij appellationem consecutum est: Clauis Ægypti à Suida cognominatur, & Ptolemæi Geographi patriam nonnulli fuisse tradunt.

9. An verò id Pelusiotarum laudi vertatur, quod hæretici Orthodoxos Ægyptios vulgò *Pelusiotas* nuncuparenr tanquam Ecclesiæ defensores & acerrimos fidei propugnatores, quo tempore Origenistarum calliditate & calumniâ retrahebatur in odium, aut contemptum contra Catholicam de Resurrectione sententiam. Vnde Hieronymus ex lectione Marci Victorini *Pelusiotas nos appellant, & lutera, animalesque & carneos, quod non percipiamus ea, quæ sunt spiritus.* Eadem quoque ita rursum. *Hæ*, inquit, *sunt strophæ vestræ, atque præstigiæ, quibus nos Pelusiotas & iumenta & animales homines dicitis:* quidam pro terreno & hebete Pelusiotam interpretantur: sed alij legunt Pilosiotas quasi noua voce vellent hæretici sugillare, ac subsannare Catholicos, qui crederent mortuos resurrecturos etiam cum pilis, aliisque singulis corporis membris, cùm illi inter alios errores ab Origene susceptos corpora cum suis membris resurrectura negarent.

Hiero. Ep. 65.
Hiero. Ep. 61.

10. Hilarionis memor iam olim peregrinari tota hac regione, vt auctor est Hieronymus in eius vita, eumque vestigiis consecutus, non prætermisit vicinas solitudines obire & in loco qui dicitur Lychnos, fratres inuisere Pelusio post aliquot dies præfecturæ Metropolim, quam Ptolomæus ex vna parte mediterraneo, ex altera duobus Nili alueis Busiritico; & Bubastico circumscribit. Vbi Archebius cœnobium, ac diœcesim suam haberet; cuius tecto, ac sedibus benignè receptus Cassianus parere semper, magis quàm imperare assuetus, ita summissè ac prudenter se gessit, nihil vt secùs aggrederetur, quàm Episcopo visum foret.

CAPVT XXI.

Proficit colloquiis trium seniorum Chæremonis, Nesteretis, & Ioseph.

1. ITinerum peregrinationi, ac lustrationi Cœnobiorum quem modum statuerit Episcopus, docet author Collat. 11. cap. 4. & 5. *Itaque Beatus Archebius primum nos perducere ad Charemonem maluit, qui & Monasterio eius propior, & duobus aliis prouectior esset ætate. Nam cum centenarium vitæ annum spiritu tantum alacer excessisset, ita dorsum eius, temporis fuerat vetustate, atque orationum iugitate curuatum, vt quasi in primæuam redactus infantiam, submissus ac protentis terra tenus manibus progrederetur, huius igitur & vultum mirabilem, & incessum pariter intuentes (siquidem defectis, mortificatisque iam omnibus membris, nequaquàm censuram præteritæ districtionis amiserat) cùm sermonem, atque doctrinam suppliciter posceremus, ac desiderium tantùm spiritalium institutionum causam fuisse aduentus nostri protestaremur, grauiter ille suspirans: Quid vobis, ait, possum conferre doctrinæ, cùm imbecillitas senectutis, vt rigorem pristinum relaxauit, ita loquendi quoque ademit fiduciam? Quemadmodum enim docere præsumam, quod ipse non facio: aut alium in eo instruam, quod me iam minus vel tepidius exercere cognosco? Ob quam rem nullum iuniorem mihi in hunc vsque ætatem cohabitare permisi, ne exemplo meo alterius districtio laxaretur. Nunquàm enim erit efficax instituentis auctoritas: nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.*

2. *Ad hæc nos non mediocri confusione compuncti ita respondimus: licet sufficere nobis ad omnem instructionem debeat vel loci istius difficultas, vel ipsa etiam solitaria adhuc vita, quam iuuentus quoque robusta vix posset tolerare, quæ nos, etiam te tacente, satis abundéque instruunt, atque compungunt; rogamus tamen, vt taciturnitate paululum prætermissa, ea nobis potiùs dignanter infundas; per quæ hanc, quam videmus in te, virtutem non tam imitatione complecti quàm admiratione possimus. Nam etiamsi reuelatus tibi tepor noster impetrare id, quod expetimus, non meretur; debet hoc saltem labor tanti itineris obtinere, quòd huc de Bethlehemitici Cœnobij rudimentis, institutionis vestræ desiderio & profectus nostri amore properauimus.*

3. Tunc B. Chæremon ea omnia de perfectione, castitate & protectione Dei, quæ in collationibus sequuntur 11. 12. 13. minutatim, & copiosè recensuit; vnde haud magno negotio discerent iuniores nostri qua via ille; quibusve præsidiis ad tam excelsum sanctitatis gradum, qua item via eum imitari, ac semper magnis passibus de bono in melius, de virtute in maiorem perfectionem, quantum nimirum diuinæ opis subsidio humanæ conditioni liceret, aspirare possent. Palladij quidem elogium est in historia Lausiaca cui plurimi consentiunt veteres auctores, Chæremonem inter Cœnobiarchas primarium fuisse virum,

Eufeb. lib. 6. cap. 34.

Pallad. c. 92.

virum, atque assiduitatis & operarum quotidianarum ita studiosum, vt nihil intermitteret. Accidit enim illis diebus, vt Chæremon exercitator sedens decederet, & inueniretur mortuus sedens in cathedra, & tenens opus in manibus. Eius memoriæ S. Gregorius Papa deinceps consultum voluit, quantum nomen eius referretur in sacra dipthyca, seu tabulas Ecclesiasticas, in quibus nomina sanctorum Monachorum & Eremitarum describi solerent, & inter supplicationum solemnia implorari. S. Paphnuti ora pro nobis, Sancte Serene ora pro nobis, Sancte Nesteros ora pro nobis, S. Chæremon ora pro nobis,& docet Arnoldus Vuion lib.5. ligni vitæ. Alterum credimus hunc Chæremonem ab illo Scythico Chæremone, seu Theremone, vt aliis placet, de quo Equilinus refert, quod vel temporis annosa canitie, vel iugi orationis detentione sic dorsa curuarat, vt eum summissis ad terram manibus velut infans trahi necesse foret. Plenus meritis excessit è viuis centenario maior, circa annum salutis à Christo 386. longum esset, & non necessarium commemorare, quæ de his Dionysius scribit apud Eusebium, qui tuendæ Catholicæ fidei causa, sæuiente Decij persecutione in Ægypto cæsi sunt. *Quorum*, inquit, *electiones beatæ & eximiæ victoriæ, quamquam testes sunt hi, quibus adhuc ex illo numero vita suppeditat; tamen vnum aliquod facinus proferam, quo res istæ sint exploratius cognitæ, perspectæque. Chæremon Episcopus Ciuitatis, quæ Nilus dicitur, cum iam planè grandis esset, & ætate prope exacta vna cum vxore sua ad montem Arabiæ confugiens neque post reuersus est, neque vsquàm eos quispiam videre potuit. Et licet fratres iam aliquoties eum cum vxore quærerent; tamen neque ipsos, neque corpora eorum vspiam reperire potuerunt. Permulti certè in eo Arabico monte erant à Barbaris Sarracenis facti captiui, quorum alij ægrè quidem & vix ingenti pecuniæ summa redimi poterant; alij hactenus nullo modo.* Tabulis Ecclesiasticis nomina eorum habentur incisa 22. Decemb. In Ægypto SS. Chæremonis Episcopi Nilopolis, & aliorum plurimorum Martyrum quorum alij sæuiente Decij prosecutione fuga dispersi in solitudinibus errantes à bestiis interempti sunt; alij fame, frigore, ac langore consumpti; alij à Barbaris & latronibus necati, Martyrij gloria coronati sunt. Beda, Ado, & alij de iisdem hac die.

Equilinus lib.11. c.57.

4. Actis perfectisque rebus ex sententia, vt primùm Archebius potestatem fecit, qui & ipse omnium hactenus itinerum, nauigationum tum etiam laborum socium atque comitem se adiunxerat, ex Chæremone ad vicinam & finitimam Nesterotis Eremum concessere, cum quo duas habuisse collationes eruditas, & doctrina excultas; vnam de spiritali scientia, de charismatibus diuinis alteram, refert Auctor præfatus in Præfatione Coll. 11. *Nunc etiam vt itineris nostri ratio, & ordo cognoscatur, trium in alia Eremo consistentium, quos primos vidimus, Patrum septem collationes, pari conscriptas stylo, vobis credidi consecrandas, quibus ea, quæ de perfectione in præteritis nostris opusculis obscurius forsitam comprehensa, vel prætermissa sunt, suppleantur.*

5. Tum Coll. 14. cap. 1. pensionis nostræ & itineris ordo compellit,

vt Abbatis Nesterotis præclari in omnibus summæque scientiæ viri institutio subsequatur. Qui cùm sacrarum scripturarum nos aliqua memoriæ commendasse, & eorum intelligentiam desiderare sensisset, talibus nos adorsus est verbis. Multa quidem, &c. Qui vir & quantus iste colligitur ex historia de vitis Patrum. Abbas Nesteros maior ambulabat in Eremo cum aliquo fratre, & videntes draconem fugerunt, & dicit ei frater ille: Et tu pater times? respondens senex, dixit non timeo, fili idcirco; sed expedit: idcirco enim draconem fugi, quoniam habui effugere spiritum variæ gloriæ. Mox cap. 15. Interrogauit Abbas Pastor, fratrem Nesteronem, dicens: Abba Nesteron, quomodo acquisisti virtutem hanc, vt quando emergit tribulatio aliqua in Monasterio, non loquaris neque te medium facias? ille autem nihil loquebatur, & cum multum rogaretur à sene, dicit ei: Ignosce mihi, Abba, quia quando intraui initio in Congregationem, dixi animo meo, Tu & asinus vnum estote. Sicut ergo asinus vapulat & non loquitur; iniuriam patitur, & non respondet: sic & tu, quemadmodum in Psalmo legitur: *vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Fertur etiam interrogatus à fratre, quæ res sic bona esset quam faceret & viueret in ea, respondisse, Deus solus scit quod bonum est; sed tamen audiui, quia interrogauit vnus Patrum Abbatem Nisteronem magnum, qui erat amicus Abbatis Antonij, & dixit ei: quod opus est bonum vt faciam? & ille respondit ei: non sunt omnia opera æqualia: Scriptura dicit, quia Abraham hospitalis fuit, & Deus erat cum eo, & Elias diligebat quietem, & Deus erat cum eo: Et Dauid humilis erat, & Deus erat cum ipso, quod ergo vides secundum Deum velle animam tuam hoc fac & custodi cor tuum.

Lib. 4. c. 8.

Mox c. 15.

Lib. 5. de vitis PP. Libel. 1. num. 11.

6. Sed vt extremum haberet aliquid iam diuturna colloquutio & vt ipse ante dicendi finem faceret, quàm nos definiti temporis productione longius audiendi, Orationem, inquit, de vera charismatum operatione consummans nos ad cellam senis. Ioseph, quæ sex ferme millibus ab ipso erat properantes doctrinæ suæ institutione prosequutus est.

7. Thmuis Mendesij, Noui seu præfecturæ Metropolis ad longitudinem duorum & sexaginta graduum, ad altitudinem triginta, medio pene spatio panephysin inter & Busiridis fines sita est; plana admodum Regio, Nili incrementis ita redundans, vt interdum, cubitorum quatuordecim aut quindecim altitudinem aqua superet, nec tamen insalubris. Agri opimi, & grata amœnitate delectabilis, frondosæ syluæ, foliis nunquam deciduis perpetuò vernant, & vastis aquarum lacunis vnde amnes effluunt, irriguæ; Nam propè Mendetem est Diospolis & lacus ei proximi & Leontopolis, ex quibus licet vapores ascendant, cæli salubritati infesti; maximam tamen temporis partem leues ventorum flatus exurgunt, qui sub cadentes soles, in multam vsque noctem spirantes omnem cæli discutiunt grauitatem. Armenta præterea boum caprarumque tanto numero fœtificant vt vix facilè in aliis Ægypti partibus, ac ne in nostro quidem orbe parem fælicitatem reperias. Quamquam hæc tanta cœli ac terrarum commoda, haud disparibus

disparibus incommodis compensantur. Nam ibi colebant Ægyptij olim Pana & Hircum animal, ac nulla humanæ naturæ verecundia, bestiarum more, vt Pindalus ait apud Strabonem, hirci cum mulieribus coibant. Deinde hominum ingenia hebetia & inhumana. Author est Eratostenes in finitima Busiritica præfectura, communem barbaris omnibus consuetudinem fuisse vt hospites pellerent, quod de Busiride fabulis locum dedit, volentibus posteris loci huius inhospitalitatem calumniari, cum certò nullus Busiris nec Rex fuerit nec tyrannus. Sed etiam illud per multum ad hoc facit, quod locus est importuosus & quamuis portum habeat, is tamen, qui Pharo proximus est nequaquam patet. Sed à bubulcis custoditur hominibus prædatoriis, qui applicantes quoscunque adoriantur.

Strabo lib. 17.

8. Lustrarunt ea loca & Christianam religionem induxerunt in gentem, illi præ cæteris egregiè admirabiles, quos laudat exquisitissimis verbis Eusebius; Philoromus, vir Magistratum non illum quidem vulgarem adeptus, sed ad Imperatoris negotia Alexandriæ delectus & Philæas Thmuites Ecclesiæ Episcopus vir planè cum in ciuilibus patriæ institutis, & Ecclesiæ ministeriis valde præstabilis; tum Philosophiæ disciplinis eximius. Isti duo, cùm permulti & cognati & alij amici eos obsecrassent: cum præterea viri primarij qui cum imperio erant orassent; cùm ipse Iudex denique hortatus esset vt sui ipsorum caperent misericordiam liberorumque & vxorum curam ducerent, nequaquam huiusmodi virorum precibus adduci poterant, vt vitæ cupiditate, aliqua ex parte delectarentur, & diuinas leges de confessione & negatione Seruatoris nostri penitùs contemnerent: sed virili animo & mente digna Philosophis, imo vero pia & digna Deo, contra omnes iudicis minas, contra contumelias fortiter se opponentes ambo capitibus abscissis abierunt è vita, anno Christi 284. Diocletiani Imperatoris persecutionis primo, vt idem Eusebius testatur. Lege si allubet ibidem Epistolam eiusdem Philææ Episcopi ad Thmuitas, in qua partim se ipsum, quinam tandem fuerit ante oculos cuiusque proponit, partim martyria, quæ eius ætate Alexandriæ contigerint accuratè describit. Hieronymus in Catalogo. *Philaas de vrbe Ægypti quæ vocatur Thmuis nobili genere & non paruis opibus, suscepto episcopatu, & elegantissimum librum de Martyrum laude composuit, & disputatione actorum habita aduersum iudicem, qui eum sacrificare cogebat pro Christo capite truncatur eodem in Ægypto persecutionis authore quo Lucianus Nicomediæ.* Inter cæteros autem celebriores Episcopos qui Sardicensi Synodo interfuerunt commemoratur Serapion insignis ille Thmuis Episcopus vt appellat Baronius, qui ob elegantiam ingenij cognomen scholastici meruit, teste Hieronymo in Catalogo. Charus magno Antonio, hic enim moriens exuuias suas ita legauit, vt Athanasio redderetur melotes, ac pallium tritum, cui ipse Antonius superiaceret, quod ei nouum olim Athanasius detulerat: Serapioni vero huic nostro alia melotes traderetur, ipsique charissimi eiusdem Antonij discipuli vestimentum cilicinum sibi haberent. Edidit:

Eusebius l. 8. cap. 10.

Eusebius l. 8. cap. 10.

Baro. an. 347.

aduersus Manichæum egregium librum, & de Psalmorum titulis alium, & ad diuersos vtiles Epistolas, & sub Constantio Principe etiam in Confessione contra Arrianos inclytus fuit. Sed & primum de Macedoniana hæresi cum certiorem fecisset Athanasium adhuc in Eremo latentem, mox Athanasius egregiam ad illum reddidit Epistolam de Spiritu sancto qua primus omnium iacula intorsit, in huiusmodi monstrum, vt quem acerrimum diuinitatis Filij vindicem Spiritus sanctus constituerat, idem quoque eiusdem Spiritus esset vnius cum Patre & Filio substantiæ defensor.

Baro. an. 519. 9. Alium quendam Thmueos Episcopum Paternum nomine annumerat Baronius ex Epistola S. Germani Episcopi Capuani ad Hormisdam Papam, in qua hæc leguntur de Monachis Scethi seu Scythiæ tumultuantibus. Isti de sua Prouincia Episcopos accusant, inter quos est Paternus Thmuitanæ (non Tomitanæ vt deprauatè legitur) ciuitatis Antistes, petitiones obtulerunt & coacti piissimi Principis & Domini Vitaliani Magistri militum iussione frequenter ad audientiam causæ conuenimus.

Hieron. lib. 1. in Iouin. & in Isai. c. 46. 10. Ab hirco verò sic dictam vrbem tradit Hieronymus verbis supra citatis, & alij. Pleraque oppida apud Ægyptios ex belluis & iumentis habent nomina Κυνῶν à cane, Λεόντων à Leone, Θμοῦις lingua Ægyptia ab hirco, Λυκῶν à lupo. Finitima & propinqua est Tanis vrbium maxima, Taniticum ostium quod nonnulli Saiticum vocant, Metropolis & Regia quondam Pharaonum, vbi Moses cum Pharaone Armenophi, vt aiunt, disceptarit, decemque plagas ei & Ægypto inflixerit Psalm. 77. *Fecit*, inquit, *mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.* Et infra. *Sicut posuit in Ægypto signa sua, signa & prodigia sua in Campo Taneos*, ad hanc cæso Godolia profugerunt Iudæi cum Ieremia Propheta, ibique Ieremias à Iudæis quorum idololatriam corripiebat lapidatus est.

Coll. 14. c. 4. 11. Varia (vt reliqua ferme in Ægypto) apud ipsam Monachorum genera, sed Abbas Ioannes, qui inter eos nominatur ab Authore nostro, reliquis honore præstabat, insturioni fratrum ac peruigili Cœnobiorum curæ apprimè deditus. *Vt nuper*, inquit, *Abbatem Ioannem qui in vicinia ciuitatis, cui nomen Thmuis, grandi Cœnobio præfuit, ac nonnullos eiusdem meriti viros Apostolicis etiam signis claruisse meminimus.* Sequebatur Beatus Ioseph, in honore proximus, & scriptionis nostræ argumentum,

Coll. 16. c. 1. de quo Author. *Beatus Ioseph cuius nunc instituta ac præcepta pandenda sunt vnus ex tribus quorum in prima Collatione fecimus mentionem, claræ admodum familiæ, ac primarius ciuitatis suæ inter Ægyptum fuit, quæ appellatur Thmuis, & ita non solum Ægyptia sed etiam Græca facundia diligenter edoctus, vt vel nobis, vel iis qui eloquentiam penitus ignorabant, non vt cæteri per interpretem, sed per semetipsum elegantissimè disputaret. Qui cùm institutionem suam nos desiderare sensisset, percunctatus primùm vtrumnam essemus germani fratres audiénsque à nobis quod non carnali sed spiritali essemus fraternitate deuincti, nosque ab exordio renunciationis nostræ tam in peregrinatione, quæ ab vtroque nostrum fuerat obtentu militiæ spiritalis arrepta,*

repta, quàm in Cœnobij studio indiuidua semper coniunctione sociatos, tali vsus est sermonis exordio. Tum amicitiarum & sodalitatis varia genera partitur cap. 2. & sequentibus. Collatione demum finita pariterque nocturno intercedente silentio, cum fuissemus, inquit, à sancto Abbate Ioseph ad sepositam cellulam in secreto causa quietis adducti, & sermonibus eius igne quodam in nostris cordibus excitato totam noctem habuissemus insomnem, egressi cellulam, & centum ferè ab ea passibus secedentes in loco remotiore consedimus.

EX CHRONI. IBIDEM.

TEXTVS IV.

POst horum itaque trium seniorum conspectum & colloquium, sanctus cum etiam vlteriores Ægypti partes maiori flagrantia desideraret expetere in quibus amplior atque perfectior Sanctorum numerus consistebat, ad Diolcum tandem iuxta Nilum flumen peruenit. Vbi ergo plurimam turbam Cœnobij disciplina constrictam & ordine Monachorum optimo qui primus est, institutam mirificè vidisset, alium quoque ordinem excellentiorem Anachoretarum videlicet, sagacissimo corde videre præparauit, &c.

CAPVT XXII.

Diolcos adit ad visendos salutandósque Piammonem, Paulum & Ioannem Abbates.

1. AD hunc modum eodemque tenore, ætatis anni secundus, tertius, quartus supra trigesimum acti, nec fermè aliter quintus, & sextus, nisi quod per ineuntem Ianuarium altera suscepta missione, vt adiret ad visendum salutandúmque Abbatem Piammonem, Diolcon migrauit.

2. Sunt in honore atque intra decursum Nili, ostia celeberrima septem, superque quatuor, quæ ipsi *Pseudostoma* seu falsa ora appellant, habentia

habentia quidem ingressus non tamen aptos magnis nauigiis, sed scaphis, propterea quod breuia ac paludes loca obtineant. Sed inter hæc præcipuè ostiolo vtebantur tanquam emporio, ad transuehendas naues *Στολκὰς* dictas, teste Nicephoro. Vnde nomen insulæ, eiusque oppido seu vico primario positum *Diolcos*. Initium capit à Septentrione duobus & sexaginta supra Æquatorem gradibus tenditque ab occasu ad ortum ad vnum & triginta. Anni tempora grauissima, & calores maximi, solumque tam exile & macrum est, vt iamdudum constet non fictè & fallaciter, sed verè sapientérque dixisse Geographos, qui mediam hanc regionem solis accessu & maris alluuionibus salsis exustam, pene hominum vsui à natura negatam prodiderunt. Libet id sponsore Cassiano planum facere, eiusque codicem testis loco recitare. Nam de Eremo quæ est in Diolco, & in qua Anachoretæ commorabantur: *Cum*, inquit, *de Palestina Monasteriis, ad oppidum Ægypti quod Diolcos appellatur, rudes adhuc venissemus ibique plurimam turbam Cœnobij disciplina constrictam & optimo ordine Monachorum, qui etiam primus est, institutam mirificè videremus; alium quoque ordinem qui excellentior habetur, id est Anachoretarum, cunctorum præconiis instigati, sagacissimo corde videre properauimus, hi nanque in Cœnobiis primum diutissimè commorantes, omni patientia ac discretionis regula diligenter edocti, & humilitatis pariter ac nuditatis virtute possessa, atque ad purum vitiorum vniuersitate consumpta, dirissimis dæmonum præliis congressuri penetrant eremi profunda secreta, huius igitur propositi viros comperientes, circa Nili fluminis alueum commorari, in loco qui vno latere eodem flumine, alio maris vastitate circumdatus, insulam reddit, nullis aliis quam Monachis secreta expetentibus habitabilem. Nec enim cuique cultura aptam esse eam salsitas soli ac sterilitas patitur arenarum: Ad hos inquam summo desiderio festinantes, vltra modum sumus labores eorum, quos contemplatione virtutum & amore solitudinis tolerant, admirati. Nam ipsius aquæ tanta penuria constringuntur, vt tali eam diligentia scrupuloque dispensent, quasi nemo frugalissimorum speciem pretiosissimi vini conseruat & parcit. Tribus namque millibus vel eo amplius eam de prædicti fluminis alueo necessariis vsibus aduehunt. Quod tantum interuallum arenosis diuisum montibus, laboris difficultate grauissima duplicatur.*

Niceph. l. 11. cap 35. — Lib. 5. Instit. cap. 36.

3. Dabit Nicephorus viros dignos memoria, clarissimos Anachoretas qui hac in patria sanctissimè vixerint. *Circa angustias verò terræ (quæ in Ægypto sunt à transuehendis nauibus Στολκὸς dicta) Piammon & Ioannes maximè clari & multorum fratrum duces fuere, cum sanctitate & cura multa. Vterque autem Presbyter fuit. Porro Piammon in mysterio vidisse dicitur Angelum cælestem, cum sacra stola ad diuinam mensam assistentem, præsentésque monachos in libro quodam annotantem; Eos verò qui à synaxi, & communione abessent, delentem. Ioannem vero Deus ita miraculis multis exornauit vt ægritudines multas sanaret & ex pedibus, atque etiam ex articulis conuulsis & solutis laborantes curaret.* His similia ex Soxomeno, quòd ad hæc capita reuocari queant, minimè iteranda duco. Addit

Niceph. l. 11. cap. 35. — Sozo. lib. 6. cap. 29.

Addit Ruffinus apud Rosuueydum, Piammonem etiam quodam tempore ita à dæmonibus verberatum, vt stare aut moueri omnino loco non posset. Et cum dies adesset Dominica, & res posceret offerri sacrificium, iussit se fratrum manibus ad altare portari. Vbi cum in oratione iacuisset, astantem continuò vidit Angelum Domini, qui astare solebat altari, & porrigentem sibi manum atque eleuantem se de terra, statim dolor omnis ita ab eo discessit, vt solito sanior redderetur.

Rosuu. lib. 2. cap. 32.

4. Hæc igitur peregrinatio quam fœliciter Cassiano nostro processerit, ne consilia euentis ponderemus, ipse sui ipsius in ea re locuples testis accedat. *Post conspectum atque colloquium trium illorum senum quorum collationes Sancto fratre nostro Eucherio compellente, vtcumque digessimus, cum etiam vlterioris AEgypti partes, in quibus amplior atque perfectior Sanctorum numerus consistebat, maiore flagrantia desideraremus expetere, ad vicum, cui nomen est Diolcos, vni ex septem Nili fluminis ostiis imminentem, non tam itineris necessitate, quàm desiderio Sanctorum illic commorantium compellente, peruenimus. Cum enim velut cupidissimi mercatores, plurima illic celeberrimaque cœnobia ab antiquis audiuissemus Patribus instituta, continuo quasi nauigationem inquisitionis incertæ, spe maioris lucri persuadente suscepimus. Vbi cum diutissimè fluctuantes, ad illos virtutum sublimitate conspicuos montes, vndique curiosos oculos tenderemus, Abbatem Piammonem omnium Anachoretarum illic inhabitantium seniorem, eorumdémque Presbyterum, velut quandam sublimissimam Pharum, id est, signum, primus circumspectantium notauit intuitus. Hic etenim sicut Euangelica illa ciuitas in excelsi montis vertice constituta, nostro protinus refulsit aspectui. Cuius virtutes atque mirabilia, quæ per eum etiam sub conspectu nostro, diuina gratia testimonium meritis eius reddente, perfecta sunt, ne vel propositi nostri formam, vel modum huius voluminis excedamus, prætermittenda credimus. Non enim de mirabilibus Dei, sed de institutis studiisque Sanctorum quædam quæ reminisci possibile est nos spopondimus memoriæ tradituros, vt necessariam tantam perfectæ vitæ instructionem non inutilem absque vlla emendatione vitiorum, ac superuacaneam admirationem legentibus præberemus. Cum itaque Beatus Piammon summa nos gratulatione susceptos, humanitate etiam congrua refecisset, intelligens nos non eiusdem esse regionis; primum vnde? vel cur AEgyptum petissemus sollicite percunctatus, ac de cœnobio Syriæ ob desiderium perfectionis nos illò aduenisse cognoscens, ita exorsus est.*

Collat. 18. c. 1. & sequent.

5. *Quisquis hominum, ô filij, cuiuslibet artis peritiam assequi concupiscit, nisi omni cura atque vigilantia eius se quam nosse desiderat, disciplinæ studiis manciparit, ac perfectissimorum quorumque opificij ipsius vel scientiæ magistrorum præcepta atque instituta seruauerit, frustra inanibus notis eorum similitudinem exoptat attingere, quorum curam atque industriam detrectat æmulari. Nouimus enim nonnullos ita ad hæc loca de vestris regionibus aduenisse, vt cognoscendi, tantummodo gratia, fratrum monasteria circumirent, non vt has regulas, ob quas huc commeauerant, atque instituta susciperent; sed vt secedentes in cellulas, conarentur ea, quæ vel visu vel traditione*

Ibid. cap. 2.

perceperant, operibus experiri. Qui mores suos ac studia, quibus imbuti fuerant, retentantes, vt eis exprobrari à nonnullis solet, non profectus sui gratia, sed vitandæ egestatis necessitate existimati sunt prouincias commutasse. Non solùm enim nihil eruditionis acquirere, sed ne diutius quidem in his partibus commorari, pertinacis animi obstinatione potuerunt. Cum enim nec ieiuniorum morem, neque psalmorum ordinem, nec ipsorum denique indumentorum habitum permutassent, quid aliud in hac regione sectari, quàm sola victus sui compendia crederentur?

Ibid. cap. 3.

6. *Quamobrem si vos quemadmodum credimus, Dei causa ad æmulationem nostræ agnitionis attraxit, omnibus institutis quibus illic primordia vestra preuenta sunt, penitùs abdicatis, quæcumque seniores nostros agere vel tradere videritis, summa humilitate sectamini. Neque vos moueat aut ab imitatione retrahat ac diuertat, etiam si vobis ad præsens alicuius rei vel facti ratio vel causa liqueat, quia eos qui bene de cunctis ac simpliciter sentiunt, & vniuersa, quæ à senioribus tradi gerive perspexerint, fideliter imitari magis quam discutere student, per operis experientiam, etiam rerum omnium scientia subsequitur. Ceterùm nunquam rationem veritatis intrabit, quisquis à discussione cœperit erudiri, quia videns eum inimicus suo potius quam patrum iudicio confidentem, facile in id vsque propellet, vt etiam illa quæ maximè vtilia atque saluberrima, superflua ei videantur & noxia. Atque ita præsumptioni eius callidus hostis illudat, vt irrationabilibus definitionibus suis pertinaciter inhærendo, hoc solummodo sibi Sanctum esse persuadeat, quod rectum atque iustissimum sua tantum obstinationis errore censuerit.*

7. Disputatione demum in longius ducta, de tribus generibus Monachorum quæ intra Ægyptum sunt, Beatus Piammon. Desiderium, inquit, nostrum quo de primis Cœnobij scholis ad secundum Anachoreseos gradum tendere cœperamus, ardentius inflammauit. Nam primordia solitariæ commorationis, cuius scientiam postea sumus in Scyti pleniùs assequuti, ipso primùm imbuente percepimus.

Collat. 19. c. 1. 2. 3. 4. Collat. 7. c. 26.

8. Post dies admodum paucos maioris doctrinæ desiderio pertrahente rursus ad Abbatis Pauli Cœnobium cum quo iam Panephysi longo interuallo versatus fuerat vt ait ipse Coll. 7. & nos infra; *Summa spiritus alacritate perreximus, vbi licet plusquam ducentorum fratrum numerus moraretur; in honore, tamen solemnitatis, quæ id temporis agebatur, infinita quoque de aliis Cœnobiis Monachorum turba confluxerat. Nam prioris Abbatis qui eidem Cœnobio præfuerat, anniuersaria depositio, solemniter curabatur. Cuius conuentus idcirco facimus mentionem, vt patientiam cuiusdam fratris, quæ sub præsentia totius Congregationis huius immobili eius claruit lenitate, breuiter perstringamus. Nam licet aliò huius operis tendat intentio, vt scilicet Abbatis Ioannis, qui derelicta eremo illi se Cœnobio summa humilitatis virtute subdiderat, proferamus eloquia, nequaquam tamen putamus absurdum, si absque vlla circuitione verborum, magna vt credimus studiosis quibusque virtutum, ædificatio conferatur. In ingenti itaque atrio subdiuali illa Monachorum multitudine per duodenarium numerum distinctis orbibus*

orbibus considente, cùm quidam fratrum susceptum ferculum paulo tardius intulisset, sub occasione istius tarditatis prædictus Abbas Paulus, qui inter turbas ministrantium fratrum sollicitè discurrebat, exerta manu palma eum sub omnium percussit intuitu, ita vt sonitus etiam aduersorum vel longius considentium auribus resultaret. Hoc autem idcirco ab eo factum est, vt cunctis qui aderant, iuuenis patientiam patefaceret, & omnes, qui interfuissent tali spectaculo modestiæ erudirentur exemplo. Quàm maturo autem id senior fecerit consilio, res probauit. Nam memorabilis patientiæ iuuenis, tanta id animi lenitate suscepit, vt non modo nullus fuerit, ex eius ore sermo prolapsus, vel tenuissimum murmur tacita labiorum agitatione signatum, sed ne ipsa quidem oris modestia atque tranquillitas, aut color saltem quamtulumcumque mutatus. Quod factum non solum nobis qui nuper de Syria Monasterio venientes, patientiæ huius non tam euidentibus perspexeramus exemplis, sed etiam cunctis qui experti talium non erant studiorum, ita mirum fuit, vt etiam summis viris, præcipua per hoc factum conferretur instructio, quod scilicet etiam si patientiam eius correptio paterna non mouerat, ne spectaculum quidem tantæ multitudinis vllo vultum eius ruboris tinxisset indicio.

9. *In hoc itaque cœnobio reperimus antiquissimum senem nomine Ioannem, cuius verba pariter & humilitatem, qua sanctis omnibus præeminebat, nequaquam silentio prætereunda censuimus, scientes, eum hac maximè perfectione viguisse, quæ cùm sit virtutum omnium mater ac totius spiritalis structuræ fundamentum solidissimum, à nostris penitùs exulat institutis. Vnde non mirum est nec ad illorum sublimitatem nos posse conscendere, qui non dicam vsque ad senectam sub cœnobij permanere non possumus disciplina; sed vix biennio subiectionis iugum ferre contenti, ad præsumptionem noxiæ libertatis protinus euolamus, cùm tamen ipso illo paruo tempore non secundum illam districtionis regulam, sed pro nostri arbitrij libertate, vtcumque senioris subiiciamur imperio, vt non patientiæ fructum ediscere, sed tempus adipiscendæ licentiæ expectare videamur. Hunc igitur senem, cùm in Abbatis Pauli cœnobio vidissemus, vt nobis pandere dignaretur, quam ob causam relicta Eremi libertate, & illa professione sublimi, qua eum præ cæteris eiusdem vitæ viris fama celebrauerat, subire iugum cœnobij maluisset. Ille velut imparem se Anachoreticæ disciplinæ, & sublimitate tantæ perfectionis indignum, ad iuniorum scholas reuertisse dicebat; si tamen vel ipsorum instituta secundum professionis meritum posset implere. Cuius responsionis humilitatem cùm refragatio nostra deprecationis excluderet ad extremum ita exorsus est.* Ibid. c.2.

10. *Anachoreticam disciplinam quam me deseruisse miramini, non solùm respuo nec refuto, sed tota potius veneratione complector, atque suscipio. In qua post triginta annos quos in cœnobij Congregatione transegeram, ita alios viginti explesse me gaudeo, vt inter illos qui eam vel mediocriter appetebant, non vsquequaque segnitiæ denotarer. Sed quia degustata eius puritas, sollicitudine interdum carnalium rerum interpolata sordebat, recurrere ad cœnobium commodius visum est, vt & promptior arrepti planioris propositi consummatio sequeretur, & minus de præsumpta sublimioris pro-* Ibid. cap.3.

fessionis difficultate periculum. Melius enim est deuotum in minoribus, quam indeuotum in maioribus promissionibus inueniri. Et idcirco si quid elatius imo liberius fortasse protulero, quæso, vt non iactantiæ vitio sed ædificationis vestræ depromptum studio censeatis, quia nobis tam studiosè quærentibus, nihil de veritate existimo subtrahendum. Arbitror enim instructionis nobis aliquid conferri, si paulisper humilitate seposita, simpliciter omnem propositi mei patefecero veritatem. Confido enim, quia nec apud vos de libertate dictorum Cenodoxiæ notam, neque apud conscientiam meam de suppressione veritatis quoddam mendacij crimen incurram.

11. Mitto commoda Eremi, prætereo vtilitatem Cœnobij, de quibus video esse sermonem Panephysi habitum inter ipsos Collatione 19. cap. 16. Atque hunc inquit dicendi sibi modum fecit Abbas Ioannes vt cum horæ nonæ refectionem imminere sensisset, Collationem fine concluserit.

CAPVT XXIII.

Pinufium conuenit, ac deinceps ad Theonam & Abrahamum profectione adornata Thebaidem petit.

1. DE commoratione verò eius in Cœnobio Abbatis Pynufij, sic mox subdit Collatione 20. capite 1. & sequentibus. *Præclari singularis viri Pynufij, de fine pœnitentiæ præcepta dicturus, magnam materiæ partem mihi videor amputare, si humilitatis eius laudem, quam in quarto institutionum libro, qui est super instituendis renunciantibus titulatus, breui sermone perstrinxi, lectoris fastidio consulens, hic silentio prætermittam, cùm præsertim multi illius opusculi notitiam non habentes in hanc possent incurrere lectionem, & omnis dictorum vacillet authoritas, si dicentis meritum subtrahatur. Hic siquidem cum haud longè à Panephysi Ægyptia, vt illic dictum est, ciuitate, Abbas & presbyter, ingenti Cœnobio præsideret, tantùmque eum in omni illa Prouincia virtutum suarum atque signorum gloria sublimasset, vt sibi iam videretur retributione laudis humanæ laborum suorum recepisse mercedem, timens ne sibi specialiter inuisa popularis fauoris inanitas, fructum præmij vacuaret æterni, occultè Monasterium suum fugiens, ad intima Tabennensium Monachorum secreta contendit, vbi non Eremi solitudinem, non singularis vitæ libertatem, quam etiam imperfecti quique, laborem obedientiæ in Cœnobiis non ferentes, superba nonnunquam præsumptione sectantur; sed celeberrimo praelegit Monasterio subiugari. Vbi tamen ne vllo habitus sui proderetur indicio, indutus veste sæculari, multis, vt illic moris est, diebus lachrymans pro foribus excubauit, atque ad omnium genua prouolutus, post eorum diuturna fastidia, qui ad explorandum eius desiderium in vltima eum tam ætate, velut panis egestate compulsum, non sincerè illius propositi sanctitatem expetisse dicebant, tandem vt susciperetur obtinuit. Vbi adolescenti cuidam fratri, qui hortum susceperat excolendum,*

excolendum, in adminiculum deputatus, cùm non solùm omnia, quæ idem præpositus imperasset, vel quæ iniuncti operis cura poscebat, cùm admiratione tam sanctæ humilitatis impleret, verùm etiam quædam necessaria opera, quæ propter horrorem sui à cæteris vitabantur, ita furtiuo per noctem labore perficeret, vt diluculo omnis Congregatio tam vilium operum admirans ignoraret authorem. Cúmque ita triennium fermè illic gaudens, desideratis tam iniuriosæ subiectionis laboribus exegisset, accidit vt quidam frater eidem cognitus, ex illis vnde ille discesserat Ægypti partibus adueniret. Qui cùm indumentorum eius atque officij vilitate promptissimæ agnitionis facilitatem diu hæsitans cohiberet, post explorationem manifestissimam, ad eius genua prouolutus, primùm stuporem fratribus cunctis, de hinc prodito etiam nomine, quod apud illos quoque præcipuè sanctitatis fama vulgauerat, etiam dolorem compunctionis incussit; quod scilicet tanti meriti ac sacerdotij virum tam iniuriosis operibus deputassent. Sed postquam flens vbertim, & diabolicæ inuidiæ quasi grauem proditionis suæ imputans casum, ad Monasterium suum honorifica fratrum custodia ambiente perductus est, exiguo illic tempore demoratus, rursus offensus est, ipsis honoris sui, ac primatus obsequiis, ac furtim ascendens nauem, ad Palæstinam Syriæ prouinciam transmeauit, vbi velut incipiens atque nouitius in illo, in quo nos degebamus Monasterij receptus habitaculo, in nostra cella ab Abbate præceptus est commanere. Sed ne illic quidem diu virtutes eius ac merita latere potuerunt. Nam simili proditione detectus, atque ad Monasterium suum cum ingenti honorificentia ac laudes reuocatus, tandem quod erat esse compulsus est.

2. *Cùm igitur post non longum tempus, nos quoque Ægyptum petere sanctæ institutionis desiderium compulisset, summo eum affectu ac desiderio perquirentes, tanta eius sumus gratia atque humanitate suscepti, vt nos tanquam pristinos syncellitas etiam cellulæ suæ, quam in extrema horti parte construxerat, honoraret hospitio. Vbi cum satis ardua atque præcelsa, cuidam fratri Monasterij regulam subeunti, coram omnibus in Synaxi fratribus præcepta tradidisset, quæ in quarto vt prædiximus, institutionum libro, quanta potui breuitate complexus sum, tam incomprehensibilia nobis tamque mirifica veræ abrenuntiationis culmina videbantur, vt nullo modo illuc humilitatem nostram crederemus posse conscendere. Igitur desperatione deiecti, & ipso etiam vultu intimam cogitationum amaritudinem non celantes, ad Beatum senem, satis anxia mente recurrimus.* Ibid. cap. 2.

3. Hæc quidem de Pinuphio, eiusque collocutionis argumento Cassianus. Qui licet, inquit, vt in eius Cœnobio residere mallemus, sollicito deprecaretur affectu, tamen fama scythioticæ solitudinis inuitatos, cùm retinere non posset emisit. Aduocabatur eo auidissimè & à Theona & ab Abrahamo, viris gloria claris, authoritate grauibus, & sperabat apud vtramque operam positurum cum fructu. Perrexit triduo ad Thebatum, aliàs Theubatum, inferioris locum Ægypti, Pelusium inter & Babylonem; vbi olim Constantio Augusto Dracontius Episcopus exularat. Post aliud triduum multo labore Babylonem peruenit apud Athrebiticum fluuium in Lesupolite Nomo. Inde egrediens

bidui spatio vrbem appulit Aphroditon iuxta eundem Athrebin in Delta. Ibi Monachorum consilio capto, commodaque & solita peregrinorum statione ad aditus exitusque viarum occupandos, iter in ciuitatem quandam Thebaidis nomine Oxirinchum, Scythioticæ solitudini finitimam facere cœpit, de qua Ruffinus qui in eiusdem peregrinationis vestigiis institit. *Venimus & ad ciuitatem quandam Thebaidis, nomine Oxyrynchum, in qua tanta religionis deprehendimus bona, vt ea nemo digne valeat enarrare. Repletam namque eam Monachis intrinsecus vidimus, & extrinsecus omni ex parte circundatam. Ædes publicæ (si quæ in ea fuerant) & templa superstitionis antiquæ, habitationes nunc erant Monachorum, & per totam ciuitatem multò plura Monasteria, quàm domus videbantur. Sunt autem in ipsa vrbe, quia est ampla valdè & populosa, duodecim Ecclesiæ, in quibus publicus agitur populi conuentus, exceptis Monasteriis, in quibus per singula orationum domus sunt. Sed nec portæ ipsæ, nec turres ciuitatis, aut vllus omnino angulus eius Monachorum habitationibus vacat, quique per omnem partem ciuitatis, die ac nocte hymnos ac laudes Deo referentes, vrbem totam, quasi vnam Dei Ecclesiam faciunt. Nullus enim ibi inuenitur aut hæreticus aut paganus, sed omnes ciues Christiani, omnes Catholici, vt nihil omnino differat, si Episcopus in platea orationem aut Ecclesia faciat. Ipsi quoque Magistratus & principales ciuitatis, & reliqui ciues studiosè per singulas portas statuunt, qui obseruent, vt sicubi apparuerit peregrinus aut pauper certatim ad eum, qui præoccupauerit adductus, quæ sunt necessaria consequatur. De his autem quæ erga nos, ab ipsis populis gesta sunt, videntibus transire nos per ciuitatem suam, & velut Angelis occurrentibus atque honorem deferentibus, quomodo enarrem? aut de ipsis Monachis & virginibus, quorum innumeræ multitudines (vt supra diximus) in illa vrbe habentur? Requirentes enim à sancto Episcopo loci illius, viginti millia virginum, & decem millia Monachorum inibi haberi comperimus. Quorum omnium affectum erga nos & honorem, quem exhibebant, vobis exponere nec sermo sufficit, nec verecundia permittit, quomodo palliola nostra scinderentur, vnoquoque nos sibi rapiente, & ad se adducere cupiente. Vidimus quoque ibi plurimos Sanctorum Patrum diuersas Dei gratias habentes, alios in verbo Dei, alios in abstinentia, alios in signis & virtutibus ministrantes.*

Heriber. l. 2. de vitis PP. cap. 5.

4. Tum de Theona nostro, quem suauissimè diligentissiméque coluit Cassianus, proximè Ruffinus cap. 6. *Vidimus & alium non longè ab vrbe ad eam partem, quæ mittit ad eremum, nomine Theonem virum Sanctum, intra cellulam suam clausum solitarium, qui perhibebatur triginta annis silentij habuisse continentiam: quique tam multas virtutes faciebat, vt Propheta apud illos haberetur. Conueniebat namque ad eum per singulos dies infirmorum plurima multitudo, ad quos ille per fenestram manum proferens, & vniuscuiusque capiti superponens, ac benedicens, eos sanos ab omni ægritudine remittebat. Hic etiam ipso visu tam honorabilis erat, tantumque reuerentiæ agebat in vultu, vt inter homines Angelus videretur, ita lætus oculis, & plenus totius gratiæ apparebat. Huic cum paruum ante tempus, vt comperimus, noctu, latrones superuenissent, aurum se apud eum inuenturos credentes,*

dentes, oratione sola ita eos vinxit, vt foribus eius affixi, mouere se omnino non possent. Mane vero cùm ad eum turba more solito conuenissent, & viderent ad ianuas eius latrones, volebant eos igni tradere. At ille rerum necessitate compulsus, vnum eis solum locutus est verbum. Sinite, inquit, eos illæsos abire, alioquin gratia à me fugiet sanitatum. Populi vero vt audierunt hæc, contradicere non audientes dimiserunt eos: latrones verò videntes, quod secum est gestum, abiecta scelerum voluntate, & præteritorum malorum pœnitudinem gerentes ad Monasteria vicina confugiunt, atque ibi emendatioris vitæ formam modumque suscipiunt. Erat autem supradictus vir eruditus, non solùm Ægyptiorum & Græcorum lingua, sed etiam Latinorum, vt & ab eo ipso, & ab his qui ei aderant didicimus. Sed & ipse releuare cupiens, & consolari peregrinationis nostræ laborem, in tabella scribens ad nos gratiam doctrinamque sui sermonis ostendit. Erat autem eius cibus absque ignis opere. Dicebant autem quod & noctibus ad eremum progrediens, comitatu vteretur plurimo eremi bestiarum. Ipse verò hauriens aquam de puteo suo, & præbens eis poculo obsequij earum remunerabat laborem. Huius autem rei manifestum dabatur indicium, quod vestigia bubalorum, caprarumque & onagrorum, circa eius cellulam plurima deprehendebantur.

5. Simillima æquè vel potius eadem narrant Palladius, Sozomenus, Tripartita, Nicephorus, Sophronius. Theonæ huius nomine tres collationes inscribit author; Collationem 21. De remissione Quinquagesimæ, 22. De nocturnis illusionibus, 23. De eo quod dixit Apostolus. Non enim quod volo bonum hoc facio. Additque historiæ de suo, quod ad initium conuersionis eius spectat, vt ex hoc vel meritum tanti viri vel gratia euidentius possit patere lectori. *Hic, inquit, adolescens admodum, Parentum studio imperioque connexus est vinculo coniugali. Nam dum pudicitiæ eius religiosa sedulitate prospiciunt, & ancipitem lapsum lubricæ verentur ætatis, præueniendos adolescentiæ motus, licito nuptiarum remedio crediderunt. Cùm ergo hic vnius lustri tempus cum coniuge peregisset, venit ad Abbatem Ioannem, qui tunc temporis merito sanctitatis electus, diaconiæ præsidebat. Non enim ad hunc gradum quilibet propria voluntate aut ambitione prouehitur, sed is, quem cunctorum seniorum cœtus, ætatis prærogatiua & fidei atque virtutum testimonio excellentiorem omnibus sublimiorémque censuerint. Ad hunc inquam Beatum Ioannem, cùm pia deuotionis studio, præditus tunc iuuenis aduenisset, deferens religiosa munera, inter cæteros possessores, qui certatim decimas vel primitias frugum suarum memorato seni de suis substantiis offerebant; viderétque eos senex cum multis ad se muneribus confluxisse, & deuotioni eorum vicissitudinem cuperet repensare, cœpit eis secundum Apostolum spiritalia seminare, quorum metebat dona carnalia: Denique ita sermonem adhortationis instituit,* &c. Serapionem sanctè religioséque viuendi discipulum habuit, cuius documentis gloriatur idem ipse teste Cassiano Collatione 2. cap. 11. Nos concepta eius dabimus verba sequenti capite 50. de Serapione.

Palla. c. 50. Sozo. lib. 6. cap. 28. Tripar. lib. 8. cap. 1. Niceph. l. 11. cap. 17. Sophro. in prato spirit. cap. 27.

6. Vix aberat ab Abrahamo iter vnius diei Orientem versus ad quandam Nili magni fluminis ripam, cuius videndi desiderio æstuabat

Cassianus,

Cassianus, spem enim conceperat amplissimam, inde sedandos animi fluctus & aduersam qua iactabatur periculosissimè tempestatem commutandam; eaque nimirum spes postea nihil fefellit. Sed amorem tanti viri & signa confidentiæ mouerat ipsa fama imprimis, quæ magna illico surrexit, & de virtute curationum feruenter loqui iam cœptum erat. Veniebant in mentem res illæ mirabiles quas ab Abbate Nesterote auditione acceperat. *Quid etiam Abraha Abbatis gesta commemorem qui ἁπλοῦς id est simplex, pro simplicitate morum & innocentia, cognominabatur. Qui cum metendi gratia ad AEgyptum de Eremo diebus quinquagesimæ perrexisset, & à muliere quadam paruulum suum lactis inopia iam tabidum atque seminecem praferente, lachrymosis precibus fuisset obstrictus, calicem ei aquæ potandum impresso crucis signaculo dedit, cuius haustu confestim mirum in modum arida iam penitus vbera copia lactis redundante confluxerunt.*

Collat. 15. cap. 4. & 5.

7. *Vel cum idem ipse pergens ad vicum, circundatus est illudentium turbis, qui subsannantes ostendebant eis quendam hominem contracto genu, multis iam annis gressus officio destitutum, & antiqua debilitate reptantem, ac tentantes eum, Ostende, aiebant, Abba Abraham, si seruus es Dei, & restitue hunc pristinæ sanitati, vt nomen Christi quem colis, vanum non esse credamus. Tunc ille confestim inuocato Christi nomine inclinans se & apprehendens aridum pedem hominis traxit, cuius tactu continuo siccum genu incuruumque directum est, ac recepto vsu gressuum, quem obliuioni iam tradiderat annosa debilitas, lætus abscessit.*

Collat. 24. c. 1.

8. Ad hunc igitur Abrahamum cogitationum nostrarum, inquit, impugnationem anxia confessione detulimus, qua ad repetendam Prouinciam nostram atque ad reuisendos parentes quotidianis animæ æstibus vrgebamur. Hinc etenim nobis maxima desideriorum nascebatur occasio, quod tanta religione atque pietate parentes nostros præditos recordabamur, vt eos nequaquam impedituros nostrum propositum præsumeremus, hoc iugiter mente voluentes, quod profectum magis ex illorum essemus assiduitate capturi, nullaque nos corporalium rerum sollicitudine, nulli prospiciendi victus distentionibus occupandos, illis affatim omnem cum gaudio præbitionem nostræ necessitatis explentibus. Insuper etiam spe inanium gaudiorum animum pascebamus, credentes fructum nos maximum percepturos de conuersione multorum, qui velut nostro essent ad viam salutis exemplo ac monitis dirigendi; tum præterea ipsorum locorum situs, in quibus erat maioribus nostris auita possessio, ipsaque amœnitas regionum iucunda ante oculos pingebatur, quam gratæ & congruæ solitudinis spatiis tenderetur, ita vt non solùm delectare Monachum possint secreta syluarum, sed etiam maxima victus præbere compendia. Quæ omnia prædicto seni cum secundum fidem conscientiæ nostræ simpliciter panderemus, nec iam impugnationum vim tolerare nos posse, nisi nobis per illius medicinam Dei gratia subuenisset, profusis lachrymis testaremur, tacitus ille, diúque cunctatus atque ad extremum grauiter ingemiscens ita ait. Ibidem cap. 2. &c.

9. Quanta verò cum accessione spiritus transactum sit, quod positum fuerat in disputatione, non significat solùm sed etiam declarat ipse in exitu colloquij, vtiturque ea clausula, qua lætitiæ sanctæ magna copia perfusum, tantùm se ex iis de illusionum suarum origine vel medela documentis, hausisse commodi affirmet, vt maius ac ne vix quidem simile in huiusmodi causis, ad eam diem perceperat vnquam, neque vllius rei conditæ pretio eam officiosi muneris consalutationem voluisset prætermissam.

CAPVT XXIV.

AEgyptum reuisurus nauigat Alexandriam.

1. SIc à natura instituti atque imbuti sumus, vt præstantibus ingeniis minimè sufficiat riuulos consectati, fontes rerum non videre; ex cuius veritatis persuasione & inductu oriebatur in Pythagora, Socrate, Platone, Apollonio, Tyanæo & aliis qui discendi gratia varias regiones lustrarunt, tacitus ille animi affectus, & cupiditas peragrandi alienas ciuitates, moresque hominum, gymnasia, bibliothecas peruestigandi, sic enim sapientiam tanquam è terræ venis laborando hauriri, prudentiamque peregrinando parari, vsus ipse non solùm confirmauerat, sed etiam persuaserat.

2. Status religiosi primordia accersita & ducta ab ipso capite si inspiciamus & quasi ex natalibus nobilitas ipsius æstimetur, sine dubio non alibi prius aut gloriosius, quàm in primæua illa Ægypti Ecclesia Alexandrina illuxisse comperiemus, hoc enim Hieronymus in Marci vita commemorat. *Marcus discipulus & interpres Petri iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breue scripsit Euangelium, quo assumpto perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit Ecclesiam tanta doctrina & vita continentia vt vita sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit, & quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia; sic & ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ, tradidit.* Sed id libet potius ab Eusebio sumere historico veteri, & graui, vbi huius ipsius Philonis verba referens, quædam præfatus in eius laudem & de illius libri titulo, de Monachis Alexandrinis demum subiicit. *Est autem in multis quidem terrarum locis hoc genus hominum, oportebat enim perfecti boni participes fieri tam Græcos quam Barbaros, verùm in Ægypto in singulis præfecturis, sicuti vocant, abundant, & maximè circa, Alexandriam.* Ac rursus de Philone Hieronymus ibidem. Philo Iudæus natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, idcirco à nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexan-

Hieron. de scrip. Eccl.

Euseb. l. b. 2. c. 15. & 16.

driam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est, non solum eos ibi, sed in multis quoque Prouinciis esse memorans & habitacula eorum dicens Monasteria. Ex quo apparet talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc esse Monachi nituntur & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ, quales & Lucas refert, primum Hierosolymæ fuisse credentes.

3. Scribens etiam de his Cassianus noster tradit luculente lib. 2. Instit. cap. 5. & inculcat Collat. 18. cap. 5. *Cùm in primordiis fidei pauci quidem sed probatissimi Monachorum nomine censerentur, qui sicut à Beatæ memoriæ Euangelista Marco, qui primus Alexandrinæ vrbi Pontifex præfuit, normam suscepere viuendi, non solùm illa magnifica retinebant; quæ primitus Ecclesiam vel credentium turbas in actibus Apostolorum legimus celebrasse, (multitudinis scilicet credentium erat cor vnum & anima vna) nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat) verùm etiam his multo sublimiora cumulauerant. Etenim secedentes in secretiora suburbiorum loca, agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam vt etiam his qui erant religionis externæ, stupori esset tam ardua conuersationis professio. Eo enim feruore scripturarum diuinarum lectionibus orationique, & operi manuum diebus & noctibus incubabant vt nec escarum quidem appetitus vel memoria nisi alio tertiòve die, corporis interpellaret inedia, cibumque ac potum non tam desideratum quàm necessarium sumerent, & ne hunc quidem ante solis occasum; vt tempus lucis cum spiritalium meditationum studiis, curam verò corporis cum nocte sociarent, aliaque his multo sublimiora perficerent. De quibus etiam is, qui minus indigenarum relatione cognouerit, Ecclesiastica historia poterit edoceri.*

4. Habebat quasi domesticum Hieronymi exemplum ad imitandum, qui haud dudum moratus Bethlehemi, quò non ita pridem è diuturnis suis peregrinationibus redierat, profectus est in Ægyptum, discendi cupiditate, licet iam senex esset, pellectus, cúmque Didymi Alexandrini qui olim Athanasio charus & magno Antonio amicus fuerat, fama vsque quaque celebris ob doctrinæ magnitudinem efferretur, esset que illa tantò aliorum doctorum fama celebrior, quantò hominis cæcitas, quæ à parua illum ætate cœperat, singularem eam magis reddebat; rursum Alexandriam vt eum videret & dubiorum quæ in scripturis habebat, ab eo solutiones audiret, perrexit. Quem ideo videntem quamuis cæcus esset, ob eximiam ingenij perspicacitatem appellare consueuit, oculosque eum habere columbæ, qui laudantur in Canticis Canticorum in sponsa. Magnam cum eo amicitiam inde contraxit, talémque vt ille Didymi de spiritu Sancto librum transferret & Didymus expositionem in Osee Prophetam illi dicauerit, eiusdemque rogatu commentariorum

mentariorum in Zachariam libros quinque dictauerit. Meminit huius rei ipsemet Hieronymus in Epistola ad Pammachium & Oceanum ita scribens. *Nam canus spargebatur caput, & magistrum potius quam discipulum decebat: perrexi tamen Alexandriam, audiui Didymum, in multis ei gratias ago: Quod nesciui, didici, quod sciebam illo docente non perdidi.* Rursus in proœmio ad Ephesios. *Non quod ab adolescentia aut legere vnquam aut doctos viros ea, quæ nesciebam, interrogare cessauerim: & memetipsum tantùm, vt plerique, habuerim magistrum. Denique nuper ob hanc vel maximè causam Alexandriam perrexi, vt viderem Didymum & ab eo in scripturis omnibus, quæ habebam dubia, sciscitarer.* In proœmio super Osee Propheram ad Pammachium. *Ante annos circiter viginti duos, cum rogatu sanctæ & venerabilis socrus, immo matris tuæ Paulæ (illud enim nomen carnis, hoc spiritus est) quæ Monasteriorum & scripturarum semper amore flagrauit, essem Alexandriæ, vidi Didymum, & eum frequenter audiui, virum sui temporis eruditissimum, rogauique eum, vt quod Origenes non fecerat, ipse compleret, & scriberet in Osee commentarios, qui tres libros me parente dictauit, quinque alios in Zachariam.* Et in tertio contra Ruffinum libro. *Extat liber Didymi ad te, quod sciscitanti tibi respondit, non eos multa peccasse, & ideo corporum carceres tantum eis tetigisse sufficere, Magister meus & tuus eo tempore, quo tu ab eo ista quærebas, tres explanationum in Osee Prophetam libros ad me, me rogante, dictauit; ex quo apparet, quid me, quid te docuerit.* Peritissimus in scripturis Didymus fuit. Itaque vt quemadmodum librorum multitudinem Origeni, eloquentiam Ciceroni, Aristoteli argumenta, prudentiam Platoni, & Aristarcho eruditionem Hieronymus tribuit; ita scientiam scripturarum Didymo concedat. Ac sic quidem laudauit vt tamen postea eundem Origenistam compertum ea ex parte damnauerit. Quod verò non sicut Ruffinum Didymus, ita & Hieronymum iisdem Origenis erroribus imbuerit, id inde accidisse puto, vel quod non ausus fuerit viro adeo perspicaci propinare venenum, vel si tentauit, expertus eum renitentem mox abstinuerit, ne apud magni nominis virum concepta semel caderet æstimatione. Cæterum qui Didymum auditurus aliquantisper Alexandriæ concedit postea Ægypti Monasteria peragrauit, protinusque Bethlehem reuersus & Hierosolymam, Barrabanum Iudæum magno labore & pretio in Hebraicis literis nocturnum habuit præceptorem, quia idem Barrabanus timebat Iudæos.

5. Quod ad Cassianum spectat, æquè voluit cunabula ista scientiarum & Monaschismi plena omnis pietatis & feruoris non auditione tantùm aut disseminato, dispersoque sermone cognoscere, sed præsens etiam spectare oculis; certiorque de diuina voluntate factus ac desiderij plenus quamprimum illi morem gerendi, Abbatem suum conuenit, quidque in animo haberet submissè ac reuerenter exponit, & quà precibus, quà argumentis contendit vt sibi suoque fidelissimo socio Germano eius exequendi potestatem faciat. Ille fortiter primùm postulatis obsistere & consilium eius variè oppugnare cœpit. Sed quotidianæ preces quibus

instabant peregrinationis studiosissimi, cupidissimique tandem perpulerunt vt eis licentiam dare, quò optarent, abeundi animum induceret. Dedit se in viam cum Germano, & Ioppem ingressus vt conscenderet, vitam suam onerariæ, non sine periculo committere sustinuit (Adeo omnia tuta rebatur diuina curantibus) quæ ventis ac fluctibus agitata, tertio denique aut altero die in Ægyptum peruenit.

CAPVT XXV.

Alexandria digressus, in Scythiotica solitudine quæ gesserit?

1. Secundum hæc de profectione in Scythioticam solitudinem, quæ vt alibi dictum est pridem ipsi à Deo decreta erat, agi cœptum.

2. Qua parte in Eunosti portum curuatus in arcum maris quasi Euripus Alexandriam influit, interius fossa est nauigabilis, cui Necropolis & suburbanum adiacet: tum proximè & ad extremum, quà Septentrionem spectat Mariæ seu Maræotidis lacus vsque producitur. Hic sinum percommodum & amplum habet latitudinis stadiorum centum & quinquaginta longitudinis citra trecenta, Palladius numerat ad millia. *Inter hunc montem,* inquit, *& Alexandriam positus est lacus qui dicitur Maria, is autem continet ad millia septuaginta, quem cum transmisissem per vnum diem & dimidium veni in montem ad partem meridionalem.* Insulis occupatur, octo. Loca circum omnia campestria lateque patentia, cœli benignitate arborúmque amœnitate nonnihil inumbrata, lenibus aquarum riuis placidisque fluminibus irrigua, proindeque etiam oppidis frequentissima & incolarum multitudine auctiora fiunt in dies. Sed multis præsertim ac perbonis vinetis exculta & expolita, quæ suprà quam credi potest maiorem vini copiam fundunt, vt & Maræoticum vinum ad vetustatem perduret. Auget Nilus hinc inde variis fossis eius amplitudinem. Vberior illa perquam lenis & quasi fractis aquis, domitaque violentia in Canoticum mare ingenti ostio se euomit. Istinc onerariæ vltrò citroque commeant, superiorem inter atque interiorem Ægyptum, & multò plura exportantur Alexandria aut importantur, quàm è mari. Iungitur altera Nili fossa & continuatur Mœridi lacui, qui postremus in occidente inferioris Ægypti limes est, pelagi magnitudine, colore marino, & in Nili incrementis ad excipiendam inundationem ita compositus, vt in sata & habitationes non exundet: sed increscente Nilo incommodam aquam partim eidem fossæ reponat, partim vtilem habeat ad irrigationes. Vtrisque verò fossæ ostiis claustra imposita sunt, quibus architecti & influentem & effluentem aquam conseruant. Prænauiganti ad centum fermè stadia fuit Arsinoë quæ prius Crocodilorum ciuitas dicebatur. Tum ad dexteram procul, Memphi, Regia quondam Circassiorum Ægypti Sultanorum derelicta, nunc Cairo siue Alcairo iuxta quam Pyramides siue turres dixeris fastigiatas vltra celsitudinem

Cap. 7.

tudinem omnem quæ fieri manu possit, Regum pecuniæ otiosam & stultam ostentationem.

3. Alexandria itaque quàm primùm digressus Cassianus cum lachrymis atque suspiriis quasi non amplius dulcem illum sanctissimorum Patrum consessum & congressum visurus, Maræotida per vnum diem & dimidium transmisit ad alterum vsque Nili superius ostium. In littoris aditu qui Lybiam respicit, & in ipso flexu ad meridiem, paucis infra iunctam & continentem planitiem stadiorum Spatiis, solitudo est Scythis sine Scetis terrarum omnium desertissima à plebe atque à cultura hominum. Terminatur ab Septentrione confinio Maræotidis & Alexandriæ, ab ortu Nili fossa & Mœride palude, à meridie Æthiopia & Mazicis & Mauritania, ab occasu eadem penè Mauritania & Lybia. Soli natura exciccata & arida, vel arenarum aggeribus, in quos tumultuario attollitur ascensu, aspera; vel vbi funditur in vastitatem camporum, crebræ sylvæ arborum densitate & ramis inter se implicitis, continente atraque foliorum nube inumbratæ, oculis at sensibus aspectum paulò reddunt tristiorem. Cœli aspiratio grauis & in summas tempestates mutabilis: nam & hyberno tempore gelu pruinaque terræ teguntur, neque æstiuo immodicis caloribus caret, agri puteorum ac fontium expertes, vt plurimum & aquarum deriuationibus, clausi.

4. Hanc sibi Eremum cum templis atque aris habebant illustres aliquot coloniæ Monachorum, gentibus ad Christianam pietatem & asceticæ vitæ leges atque instituta excolendis. Istuc secessit diúque versatus est Cassianus noster, cum Moyse sanctitatis fama clarissimo Abbate, & hæc sedes initium illi fuit plurimarum quas cum Patribus habuisse dicitur Collationum, quod idem ipse notauit & docuit Collationis primæ cap. I. *Cùm in Eremo Scythi vbi Monachorum probatissimi Patres & omnium sanctorum morabatur perfectio, Abbatem Moysem qui suauius inter illos egregios flores, non solùm actuali, verùm etiam theorica virtute flagrabat, institutione eius fundari cupiens expetissem vnà cum sancto Germano Abbate, paritérque ab eodem Abbate ædificationis sermonem fusis lachrymis posceremus, quippe cuius hunc animi rigorem manifestissime noueramus, vt nisi fideliter desiderantibus & cum omni cordis contritione quærentibus nequaquam acquiesceret ianuam perfectionis aperire, ne scilicet si passim vel nolentibus eam, vel tepide sitientibus exhiberet, res necessarias & quæ solis perfectionem cupientibus debent esse comperta, indignis & fastidiose suscipientibus pandens, aut iactantiæ vitium, aut proditionis crimen videretur incurrere, tandem fatigatus precibus nostris ita exorsus est.*

CAPVT XXVI.

Vita & indoles S. Moysis Abbatis.

1. HVius acta Palladius narrat in sua historia Lausiaca, similiter alterius Moysis Æthiopis genere, idem Palladius laudat ibidem, & Cap. 88. Cap. 22.

Niceph. l. 11. cap. 36. Ruffi. l. 2. c. 6. Socr. lib. 4. cap. 19. Sozom. l. 6. cap 38. Theodor. l. 4. c. 2.

Nicephorum libro 11. historiæ qui ex insigni latrone insignis Anachoreta multos latrones conuertit, & secum duxit ad Monasterium. Ruffinus, Socrates, Sozomenus, Theodoretus Moysem quoque prædicant Episcopum sanctissimum qui primùm in Eremum vitam solitariam duxit: deinde petente Maunia Regina Sarracenorum Episcopus factus gentem illam ferocissimam magna ex parte ad fidem conuertit. Eius alumni fuere Christiani illi, qui sub eadem Maunia Regina Constantinopolitanam ciuitatem post Valentis Imperatoris interitum à Gotthis obsessam, quasi diuinitus missi liberauere. Menologium cum fastis Romanis hunc Episcopum 7. Idus Februarij, & illum Æthiopem 5. Calen. Septemb. coli in Christiano orbe docet, sed hi non ad hunc locum.

Collat. 7. c. 26. Collat. 3. c. 5. Lib. 10. Institut. 24.

2. De loco huius solitudinis in quo domicilium habuisse dicitur, scribit Collatione 24. cap. 4. & alibi. Diuidebatur in superiorem, quæ in meridiem vergit, & inferiorem cuius interpositu interiectuque Moeris lacus à Maræotide dirimitur. Priorem illam Calami Eremum siue Porphyrionis, hanc verò Scythi siue scythioticam nuncupabant. Vastior illa propius Thebaidem accedit, & Paulo Eremitarum authori & magistro tum aliis deinceps illustrioribus eiusdem instituti æmulis & imitatoribus sedes fuit. Quamquam longiore interuallo ab vniuersis vrbibus & habitaculis hominum quàm Eremus Scythi, distinguitur; siquidem octo vel septem mansionibus, vastissimæ solitudinis deserta penetrantes vix ad cellularum suarum secreta vno die poterant peruenire. Vtriusque incola & ciuis esse voluit Moyses noster, vt plurimorum consuetudine & exemplis quasi virtutum hinc inde fontibus irrigatus, omnium in se gratiam ac merita deriuaret. Documenta eius quia commodissimè persequutus est author, summatim non particulatim indicasse atque innuisse sufficiat. Tractat imprimis scopum ac finem quis eorum esse debeat qui religiosorum exercitationibus probantur. 2. de natura discretionis, eamque maiorem esse cæteris virtutibus contendit: Tum vnde gignatur, ac quomodo hæc eadem cælitus plerumque donetur; tandem Scripturæ testimoniis probat suum cuique animum seniori esse aperiendum.

Par. 2. histo. tit. 10. c. 10. §. 2.

3. Quod autem hic Moysem Abbatem & alibi similiter alios ita docentes inducat, vt ipsis quoque operibus ob oculos propemodum statutis dogmata sua confirmet sapienter monet Antoninus; quamuis visitauerit aliquos ex dictis Abbatibus non tamen prout ipse scribit omnes, illas sententias & verba ex ore eorum suscepisse etsi aliqua: sed in Monasterio suo edidisse fingentem etiam interrogationes & illorum responsiones. Sicut actum, inquit, à sanctis in Dialogis suis, quibus non semper aderant interrogantes cum illos ipsi componebant.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Ad alias Paphnutij & Danielis Eremos excurrit.

1. NEc verò in illius primæ stationis aditu modò Cassiani nauitas se continebat, sed bona sapientissimi Abbatis venia ad alias eremos excurrit, vbi Paphnutium & Danielem iis iam æque fama notus & charus inuisit. Apud hos de triplici ad seruiendum Deo vocatione, ac de concupiscentia carnis & spiritus, tum de octo principalibus vitiis constat ex collationum monumentis institutum fuisse sermonem. Verùm plus amabat & admirabatur egregia virtutum studia quibus anteire cæteros videbantur, vt idem ipse differit Collatione 3. cap. 1. *In illo choro Sanctorum qui velut astra purissima in nocte mundi istius refulgebant, vidimus sanctum Paphnutium vice luminaris magni claritate scientiæ coruscantem. Hic namque Presbyter congregationis nostræ. id est illius, quæ in eremo Scyti morabatur, fuit, in qua ita vsque ad extremam durauit ætatem, vt numquam è cella quam iunior cœperat habitare, quaque ab Ecclesia millibus quinque distabat, saltem ad viciniora migrauerit: nec fessus annis tanti itineris spatio, die sabbati vel Dominico venturus ad Ecclesiam vexaretur, sed nec vacuus quidem reuerti exinde contentus, vas aquæ, quam per totam erat hebdomadam sumpturus, ceruicibus suis supponens reportabat ad cellam, cùmque nonagenariam excessisset ætatem, nunquam passus est eam iuniorum sibi labore deferri, hic itaque ab adolescentia sua cœnobiorum scholis tanto ardore se tradidit, vt in eis paruo tempore commoratus tam subiectionis bono quàm vniuersarum virtutum scientia pariter ditaretur: humilitatis namque & obedientiæ disciplina, omnes suas mortificans voluntates & per hanc extinctis vniuersis vitiis, cunctisque virtutibus consummatis, quas Monasteriorum instituta, vel antiquissimorum Patrum doctrina fundauit: sublimioris profectus ardore succensus eremi festinauit secreta penetrare, vt Domino cui inter fratrum turbas positus sitiebat inseparabiliter inhærere, nullo deinceps humano consortio retrahente facilius vniretur. Vbi rursum tanto feruore etiam ipsorum Anachoretarum virtutes superans desiderio, & intentione iugis ac diuinæ illius Theoriæ, cunctorum deuitabat aspectus, vastiora & inaccessibilia solitudinis penetrans loca, multoque in eis tempore delitescens, vt ab ipsis quoque Anachoretis difficulter, ac rarissime deprehensus, Angelorum quotidiano consortio delectari, ac perfrui crederetur, atque ei merito virtutis huius ab ipsis inditum fuerit Bubali cognomentum.*

2. Sub laudes Paphnutij Magistri, virtutem discipuli Abbatis Danielis grata memoria prosequitur. *Inter cæteros Christianæ Philosophiæ viros Abbatem quoque vidimus Danielem, æqualem quidem in omnium virtutum genere his qui in eremo Scyti commanebant, sed peculiariùs gratia humilitatis ornatum, qui merito puritatis ac mansuetudinis suæ à Beato Paphnutio solitudinis eiusdem Presbytero, & quidem cùm multis iunior esset ætate, ad Diaconi-*

Collat. 4. c. 1.

Diaconi est prælatus officium. In tantum enim Beatus Paphnutius virtutibus ipsius adgaudebat, vt quem vitæ meritis sibi & gratia parem nouerat, coæquare sibi etiam sacerdotij ordine festinaret; siquidem nequaquam ferens in inferiore eum ministerio diutiùs immorari, optansque sibimet successorem dignissimum prouidere, superstes eum presbyterij honore prouexit. Qui tamen prioris humilitatis consuetudinem non omittens, nihil vmquam sibi illo præsente de sublimioris ordinis adiectione donauit, sed semper Abbate Paphnutio spiritales hostias offerente, hic velut Diaconus in prioris ministerij permansit officio. In quo tamen Beatum Paphnutium, cum talis vir esset ac tantus, vt in multis etiam præscientiæ gratiam possideret, hac spes substitutionis & electio frustrata est. Nam non multo post tempore, hunc quem sibi parauerat successorem præmisit ad Deum.

3. Longè hic alius ab eo Daniele Ægyptio, licet & ipse presbyter fuerit & Abbas, de quo Ioannes Moschus, & ab Arsenij discipulo cuius nomen habetur in dictis Patrum. De Daniele Stylite non in Eremo Scythi vbi noster hic erat, sed apud Antiochiam Syriæ super columnam annis circiter viginti nouem vixisse memorant Nicephorus, Cedrenus, & alij in Leone Magno, Menologium Græcorum, & Martyrologium Romanum 11. Decemb. Citantur eius acta à S. Ioanne Damasceno in Oratione 3. de imaginibus. Cyrus exconsul columnam Danielis eleganti epigrammate illustrauit.

Moschus cap. 114. Libello 10. num. 9. Niceph. l. 15. c. 32. & l. 16. cap. 6.

CAPVT XXVIII.

Serapionem aditurus traiecit in Nitriam.

1. Cesserat dies, quem in obeundis Monachorum Scethiotarum officiosis salutationibus sibi præfixerat Cassianus, & decursо iam diuturnæ peregrinationis spatio vrgebat semper maiores profectus expectatio, auiditate coniuncta, vt loco se moueret. Nilum igitur traiicere & Nitriam ac Cellia penetrare decreuit atque inibi Sanctorum plurimos quorum gloriam fama per vniuersa diffuderat, non cognoscendi modo sed & æmulandi studio inuisere. Sceti igitur Eremo relicta venit ad Nitriæ famosissimum in omnibus Ægypti Monasteriis locum, qui quadraginta fere millibus abest ab Alexandria, ex nomine vici adiacentis, in quo nitrum colligitur, Nitriæ vocabulum trahens, prospiciente hoc credo tunc iam diuina prouidentia, quod in illis locis peccata hominum tanquam sordes abluenda essent & absoluenda.

2. De hoc loco Heribertus copiosissime in hæc verba. *Quinquaginta ferè aut non multo minus cernuntur vicina sibi, & sub vno posita Patre tabernacula, in quibus aliqui plures simul, aliqui pauci, nonnulli etiam singulares habitant, Et mansione quidem, aliqui diuisi, animo autem & fide & charitate coniuncti & inseparabiles manent.*

Huic ergo cùm appropinquaremus loco, vbi peregrinos fratres aduenire senserunt,

sonserunt, continuo velut examen Apum, singuli quique ex suis cellulis prorumnt, atque in obuiam nobis læto cursu & festina alacritate contendunt, portantes secum quamplurimi ipsorum vrceos aquæ & panes, secundum quod Propheta corripiens quosdam dicit: quia non existis filiis Israel in obuiam cum pane & aqua. tunc deinde susceptos nos adducunt, primò, cum Psalmis ad Ecclesiam, lauant pedes, ac singuli quique linteis quibus vtebantur abstergunt quasi via laborem leuantes, re autem vera vitæ humanæ ærumnas mysticis traditionibus abluentes.

Quid ergo nunc de humanitate eorum quid de officiis, quid de charitate loquar, cum omnes gestirent nos ad suam quisque introducere cellulam; & non ea solum quæ hospitalitati debentur explere, sed insuper aut de humilitate, qua ipsi pollebant, docere, aut de mansuetudine atque aliis huiusmodi bonis, quæ apud illos, velut ad hoc ipsum de sæculo sequestratos diuersa quidem gratiâ, vna tamen eadémque doctrina discuntur. Nusquam sic vidimus florere charitatem, nusquam sic vidimus opus feruere misericordiæ, & studium hospitalitatis impleri. Scripturarum verò diuinarum meditationes & intellectus atque scientiæ diuinæ, nusquam tanta vidimus exercitia, vt singulos penè eorum oratores credas in diuina esse sapientia.

3. Fuit alius quidam Serapion Sindonites quod sola sindon ei vestis esset qui fuit imperitus literarum. Vide Palladium cap. 83. Serapionis nostri Presbyteri & Abbatis dicta excipies à Pelagio, Sosomeno, Nicephoro, Historia tripartita: Martyrologium Romanum 21. Martij habet Serapionem Anachoretam & Episcopum Thmueos quem ab Athanasio fuisse ordinatum colligitur ex Epistola eiusdem Athanasij ad Dracontium, agit de eo sanctus Hieronymus libro de scriptoribus Ecclesiasticis, & de Epistola ad Magnum. Interfuit Concilio Sardicensi Oecumenico, eique S. Antonius moriens testamento legauit melotem vnam. Cùm vero nouæ hæresis recrebrescens fama peruasisset quoque Ægyptum, ac de ea Serapion noster certiorem reddidisset Athanasium adhuc in eremo latitantem mox Athanasius egregiam ad illum reddidit Epistolam, quâ primus omnium oppugnat Hæresim Macedonij vt quem acerrimum diuinitatis filij vindicem spiritus Sanctus constituerat, idem quoque eiusdem Spiritus esset vnius cum Patre & Filio substantiæ defensor. Extat & eiusdem ad eumdem commentarius de blasphemia in Spiritum Sanctum, & Epistola alia de morte Arij & statu illius temporis.

Epist. 84.

CAPVT XXIX.

Profectus in Cellia cum Theodoro, Sereno, Isaaco Sanctissimis Abbatibus inibi versatur.

1. NOta est historia atque apud omnes peruulgata Sanctorum Monachorum Martyrum, qui tempore Theodosij Junioris à Sarra-

cenis occisi, sunt, quorum sacras reliquias accolæ colligentes summa veneratione illas habuerunt. De his pluribus verbis cum Theodoro Abbate disseruit & dixit in Collatione 6. cap. 1. & sequentibus.

Lib. 1. de vitis PP. c. 22.

2. Est autem Cellia in deserto interiori Locus Nitriæ continens, pro multitudine cellarum in eo dispersarum Cellia nuncupatus. Huc, inquit, Hieronymus auctore Rosuueydo, qui ibi primi fuerint imbuti, & secretiorem iam depositis indumentis ducere volunt vitam, secedunt, eremus enim est vasta, & cellulæ tanto inter se spatio diremptæ, vt neque in conspectu sibi inuicem, neque in vocis auditu sint positæ. Singuli per cellulas commanent, silentium ingens & quies magna inter eos est: die tantum Sabbati & Dominica in vnum ad Ecclesiam coëunt, & ibi semetipsos inuicem tanquam cælo redditos vident. Si quis forte in Conuentu illo defuerit, intelligunt statim eum corporis aliqua inæqualitate detentum, & ad visitandum eum non omnes quidem simul, diuersis tamen temporibus omnes abeunt, portantes vnusquisque secum, si quid apud se est, quod ægro gratum possit videri. Aliam verò ob causam nullus audet proximi sui obturbare silentium, nisi fortè quis possit in verbo instruere, & velut athletas in agone positos, sermonis consolatione perungere. Multi ipsorum à tribus & quatuor millibus ad Ecclesiam coëunt: ita longo à semetipsis spatio habitationis eorum Cellulæ dirimuntur: sed charitas in eis tanta est, & tanto inter semetipsos, & erga omnes fratres constringuntur affectu, vt in admiratione, & exemplo sint omnibus, vnde & si quis forte voluerit habitare cum eis, vbi intellexerint, vnusquisque cellulam offert suam. Eadem Sozomenus, Palladius, Ruffinus, & paulò fusiùs Nicephorus.

3. Quod ad præclaras res gestas attinet, Theodori nomine duo inter illustres Monachos Ægyptios fuisse reperiuntur, alter qui tempore Constantini Magni floruit sanctitate, & celebris habetur in tabulis Ecclesiasticis septimo idus Ianuarij. Discipulus fuit sancti Ammonis Abbatis à quo primùm iacta sunt fundamenta conuersationis eorum fratrum qui nunc in monte Nitriæ commorantur, vt ait auctor vitæ sancti Pachomij lib. 1. de vitis PP. Athanasius in vita sancti Antonij, & Ruffinus lib. 2. histo. Alius ab illo noster hic Theodorus Cassiano æqualis, spectatissimus sanctitate Monachus, de quo in iisdem tabulis Ecclesiasticis, 28. Decembr. Recensetur inter scriptores Ecclesiasticos, & sancti Pachomij discipulus, & successor in Monachorum ab eo institutorum regimine traditur à Gennadio. *Theodorus Presbyter, successor & gratia & præpositura supradicti Abbatis Pachomij, scripsit ad alia Monasteria Scripturarum sanctarum Epistolas sermone digestas. In quibus tamen frequenter meminit Magistri & institutoris Pachomij, & doctrina eius, ac vitæ proponit exempla, quæ illi vt doceret Angelo administrante didicerat, simul & hortabatur permanendum in proposito cordis, & studij, & redire in concordiam & vnitatem eos qui post Abbatis obitum dissensione facta à cœtu semetipsos absciderant vnitatis, sunt autem huius exhortationis Epistolæ tres.*

Cap. 1.

Cap. 8.

4. Apud se plures menses tenere Cassianum modis omnibus conabatur

batur Theodorus, sed facere satis eius eximiæ charitatis studio integrum non fuit, tum quod aliò festinare cogebant negotia, tum vt opportunè ad verni ieiunij sacram quadragesimam, Serenum & alios nobiles viciniæ Abbates conueniret, ex plerisque positis religiosæ vitæ capitibus de summo aliquo vt moris erat coram disceptaturus. Excepit perhospitaliter, Serenus abeuntique explanauit apertius quos de animæ mobilitate & spiritualibus nequitiis edidit commentarios. In hac ipse causa fidem sibi facit Collatione septima. *Summæ sanctitatis & continentiæ virum nominisque sui speculum Abbatem Serenum, quem singulari summus veneratione præ cæteris admirati, studiosorum mentibus insinuare cupientes, alias arbitramur desiderium nostrum nos explere non posse, quam si collationes eius nostris libellis tentauerimus inserere. Cui supra omnes virtutes quæ non solum in eius actu, vel moribus, sed etiam in ipso vultu per Dei gratiam refulgebant, ita est peculiari beneficio donum castitatis infusum, vt etiam se, ne ipsis quidem naturalibus incentiuis inquietari, vel in sopore sentiret. Ad quam tamen carnis præcipuam puritatem quem admodum gratia Dei adminiculante peruenire, quoniam supra conditionem naturæ videtur esse humanæ, necessarium reor primitus explicari.* &c.

5. Totum vero iam tempus nocturnæ quietis ita disputando exegerant, vt appropinquantis auroræ viciniam non sentirent, & vsque ad ortum solis insatiabiliter collationis huius verba contexere prouocarentur: tamen quoniam absolutio propositæ quæstionis, quæ cœperat indagari, in quoddam amplissimum ac profundissimum eos educeret pelagus quæstionum, quod præsentis horæ breuitas non sineret transmeari; commodius existimauit Serenus vt eam futuræ noctis indagini reseruaret, quo & mihi sub huius quæstionis occasione de vestro propensiori colloquio lætitia spiritualis, ac fructus vberior conferatur, & propositarum quæstionum sinus præbente nobis spiritu Sancto prosperos flatus liberius penetrare possimus. Quamobrem soporis modicum degustantes discutiamus obrepentem oculis nostris, vicina iam luce, torporem, ac deinceps pariter ad Ecclesiam procedentes, quoniam nos hoc facere Dominicæ diei solemnitas commonet, reuersi post synaxin, ea quæ dominus ad instructionem communem pro desiderio vestro largitus fuerit, duplicato gaudio conferamus.

6. Consummatis, quæ diei solemnitas exigebat, & Ecclesiæ Congregatione dimissa, reuersi ad cellam senis, refecti primum lautissimè sumus, nam pro muria, quæ superiecta olei gutta quotidianæ refectioni solebat apponi, modicum liquaminis miscuit, & olei quiddam solito propensiùs superfudit. Nam illam olei guttam ob hoc vnusquisque quotidie refecturus instillat, non vt eius ex hoc gutturis quandam percipiat suauitatem, quippe cuius tantus est modus, vt vix ipsius gutturis fauciúmque meatus non dicam linire, sed pertransire sufficiat; sed vt hoc vsu iactantiam cordis, quæ pro abstinentia districtiore blandè solet ac latenter irrepere, & stimulos elationis obtundat: Quia quantò abstinentia ipsa occultiùs exercetur, nulloque hominum teste perficitur,

tanto subtilius, occultatorem suum tentare non desinit. Deinde appoposuit salem frictum, oliuas ternas, quibus post hæc superintulit canistrum habens cicer frictum; quod illi Trogalia vocant, ex quibus quina tantùm sumpsimus, grana mixaria bina, caricas singulas, hunc enim numerum in illa eremo quemquam excessisse culpabile est. Qua refectione transacta, promissam quæstionis absolutionem, cum reposcere cœpissemus. *Proferte*, inquit, senex, *interrogationem vestram cuius in horam distuleramus indaginem.*

7. Magnam Cassianus ex conspectu tanti viri & raris virtutum eius exemplis capiebat animo voluptatem, & alacritatem concipiebat ad imitandum, cùm perfunctus his propter quæ ad senem venerat negotiis, autumno ineunte ad Isaacum Abbatem concessit. Is erat alius ab eiusdem nominis Abbate Thebæo, cuius visionem describit Ioannes Moschus in prato spirituali, qua reconciliationem cum inimico ante synaxim necessariam esse didicit, & inter verba seniorum refertur à Pelagio libello 9. eiusdem cum dignitate explicata sententia, de pueris ab Eremo ablegandis. Tum alibi, & apud Ruffinum, quod nemo temerè iudicandus ac Deo iudicium proximi relinquendum. Fuit item Isaac Magni Antonij Interpres auctore Hieronymo, in vita Hilarionis. De Scetiote Cassiani nostri magistro ac præceptore, tradunt ista Ruffinus & Paschasius.

Cap. 161. Num. 32.

Num 3. Lib 3. n. 137. Cap. 25. Ruffin. lib. 3. de vitis PP. n. 22. Pascha. lib. 7. cap 33.

8. Consilium inter se habuerunt seniores Patres, & omnes Monachi habitantes in Eremo Scythi, & consenserunt vt pater Isaac Presbyter eis ordinaretur in Ecclesia, quæ in ipsa sita est, vbi conuenit die & hora statuta multitudo Monachorum, qui in illa Eremo conuersantur. Audiens autem supradictus Abbas Isaac huiuscemodi consilium, fugit in Ægyptum, & abscondit se, in quodam agro inter fruteta, arbitrans indignum se esse honore Presbyterij; quamplurimi autem fratres Monachi sequebantur vt comprehenderent eum. Cùm autem applicuissent ad vesperam, in eodem agro, prolongiùs, vt reficerentur, fatigati de itinere (erat enim nox) dimiserunt asellum, qui eis sumptus portabat in itinere, vt pasceretur. Cùm autem pasceretur asellus peruenit in locum vbi supradictus Abbas latitabat. Cúmque illuxisset dies, requirentes Monachi asellum, peruenerunt ad eundem vbi se senior occultauerat, & admirantes valde dispensationem diuinam comprehendentes ligare & constringere eum voluerunt, & ita perducere. Venerabilis autem senior non permisit, dicens: iam non possum contradicere vobis quia forsitan voluntas Dei est, vt licet indignus suscipiam ordinem Presbyterij.

9. His virtutibus pia etiam adiungebat hortamenta linguæ, nam certatim inuitatus à nostris Collationes habuit bene longas de oratione, quarum vnam de orationis excellentia memorabilem facit, oblata inde occasio postulandi ordinem deinceps atque virtutem, quia etiam perpetuitas eius vel acquirenda esset vel retinenda. *His*, inquit, *sanctis sermonibus stupefacti potius, quam repleti, vespertina synaxi celebrata,*

Collat. c. 36.

sopore

sopore paululum membra laxauimus, primoque diluculo supplices de pleniore tractatu iterum reuersuri, ad nostra discessimus, tam de præceptorum acquisitione quàm de promissorum securitate gaudentes. Excellentiam siquidem orationis nobis tantummodo præmonstratam, ordinem verò atque virtutem qua etiam perpetuitas eius vel acquirenda est vel tenenda nec dum nos integrè percepisse illis disputationibus sensiramus.

10. Comem igitur Isaaci sermonem pari comitate auditores nostri exceperunt, virumque egregium complexus, quam magni faceret eam benignitatem & diligeret, Cassianus declarat in ea quam duxit disputationis totius conclusionem. *Huc vsque Abbas Isaac attonitis nobis secundam Collationem de orationis qualitate digessit. Cuius doctrinam super illius prædicti versiculi meditatione, quam velut informationis loco insipientibus tradiderat retinendam, admirantes admodum, & excolere tenacissimè cupientes, vtpote quam compendiosam ac facilem credebamus, difficiliorem satis ad obseruandam experti sumus, quàm illud studium nostrum, quo solebamus antea per omne scripturarum Corpus absque illius perseuerantiæ vinculo varia passim meditatione discurrere. Constat igitur neminem prorsus ob imperitiam litterarum à perfectione cordis excludi, nec rusticitatem obesse ad capessendam cordis atque animæ puritatem, quæ Compendiosissimè adiacet cunctis, si modo sanam & integram mentis intentionem ingi ad Deum versiculi huius meditatione seruauerit.*

Collat. 10. cap. 14.

CAPVT XXX.

Alter in Palæstinam reditus.

1. EXacto muneris ac negotij sui tempore discedit Cassianus & Mareotida prætereuectus secundo flumine reuertitur Alexandriam, vbi apud priores hospites suos diutiùs morari aut expectare nauigium non necesse habuit, tametsi nihil nec officij nec ingenij prætermiserint amantissimi & religiosissimi Cœnobitæ, quo eum suas in ædes pertraherent, sed irritum id omne studium fuit, vix tandem succubuit, vt aliquot dies inter consultationes & amicorum mutua piáque colloquia exigeret. Non pauci fuere qui de claris & illustribus quæ viderat Eremiticarum virtutum exemplis opportunum eius audiendi locum otiúmque captarent valuerunt illiusmodi orationes, vt homines rerum cælestium amore iam perustos etiamnum gloria & imitandi cupiditate vehementius incenderent. Denique rebus inibi cum Monachorum aliorumque bono constitutis Alexandria rursus excedit & vniuersis fausta precantibus cum summa æquitate animi atque constantia; conscensa prope Canopum naui ornata & instructa, Palæstinam intendit anno sæculi trecentesimi sexto supra nonagesimum inclinante hyeme; ac multis iterum tempestatibus iactatus, postremò ad condictum, Ioppem appellitur. Sequuta

est eum admiratio apud seniores Ægyptios ingens & mirificæ virtutis superstes fama.

2. Inde Bethlehem profectus haud difficile cogitatu est quanta exultantis animi pietate Abbatem, veterem spiritus magistrum, studiosum, amantem, obseruantem sui conspexerit, ad eius se prouoluerit pedes, tum paternum amplexum exceperit. Qua deinde submissione animi & hilaritate totam illam sanctam domum complexus sit. Nec profectò minore ipse dudum gratia præstans, exoptatusque charitate ac benignitate susceptus est.

3. Nihilo tamen minus sanctissimus pater, quamuis supra cæteros ipse tunc esset, omnibus tamen æquare se infraque infimos ducere, ac lucem, honorem, æstimationem hominum fugere non simulata mansuetudine solebat. Hinc illa vestitus non sordidi vilitas, hinc lectulus pauper, victus tenuis, itáque modicus vt vitam illi diuina quadam vi sustentatam esse fateri necesse sit, sine qua non videretur tantillo cibo tolerari potuisse. Abiectissima domus officia singulari voluptate administrabat, & exemplis ferè quam bene de humilitatis virtute sentire ostendit: quod tum demum reliquum ædificium stare posse diceret si humilitatis esset fundamento constitutum. Incredibile quanta sollicitudine silentij seruaret legem, suique ipsius custodem ageret, cùm vt pacem nullius, quid temerè agendo turbaret, tum etiam ne arbitrio affectuque suo transuersus ageretur. Verborum ita parcus, eáque quibus parcè vtebatur ita serio præcogitata, vt vix vllum ab eius exciperetur ore, quod non necessario aut vtiliter aut honeste fuisset pronunciatum. Vnumquemque magna affabilitatis dulcedine gratiaque alloquebatur, ac licet vigens ei esset natura spiritibusque concitata, vix tamen efferuescere vnquam visus, nedum irasci aut verbis lacessere, aut queri, aut doloris alicuius sensu à quoquam se fuisse læsum significare. In quanto verò beneficio duceret religioni se esse adscriptum, arguit excellens quam ab ætate ineunte imbiberat opinio ardensque in eam affectus; sed & summa in ea quies & oblectatio vt præ ipsa omnia sibi cætera viuendi genera sorderent.

4. Atque vti amabat matrem, ita & filios complectebatur honorificéque de omnibus monasticæ vitæ institutoribus sentiebat, quamuis de Cœnobij sui Bethlehemitici alumnis magnifice augustéque censeret. Sed in hoc genere illud ante omnia ponendum est magnam apud eum extitisse Ægytiorum ac Thebæorum Monachorum existimationem. Quod soli illi intelligunt qui euoluentes accuratius eius libros ex loquentis id ore acceperint. Non aliter de eorum familiis & excellentissimis ordinibus ac de re aliqua diuina, grauibus dignisque rebus loquebatur. Inter præcepta ab eo apud singulos commendata, hæc ferè tradebantur ad internum cuiusque habitum propriè spectantia. Primum, frequens orationis studium, quod vnicum Deo se iungendi præsidium dictitabat, alterum perpetuus vsus cognitionis exercendæ in conscientiam suam; res adeo SS. Patribus laudata necessariaque omnibus religiosæ perfe-

ctionis

ctionis studiosis, vt ab omni se noxa longissimè semper remoueant. Postremo æquabilitas vniuersæ vitæ tum singularum actionum maximè, adeo certa & constans vt neque deiiciatur animus ab aduersis, neque vllis à diuino obsequio difficultatibus absterreatur, neque agendi occasiones anteuertantur celeritate, neque tarditate socordiáque nimia remittantur. Is denique religiosæ integritatis splendor emicabat in rebus omnibus Cassiani, eamque sibi conciliabat apud omnes venerationem, vt vulgò non nisi summa reuerentia approbationéque de eo loquerentur, quin etiam in admirationem versi instituerent ad extremum ipsi, constantiam in incæptis tantamque vitæ mutationem imitando consectari.

CAPVT XXXI.

Varia Bethlehemi Cœnobia Hieronymus & Paula instituunt.

1. EOdem tempore Bethlehemi Monachorum amplitudo & gloria non modo laude atque honoribus sed opibus etiam & domiciliis variis amplificari cœpta. Hieronymi enim iam celebris per totum terrarum orbem diffusa fama (ad eum quippe veluti ad oraculum quoddam vndique concurrebatur) maximam illi auctoritatem conciliarat ab omnibus, eoque inconsulto nihil ad diuinarum literarum interpretationem aggrediebantur. Profert excellentes id genus viros non paucos Marianus Victorius in eius vita, & quidem magnus in primis Augustinus, tantum eius doctrinæ atque ingenio detulit vt scripta sua discutienda illi miserit, libros dicauerit, & quæstiones aliquot, præsertim, quæ sunt de origine animæ, ab eo petierit; & quia propter locorum distantiam, & animarum curam proficisci ad discendum in Bethlehem non poterat, misit ad eum, qui sua vice quærerent & discerent ab Hieronymo multa, Paulum Orosium, Alipium, & Profuturum quendam Presbyterum, qui tamen Profuturus morte præuentus eò peruenire non potuit. Misit per Cyprianum Diaconum, & alios Epistolas multas; vehementerque dolebat se eò ad discendum proficisci non posse, multum enim, vt par erat, deferebat Hieronymo, & in viro non minus omnis generis cumulatè positam doctrinam, quam vitæ sanctitatem admirabatur, sicut ipse ad eum scribens his verbis testatur. *Tanta autem mihi in litteris tuis, quæ in manus nostras peruenire potuerunt, apparent res, vt nihil studiorum meorum mallem si possem, quàm inhærere lateri tuo: Quod ego quia non possum, aliquem nostrorum in Domino filiorum erudiendum nobis ad te mittere cogito. Si etiam de hac re, tua rescripta meruero, nam neque in me tantum scientiæ diuinarum scripturarum est, aut esse iam poterit, quantum inesse tibi video.*

2. At non solùm Augustinus sed totus terrarum orbis senem venerabatur, Seuerus Sulpitius eundem inuisit, & sex mensibus cum eo commoratus, mansisset vtique perpetuo, vt ipse ait, si potuisset. Sic enim

Dial. 1.

Dial. 1. *Bethlehem oppidum perij, cuius loci Ecclesiam Hieronymus Presbyter regit, nam Parrochia est Episcopi, qui Hierosolymam tenet. Mihi iam pridem Hieronymus superiore illa mea peregrinatione compertus facilè obtinuerat vt nullum mihi expetendum rectius arbitrarer. Vir enim præter fidei meritum, dotémque virtutum, non solum Latinis atque Græcis, sed Hebræis etiam literis institutus est, vt se illi in omni scientia nemo audeat comparare.* Tum infra. *Ego*, inquit, *vt dicere institueram, apud Hieronymum sex mensibus fui, cui iuges aduersus malos pugna, perpetuumque certamen concitauit odia perditorum. Oderunt hæretici, quia eos impugnare non desinit, oderunt clerici, quia eos insectatur & crimina: sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt, Nam qui eum hæreticum esse arbitrantur, insaniunt. verè dixerim, Catholica hominis scientia, sana doctrina est, totus semper in lectione, totus in libris est: non die, non nocte requiescit: aut legit aliquid semper, aut scribit. Quod nisi mihi fuisset fixum animo, & promissum, Deo teste, propositam Eremum adire, vel exigui temporis punctum à tanto viro discedere noluissem. Huic ergo traditis, atque commissis omnibus meis, omnique familia quæ me contra voluntatem animi mei sequuta tenebat implicitum, exoneratus quodammodo graui fasce, ac penitus liber, regressus Alexandriam visitatis ibi fratribus ad superiorem inde Thebaida, id est ad Ægypti extrema contendi.* Hactenus Sulpitius.

3. Hedibia & Algasia, ex vltimis Galliarum finibus, Apodemium pro multarum quæstionum solutione, ad eum misit. Miserunt ex Germania, Sunia, & Fretella, vt varietatem psalterij ab eo audirent. Mittebant ex vrbe, Pammachius, Oceanus, & alij, vt vel contra Hæreticos responderet, vel dubia aliqua à se mota dissolueret. Mittebant & ex reliquis oris reliqui, tantúsque vndique ad eum quæstionum ac literarum concursus erat, vt scribens Paulino, hoc ipsum ipse illis verbis testetur. *Et vt sanctæ menti tuæ simpliciter fatear, vno ad occidentem nauigandi tempore tanta à me simul Epistolæ flagitantur, vt si cuncta ad singulas velim scribere occurrere nequeam.*

Epist. 153.

4. Præter frequentes literas quibus appellabat & interpellabat, & obloquebatur, & colloquebatur sæpissimè cum absentibus. Necesse illi erat quotidie aduenientes in ea loca Christianos excipere, & ea qua poterat humanitate recreare. Qui quidem concursus tantus erat, vt studiis vix esset relictus locus. De qua re ita ipse Eustochio testatur. *Fateor me explanationes in Ezechielem multo ante tempore promisisse, & occupatione de toto huc orbe venientium implere non posse, dum nulla hora, nullumque momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis, & Monasterij solitudinem hospitum frequentia commutemus, in tantum vt aut claudendum sit nobis ostium, aut Scripturarum per quas aperienda sunt foris, studia relinquenda. Itaque lucratiuis, imo furtiuis noctium horis, quæ hyeme propinquante longiores esse cœperunt, ad lucernam, qualiacumque hæc sunt, dictare conamur.* Ad Lucinium quoque scribens, quod præ frequentia, & peregrinorum turbis, relegere quæ scripserat non potuerit, asserit. Recipiebat enim venientes omnes ad ea loca cum tanta charitate vt pedes

In proœmio lib. 7. super Ezechielem.

etiam

etiam se illis solitum esse lauare his verbis testatur. *Nobis in Monasterio hospitalitas cordi est, omnésque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus, veremur enim ne Maria cum Ioseph locum non inueniat in diuersorio, ne nobis Iesus dicat exclusus, hospes eram & non suscepistis me, solos hæreticos non recipimus, quos vos, solos recipitis, propositum nobis est pedes lauare venientium, non merita discutere.*

5. Quod igitur tempus & necessitas flagitabat vt non modo domesticarum rerum & vniuersæ familiæ suæ religiosissimæ sollicitudinem gereret Hieronymus, verum etiam curæ & cogitationis quam poterat partem, in externorum vtilitatem deriuaret, multa quæ hactenus ex ærarij & hospitiorum angustia grauia extiterant incommoda, commodorum compensatione leniendo, multa instauranda & ex recenti hominum liberalitate instituenda curauit: illud imprimis, quod cum ex diuersis locis, tanta peregrinorum turba confluerer, vix tamen sufficiens locus erat, quo admitterentur ij, si qui fortè vitæ genus ibi suscipere, ac religionem inire statuerent. Nulli pthochodochi certi qui rusticos mendiculos, ad Christi præsepe voti causa venientes tecto ac sedibus suis exciperent ac erudirent, nulli reditus ad subleuandam illorum inopiam constituti, ad hæc magna mulierculatum & virginum earum visebatur multitudo quæ diuino instinctu cuperent, aliquando se ex maximis molestiarum secularium, & turbulentissimis tempestatibus in portum salutis recipere. Ergo ne tantus periret fructus, laudabile hoc suum & præstantis operis consilium viris copiosis ac diuitibus fœminis communicauit, quarum authoritate ac benignitate conficeretur.

6. Sed in eo genere Paulæ Romanæ singularis pietas & liberalitas enituit, ibi enim iam per triennium cum Eustochio filia & Melania Marcelini Consulis nepte satis angusto hospitiolo commorata ædificare cœpit strenue lautius & latius Monasterium, cui tria insuper alia perpetuis sumptibus adiunxit, & diuersas pro diuersis peregrinis iuxta viam posuit másiones, diues enim erat Paula & Nicopolis in Axiaco littore posita ad eius (vt quæ ab Agamemnone genus duceret) possessionem maximè pertinebat. In priori perpetuam Hieronymo sedem fixit, ibidémque Monachos magno numero amplissimis facultatibus locauit: in cæteris habuere fœminæ Virgines, quæ in tres turmas diuisæ atque in opere & cibo seiunctæ, ad Psalmodias tamen & orationes conuocabantur frequentésque conueniebant. Ipsa se suamque insuper filiam Eustochium dicauit vni, simulque cum religiosis virginibus, ad extremum vsque spiritum in summo euangelicæ paupertatis rigore per totos viginti annos Monasticam disciplinam seruauit. Eius vitam, mortem, & res gestas insigni oratione complexus est Hieronymus quam & obiisse testatur Honorio & Aristeneto Coss. qui annus teste Onuphrio numeratur à Christo 404. & Innocentij Pontificis I I I.

7. Verùm licet pro viris & virginibus ibi degentibus, satis capax extructum habitaculum esset & pro peregrinis mansiones aliquæ circa viam erectæ, tantus tamen vndique ad ea loca pietatis causa hominum

concursus erat præsertim Monachorum vt diuersorium magis amplum Hieronymus ædificare cogitauerit. Mittit propterea Paulinianum sibi germanum in patriam iam à Gothis vastatam, vti semirutas villulas quæ barbarorum effugerant manus & parentum communium venderet census, obierant enim tunc, Hieronymi Paulinianique parentes. Degebat hoc tempore Romæ Ruffinus, eamque tunc Syricius de cuius testimonio deinde sub Anastasio qui eum de Origenis versione damnant gloriabatur, gubernabat; ex ea Aquileiam & patriam reuersus postea est, Pauliniano adhuc in Dalmatia & vicinis oris manente. Meminit huius rei in Epistola ad Pammachium, & in altera, quæ ad ipsum Ruffinum est, his verbis Hieronymus. *Nos in ista Prouincia ædificato Monasterio & diuersorio propter extructo, ne fortè, & modò Ioseph cum Maria in Bethlehem veniens non inueniat hospitium, multis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, vt nec cœptum opus deserere, nec supra vires ferre valeamus, vnde quia pene nobis illud de Euangelio contingit vt futuræ turris non ante computaremus expensas, compulsi sumus fratrem Paulinianum ad patriam mittere, vt semirutas villulas quæ barbarorum manus effugerant & parentum communium census vendens, ne cœptum Sanctorum ministerium deserentes risum maledicis & æmulis præbeamus, Et ad Ruffinum. Frater meus Paulinianus necdum de patria reuersus est, & puto quod eum Aquileiæ apud sanctum Papam Chromatium videris; sanctum quoque Presbyterum Ruffinum ob quandam causam per Romam Mediolanum misimus, & orauimus vt nostro animo & obsequio vos videret: Gothi autem aliquot annis ante Romam captam hoc est Valentis tempore, vt Orosius testis est, primum Thraciam, exinde vt alij, Pannoniam, Dalmatiamque vastarunt, quo tempore Strido quoque destructa fuit.*

8. Non satis possim explicare dicendo, quàm lætam sibi propitiámque fortunam tulisse existimaret Cassianus, vt tantorum virorum illuc confluentium societate frueretur. Ac primo Paulæ sanctissimæ colloquiis congressuque religiosissimo non solùm delectabatur incredibiliter, sed etiam sine satietate delectabatur: cuius lætis successibus gestire eum videres, & quo eius exemplis magis proficeret, ad mores insuper actionésque singulas perdiligenter attendens, talem in omni genere suspiciebat, quæ sacrarum virginum Antistitæ nomen ac munus, quo defungebatur, magno virtutum numero illustribúsque ad exemplum viuendi institutis præclarè tueretur.

9. Addo Hieronymi consuetudinem probitate innocentiaque affluentem, ipsi iucundam admodum & vtilem eam Bethlehemi commorationem reddidisse, dum vel è variis librorum diuinorum locis, vel de purioris vitæ incitamentis inter se differerent, Cassiano Patrem optimum & omni doctrina eruditum de iis quæ in eo genere difficultatem habere videbantur consulente. Illud de summis ipsius laudibus quod olim non animo tantum atque ore tenus, sed scriptione etiam deinceps affirmauit libro 7. de Incarnatione contra Nestorium. *Hieronymus*, inquit, *Catholicorum magister, cuius scripta per vniuersum mundum quasi diuina*

sine lampades rutilant. In libro ad Eustochium. Dei, inquit, Filius pro nostra salute hominis factus est filius, decem mensibus vt in vtero nascatur expectat, & ille cuius pugillo mundus includitur, presepij angustiis continetur. Item ipsius in commentario Isaie. Dominus enim virtutum qui est Rex gloria, ipse descendit in vterum virginalem, & ingressus est & egressus orientalem portam, qua semper clausa est. De quo Gabriel dicit ad virginem. Spiritus sanctus superueniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi. Propterea, quod nascetur in te sanctum vocabitur filius Dei. Et in Prouerbiis, Sapientia adificauit sibi domum. Compara hoc si placet doctrina tua imo blasphemia, qua ais. Deus enim mensium creator est & non mensium partus. Ecce enim Hieronymus vir sicut maxima scientia ita probatissima puraque doctrina, iisdem prope verbis quibus tu, Dei filium mensium partum negas, ille partum mensium esse testatur. Decem enim, inquit, mensibus in vtero vt nascatur expectat. Sed parua tibi forsitan viri huius videtur authoritas. Idem omnes atque iisdem verbis putato dicere, quia quicumque Dei filium partum esse Virginis non negat, partum esse mensium confitetur. Hactenus de Hieronymo suo Cassianus libro de Incarnatione Domini citato cap.26. Nam in Præfatione Institutionum ad Castorem Pontificem, laudans itidem ipsum cum Basilio tanquam authores religiosissimos. *Super hac re, inquit, viri & vita nobiles & sermone scientiaque praeclari multa iam opuscula desudarunt, sanctum Basilium & Hieronymum dico. aliósque nonnullos quorum anterior sciscitantibus fratribus super diuersis institutis vel quaestionibus, non solum facundo verum etiam diuinarum scripturarum testimoniis copioso sermone respondit. Alius verò non solum suo elucubratos ingenio edidit libros, verùm etiam Graca lingua digestos in Latinum vertit eloquium: post quorum tam exuberantia eloquentia flumina possem non immeritò praesumptione notari, si aliquid stillicidij huius inferre tentassem, nisi me ad hac fiducia tua sanctitatis animaret & sponsio, quod tibi ha nuga forent accepta qualescumque sint, vel eas congregationi fratrum in nouello tantum Monasterio commorantium deputares.*

. EX CHRONI. IBIDEM.

TEXTVS V.

CVm remotissima Ægypti & Thebaidos vnà cum Abbate Germano peragrasset, Constantinopolim venit, vbi à Ioanne Magno Episcopo Diaconus ordinatus cùm esset, Romam adiit, &c.

CAPVT XXXII.

Arcadio regnante Constantinopolim à Ioanne Chrysostomo accitur.

DVm hæc geruntur, agebatur annus nostræ salutis 395. quo Theodosius Imperator, cum filios Arcadium & Honorium iam olim à S. Arsenio in Baptismo susceptos Constantinopoli venientes Mediolani excepisset, eósque S. Ambrosio commendasset vt tradit Paulinus in vita S. Ambrosij, quasi præscius imminentis mortis, sibi per S. Anachoretam Ioannem Dei admonitu prænuntiatæ, populi curam gessit relaxando annonaria tributa, plurimáque Reipublicæ Christianæ fructuosa disposuit, edictum hortatu Amphiloch j Episcopi conscribendo quo Ariani ex vrbibus eiicerentur, leges ferendo, quibus idolorum fana disiici, confringi statuas, Gentilium sacrificia & ceremonias funditus aboleri iussit, cùm eius in imperio decessor Valens, nec boni nec mali ratione habita, quam quisque deligeret religionem permisisset indiscriminatim. Constantinus verò cæteríque deinceps etsi cultus simulachrorum funditus euelli, non tamen fana subuerti sed inaccessa duntaxat esse voluissent. Moritur ibidem 17. Calendas Februarij magno totius orbis damno nulli Imperatorum secundus, si vt aiunt tam potens iræ fuisset, quàm pius ac fœlix fuit, præsentibus filiis & Ambrosio, cùm imperasset annis sexdecim & duobus diebus, annum agens ætatis quinquagesimum & à Christo nato 395. Arcadius post patris obitum, ne quid inopinata morte Imperatoris turbarum oriretur in Oriente, quàm citissimè maturauit Constantinopolim, dum Honorius post quadragenariam funeris functionem corpus pollinctum mandari curat temporariæ sepulturæ: Quo eum die celebri oratione laudauit Ambrosius. Sed & ipsi anthores Ethnici Christianis maximè infensi, quamquam veritatis studiosi multa de eius publicis priuatisque moribus ingentibúsque virtutibus habent. Symmachus ciuiles eius & bellicas laudes prosequutus scribit ad Flauianum, adeo sua oratione superiores fuisse, vt sibi potius illas attigisse quàm pro rerum gestarum dignitate singulis satisfecisse videretur. Themistius Philosophus easdem eximiè prædicat. Aurelius Victor in Theodosio sic comparat illum Traiano, vt longè etiam præferat, ac proindè non iam amplius acclamandum & deprecandum *Melior Traiano*, sed *melior Theodosio*. Cæteris luculentius ista tractauit Paulinus Romanæ decus nobilitatis, literis clarus famáque celebris in libro de Theodosij veris laudibus, cuius meminit ipse Episto.9. ad Seuerum, & de quo ad se misso Hieronymus Episto.13. *Librum*, inquit, *tuum, quem pro Theodosio principe prudenter ornatéque compositum transmisisti, libenter legi.* &c. Gennadius Panegyricum super victoriam tyrannorum nominat. Vnus duntaxat repertus est Zosimus qui more suo in Christianæ religionis odium,

Lib.1. Epist. 13.
Orat.5.& 6.

odium, licet in bello susceptos labores extollat, pacis tamen tempore eundem mollitiei & nimiarum deliciarum carpserit in sua historia.

Iustis itaque persolutis hoc eodem anno 6. Idus Nouemb. cadauer splendido & magno cum apparatu Constantinopolim deportatum est. Cæterum hæredes Imperij duo, qui vnà cum Patre, Arcadius quidem duodecim, Honorius verò duos annos imperitarant, etiamnum pueri, iam soli Rempublicam capessère cœperunt 16. Calen. Februarij, ille in Oriente iste in Occidente; cum annum ille ætatis ageret decimum octauum, iste decimum, quos quidem ambos, pueritia opportunos tutorum perfidiæ fecit, non sine graui discrimine imperij. Ruffinum enim Arcadio, Stiliconem Honorio tutores adiunxerat pater moriens. Verum ille consortem æmulatus, quod eum arctiori vinculo nuptiarum sibi obstrinxisset Theodosius, iuncta illi Serena Honorij fratris sui filia, tum fortè quod in summa dignitate & potentia suppatem ferre non posset, eò prouenit arrogantiæ, vt Imperatorem generum habere conaretur, & ita viam sibi parare ad affectatam vtriusque tutelam Imperij, nisi factum fuisset arte Eutropij Eunuchi cubiculi præfecti vt Arcadius Luciniam Eudoxiam sibi desponderet eximiæ pulchritudinis virginem, neptem Promoti viri Consularis, quem idem Ruffinus occidi à barbaris curauerat, qua tamen nuptiarum spe deiectus, nihil de imperio minus cogitans cœpit occultè finitimarum Prouinciarum aditus armis occupare, Græciæ quidem Antiocho, Gerontio Thermopylarum angustiis custodiendis, traditis: qui in Arcadij necem & vtriusque imperij exitium, euocatis Hunnis, Gothis & Massagetarum immanibus populis, duce & iam rege creato Alarico cognomento Balta coniurarunt, per quos quanta clades illata sit Europæ & Asiæ, quantis cædibus pariter ac terroribus, ausi quoque Constantinopolim obsidere, vniuersas vrbes compleuerint deplorat Hieronymus tunc Hierosolymis existens Epistola ad Heliodorum 3. & 30.

3. His tam diris atque funestis dum Stilico gemino pollens exercitu quam citissimè occurrere satagit, Ruffini proditoris arte impeditur, suadentis Arcadio vt Orientalem suum exercitum reuocaret Constantinopolim. Itaque coactis ab inuicem diuelli, Stilico cum copiis Occidentalibus vtroque fremente exercitu in Italiam rediit, ac ducem Gainam Gothici generis, minas in Ruffinum spirantem cum Orientalibus ad Arcadium remisit. Aduenienti per viam occurrens cum Arcadio Ruffinus, dum ex condicto expectat vt acclametur à militibus Imperator, vrgens Arcadium vt ipse prius eum consortem declararet imperij, appetitus est ex insperato militis gladio Stiliconis nomine, letalem ictum vibrantis, quem sequuti alij atque alij mille eundem Ruffinum repetitis vulneribus confoderunt & caput ac manus cæteráque inter se dispertita membra per summum ludibrium conto imposita, pro trophæis cum pompa in vrbem circumtulerunt, vxore & filia tunc ad Ecclesiam metu confugientibus, fide data concessum est, vt Hierosolymam nauigarent, Siluiam verò eius sororem virginem Christo dicatam egregia sanctitate

atque eruditione conspicuam, vixisse Hierosolymis & peregrinatam esse in Ægyptum author est Palladius in historia Lausiaca. Sub idem tempus Arcadius ne traderet ad se confugientes Armenios propter Persarum persequutionem, bellum cum Persis confecit, eo signo, inquit Prosper, quod ante quam potiretur victoria, coëuntibus in prælium militibus aëriæ cruces in vestibus apparuere. Vnde etiam victor cum eodem signo crucis fieri præcepit, quæ in vsu totius orbis & maximè Asiæ hodiéque persistit.

Cap. 33.

Lib. 3. de præscript. c. 34.

4. Sed quod propiùs rem nostram accedit, cùm tumultus id genus bellici desiere anno Arcadij 3. & Christi 397. exeunte, Nectarius Episcopus Constantinopolitanus diem obiit, & quidem in tempore sedulo curatum est vt successoris electio fieret, eiusque rei causa celebratum esse Concilium Episcoporum tradit Sozomenus, sed enim cum alij alium ad id muneris quærerent, tandem conspirantibus in vnum omnium suffragiis placuit Ioannem Antiochiæ Presbyterum ab eloquentia cognomento Chrysostomum accersere, frustra aduersus eum satagente Theophilo Alexandrino, qui vocatus ab Imperatore Constantinopolim ex iure prætenso à Patriarchis Alexandrinis in electione Episcopi eius ciuitatis, conatus est eius conuellere gloriam suis insectationibus, ratus sibi consultum iri melius, si in officij consortes parum cordatos sibi suffragio ascisceret, quàm vt cogeretur audire consilia prudentum. Idcirco Isidorum quemdam suæ ipsius Ecclesiæ Presbyterum sibique charissimum, quod sua olim causa is in se recepisset negotium plenum periculi, magnopere contendebat in demortui locum successorem sufficere, & ad Episcopatum suo suffragio promouere. Sed minis metuque iudicij subeundi de nonnullis criminibus ei obiectis, & ipse eumdem Ioannem designauit Episcopum. Extant Arcadij literæ per Clericos simul, & dignitate in palatio præpollentes destinatæ ad Flauianuum Episcopum Antiochenum, quibus cum innotuisset electio facta Chrysostomi populo Antiocheno, isque pertinacissime resisteret ne abduceretur: visum est Imperatori scribere ad eius ciuitatis Præfectum, ad se vt omnes clanculum nec vllo hominum conscio mitteret virum, ne qua turba commoueretur in ciuitate ob Ioannem. Præfectus verò eundem accersitum extra portam quæ dicitur Magnesia, quasi ad visitandas martyrum sacras ædes impositum rhedæ publicæ, Eunucho qui cum Magistro militum fuerat missus, tradidit deducendum ad Imperatorem. Simul ac igitur Ioannes Constantinopolim peruenit ordinatus est eius ciuitatis Episcopus, quod anno consequente proximo 398. die 26. Februa. contigisse Socrates, Sozomenus, Marcellinus in Chronicis affirmant. Porro in sublimem thronum euectus, quanta vigilantia docuerit, quanto studio pugnarit aduersus hæreticos & gentiles, scripta viri declarant. Vbicumque diuinus honor ageretur nulli cedebat difficultati periculove, sed nixus Deo nihil arduum nihil nimis amplum ducens, immensa quadam animi magnitudine alta quæque spectare ingentiaque conari cœpit. Ac primum omnium curauit, vt Catholicæ fidei in omnibus prospectum esset, autórque fuisse

Lib. 8. c. 2.

Socra. lib. 6. cap. 2.
Sozom. lib. 8. cap. 2.

fuisse putatur, vt seuerissima illa lex 34. Codi. Theodosia. de hæreticis, post dies sex à sua ordinatione sanciretur, qua & ipsorum conuentus omnino prohibiti, & eorum clerici vrbibus pelli ac codices igne comburi iussi sunt, & quod nunquam hactenus aduersus vllos hæreticos decretum fuerat, eorumdem receptoribus & occultatoribus capitale supplicium irrogatum est. Deinde Theophilo Alexandrino in auxilium assumpto misit Romam, & in Ægyptum legatos, Acacium Berœensem Episcopum & & Isidorum illum, cuius nomine Theophilus ordinatione sua obstiterat, quorum opera Romano Pontifici & Occidentalibus ac Ægyptiis Episcopis Flauianum Antiochenum reconciliaret, & Ecclesiam ipsam Antiochenam diu inter se diuulsam propter Paulinum, Euagrio eius successore vita functo, ad vnionem redigeret. Inde luxum clericorum, potentium mensas affectantium coarguit, & superfluos Ecclesiæ ipsiusque Episcopi Constantinopolitani sumptus resecari & ad infirmorum solatia transferri voluit. Neque minus ardens studium aduersus principum & illustrium virorum fastus & superbiam, quàm plebeiorum minas & terrores fuit. Denique omnes omnis generis laicos semper in coarguendo vitio admonitione & audacia repressit.

5. Cæterum nulla res magis incredibilem eius animi magnitudinem ostendit quam infinita quædam cupido Euangelij toto orbe terrarum circumferendi, cùm enim ei angusta videretur longè latéque diffusa Ecclesiæ Constantinopolitanæ amplitudo, totam Thraciam, insuper Græciam, Scythiam, Pontum, Asiam vniuersam, omnem denique animo atque industria complexus est Orientem, omnes vtique terras deinde complexurus, si animi ardori & vires & vita respondissent, quare spectata in adiungendis Christo infidelibus & hæreticis conuincendis, Monachorum fides atque industria, ad communicandum cum eisdem laborem plebis erudiendæ Chrysostomum accendit. In delectu itaque habendo eorum quibus haud minus sedulitatis foret, quàm pietatis vsus, solerti industria nactus est Cassianum virum postea suis virtutibus clarum, eumque Constantinopolim accersiuit, dignum vtique ratus, qui sibi à consiliis tanquam alteri Damaso alter Hieronymus, in sanctiore Conclauio assideret. Chrysostomum induxit ad hanc electionem cùm fama ipsa quæ Cassiano latè percrebuerat, tum verò quod opinionem de ipso simul augerent multi, & suprà cæteros Theophilus, Isidorus & alij Ægyptij quibus olim vitæ vsus & consuetudo frequens Alexandriæ, & alibi cum peregrinaretur virtutes eius notas fecerat. Tum forte quippe cùm affirmarent hominem esse ad religionis munia factum, quia ipsum inaudiuerant sæpè ita in consultationibus loqui, vt ingens omnium quæ diceret admiratio simul esset atque fides, coniunctionémque fœlicem in eo summæ doctrinæ ac summæ modestiæ suspicerent vniuersi. Tum fortè etiam quia sanctitatem ac morum eius suauitatem ipsemet Chrysostomus libauerat. Is enim vixit in Syria, qualem nobis Heraclidem Monachum describit Trithemius. De vita & conuersatione SS. Patrum, vir moribus sanctus & diuinarum scripturarum eruditione

tione insignis, sanctorum Patrum Anachoretarum ac Monachorum diligentissimus inquisitor & imitator, qui velut argumentosa apis de singulorum conuersatione flores virtutum in alueolum pectoris sui conferens, mel spiritualis dulcedinis procreauit. Sed & Antiochiæ, cùm in ore & sermone omnium clarissimus extitit, æquè innotuisse Hierosolymis, & Palæstinæ loca sancta perlustrasse Chrysostomum, quis poterit dubitare? Certè quidem si coniectura interdum verisimili, ex similibus comparata exemplis, agere concessum est, haud par est credere, qui nulla alia quam inuisendorum sanctorum Patrum & tyrocinij Monastici ponendi causa in Eremos Calcidis secesserat, præteriisse finitimas ac venerandas sanctissimæ vrbis memorias vniuerso antiquitùs celeberrimas orbi, & ad Christi cunas Bethlehemum non accessisse, insalutatósque ibidem prisci motis integerrimique sanctorum plurimos reliquisse.

6. Hieronymo non fuisse incognitum, atque adeo Cassiano Hieronymi familiarissimo eidémque omnibus rebus coniuncto, sed etiam inter eos officia quædam & paria & mutua intercessisse colligitur eiusdem Hieronymi testimonio, idque primum in Catalogo eius de scriptoribus Ecclesiasticis est ferme in hæc verba. *Ioannes Antiochena Ecclesiæ Presbyter Eusebij Emiseni Diodorique sectator multa componere dicitur, de quibus dei περὶ ἱερωσύνης tantùm legi.* Tum ad Principiam scribens. *Cùm Monachi Ægyptij librum dedissent aduersus Theophylum Arcadio Imperatori, & quidem grauibus referentum criminibus, adeò vt Theophyli caput in discrimen videretur adduci. Creditum quidem fuit eos haud ista absque sententia Chrysostomi tentasse.* Quamobrem ea dissipata longè latéque fama, tacito proprio ob tanti viri reuerentiam Ioannis nomine, Hieronymus sub Barnabæ voce, ex Pauli sententia ipsum sugillat his verbis. De Occidentis partibus ad Orientem turbo transgressus minitabatur plurimis magna naufragia. Tunc impletum est. Putas veniens filius hominis fidem inueniet super terram? refrigerata charitate multorum, pauci qui amabant fidei veritatem nostro lateri iungebantur, quorum publicè petebatur caput accusationibus scilicet Origenistarum, contra quos opes omnes parabantur. Ita vt Barnabas quoque duceretur in illam simulationem, imò apertum parricidium, quod non viribus sed voluntate commisit. Hæc ipse, nimirum quod, vt dictum est, fama vulgatum esset, licet magna calumnia, libellum accusationum aduersus Theophilum capitalibus criminibus plenum oblatum Arcadio fuisse impellente Chrysostomo. Sed cùm longè aliter res se haberet, quod tamen illis patrocinatus Chrysostomus visus esset, hæc suspicandi ansam captantibus præbuere.

Epist. 15.

7. Cæterum ipsum Hieronymum Chrysostomi causa maximo fuisse dolore affectum, adeo vt etiam in febrim inciderit, ipse suæ Epistolæ ad Theophilum exordio tradit, licet eum non nominet, in qua de S. Paulæ obitu meminit, déque afflictione quam ob Ecclesiæ turbines pateretur, significans plane turbas Ecclesiæ Constantinopolitanæ ob expulsum à sede Chrysostomum eius Episcopum, ait enim. *Ex eo tempore quo Beatitudinis*

Epist. 31.

dinis tuæ accepi Epiſtolas iuncto paſchali libro vſque ad præſentem diem, ita mœrore, luctu, & ſolicitudine, ac diuerſis ſuper ſtatu Eccleſiæ hinc inde rumoribus exagitatus ſum, vt vix volumen tuum potuerim in Latinum ſermonem vertere. De aliis Eccleſiarum turbis nihil eſt quod poſſit intelligi cùm non eſſent alibi alia de re tunc concitati tumultus, ſi enim in his conſpiraſſet S. Hieronymus cum Theophilo certè quidem ſibi gaudendum illique gratulandum fuiſſet, quod ſcilicet res ex ſententia eueniſſet. Iunctus ergo erat Hieronymus cum Theophilo, in diſſipandis Origeniſtis deſtruendiſque erroribus Origenis, non autem in perſequutione ab eo aduerſus Ioannem Chryſoſtomum excitata, quod deteſtandum videbatur. Laude quidem dignum illud Origeniſtis atque erroribus Origenis reſiſtere, quibus ad perdendam Catholicam veritatem à nonnullis ianua iam aperta erat.

CAPVT XXXIII.

Ab eodem renuntiatur Diaconus magnæ Eccleſiæ ſuæ Conſtantinopolitanæ.

1. IAm tum ſolemne illud ab Eccleſia ſeruatum fuiſſe, vt Monachi ordinarentur & clero vindicarentur, liquet ex Epiſtola S. Paulini 45. quæ inter Epiſtolas Auguſtini extat num. 35. Nam de ſe ita loquitur. *Etſi à Delphino Burdegalæ baptiſatus à Lampio apud Barcinonam in Hiſpania per vim inflammatæ plebis ſacratus ſim, tamen Ambroſij ſemper, & dilectione ad fidem nutritus ſum & nunc in Sacerdotij ordine confoueor. Denique ſuo me clero vindicare voluit, vt etſi diuerſis locis degam, ipſius Presbyter cenſear.* SS. Mommolenus & Bertrammius Aſcetæ Luxouienſes, & S. Bertini in Apoſtolico munere prædicationis in agro Morinorum ſub S. Audomari præſidio ſuffragatores, collecta multa animarum meſſe, cum iuſtitiæ manipulis ouantes in cœlum euolarunt. De aliis verò id genus quam plurimis, in fine eiuſdem Epiſtolæ citatæ S. Paulini, hæc verba leguntur. *Benedictos ſanctitatis tuæ comites, & æmulatores in Domino fratres, ſi dignantur, noſtros tam in Eccleſiis quàm in Monaſteriis Cartagini, Tagaſte, Hipponeregio, & totis Parochiis tuis atque omnibus cognitis tibi per Africam locis Domino catholicè ſeruientes multo affectu & obſequio ſalutari rogamus*, Sed & Poſſidius in vita Auguſtini quemadmodum per totam Africam propagati fuerint clerici, Epiſcopi, & Monaſteria ex primo illo Hipponenſi ab Auguſtino erecto Monaſterio, docet his verbis. *Proficientes verò doctrina diuina ſub ſancto & cum ſancto Auguſtino, in Monaſterio Deo ſeruientes, Eccleſiæ Hipponenſis clerici ordinari cœperunt; ac deinde innoteſcente ac clareſcente de die in diem Eccleſiæ Catholicæ prædicationis veritate, ſanctorúmque Dei ſeruorum continentia & paupertate profunda, ex Monaſterio quod per illum memorabilem virum & eſſe & creſcere cœperat, magno deſiderio poſcere atque accipere Epiſcopos & Clericos, pax*

Martyrolo. Gallica. 5. Sept. in vita S. Bertini.

Cap. 11.

Ecclesia atque vnitas, & cœpit primò & postea consequuta est. Nam fermè decem quos ipse noui, sanctos ac venerabiles viros, continentes & doctissimos B. Augustinus diuersis Ecclesiis nonnullis quoque eminentioribus rogatus dedit. Similiterque & ipsi ex illorum Sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesiis propagatis, & Monasteria instituerunt, & studio crescente ædificationis verbi Dei, cæteris Ecclesiis promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt. Hæc Possidius, vt planè videas ex vno Augustini Monasterio vniuersam Catholicam Ecclesiam Africanam sanctis Sacerdotibus breui tempore fuisse repletam, Donatistis propterea inuidentibus, & nomen Monachi execrantibus. Est de his rescriptum Honorij Imperatoris lib. 32. Codicis Theodosiani, *De Episcopis & Clericis.* Si quos fortè Episcopi deesse sibi Clericos arbitrantur ex Monachorum numero rectius ordinabunt non obnoxios publicis priuatisque rationibus, &c. Dat. VII. Calen. August. Honorio IV. & Euthychiano Coss. Indeque S. Augustinus suos clericos interdum Monachos appellat.

2. Hanc igitur viam, quæ frequens & popularis haberetur, sequutus Chrysostomus Germanum & Cassianum Monachos sacrorum ordinum charactere Deo & Ecclesiæ suæ Constantinopolitanæ asseruit, & quidem Germanum Sacerdotali, Cassianum verò Diaconi dignitate inaugurauit. Author est Gennadius in Catalogo Illustrium virorum. *Cassianus natione Scytha Constantinopoli à Ioanne magno Episcopo ordinatus.* Similiter Trithemius. *Ioannes*, inquit, *Cassianus natione Scytha B. Ioannis Chrysostomi Constantinopolitani Episcopi quondam auditor atque discipulus, & ab eo Diaconus ordinatus.* Assentiuntur Baronius & alij communiter historici, ac de vtroque satis ex Theodoro intelligitur, cùm eorum legationem, à clero Constantinopolitano pro Chrysostomo Romam ad Innocentium Pontificem destinatam narrat his verbis. *Post Palladium Germanus Presbyter, Cassianúsque Diaconus, Ioannis viri magnæ religionis literas ab omni Clero attulerunt.* Eam porrò gratiam & honorum dignitatem sanctissimis viris peperisse, non modo præclaram eorum virtutem, sed quæ suscepturi erant in conciliandis nomini Christiano infidelibus officia & partes, suadere videtur Theodoretus in historia Ecclesiastica. *Cum enim certior factus esset Chrysostomus Phœniciam etiam num ad nefaria dæmonum mysteria celebranda cœco furore ferri, monachos diuino pietatis studio inflammatos in vnum cogit, eósque cum edictis Imperatoris ad simulachrorum fana demolienda mittit.* Mox infra. *Cum videret præterea gentem Scythicam doctrina Ariana laqueis irretitam teneri, molitus est sedulo inde eam eripere, ad quam prædam capiendam hanc viam, excogitauit. Complures qui eadem lingua loquebantur Presbyteros, Diaconos, & Lectores ordinauit illisque vnam tribuit Ecclesiam quorum opera multos errore lapsos Ecclesiæ reconciliauit. Itémque cum accepisset Scythas, qui Nomades vocantur, quique propter Istrum accolebant, sitienter quidem salutem appetere, sed habere neminem qui sitim suam salutaris doctrinæ fluentis restingueret, viros laborum Apostolicorum imitatores conquisiuit, eósque illis erudiendis præfecit.*

Anno 404. num. 78.

Lib. 5. c. 29.

Cap. 30. & 31.

3. Venit in mentem præ cæteris Cassianus, tum quod illustri Scythiæ

loco

loco clarisque natalibus ortus esset, tum quod in illo præter diuinitus infusa charismata mirum etiam atque efficax ingenium & studium ad hominum animos demerendos, vt in eorum quibuscum viueret agerétve amicitias opportunè insinuaret sese, eosdemque obsequio & submissione tueretur. Quibus fermè artibus & simul sanctimoniæ ac frugalitatis exemplo, ad suum institutum & vitæ rationem sibi olim Deo bene iuuante adiunxit multos, & à solutiori vita non modò ad sobrietatem & continentiam, sed etiam ad contemptum rerum mortalium atque ad salutaria consilia Christi conuertit. Complures præterea hæreticos grassante iam tum peste Arianorum & Origenistarum, tempestiuis disputationibus monitisque conuictos in gratiam Romanæ Ecclesiæ secreta abiuratione restitu t Accessit desiderio Chrysostomi, & laboribus Cassiani S. Theotimus etiam Scytha & Tomiensium Episcopus; magnus insuper ille Apostolus S. Nicetas Dacorum Episcopus, & S. Victricius Episcopus Rothomagensis, quos omnes hoc eodem tempore studuisse Scytharum conuersioni tradunt Sozomenus, & S. Paulinus Episto. 26. & de reditu Nicetæ in Daciam.

Lib. 7 histo. cap. 25.

4. Cæterum contigit sub eodem Arcadio, eiúsque patrocinante rescripto ann. 398. Porphyrij ordinatio, insignis pietate viri, patria Thessalonicensis, professione Monachi à Ioanne Episcopo Cæsariensi, qui rogatus à fidelibus Gasensibus dari sibi Episcopum potentem opere ac sermone, vt efferatos Gasensium mores mitigare, Christianisque præceptis instituere conuertendo posset, eisdem præfecit S. Porphyrium. Cum enim in Ægypto apud Scetim in adolescentia vitam Monasticam exercuisset annos quinque, totidem in Palæstina, quò visendorum causa locorum Sanctorum peregrinatus esset & post multa ibi edita vitæ sanctissimæ exempla, à Cyrillo tunc eius Ecclesiæ Episcopo inuitus creatus esset Presbyter, custósque ligni sanctissimæ crucis factus, tandem diuino monitu accersitum illum ac diu licet reluctantem Ioannes Cæsariensis Antistes creauit Gasensem Episcopum, annum ætatis agentem quadragesimum tertium. Quomodo autem profectus Constantinopolim egerit apud Imperatorem aduersus Gasenses Idololatras, & per Ioannem Chrysostomum atque Amantium cubicularium impetrarit ab Imperatore, vt Marnæo clauso (templum id erat celeberrimum Marnæ idolo, quod Iouem putant, sacrum) & aliis templis omnia simulachra deiicerentur nec amplius consulerentur, satis liquet ex Marco Diacono apud Baronium anno Christi 401. & ex Epistola colligi potest ea de re ab ipso Chrysostomo scripta, cùm postea in Armenia exularet.

Epist. 125. & 126.

CAPVT XXXIV.

Commentum de Cassiani eiectione à Chrysostomo expulsi & exturbati.

1. SEd ista ne prosequamur longius, quàm fides nostra postulabit hic sistendum, vt assertum à Trithemio commentum & ab aliis eius

opinionem sequutis acceptum, manifesti mendacij conuincamus. Est autem huiusmodi. *Ioannes Cassianus natione Scytha B. Ioannis Chrysostomi Constantinopolitani Episcopi quondam auditor atque discipulus, & ab eo Diaconus ordinatus, post aliquot annos ab eodem nescio propter quam causam expulsus, apud Massiliam Presbyter consecratus est.*

2. Ad hanc derididulam eiectionis calumniam refellendam, illud primò sufficiens est argumentum, quod Hilarius & Prosper in defensione Augustini acriter suscepta, vitam Cassiani rationémque doctrinæ penitus inuestigarunt & perscrutati sunt, leuissimis etiam suspicionibus hanc insignem domesticæ turpitudinis notam & ignominiam non inusserunt, quæ in fronte fuerat collocanda, cum præsertim res tanta in tantum virum, locoque tali admissa nec angulum orbis præterisse potuerit, vbi non sciretur.

3. Præterea quando hic expulsus à Chrysostomo dici potest? qui etiam post exilium Ioannis in eius obsequio perseuerasse, & pro eo legatione ad Innocentium functus esse cognoscitur. Huc spectat frequens & summa sollicitudo qua in tam magna & turbulenta Ecclesiæ tempestate, imminentis periculi haud ignarus socios etiam atque etiam rogabat, impensis vt Deo precibus iudicium summæ existimationis & penè dicam capitis Chrysostomi enixè commendarent. Hinc assiduitas illa qua publicis functionibus interueniebat, quoties de restinguendis aut sedandis discordiis foret consultandum, tametsi coram plerique numerarentur de clero cumprimis prudentes atque omni doctrina eruditi, nilominus in vnum ipsum videbatur inclinatus omnium labor, & præcipua curarum ita Patres ad eum reiiciebant, tanquam si oracula loqueretur aut sublimior in ipso ac supra communem conditionem excellens quædam virtus Dei eluceret. Cum hac fama & existimatione, aduersus Eudoxiam & Episcopos Theophili fautores mirum est quàm esset ei libera vox pro defensione Chrysostomi, dum cunctarentur nonnulli agerentque lenius fortè & gratiam eorum potius amicitiamque respicerent. Versare aduersariorum animos, omnes in partes, orare summa demissione pro amicitia, obtestari per Christum communem Dominum vti obliuiscerentur iniurias; aut si in his postularent petitoris personam caperent, accusatoris deponerent, ne vitiosis æmulationibus cursum Euangelij quem eloquentia virtute ac sapientia illa tantopere promouere ceperat Chrysostomus, impedirent aut morarentur, ne hanc à diabolo gratiam quam ille maximè velit ineant, nec tam insignia Christi sanguini ac nomini probra inurant: tum miscendo precibus minas, grauissimis verbis denuntiare, cauerent ne in supremi Ecclesiæ capitis Romani Antistitis, Dei denique immortalis incurrerent offensionem iramque, vt pote qui in vno negotio simul omnium illorum authoritatem numénque violarent.

4. Cæteris quoque autor erat, vt ab omni assentatione tanquam à communi aulæ scopulo declinarent, & ne in custodia Ecclesiæ ac iuris obseruantia, canes pauidos allatrandi se præberent. Si quæ inter discep-

tandum

tandum scriberentur grauius, aut dicerentur contra Chrysostomum, aut contra viros alios, quorum ei nota probitas, in authores inuehebatur suopte licet mitis ingenio, & captans occasionem ex ratione maledicendi eorum, ponebat ob oculos arcana Dei iudicia, atque hunc in modum ad pacem hortabatur, pacem verò ali oportere imprimis demonstrabat inter religiosos, quo ij in hostes fidei potius acuerent animos & stylum stringerent, atque adeo inter Episcopos, ne sint prauo documento & exemplo populis, perosis eorum inimicitias & simultates. Verum æmulatio non solùm mentem Eudoxianorum excœcarat, sed etiam aures occluserat, quæ causa fuit cur eum tandem Innocentio Papæ Romam legarit Clerus Constantinopolitanus de quo mox infrà proximo sequenti capite.

5. Tertiò. Cùm nullus antiquorum notam huiusmodi Cassiano impegisse legatur, vti rem probe commeminit Baronius ann. 404. puto errandi occasionem inde manasse, vt qui reliquis membris Cleri Constantinopolitani non pepercisset Antiioannitarum furor, capita ipsa, quibus annumerabatur Cassianus, in vrbe reliquisse quasi quiddam incredibile dici putarint, aut qui fortè pro Ioanne Chrysostomo fuisse reperitur expulsus, eumdem per Ioannem ipsum eiectum perperam existimarint. Est qui referat de se Palladius in Dialogo, quod absque literis Romam venisset, *quoniam & ipse dicebat se fugisse vesaniam Principum, expressius autem ac signantius enarrauit omnia, ipsúmque edictum protulit in hanc sententiam. Quicumque occultasset Episcopum ac Clericum siue in sua domo susciperet qui Ioanni communicaret eius domum publicandam.*

6. Postremò Cassianus ipse in libris, quos de Incarnatione conscripsit, erga memoriam eiusdem Ioannis Chrysostomi propensissimum & gratissimum se ostendit, dum eum sæpe laudibus haud vulgaribus celebrat, & quod magis videri debet, quidquid ipse sciret liberaliter ei acceptum refert. Nam inter alia, *Ioannes*, inquit, *Constantinopolitanorum Antistitum decus, cuius sanctitas absque vlla gemilitiæ persecutionis procella ad martyrij merita peruenit, quid de filij incarnatione senserit ac prædicarit ausculta. Et illum*, inquit, *quem si nuda Deitate venisset non cœlum, non terra, non maria, non vlla creatura sustinere potuisset, illæsa Virginis viscera portauerunt. Huius ergo fidem atque doctrinam, etiam si aliorum ignorabas, sequi ac tenere debueras, cuius vtique amore & desiderio te antistitem sibi plebis religiosa delegit. Quia cùm de Antiochena Ecclesia te sibi sumeret Sacerdotem, ex qua illum ante prælegerat, recepturam se in te credidit, quidquid in illo habere desiisset.* Mox infra *Constantinopolitanis verba faciens. Mementote magistrorum veterum sacerdotúmque vestrorum, Gregorij, nobilis per orbem, Nectarij sanctimonia insignis, Ioannis fide ac puritate mirabilis, Ioannis inquam Ioannis illius qui verè ad similitudinem Ioannis Euangelistæ & discipulus* IESV *& Apostolus quasi super pectus Domini semper, affectúmque discubuit. Illius, inquam, mementote, illumsequimini, illius puritatem, illius fidem, illius doctrinam ac sanctimoniam cogitate. Illius mementote semper doctoris vestri ac*

Lib. 7. c. 30. & 31.

nutritoris, in cuius quasi gremio quodammodo amplexuque creuistis, qui communis mihi ac vobis magister fuit, cuius discipuli atque institutio sumus. Illius scripta legite, illius informationem tenete, illius fidem ac meritum amplexamini. Quod etsi assequi grande est ac difficile sequi, tamen pulchrum atque sublime. Quoniam in summa rerum non adeptio tantùm, sed etiam imitatio ipsa laudanda est, quia nunquam fore aliquis eius rei portione ad plenum caret, ad quam scandere ac peruenire contenderit. Ille ergo vobis in sensu semper & quasi in conspectu sit: ille in animo atque in cogitatione versetur. Ille denique ipse vobis etiam hæc, quæ à me sunt, scripta commendet, quia hæc quæ ego scripsi ille me docuit, ac per hoc non tam mea hæc, quàm illius esse credite: quia riuus ex fonte constat, & quidquid putatur esse discipuli, totum ad honorem referri conuenit magistri. Hæc de Ioanne ad Constantinopolitanos summa cum laude Cassianus, sicque compellans eos, specimen in omnibus edidit amantissimi Ioannis discipuli, de quo & post exilium, imo & post mortem adeo benemereri studuerit vt nec vel tenuis nauus in ipso penitus dignosci possit alicuius simultatis asserta.

7. Ex quibus manifestè deprehensum apparet, quàm inconsultè ac temerè frigidus ille fictor, eiectionis fabulosæ commentum euulgarit. Sed & nihilo prudentiores alij, qui compingentes Cassiani vitam, vna cum aliis mendaciis istud ipsum præteriisse noluerunt. Sapienter in eos animaduertit Henricus Cuychius, eisque censoriæ seueritatis notam inurit, præfatione in suas Annotationes, his verbis. Nec ferendum est quod quidam illum à B. Chrysostomo propter huiusce erroris suspicionem explosum, ablegatum, vel eiectum fuisse afferunt, præsertim cùm nulla illius suæ suspicionis euidentia aut certa documenta proferant: & ipse Chrysostomus quoque propter sui temporis grassantes hæreses liberi arbitrij vires nonnunquam extollat, quasi gratiæ Christi iniquior fuisse videatur, quamquam secus res habeat. Quapropter cùm incerta omnino sit istius discessus causa, & ex fine septimi libri de Incarnatione palam sit Cassianum Diuum Chrysostomum vti optimum & probatissimum magistrum suum semper veneratum fuisse; temerarium esse censeo sinistri & incerti quidpiam de eo suspicari. Aut enim per hæreticos ab Ecclesia Constantinopolitana siue Ierosolomytana eiectus est, vt autor est volaterranus: aut solitudinis desiderium ipsum impulit, vt in Narbonensem Galliam, in qua sita est Massilia, ignotam sibi Prouinciam secederet, ibique duo Monasteria, virorum alterum & alterum mulierum conderet, aut denique propter studia ingenuarum disciplinarum & morum grauitatem Massiliam commigrauit, quemadmodum Romani quoque pro Attica peregrinatione ad disciplinas capessendas Massilioticum gymnasium petebant. Vsque adeo enim in ea vrbe morum grauitas, ac maturitas, & honesta studia floruerunt, vt Plautus in Casina, Massilienses mores tanquam optimos & probatissimos dixerit. Eadem quoque studia & mores mirificè commendat Marcus Tullius, cùm alibi tum præcipuè in oratione pro L. Flacco cuius hæc sunt verba. *Neque verò te Massilia prætereo, quæ L. Flaccum militem Quæstorem cognouisti, cuius ego ciuitati disciplinam*

plinam

plinam atque grauitatem non solum Græcia, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam iure dicam. Quæ tam procul à Græcorum omnium regionibus, disciplinis, linguisque diuisa, cùm in vltimis terris cincta Gallorum gentibus barbariæ fluctibus alluatur, sic optimatum consilio gubernatur, vt omnes eius instituta laudare facilius possint quam æmulari. Sed à nobis in toto reliquo quasi contextu hæc erunt illustranda maximè.

CAPVT XXXV.

Cassianus mittitur Romam Legatus cum Germano Presbytero ad Innocentium Papam, quem Chrysostomus appellarat.

1. INnocentium Romanum Pontificem appellarat Chrysostomus, cùm nullam spem reliquam esse cognosceret, vt meliori statu res collocarentur, sed certò iam intelligeret omnia in deterius prolapsura, legationem honorificam quatuor Episcoporum ac duorum Diaconorum ad eum direxit, qua ipsum contra iudicium Theophili & aliorum Episcoporum appellauit, scribens pariter de iisdem ad Venerium Episcopum Mediolanensem, & Chromatium Aquileiensem, iisque aliæ sunt additæ literæ Episcoporum quadraginta ipsius communionis, nec non cleri Constantinopolitani ad eundem Innocentium, confirmantes quæ à Ioanne scripta essent. Verum Theophilus hæc studia præuenire conatus, ne in caput suum talia tantaque præsumpsisset, legatum prius ipse Romam misit Alexandrinæ Ecclesiæ Lectorem, cum literis quibus significauit quæ in synodo aduersus Ioannem mirabiliter omnium generum atque ordinum consensus conspirare sensisset. De his locuples testis est in Dialogo Palladius cuius hæc sunt verba. *Primus omnium profectus est ad nos Alexandrinæ Ecclesiæ Lector, cum Papæ Theophili literis, quibus indicabat Ioannem à se fuisse depositum.* Eas literas cum legisset Beatissimus Innocentius Romanæ sedis Antistes inhorruit temeritatem fastúmque Theophili, ægrè ferens & quod solus scripserat, & quod rei totius seriem referre omiserat, cuius scilicet rei gratia quibúsve adiunctis sibi sociis illum deponere ausus fuisset. Inter hæc mansit admirans nihilque rescribere voluit rei indignitate commotus. Dum Eusebius quidam Diaconus Constantinopolitanæ Ecclesiæ qui tunc Romæ erat, Ecclesiasticæ vtilitatis gratia Innocentium adiit libellisque traditis adiurauit sustineret vt modicum temporis, fore enim vt breui sibi totius scenæ facies patefceret. Post triduum aduenerunt Episcopi quatuor à Ioanne missi Reuerendissimi profectò viri Pansophius Pisidiæ, Pappus Syriæ, Demetrius Galatiæ secundæ, Eugenius Phrygiæ, tres Epistolas Innocentio deferentes, vnam quidem Ioannis Episcopi, secundam vero Episcoporum quadraginta de communione Ioannis, reliquam scripserat Ioannis Clerus, omnes in disciplinarum tumultum & seditionem pariter significantes.

2. Tum reddita eisdem verbis Epistola Ioannis ad Innocentium, subdit

subdit rescripsisse Innocentium quemadmodum Theophili iudicium cassum atque irritum esse decerneret. Quas autem sigillatim dederit ad Ioannem Chrysostomum, puto excidisse literas ex monumentis & tabulis Ecclesiasticis. Huic primæ alias sequutas annectit legationes Palladius. Modicum temporis fluxerat, cùm Theotenus Constantinopolitanus Presbyter venit, literas Concilij, Ioannis, viginti quinque Episcoporum aut paulo plurium ferens, quibus docebant Ioannem militum auxilio vrbe depulsum & Cucussum in exilium missum, Ecclesiamque incensam fuisse. Cui & ipsi communionis literas & ad Episcopum Ioannem & ad omnes communicantes sibi Episcopos tradens orabat cum lacrymis, vt patienter tolerarent, cùm opem ipse ferre non posset, eo quod nonnulli obsisterent potentes aduersarij Ecclesiasticæ pacis inimici. Post paululum rursus applicuit homunculus aspectu fœdus, animo perditus, Paternus nomine, Ecclesiæ Constantinopolitanæ se Presbyterum dicens, qui & ipse totus elatus, & fastu turgidus, & ipso gestu inimicitias præferens plurima contra Ioannem Episcopum maledicta vomebat. Hic paucorum Episcoporum Acacij, Pauli, Antiochi, Cyrini, Seueriani, & aliorum quorumdam Innocentio reddidit, quibus Ioannem calumniabantur quasi incendisset Ecclesiam. Mendacium apertè deprehensum est, cùm eius rei, quippe quæ illi non fuisset obiecta, mentionem in synodo nullam fecisset Ioannes. Eum Innocentius cum indignatione abiiciens, ne rescribere quidem voluit. Paucis post diebus aduenit Episcopus Cyriacus nullas quidem habens literas, sed is planè cui meritò fides habenda videbatur, eadem prosequens quæ ab Episcopis de Synodo Ioannis fuerant scripta. Aiebat enim se fugisse propter comminationem regalis edicti ita continentem, Si quis non communicat Theophilo, Arsacio, & Porphyrio, hic Episcopatu quidem arceatur. Amittat verò si quam videtur habere substantiam pecuniarum siue prædiorum. Post Cyriacum aduenit Eulisius Apamiæ Bithyniæ Episcopus afferens literas à quindecim Episcopis de Ioannis concilio, & à præclaro sene Anysio Thessalonicense Episcopo, in quibus illi quidem & præcedentem & quæ tunc erat Constantinopoleos totius deprædationem vastitatémque signabant. Anysius verò Romanæ se Ecclesiæ iudicium sequi fatebatur. Porro Eulysius ipse consona Cyriaco per omnia dixit.

3. Vix mensis fluxerat cum Palladius quoque Episcopus Helenopoleos venit vti superiore proximo capite annotauimus. Post Palladium Germanus Presbyter, Cassianúsque Diaconus Ioannis, viri magnæ religionis literas ab omni clero Ioannis attulerunt, continentes Ecclesiam suam tyrannidem perpessam esse, Episcopo per vim militum eiecto & in exilium misso, agentibus, Acacio Berœensi, Antiocho Ptolemaidis, Seueriano Gabalensi, Theophilo Alexandrino. Ostenderunt & breuiculum memorati viri, vbi ornamenta sub iudicibus testibus tradunt subscriptum manu Studij præfecti vrbis, Euthychiani prætoris, Ioannis comitis thesaurorum & Eustachij quæstoris ac tabularij in auro & argento & & vasis, vt Ioannis Episcopi calumniam diluerent.

4. Romam

4. Romam igitur ex itinere delatus Cassianus ad Probam, Iulianam, & Italicam sanctissimas fœminas easdémque genere clarissimas, simul atque alij qui pro defensione Chrysostomi Romam venerant, salutatum diuertit. Haud enim hos apud Innocentium, qui interpellabatur iudex, decebat fautores Chrysostomi hospitari, ne idem qui iudex, æque esse patronus censeretur. Extant Ioannis ipsius ad eas datæ literæ, priores ad Probam sic se habent, cum missos à se legatos commendat Ioannem & Paulinum. *Etsi longo itineris spatio abs te disiunctus sum tamen sinceram ac feruentem charitatem tuam non secus ac si coram essem, ita que omnia cernerem certo expertus sum, iis nimirum qui istinc ad nos veniunt ea de te afferentibus, quæ audire cupiebam. Eaque de causa multas atque ingentes tibi gratias habeo atque ob istum tuum animum glorior, méque effero virósque mihi charissimos religiosissimúmque Presbyterum Ioannem & ornatissimum Diaconum Paulum tibi commendo, atque ad tuas manus velut ad portum transmitto. Abs te igitur lectissima ac nobilissima domina mea, peto vt quemadmodum humanitas tua poscit, ipsos videas: nec enim te fallit quantam huiusce comitatis mercedem relatura sis. Ac quam sæpissimè licebit de tua valetudine, de qua vt nobis vehementer chara aliquid intelligere vehementer auео fac me certiorem.* Hactenus ad Probam. Ad Iulianam verò sanctissimam æque viduam eius filiam ista habet. *Quo grauiore pœna mulctati sunt, qui eos scelera perpetrarunt eo quoque vobis qui eos scelera tollere ac delere studuistis, tantumque labores & ærumnas suscepistis, amplior merces futura est. Neque enim nobis obscura fuit ea beneficentia, idque studium quod & in negotio de quo agitur, & in exipiendis benignéque complectendis iis, quos istbuc misimus, præbuistis. Eoque nomine gratias vobis habemus vósque rogamus & obsecramus, vt in eodem studio & alacritate permaneatis ac firmius etiam ac valentius animi robur & fortitudinem adhibeatis. Neque enim vos fugit, quanta huiusce præclari facti magnitudo sit, quantamque mercedem percepturæ sitis, tantos motus ac tam sæuos fluctus quantum in vobis est compescentes, eámque quam par est acceptis incommodis medicinam afferentes.* Hæc ad Iulianam non solum vt apparet hospitem legatorum, sed causæ Ioannis diligentissimam patronam. Extat eiusdem Ioannis eodem argumento alia Epistola ad Italicam æque clarissimam fœminam, ad quam etiam datæ S. Augustini duæ Epistolæ habentur.

5. Cum Innocentio congressus reperit in eam penitus inclinare sententiam, vt partis vtriusque communionem admitteret, etsi iam Theophili iudicium abrogasset, dicens oportere conflari aliam irreprehensibilem synodum Occidentalium & Orientalium sacerdotum, cedentibus Concilio amicis primùm deinde inimicis, neutrarum quippe partium vt plurimum rectum esse iudicium. Extat ab eodem data in hanc sententiam ad Theophilum Epistola in Dialogo Palladij. *Frater Theophile, nos & te & fratrem nostrum Ioannem communionis nostræ esse decreuimus sicuti & in prioribus literis apertè satis expressimus, & nunc in nostra sententia & voluntate perdurantes rursum eadem scribimus. Et quotiescunque scripseris nisi debitum sequatur conueniénsque iudicium propter ea quæ magno*

cum dedecore sunt gesta possibile non est nos à Ioannis Communione discedere. Itaque si conscientiæ confidis, tu quoque indicio accurre ad synodum proximè in Christo celebrandam, & illic iuxta Niceni Concilij Canones & decreta contende, alios Romana non admittit Ecclesia. Quod si obtinueris evidens & irrefragabilis erit ratio tua. Aduersariorum potentissimus & famosissimus quisque conuenerat, Petrus Theophili Presbiter, & Martyrius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus ipsius Epistolas deferens, & quædam simul commentariola in quibus apparebat Ioannem à triginta sex Episcopis damnatum fuisse. Hi aliique non pauci nefarij & sacrilegi calumniatores conuenticula agebant frequentia, coniurabant acerrimè, Arcadij & Eudoxiæ armabantur edictis: certum erat qua vi, qua dolo abite victores.

6. Sed vbi Cassianus prodire in publicam Romanæ curiæ lucem, coactísque ad colloquium doctis atque principibus viris præbere gustum cepit ac specimen ingenij, virtutis, & eloquentiæ, quibus suos inter æquales longè præstabat, ea facta est animorum moderatio atque conuersio, vt cum aduersariorum commentaria legisset Innocentius, obiectaque crimina expendisset atque existimasset, eos Cassiano teste & authore conuiceret non solum inhumanitatis verum etiam amentiæ; dimiserítque Petrum & Martyrium cum literis grauibus temeritatem Theophili lacessentibus, sed & Paternum de quo supra mox num. 2. cum indignatione abiiciens, ne rescribere quidem voluerit. Designatus fuerat è Romanis inter colloquutores Leo Innocentij Archidiaconus, vir egregiæ sanctimoniæ atque doctrinæ, qui deinde Sixto succedens ordinatus est Romanus Pontifex, quantique referret hoc etiam commilitone partem ac studia Chrysostomi stabiliri Cassianus intelligens; priuatis quoque officiis hunc demereri ac rei controuersæ rationes edocere annisus est, quod Deo propitio sic effecit vt nihil in posterum fuerit eorum familiaritate coniunctius.

7. Nec præterire fas est optimi Pontificis summam in suos legatos nostros Cassianum imprimis charitatem. Exceptum enim non modo omni honore ac benignitate tractauit, sed etiam arcte complexus hominem Pontifex & suauissimè exosculatus multa cum eo de Ioannis cuius fama rebúsque gestis valdè permouebatur integritate & innocentia singulari, deque restituenda Ecclesiastica pace serio contulit. Atque ob id ipsum statuit tandem vnà cum Episcopis Italiæ, non modo Communicandum esse cum Ioanne Chrysostomo, quod violenter eiectus esset, sed Arsacium insuper intrusum grauioris interdictionis fulmine percussit, liquido cognoscens quàm petulanter ille se, quam præfractè impudentérque gessisset. Vnde ex facili constaret, cum huiusmodi moribus nequaquam habitare virtutem bonitatémque doctrinæ, neque conscientiæ fiduciam stare. Sed id commodi etiam sperabatur vulgo ex Innocentij censura, minus olim præcipites fore populos ad ruinam, multos præterea ex inductis respecturos constantiam veritatis, séque Ioannis obsequio & amicitiæ reddituros. Hæc in Dialogo diserte copiosèque dicit Theodorus.

Theodorus S. R. E. Diaconus Palladio chariſſimus, qui tum Romæ præſens aderat cum Leone ex domeſticis atque intimis familiaribus Innocentij. Teſtatur & ipſe Innocentius in Epiſtolis, quas tum ad Ioannem tum ad Clericos Conſtantinopolitanos per eoſdem Germanum & Caſſianum legatos reſcripſit. Vtramque ex lingua Romana verſam recitat Sozomenus, habent autem ſic.

Lib. 8. c. 26.

Epiſtola Innocentij ad Chryſoſtomum.

Quamquam inſontem omnia expectare bona & à Deo miſericordiam petere conueniat: ſunt tamen & à nobis qui patientiam ſuademus competentes literæ, per diaconum Cyriacum Miſſa, vt contumelia plus poſſe non debeat in bona conſcientia proferenda, quam ſpes in eadem erigenda. Neque enim tu docendus es tot populorum doctor ac paſtor, optimos quoſque ſemper & continuè probari, velintne in vigore tolerantiæ perſiſtere ac nulli afflictionis moleſtiæ ſuccumbere. Etenim conſcientia bona firmum reuera munimentum eſt aduerſus omnes caſus immeritos, quos quidem qui tolerantia non ſuperat, is verò ſiniſtræ ſuſpicionis argumentum de ſe ipſe præbet. Omnia enim ſufferre debet quiſquis primum Deo deinde conſcientia ſua nititur. Siquidem ad patientiam exerceri poteſt, vt quam maximè vir bonus & honeſtus vinci non poteſt, quandoquidem conſeruant eius animum ſcripturæ diuinæ, & exemplis eumdem communiunt lectiones ſacræ quas populo proponimus, quæ quidem vniuerſos pene ſanctos variis modis & continenter exercitatos ac velut in examine quodam exploratos fuiſſe, atque ita ad patientiæ coronam peruenisse docent. Hæc igitur ipſa conſcientia charitatem tuam conſoletur, honorandiſſime frater, quo facto in tribulationibus ex virtute conſolationem habebis. Inſpectante enim Domino noſtro Chriſto in tranquillitatis portum conſcientia mundata ſiſtetur.

Altera Epiſtola ad Clericos.

Innocentius Epiſcopus Presbyteris & diaconis vniuerſóque Clero ac populo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, qui ſubditi ſunt Epiſcopo Ioanni, dilectis fratribus ſalutem. Ex literis charitatis veſtræ quas per Germanum Presbyterum & Caſſianum diaconum miſiſtis tragœdiam malorum, quam ob oculos poſuiſtis, anxia ſollicitudine cognoui, quantiſque miſeriis ac difficultatibus iſtic laborat fides, lectione ſepius repetita perſpexi, quam quidem rem vnica patientia conſolatio ſanat. Dabit enim breui Deus noſter tantis tribulationibus finem, & hæc olim meminiſſe iuuabit. At verò nos quidem vti conſolationem neceſſariam iſtam, quam in exordio Epiſtolæ veſtræ proponitis approbamus, ita & intelligentiam charitatis veſtræ agnouimus, quæ multa patientiæ teſtimonia complectitur. Etenim noſtram conſolationem quam literis adferre vobis debebamus, ſcriptis veſtris vos ipſi preueniſtis. Hanc autem tolerantiam Dominus noſter laborantibus præſtare ſolet, vt etiam in ipſis tribulationibus conſtituti ſerui Chriſti, ſe ipſos conſolentur reputantes ſecum, & antea ſanctis accidiſſe eadem, quæ nunc patiuntur ipſi. Itaque nos iam vel ex literis veſtris

depromere consolationem possumus, neque enim tam alieni sumus à vobis vt non condoleamus, cùm & nos in vobis cruciemur. Etenim quis ferre poterit eorum delicta, quos vel præcipuos esse fautores tranquillitatis ac pacis & concordiæ decebat. At qui nunc præpostero modo de primatu Ecclesiarum suarum deturbantur sacerdotes insontes, quo quidem primus frater noster & in Ecclesiastico munere socius Ioannes Episcopus vester iniustè oppressus est, cui ne id quidem contigit, vt se defensurus audiretur, nullum crimen obiicitur, nullum auditur. Quod igitur hoc commentum est tam deploratum, vt ne vel suppetat vel quæratur occasio iudicij in locum sacerdotum viuentium alij substituantur? quasi illi per huiusmodi peruersitatem irrepunt, vel habere ipsi vel agere quicquam recti à quoquam iudicari possint. Neque enim vnquam à patribus nostris talia fuisse patrata cognouimus: sed interdictum potius fuisse decreto quo cauebatur, ne cui fieret copia, qua in viuentis, locum inauctoraretur. Nec enim reproba ordinatio sacerdotis dignitatem auferre potest, quando nec Episcopus esse quidem potest ille, qui iniustè subrogaretur. Nos enim quantum ad Canonum obseruantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt, quibus solis obtemperare & suum suffragium addere Ecclesia Catholica debet. Si qui verò & alij quibusdam proferuntur, qui à Canonibus Nicænis discrepant, & ab hæreticis compositi deprehenduntur, hi verò ab Episcopis Catholicis reiiciuntur. Hæreticorum enim commenta Catholicis Canonibus assuere non licet, semper enim vel per contraria vel per illicita labefactare voluntatem student Concilij Niceni. Non solum igitur his non obtemperandum esse dicimus, sed ipsa potius vnà cum hæreticis ac Schismaticis dogmatibus esse condemnanda, quomodo & antea in Sardicensi Synodo ab Episcopis prædecessoribus nostris factum est. Nam sanè longè præstiterit vel ea condemnari fratres charissimi, quæ rectè facta sunt quam ea robur vllum sortiri, quæ aduersus istos canones acta sunt. Sed quodnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam multo iam antea congregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ huiusmodi procellarum impetus retundere potest.

7. Quam quidem donec consequamur expedit medelam calamitatis huius committere voluntati magni Dei ac Christi eius Domini nostri. Illa vniuersis quæ nunc per inuidiam diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil autem desperare debemus freti nostra in Deum fide. Ac nos quidem multum deliberamus quonam modo Synodus Oecumenica congregari possit, per quam diuina voluntate turbulenti isti motus consopiri possint. Expectemus itaque tantisper ac vallo patientia communiti, speremus auxilio Dei cuncta nobis esse restituenda. Vniuersa verò quæ eis ibi sufferre dixistis, iam antea à coepiscopis vestris, qui Romam licèt diuersis temporibus conuenerunt, Demetrio videlicet, Cyriaco Eulysio, & Palladio, qui nobiscum sicut diligenti inquisitione habita cognouimus.

8. Hæ sunt igitur Innocentij literæ, ex quibus animaduertere licet quam eximiam de Ioanne eiúsque legatis Germano & Cassiano, quos tam honorificè nomine designat, existimationem habuerit. Omnium opinione constitit, neminem in iis legationibus plura quam Cassianum persuasisse,

persuasisse, confutasse, opposuisse; nec modicè auctam Eudoxianis quam hauserant de illo deque Ioannis authoritate ac dignitate formidinem. Quamquam ne procrastinata calamitas Oecumenici Concilij celebratione remoratâ longius serperet atque progrederetur, venit Romam secundò Demetrius Episcopus Pisinuntis, qui peragrato oriente prædicauerat Communionem Ecclesiæ Romanæ cum Episcopo Ioanne testibus Papæ Innocentij literis, afferens Epistolas ab Episcopis curiæ, in quibus Ioannis amplectuntur communionem. Ab Antiochenæ itidem Ecclesiæ Presbyteris, vbi Romanorum sequuntur disciplinam, laudantes integritatem iudicij & ordinationem apud se factam de Porphyrio, vt illicitam ac nefariam execrantes. Post hos omnes venit Domitianus sacerdos, Constantinopolitanæ dispensator Ecclesiæ, & Vallagas quidam Nisybius Presbyter exponens Monasteriorum Mesopotamiæ gemitum & eiulatum, simul & commentaria Optati cuiusdam Præfecti reddiderunt, vbi honestæ mulieres ex genere consulari publicè ad eum adductæ memorantur, Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconæ, ita vt cogerentur Arsacio communicare aut fisco ducentas auri libras applicare. Quid autem de virginibus aut Monachis dicere oportet? Ostendebat secta in ligno latera, terga cæde conscissa.

Palladius in Dialo.

9. Non tulit vltra Innocentius Pontifex indignatione summa permotus, scripsitque ad Honorium Imperatorem qui præcepit Synodum Occidentalium Episcoporum congregari, & cum in vnam sententiam concurrisset ad se referre. Congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant vt scriberet Arcadio fratri suo vt iuberet Thessalonicæ Concilium fieri, quo facilius possent vtræque partes Orientis occidentisque concurrere. Addentes perfectam Synodum non numeri quantitate sed qualitate sententiæ certam & irrefragabilem tulisse sententiam. His inflammatus Imperator Episcopo quidem Romano scribit, vt mittat Episcopos quinque, Presbyteros duos, Romanæ Ecclesiæ Diaconum vnum qui ipsius ad fratrem Epistolas ferrent. Quæ autem sequuta sint de morte Eudoxiæ Imperatricis & Arsacij, de incendio post Ioannis egressum cœlitus misso in Ecclesiam Constantinopolitanam, de grandine quæ inusitatæ magnitudinis in suburbiis Constantinopoli decidit, simul etiam quemadmodum persequutores Ioannis & calumniarum aduersus eum ministri damnationisque architecti, horribilibus & insanabilibus diuersis morbis affecti fuerint, narrat Palladius ibidem singulorum fermè infortunia recensens.

Pallad. ibid.

CAPVT XXXVI.

Exilium & obitus Chrysostomi.

1. Cùm ab eo Innocentij congressu aliisque deinde colloquiis lætus admodum discessisset Cassianus & optima spe Constantinopo-

litanam Ecclesiam implesset, breui ea lætitia cunctis euanuit, siquidem pauci, post mensibus quàm legati nostri Constantinopolim redissent, Chrysostomus febri extinctus ingenti omnium luctu Christianam Rempublicam orbam ac debilitatam reliquit. Quod olim ex portentis aut vaticinatione prænuntiasse dicitur Epiphanius. Hic enim quo tempore in gratiam Theophili Alexandrini contra Monachos origenistas litigaret, ei quidem Episcopatus amissionem & mortem in exilio prædixit, Chrysostomus autem Epiphanio obitum in mari antequam in Ecclesiam suam perueniret, idque de Chrysostomo aiunt hoc ipso Christi anno 407. accidisse, cum ab vrbe simul & sede sua expulsus & eiectus vitam in exilio finierit. De Epiphanio verò superiori anno 402. quo traiiciens in Cyprum defunctus est in mari antequam Lesbum portus tenuisset. Ista Sozomenus quæ & fusius apud Socratem, Leonem Augustum, Metaphrastem, sed omnes ex incertis rumoribus, ideoque fides sit penes authores. Quænam autem obitum Chrysostomi præcesserint hic describamus. Atque imprimis in memoriam reuocandum ipsum iam in Synodo ad Quercum à pseudo Episcopis iniustissimè damnatum fuisse, ac mandasse Arcadium Imperatorem vt interim in Episcopatus habitatione moraretur, vbi sicariorum periculo liberatus quos in necem ipsius Eudoxiani mercede conduxerant, licet noctu diuque à populo, custodiretur, tamen postmodum factione aduersariorum Misso (inquit Palladius) Rex Patricio Notario suo, ista Ioanni præcipit. *Acacius & Antiochus & Seuerianus atque Cyrinus damnationem tuam super caput suum posuerunt. Te ipsum ergo commendans Deo Ecclesia egredere.* Itaque Episcopus Ioannes post apertam nihilque obumbratam iussionem Episcopio discedens, vnà cum Episcopis dixit omnibus. *Venite oremus & in angulo Ecclesiæ congrediamur*, lætus quidem de se sed de populi mœrore & afflictione subtristis. Protinus quidam ex primariis ciuitatis, vir fidelis Ioanni significat, quoniam Lucius vir audax & facie impudens paratus est in lauacro publico cum militibus suis, si fortè contradicas aut differas, etiam inuitum trahere & expellere. Fit autem magna in plebe commotio. Festina clam egredi ne in tuum auxilium confluens populus, bellum cum militibus conserat. Tum verò Ioannes osculatus cum lacrymis ex Episcopis quosdam (cæteros enim osculari non sinebat ingens miserationis affectus) orauit: reliquis qui erant intus in sacrario dicens. *Manete hic interim vt profectus modicum requiescam.* Ingressus autem Baptisterium, Olympiadem vocat quæ ab Ecclesia non discedebat, vnà cum Peutadia & Procula Diaconissis, saluinam quoque beati Nebridij coniugem, quæ viduitatem suam præcipua virtute & honestate decorabat, dixitque eis. *Venite huc filiæ audite me. Quæ de me sunt, vt video finem habent, cursum meum consummaui neque vltra videbitis fortè faciem meam, hoc vnum rogo, hoc deprecor ne qua ex vobis solitam beneuolentiam deserat, & quicumque non sponte fuerit ordinatus, neque id vllo quæsierit ambitu de consensu omnium, ei caput vestrum inclinate vt Ioanni per omnia, non enim esse Ecclesia sine Episcopo potest. Atque ita misereminì mei, & in orationibus vestris semper memineritis*

Sozom. l. 8. cap 15. 16. Socr. 6 c. 15. Leo Orat. de Ioan. Chrys. Metaphrast. in vita Chrys.

Palla. in Dial.

memineritis mei. Ad hæc illæ profusæ cum gemitu & eiulatu ante sacra eius vestigia volutabantur. Tunc ille cuidam ex honestioribus Presbyteris annuens. *Tollite*, inquit, *eas hinc ne multitudinem perturbent.* Sic ergo impeditæ modicum, locum illi dedere abeundi.

2. Ita demum egressus & à militibus ab Ecclesia suisque diuulsus in Ciliciam deportatus est, Cucusum namque oppidum in Cilicia fuisse ab Eudoxia Augusta præscriptam exilij sedem, locum planè asperrimum, sed nobilitatum ante, exilio sanctissimi viri Pauli Episcopi pariter Constantinopolitani & Martyris sub Constantio Imperatore, testatur ipse ad Cyriacum scribens. *Atque hæc tibi è Cucuso quod Ciliciæ oppidum est scripsi, quo videlicet Imperatrix ablegari me iussit.* Quomodo autem illuc proficiscenti ex diuersis Prouinciis agmina fidelium vtriusque sexus omnisque conditionis in occursum properantes, per vias, per vicos, per vrbes sese effunderent & lachrymarum imbres præ dolore funderent, quamquam ægra valetudine toto itinere laborauerit continuis febribus & stomachi solutione, quanta insuper passus sit Cæsareæ Cappadociæ mala, à Pharetri eius ciuitatis Episcopo inuidia percito, quod vidisset ipsum Chrysostomum ab omnibus ciuibus & Clero ac Monachis vtriusque sexus magna veneratione haberi & eximia humanitate foueri: quantas præterea itinerum difficultates pertulerit quantáque latronum Isaurorum vniuersas illas regiones dirissimè infestantium pericula euaserit, sed & quomodo Cucusum aduieniens humanissimè ibi tam ab Episcopo, quàm aliis eiusdem loci ac totius regionis incolis susceptus fuerit, atque ob ingentem ipsorum liberalitatem & sollicitudinem, etiam si oppidulum illud desertum esset, & nec forum nec venale aliquid haberet, omnibus tamen rebus abundauerit, ac denique cum de sede firma innotuisset exilij, quomodo ad eum confluere vndique ceperint, quibus hoc concessum esset, amici; absentes verò legationibus eum ac literis frequentauerint. Hæc inquam omnia & alia eo spectantia, pluribus ipsemet Ioannes narrat in Epistolis, quas multiplices tam ex itinere quàm ex ipso exilij loco ad diuersos scripsit, ac præcipuè ex Epistola ad Cyriacum, aliisque duabus, quas inter alias ad Olympiadem Diaconissam, quæ & ipsa ob communionem Chrysostomi post alia certamina etiam exilio mulctata est.

Epist. 125.

Spond. an. 404.

3. Verùm cum adeo in dies magis magisque increbrescerent Isaurorum incursus, factum est vt quibus custodia Ioannis mandata erat, rati minus tutum locum esse Cucusum, cùm exegisset vt ait Palladius iam annum, in Arabissum magis munitum Armeniæ oppidum non sine magno periculo transferrent. Cuius quidem peregrinationis periodum, ex verbis eiusdem Chrysostomi hæc ipsa scribentis ad Elpidium Episcopum hic reddamus. *Neque enim certo vllo loco defixi sumus, verum nunc Cucusum, nunc Arabissum, nunc voragines atque deserta loca circumimus. Vsque adeo cuncta tumultibus ac perturbatione plena sunt, flammáque & ferrum tam corpora quam ædificia omnia conficit. Ac iam etiam vrbes vnà cum viris omnibus funditus excisæ atque euersæ sunt; nosísque quotidie rumoribus perculsi*

Chrysost. Epist. 131.

sedes

sedes mutamus, graue quoddam ac nouum exilij genus perpetientes, mortémque in dies expectantes, nam ne castello quidem perinde atque carcere nunc inclusi fidenti animo esse possumus, propterea quod Isauri huiusmodi arces obsidere non dubitent. Ad quas molestias etiam grauis morbus accessit, cuius nunc ægrè acerbitate depulsa, reliquias adhuc circumferimus. Hæc ad Elpidium, sed & ad Nicolaum Presbyterum, Theodorum Diaconum, & ad Olympiadem quæ Arabyssi pateretur pluribus narrat.

Epist. 69. 135. 4.

Palla. in Dia.

4. Interea congregati Italiæ Episcopi Imperatorem orant vt scriberet Arcadio fratri suo, iuberet Thessalonicæ Concilium fieri, vt supra dictum est. Quibus inflammatus Imperator Episcopo quidem Romano scribit. Erat autem hic tenor Epistolæ.

Tertiò iam scribo ad mansuetudinem tuam orans vt quæ contra Ioannem Episcopum Constantinopolitanum malignè gesta essent corrigeret. Verùm id hactenus vt video factum non est. Quocirca rursum per sanctos Episcopos & Presbyteros scribo pacis Ecclesiasticæ auidus, & ingenti cura solicitus (pacatis enim Ecclesiis Imperio quoque nostro pax prouenit) vt Episcopos Orientales iubeas Thessalonicæ conuenire. Nosti quippe quod Occidentales Episcopi electos viros miserunt seuera constantiæ, & qui neutram in partem inclinentur amore vel odio, Episcopos quinque, Presbyteros Romanæ Ecclesiæ duos, vnumque Diaconum. Quos vt cum omni honore suscipias quæso vt si quidem illis persuasum fuerit Ioannem iustè fuisse expulsum, doceant me ab eius communione discedere. Sin autem deprehenderint sponte malignatos Orientis Episcopos ab illorum se itidem communione secernant, quænam verò sit Occidentalium de Episcopo Ioanne sententia ex omnibus fermè Epistolis constat, quas ad me frequentes dederunt. Ex his duas idem continentes quod reliquæ, subdidi, scilicet Romani & Aquileiensis Episcopi. Hoc autem ante omnia de tua mansuetudine postulo, vt Theophilum Alexandrinum inuitum etiam adesse præcipias, per hunc enim mala omnia emersisse memorantur vt aduenientium Episcoporum Synodus in nullo impedita congruam temporibus nostris afferat pacem.

5. Illam sibi ab Innocentio Papa datam Prouinciam susceperunt Æmilius & Cythegius & Gaudentius Episcopi, vnà cum Valentiniano Bonifacióque Presbyteris, Imperatoris Honorij & Papæ Innocentij & Italiæ Episcoporum Chromatij Aquileiensis & Venerij Mediolanensis ac reliquorum Episcoporum Epistolis, vnà & commonitorio Concilij totius Occidentis, conditionibus publicis Constantinopolim concessere. Erat autem commonitorium huiusmodi. Non oportere Ioannem iudicium aggredi nisi illi prius Ecclesia communióque redderetur, vt omni dilationis occasione sublata, sua sponte Concilium ingredi posset. At Ioannis hostes apud Constantinopolim hanc rem quasi in contumeliam eius imperij fieret calumniati sunt, & vt illi tanquam transmarini imperij turbatores ablegarentur effecerunt. Cùm enim ad portum appulissent ab iis quibus eiusmodi cura demandata erat retrò repulsi, conclusi sunt intra castellum quoddam maritimum atque variis contumeliis cruciatibúsque affecti. Cúmque vt literas quas ab Honorio Imperatore & ab

Innocentio

Innocentio Papa aliisque Occidentalibus Episcopis deferendas acceperant darent, exigeretur ab eis, iidémque obfirmato animo recusarent eas nisi ipsi Arcadio Augusto ad quem dirigebantur tradere, adueniens tribunus quidam perfracto vnius ex Episcopis Legatis pollicè easdem per vim abstulit. Postridie verò venerunt ad eos, qui tria millia nummum darent vt communicarent cum Attico nuper electo Episcopo, & de Ioannis Chrysostomi iudicio omnino tacerent, sed & id ipsi penitus agere recusantes ab eodem Tribuno iniecti sunt in nauim vetustam & putrem, dato precio nauclero vt perderet nauigantes: verùm iidem diuino adiuti auxilio. Lampsacum appellentes inde mutata naui in Italiam peruenerunt post quatuor menses, quàm in Orientem profecti fuerant.

6. Porro ipse Ioannes qui primo anno Cucusi & iam altero & tertio inchoato Arabissi exulabat, in hoc vsque tempus haud priuatus est commercio literarum, tunc enim mittens Romam Ioannem Presbyterum & Paulum Diaconum scripsit ad Innocentium Papam, eique imprimis pro sedulo & indefesso in sua causa exhibito studio ingentes gratias egit. Sed quod nullæ deinceps ab eo datæ leguntur, interceptus creditur commeatus, ipséque ne quid scriberet custoditus ab aduersariis inuidia tabescentibus, vt ait Sozomenus, quod viderent, vniuersam Ecclesiam Occidentalem pro illo esse solicitam. Neque idcirco remisit aduersariorum furor aliquid de seueritate cogendi, nam pertæsi tam frequentem hinc inde ad Ioannem accessum, illud consilium iniisse, vt eundem Pithyuntem transferrent, Palladius tradit in Dialogo, dum ait. Inspicientes enim Seuerianus & Porphyrius Antiochenam Ecclesiam in Armeniam commigrasse, & inde rursus Antiochiæ Ioannis gratissimam Philosophiam prædicari disrumpebantur vitæque illos iam tœdebat huiuscemodi rumoribus non secus quam flagris cruciatos, est enim ea inuidiæ natura, vt eos quos inuaserit semper exagitet. Eo miraculo perculsi plerique clerici aduersæ factionis aiebant. Videte mortuum terribilem viros victorésque perterrefacientem non secus ac paruulos laruæ deterrent. Et infra. Non iam igitur ferentes in scena occultare serpentem, ad Arcadium Imperatorem mittunt rescriptúmque aliud vehementius cum adiectione pœnæ procurantes, transferri scilicet eum intra loci cuiusdam angustias vnde non liceret progredi. In Pityuntem, locum penitus desertum extorrem agunt ripæ Pontici maris imminentem. Porro milites præfecti Prætorij, qui illum ducebant maximè eum per viam vrgebant, id se habere in mandatis apertè asserentes, maiori se gradu promouendos, si per viam ille moreretur, vbi verò Comanæ appropinquarunt ipsam veluti pontem transeuntes, in templo quodam quinque aut sex millibus passuum remoto manserunt. Ipsa nocte martyr ipsius loci Basiliscus nomine, qui Nicomediæ sub Maximiano passus cum Luciano Antiochiæ presbytero fuerat, dum esset Comanensis Episcopus, apparuit ei dicens *Confide frater Ioannes, cras enim simul erimus.* Aiunt Presbytero quoque Ecclesiæ prius apparuisse martyrem, atque dixisse. *Præpara Ioanni fratri locum, venturus est enim.* Ille nihil de eo

oraculo dubitans, in crastinum orabat milites, vt illic vsque ad quintam horam permanerent qui minimè acquiescentes perurgebant. Profecti verò quasi stadia triginta, rursum ad memoratum templum vnde exierant, redierunt ipso iam febribus laborante. Illuc vbi rediit vitæ suæ digna candida vestimenta quæsiuit, exutúsque prioribus ea se induit, omnibus vsque ad calceamenta mutatis, reliqua præsentibus ipse distribuit sumptísque cœlestibus Sacramentis coram astantibus extremam orationem fudit dicens more suo. *Gloria sit Deo omnium causa.* Consignánsque se in fine orationis ostendit speciosos illos pedes, qui concurrerent ad salutem eorum qui elegere pœnitentiam & in illorum probrum, qui peccata abundè messuerunt. Quod si nihil malis probra profuere hoc non imbecillitas constantissimi viri sed illorum impudentia fecit, qui ea tolerare noluerunt. Adiectus est ad patres suos excusso puluere mortalis vitæ atque migrauit ad Christum.

7. Tanta verò multitudo virginum tantúmque Monachorum & honestioris vitæ testimonio insignium ex Syria, Cilicia, Ponto, & Armenia agmen accurrit, vt putarent plurimi ex condicto eos aduenisse. Ita sepultus laudibúsque velut athleta victor honoratus est, corpusculo vnà cum Basilisco in eadem Ecclesia condito. Vixisse autem illum annos quinquaginta duos & menses octo Leo Augustus habet in eius encomio, & de quinquaginta duobus annis reliquis omnes qui de his egerunt, sunt assertores. Episcopatus verò vsque in diem qua obiit numerantur anni nouem, menses sex, & dies viginti.

CAPVT XXXVII.

Secedit Constantinopoli & Romam primùm se recipit Cassianus ab obitu Chrysostomi.

1. VIx biennium circum-egerat se ex quo Eudoxiani in locum eiecti Ioannis suffecerant Arsacium Ecclesiæ Constantinopolitanæ Presbyterum, fratrem Nectarij qui ante Ioannem eidem Ecclesiæ præfuerat, virum vt ait Palladius, quem pisces facundia, cantu ranæ superarent: qui cum anno vno & duobus mensibus vixisset, mortuus est ipsa Dei Euangelia in fine vitæ contestatus se fratri Nectario sub iureiurando fuisse pollicitum, nunquam ordinationem Episcopatus admissurum, cùm illi exprobraret quod voluisset Tarsensi Ecclesiæ præfici. Fuit illi periurij causa primùm quidem vanitas sua, per quam despondebat sibi, vt sic dicam vxorem fratris sui: deinde confusio quoque, cùm frater suus hac de re quodammodo prophetice illum arguisset. Substituitur Arsacio & ordinatur quarto post obitum illius mense, Atticus Constantinopolitani Cleri Presbyter, vnus ex insidiatoribus Ioannis (quo ferè tempore Cassianus iam legatione defunctus rebus multis Romæ præclarè gestis, secundo cursu peruectus in Orientem, Constantinopolin reuertitur.) Hic

Hic quidem natione erat ex Sebastia Armeniæ, sed à puero ad religionem institutus per Monachos hæresis Macedonianæ sectatores, qui tum temporis Sebastiæ in huius sapientiæ studio clarebant, ex schola Eusthathij progressi. Cúmque ad virilem ætatem peruenisset ad Catholicam Ecclesiam transiit. Et quoniam natura magis, quàm doctrina prudens erat, rerum agendarum insidiator fuit, vt qui ad astruendas insidias & ad eadem euitandas sufficeret ingenio pellaci, ita vt multis gratus esset. In concionibus Ecclesiasticis mediocris, vt hæ neque scripto dignæ viderentur auditoribus, neque eruditionis prorsus expertes. Nam cum affectatus esset, si quando occasionem nactus erat præcipuos quosque Græcos scriptores lectitabat, & eo ipso quod indoctus haberetur dum de hisce dissereret, etiam doctos sæpenumero latebat. Ferebatur autem erga suæ opinionis homines industrius, aduersus diuersa sentientes formidabilis, & facile his ipsis quoties vellet incutere metum & mox mutatus apparere mansuetus. Atque hunc quidem talem fuisse aiunt illi, qui hominem norant. Hæc ex Socrate & Sozomeno supra citatis.

Sozom. lib. 8. cap. 27. Socra. lib. 6. cap. 18.

2. Vbi ventum ad Aulam regiam, Cassiano cogitanti veteres animorum acerbitates, eo iam euasisse vitio maleuolorum, vt qui cerneret partem vtramque tantis à se inuicem abstrahi discordiarum interuallis denuo vix posse connecti, sibique diffidenti & ad cœlestium conciliandam opem intento mirus exarsit ardor & liquidissimæ affluxere dulcedines, dum Angelos eius imperij custodes singulariúmque Prouinciarum & vrbium & singulorum hominum veneratur. Addebat & sanctissimæ virginis patrocinium & Sanctorum, quorum præcipuè Constantinopolitani tutela sacrísque pignoribus gloriabantur, eos etiam atque etiam orabat omnes, vti boni atque propitij suum in vrbem reditum respicerent fortunaréntque: ac precibus suis efficerent vt tandem cum Antistite suo coalescerent animi ciuitatis. Sed cùm sæpè aliàs Præsules summi & Dynastæ pro conciliatione intercedentes operam lusissent irritis tametsi potentissimis conatibus, surdæ hic etiam fuere cœlitibus aures, Eudoxianorum vesania obstrepente; ne Pontificali quidem Innocentij authoritate & anathematis fulmine intentato homines inuidi (adeo nihil nefas inuidiæ est) incepto destiterunt vt satis appareret non tam hominum illam pertinaciam esse, quàm Satanæ sibi suísque sectatoribus à Chrysostomi sanctitate pertimescentis. Vix ac ne vix quidem ab illis impetratum ne vi ac minis quemquam cogerent in communionem cum Attico, vt autem initam cum Chrysostomo retinerent nullo modo exprimi potuit.

3. Sed quid præterea meditata est scelerata perfidia? Quod enim Atticus animaduerteret Orientalium sibi Episcoporum communicare neminem, neque ipsius ciuitatis populum, propter ea quæ adeo iniustè ac nefariè admissa fuerant, agit diuinarum scripturarum imperitus vt qui non communicarent rescriptis conuenti cogerentur. Habebat autem rescriptum aduersum Episcopos huiusmodi. *Si quis Episcopo*

Theophilo, & Porphyrio, & Attico non communicat Ecclesia pellatur & à suis facultatibus proiiciatur. Hinc iam alij plus æquo grauati pondere, inuiti quoque communicant. At verò pauperiores quique & in fide sana imbecilliores muneribus quibusdam ad communicandum attrahunt. Qui verò genus & patriam & corruptibilem gloriam, corporúmque pressuram contempserunt, fuga ingenuitatem animi seruauere, Euangelicum illud crebrâ memoria repetentes. *Si vos in vna ciuitate persecuti fuerint, fugite in aliam.* Et Prouerbiorum illud sibimet dicentes. *Non proderunt substantia in die iræ.* Profecti sunt autem alij quidem Romam, alij ad montes, alij in Monasteriis seruorum Dei à Iudaica iniquitate seruabantur. Continebat autem rescriptum contra laicos qui in dignitatibus erant constituti, vt magistratu & dignitate omni priuarentur, milites vt baltheum amitterent, populares & artifices reliqui persoluto graui auri pondere subiicerentur exilio. Hæc ad verbum Palladius, qui de legatis Romam missis, aliisque exulibus & & extorribus ab Attico iniuriosissimè tractatis, sigillatim ita describit. Episcopi vt initio quidem fama vulgauit in mare præcipitati, vt autem veritas continet in exilium ad remotiora & barbara loca ducti sunt, ibique à satellitibus nunc vsque seruantur. Reuersus enim Diaconus quidam itineris ipsorum comes, retulit Cyriacum quidem Emisenum Episcopum octingentis millibus passuum Palmyram Persarum oppidum adductum esse, Eulisium verò Bostræ Arabum in castellum quod Nupsas appellatur, saracenis adiacens relegatum; Palladium Blemmiorum siue Æthiopum Episcopum seruari prope locum qui Syene vocatur in Ægypti regione, Demetrium intus in Oasim Mazicis proximam (sunt enim & alia Oases) Serapionem autem post innumeras absque vlla probatione calumnias, cum atrocitate iudicium violassent, in patriam, vt fama est, propriam relegarunt. Hilarius vir sanctus & senex post plagas non à iudicibus sibi sed Acro impositas, in interiorem Pontum Missus est, qui decem & octo annis panem non gustauit, solaque olera vel legumina in cibum habuit. Antonius intra Palæstinæ speluncas se inclusit. Timotheus Maroniæ, & Ioannes Lydiæ Episcopi in Macedonia esse memorantur, Rhodon Asiaticus Mitylenem profectus est, Gregorius Lydius esse in Phrygia dicitur, Brisso Palladij frater Ecclesia sua sponte derelicta, in agello suo degit, terram manibus propriis fodiens, Lampetius verò vt aiunt in agro Lydiæ à quodam fouetur Eleutherio Lectionibus vacans, Eugenius in patria est, Elpidius magnus ille Laodiceæ Syriæ Episcopus vnà cum Pappo, tres anni sunt ex quo gradus domus nunquam descenderunt, orationibus insistentes, Heraclidas Ephesius quadriennium iam Nicomediæ carceri inclusus est.

4. Reliqui de Communione Ioannis, partim quidem Attico communicarunt necessitate compulsi, & in alias regiones Thraciæ translati, partim nescimus vbi sint. Aiunt Anatolium in Gallias concessisse, Presbyteri verò in Arabiam & Palæstinam exularunt, Tigrius in Mesopotamiam relegatus est, Philippus fugiens in Ponto diem obiit, Theophilus in Paphlagonia versatur, Ioannes Æthrius Cæsareæ construxit Monasterium:

lum: Stephanum in Arabiam relegatum à carnificibus Isauri abstractum in Taurum dimisere, Sallustium Cretæ immorari fama est, Philippum Monachum atque Presbyterum Scholarum, audiui infirmari in Campania: Sophronius Diaconus Thebaidæ seruatur in custodia, Paulus Diaconus Dispensatoris adiutor in Africam profectus memoratur, alius Paulus Hierosolymis est: Helladius Palatij Presbyter Bithyniæ in agello proprio degit plurimi Constantinopoli delitescunt, alij verò in sua quisque discessere. Siluanus autem sanctus Episcopus Troade piscatu sibi victum quærit. Pergit dicere de Stephano Monacho Eutrepio & aliis.

5. Tum verò Cassianus tam proiectæ Attici audaciæ infestus omnino effecit, vt quem simul atque Theophilum Innocentius Papa, propter contumaciam & scelus planè execrandum aduersus ipsius Legatos Constantinopoli perpetratum, à fidelium communione seiunxerat, eorumdem infamiæ vulnera omnibus aperirentur, quo cæteros ab eorum societate ac simili væcordia, conscientiæ contagio deterreret. Atque hinc veteres inter Cassianum & Atticum natæ inimicitiæ & simultates, & verò id causæ subiicit Baronius, cur Cassianus illustres olim honore ac nomine Constantinopolitanos Episcopos enumerans, in calce librorum suorum de Incarnatione, nullam penitus Attici habet mentionem, quam tamen Cyrillum imo Cœlestinum Papam & Sixtum fecisse apparet, vt planè intelligas eum Massiliæ tunc degentem nondum stomachum exhausisse bile, quam in eius aduersus Chrysostomum coniurationem manifestè deprehensam olim conceperat. Nec tamen fracto instaurandæ pacis consilio inuictus Cassiani animus debilitatus est, sed sibi non tam cum hominibus quam cum communibus hostibus esse certamen ratus, ne quid omnino Satanæ cederet, summa ope contra tendendum putauit. Subinde sacrarum ædium adyta in intima penetrans, genua ponere, supinisque manibus numen hostibus propitiare cepit, quodque terrori aliis fuisset, videre custodias maximas ac refertissimas vinctis, atque iis duntaxat qui Ioanni studerent. Iam tum Christi Ecclesiæque amore ardens sempiterno carceri aut cruciatibus se deuouebat, vt ipsemet defensionis partes aggressus tantis difficultatibus & periculis interseptas, singulari Dei adscribat tutelæ, quod præter omnem spem hic latronum ex vnguibus ereptus esset, illic euasisset è militum insolentia, & hæreticorum insultibus, interdum ex pedore carceris & conflictatione morborum.

Baro. an. 430.

6. Cæterùm haud leue in eo certamine vulnus accepit, occasione obitus Chrysostomi qui incidit Comanis apud Pontum Euxinum ad 10. Calen. Octobris ann. 407. Satis constat ex omnibus ærumnis ac molestiis, quas in omni vita plurimas maximásque perpessus erat, nihil vnquam illi acerbius accidisse. Et tunc etiam varios vultus cernere erat Constantinopoli, vt in multitudine, aliorum alios fauentium studiis. Aderant primores non pauci, è clero & senatu immixti cum plebe, atque interiacebat pauperum multitudo, & cùm primum ex hac vita migrasse Ioannem fama fuit, repente cum fletu clamor exortus Pastorem,

Parentem, Tutorem confusis vocibus appellantium suamque orbitatem & solitudinem lamentantium. Circumsonabant omnia singultibus ac vocibus quibus rogabant ne curam abiiceret Christianæ suæ Reipublicæ. Sed hoc singulariter caueret apud Deum, vti ei perbene consultum vellet, quandiu pastore legitimo destitueretur. Ipse cum publici doloris oculos non ferret Cassianus, lachrymis interim extillate copiosius, ac satis indicare parentem suauissimum amantissimus filius quantopere diligeret. Quare vt sensum colligere potuit, vniuersos collachrymantes consolari blandè, contestarique; corpore duntaxat obiisse, & obiisse illum, animo atque affectu manere tamen, ac prædixit nefarios illos humani diuinique iuris violarores, calumniam & inuidiæ suæ obtrectationem honore & corpore, vtinam non etiam anima, breui luituros. Quam prænotionem veram fuisse non diu post rei probauit euentus, nam & expectatam in tantis calamitatibus opem diuinam reipsa præstitit Chrysostomus, & ciuitati reddidit, incertum, viuus ne coram an mortuus procul, benignior appareret. Nec ita multò post Arcadius Imperator vxore iam demortua offensi numinis indignationem expertus, ex hac vita morbo subreptus est, præmaturè quidem annum tantum ætatis agens trigesimum primum. Factiosi è Clero & pseudo Episcopis cum alia deinceps multa per summam iniuriam fecissent, & eodem ore atque audacia qua Ioannis authoritatem contempserant, Innocentij Papæ contempsissent imperium, memori numinis cœlestis ira, in arrogantiæ cumulo bonis Ecclesiasticis malè partis spoliati & ignominia notati, debitas pœnas exoluerunt. Cæterum Atticus & Theophilus fatigati malis penè assiduis, oculos tandem aperuerunt, ac vitæ labes salubri aliqua, vti spes est, pœnitentia expiarunt.

7. Hic fuit veluti gradus deliberanti Cassiano declinare frequentiam Aulæ, & publico carere vt quod vitæ supererat tranquillissimo traduceret senio, & dulcedine sanctissimorum Monachorum in solitudine vspiam priuatus frueretur. Sed haud defuere etiam id temporis, qui rei capitalis aut exilij reum illum facere maligne conati sunt, eiusque fortitudinem & patientiam se debilitaturos minarentur. Et verò par erat vt eiusdem cuius in Ecclesia Constantinopolitana iuuanda fuisset imitator, existere quoque in excessu simillimus. Rebus itaque in deterius quotidie cadentibus, propter nimiam dominationem potentium, secedere Constantinopoli & Romam pergere statuit, atque inde aliò quo illum & religiosi status amplificandi necessitas maior, & operarum minor numerus inuitaret & alliceret. Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus eúmque sequutus Benedictus Gononus in vitis PP. Occidentis ipsum de Ecclesia Constantinopolitana per hæreticos eiectum fuisse affirmant. *Cum autem hereticorum rabies aduersus Ecclesiam Dei sauiret, & sanctus Ioannes Chrysostomus ab ipsis hæreticis in exilium pulsus esset, Ioannem Cassianum eius discipulum primo blanditiis, deinde minis, vt contra Magistrum subscriberet, impij illi adhortati sunt, sed; cum renueret ipsum ex vrbe eiecerunt.*

Lib. 5.

8. Ad hoc dum se iter accingit faustis precationibus populo valedicens, hortatus præsertim est vt timorem Domini omnes sancte percolerent, ac bono animo essent, affore Deum innocentiæ patronum ac victoriæ compotem, totque exhaustas pacis concordiæque studio ærumnas, repositurum tandem ad opes atque ad pretia & præmia meritorum. Porro multi haud ignari quanti eius opera illic momenti esset, perægre tulerunt festinatum discessum. Licèt enim commoratio eius in vrbe non diuturna tempore, si annos numeres: si tamen infractos labores erudiendi proximum, mysteriísque operandi, ac mansura virtutum exempla spectes, & ad gloriam longæua fuit, & ad omnem posteritatis memoriam sempiterna.

CAPVT XXXVIII.

Romæ Cassianus & Leo Archidiaconus se colunt inter ac diligunt.

1. SEd hæc Constantinopoli quasi prætеriens egit, nam Romæ vbi de vitæ genere in perpetuum stabiliendo, & de fundandis religiosis familiis consilio inito anno Christi 408. ætatis 57. iustam quodammodo in aciem prodire cœpit, ad Innocentium adit, qui doctrinam virtutémque hominis in Legatione pro Chrysostomo non ita pridem cognitam perspectámque probe commeminisset, eumque orat multis & supplicibus verbis, vt quam sibi delegisset viuendi regulam & institutorum rationem authoritate sua confirmaret. Nihil enim tam decere nihil tam aptum & conueniens esse Monacho existimabat, quàm si accommodatus publicis vsibus, dum Ecclesiæ iussus aut necessitas postularet, functus munere recepti obsequij redderetur fœneratori suo, poneretque ibi finem virtutum, vbi initia posuerat, atque in propugnaculo muróque tranquillitatis, in quo steterat, iaceret demum obtineretque ordinem moriturus. Itaque ob eas causas postremo, consiliarium sibi fidelem quidem ac beneuolum, tum etiam apud Pontificem deprecatorem adhibuit Leonem Archidiaconum, virum & iisdem studiis & vetustate amicitiæ sibi coniunctissimum, veniámque congregandi homines & in societatem Monasticæ vitæ conuocandi obtinuit, nihil aliud habens moræ quam vt certam aliquam & designatam domicilij sedem vacuósque dies habuisset. Geminum ex ea deliberatione commodum nactus est, alterum quod elanguere tum primùm ac suos excutere ceperunt aculeos sollicitudines illæ, quæ iugem præteritorum malorum memoriam, ac pertæsum prioris temporis animum noctes ac dies doloris & lachrymarum stimulis concitabant. Alterum quod cum tandem visum esset Theophilo Alexandrino, iis qui ob initam cum Ioanne communicationem proscripti fuissent vel voluntario exilio contigisset esse factos extorres, omnibus ad propria redeundi licentiam impertiri, cunctísque obortis dissen-

sionibus

sionibus obliuione deletis, vnitatem in Ecclesia redintegrari. Qua de re libellum scripsisse ad Atticum Constantinopolitanum Episcopum testantur literæ Synesij Episcopi Ptolemaidis in Ægypto scriptæ ad eumdem Theophilum cum ipsum consuluit de Alexandro Basianopolis in Bithynia Episcopo communionis Ioannis, quem exulem idem Synesius apud se recepisset.

2. De his post suum in Italiam aduentum certior factus Cassianus, quasi penderet animo, quænam sibi persequenda via esset, rursumnè Orientem an Occidentem versus? quæ capessenda vitæ forma, ad clericalem ne ac sacerdotalem? an ad solitariam & priuatam prout præsens commouebat species; postea omnis dubitationis discussa caligine fixaque in diuinæ laudis studio mente, totum se solitudini ambiendæ ac persequendæ dicauit, Deoque ita res admirabili suæ prouidentiæ consilio temperante plurimum in eo sedando conscientiæ angore, Leonis Magni vbi maximè is in eiusdem vitæ spem ac desiderium quasi venisset, consuetudine profecit. Cassianus enim eximia indole ingenij animaduersa, diuinitúsque prænoscens quantum Ecclesiæ Dei & Reipublicæ Christianæ frugis educeret, cùm eius deinceps foret gubernacula tractaturus, paulatim officiis delinire hominem & salubribus monitis pro re nata excolere atque ad religiosæ vitæ perfectionem informare cœpit. Nec frustra vsu enim ipso crescente, qui pectus nostrum in dies aperit & intimos cuiusque prodit affectus, adeo celeriter contraxit eos, vt fieri solet, ingeniorum studiorúmque similitudo, vt admirabili concordiæ bono perbeatus sibi videretur vterque, dum alter in alterum se vicissim ipsum contemplabatur: Leonem quidem tanti refert vacuo liberóque animo ad Deum accedere, iam rerum mortalium contemptorem & studio sanctæ æmulationis accensum haud ægrè pelliciebat diuini amoris dulcedo, vt Christum ducem expeditus miles sequeretur, eoque laudabilius Monasticæ vitæ cursum institueret, quo acriora sub aspectum versabantur exempla, tandémque iniecta diuinitus ingenti salutis cura mollitus flectebatur vrgentíque pio desiderio manus dabat.

3. Verùm Deus, id quod spectabat in eo maturans, auxit Innocentio Pontifici & opinionem de Leonis virtute & in eumdem beneuolentiam, ideóque reiecta & in meliorem partem versa Consilia. Videns enim Pontifex veluti alterum Paulum Petri adiutorem sibi Leonem venisse, data post aliquot menses abeundi venia, & dimissò Massiliam Cassiano placuit alterum vt sibi in Ecclesiasticis causis inseruiret, & partem Pontificij oneris consilio leuaret suo, secum retinere, res fidei & omnes quæstiones religionis ei vtique vndequaque doctissimo & maximè orthodoxo demandare, consultationibus totius orbis præsertim Synodalibus quæ Romam velut ad matrem Ecclesiarum omnium & Apostolicam sedem quotidie deferuntur præficere, & quid credere vel non credere reuertentes ab hæresi debeant normam formulámque constituere. Interea reuisens Cassianus loca in quibus res antiqui temporis ac moris edoctus fuerat, reuisens templa Apostolorum ac Martyrum quæ sæpè aliàs supplicandi

tandi causa de nocte frequentare solus sustinuerat & quorum cryptas ad venerandas sanctorum reliquias ingredi tacitus solebat, inuenit hic Theodorum, eum qui postea res gestas Chrysostomi primus cum Palladio scripsisse dicitur, Romanum Diaconum, cum quo præterita mala Constantinopolitanæ Ecclesiæ retractaturus testis ipse viuus ac præsens complusculos dies traduxit. Inuenit alios tum veteres ex facie tum ex sola sanctitatis & doctrinæ fama postea sibi factos amicos. Matronarum conspectus verecundè declinabat, exemplo omnes, verbo eas quæ ad illum concurrerent instruebat, plurimásque ad sanctioris vitæ duxit propositum. Inter quas Proba, Iuliana, Italica, de quibus Pammachius suprà, Melania vidua cum nepte; item alia Melania & Pinianus eiusdem vir, Albináque nurus celebrantur: Sed cæteris præstantior Melania vidua quæ hoc eodem anno 408. Innocentij Papæ anno 7. antiqui vaticinij ante annos quadringentos vt ait Palladius, ed ti memor, distractis prædiis vnà cum nepte, Piniano, & Albina imminentem vrbi cladem euasura, Roma secedens per Siciliam suasore haud dubiè tunc temporis Cassiano & impulsore profectionis, Ierosolymam se iterum contulit, vbi post dies quadraginta ex hac vita migrauit.

Paila in hist. Lausiaca, c.35.

4. Pari studio & quia alicuius nominis esse existimabatur super numere Sacellani, quo erat insignitus Constantinopoli, in virorum ac fœminarum Monasteriis inseruiens necessitatibus, sermones apud eos frequentes secundo cursu, nec minus fœlici habebat successu. Quæ res vt iis temporibus Romæ penè fuit noua, etsi enim ab Antonio Magno per magnum Athanasium olim accepissent Romani prima aliqua huiusce institutionis Monasticæ rudimenta, non deerant tamen qui vitio verterent, quod ea potius perturbationem vitæ ac confusionem religionis quàm pietatis incrementum habere videretur. Verùm haud languidiora facta sunt hominum studia segniorvè disciplinæ vsus, cùm apud optimum quemque valeat magis interioris experientia sensus, quàm cuiusquàm in dissuadendo contentio. Quamquam pro hac pietate simul ipsa morum commutatio loquebatur eámque aduersus oblatrantium voces ac morsus facilè vindicabat. His Cassianus Monachorum Ægyptiorum exercitationes & arctam viuendi consuetudinem toties iam præmeditatas vsuque diuturno pertractatas vtiliter impertiebat, quæ tantò magis hærebant in animis quantò clariore loco fuerunt, qui eam suis deinceps alerent exemplis. Neque enim tanto proficiebant magistro infimi mediique dumtaxat, verùm etiam summi & ex prima nobilitate viri fœminæque. Marcella erat in eis sanctitatis æquè ac nobilitatis fama per celebris, de qua Hieronymus hoc quoque scribit. *Cum antea ignotum esset Romæ Monachorum propositum, nec auderet quisquam propter rei nouitatem ignominiosum vt tum putabatur & vile in populis nomen assumere, ipsam quæ à Sacerdotibus Alexandrinis Arij metu in exilium expulsis, Antonij adhuc superstitis & Monasteriorum Thebaidis disciplinam didicisset, non erubuisse profiteri quod Christo placere cognouerat. Quare cùm in suburbano agro Monasterium instituisset, eius imitatione crebra virginum cœnobia & Mo-*

Epist. 17.

nachorum innumerabilem multitudinem esse cœpisse, vt præ eorum frequentia quod prius fuerat ignominiæ, esset postea gloria.

5. Modo illud satis dicere, præstitisse hoc amplius cæteris in hoc genere Cassianum vt primus ab Athanasio & Sacerdotibus Alexandrinis religiosum institutum Romam transtulerit, vel certè multò magis auctum & propagatum amplificarit. Quod aliæ deinceps æmulatæ sunt nobiliores Occidentis Ecclesiæ, vt Mediolanensis, quæ primum Monasterium iuxta ciuitatem positum habuit, Ambrosio nutritore sicut Augustinus scribit, qui & plura se Romæ vidisse testatur, dum eorum viuendi rationem describit. Sed & ipse in Africa vt Possidonius narrat virorum ac fœminarum complura deinceps condidit Monasteria, adeo vt non sit quod quis Cassiano inter Occidentales Monachos huiuscemodi vitæ instituti primas tribui vel propagatoribus primis proximum accessisse inficietur. Eo instante, cùm antea religiosus etsi peccaret, si rupto Castitatis voto matrimonium iniisset, tamen matrimonium validum ratúmque erat, quod declarant veterum Patrum sententiæ, Cypriani in Epistola ad Pomponium, Hieronymi ad Demetriadem vbi ita de monialibus loquuntur vt si se continere non possent quod professæ erant, eas, potius ad nubendum hortentur quod iam ne peccatum quidem fuisset, accedente legitima Episcopi dispensatione; idque idem ab Epiphanio quoque consuli videmus. Augustinus verò insuper etiam quosdam apertè confutat, qui harum coniugium, coniugium esse negabant. Innocentius certè primus, Pontifex iussit huiusmodi connubia dirimi, ac pœnæ cuiusdam loco constituit, vt thorus separaretur, quam deinceps pœnam constat ab Ecclesia generaliter receptam esse, nam & Leo ipse qui Innocentio annis paulo plus quam viginti in Pontificis locum successit, non modo facti illius improbitatem aut omnino culpam coarguit, sed etiam grauissimis legum comminationibus interdixit.

Lib. 8 confess. 6.
Lib. de mori. Ecclesias. cap. 33.

CAPVT XXXIX.

Presbyter ordinatur ibidem ab Innocentio.

1. Eadem inter exercitia quo impensius & pietati suæ & alienæ saluti seruiret, maturum visum est Leoni, eum sacris ordinibus initiari. Itaque ad summum Pontificem retulit, Cassianum raro huic æuo spontè abditum latere & fallere perpetuo inglorium velle. Dignum videri, qui ad Sacerdotij dignitatem promoueretur, nam per cæteros ordinum gradus ad apicem Diaconatus ritè olim à Chrysostomo euectus fuerat, nisi quid secus illi videretur: virtutem hac tempestate si vnquam alias id genus præmiis ornandam, & his gratiæ auxiliis strictiori etiam religionis aliquo nexu communiendam constantiam. Nec quod laboraret admodum dubitarétque Leo, non enim difficile fuit quod aiunt currentem incitare, persuasit ex templo Pontifici cui iam eadem pridem in mentem venerant,

rant, eximiam enim Cassiani prudentiam & sanctitatem hoc etiam admiratione & approbatione maiori exceperat, quo plura ex eo fonte virtutum incrementa exitura in dies atque in vulgus emanatura prænosceret. Id vbi primùm inaudiuit Cassianus, consulto plurimum Deo totum se Pontificis summi voluntati permittere statuit, eo maximè lætus quod nulla ad veterida illa mysteria sui compendij aut honoris sed solum obsequij diuinæ laudis salutisque animarum cupiditas impulisset.

2. Factus sacerdos sese hoc impensius ad pristinos labores & assidua charitatis ministeria retulit, quod proximè in secessu ac solitudine hausta diuinitus iam proferret in publicum. Ho etiam efficacius, quod cum doctrinæ ac virtutis egregiæ opinionem collegisset, instar optimi negotiatoris Dei talenta multiplicans, non prætermitet vbicumque eum spes inuitasset rei bene gerendæ, in coëtus hominum inferre sese, eósque potissimum quos maximè institutionis indigentes animaduerteret erudire, & ad virtutis amorem allicere. Constitit sanè laboris eo fructus vberior, quod tunc per Melaniam fugæ se dantem, oraculo illo Prophetico de imminente vrbis clade vulgato & sæpius inculcato, complures Romanorum ad res despiciendas humanas & quærendas intra religionis claustra diuinas commouebantur, languentes atque etiam cupientes incitabantur, consultius rati diuitias suas amore Christi ac spe supernæ retributionis in pauperes prodigere, quàm eas ad barbarorum prædam relinquere. Quo nomine cùm rei euentus verum probasset oraculum immensas Deo gratias egere. Maior quoque vis inerat ad hæc suadenda Melaniæ orationi, quod dictitaret vt existimabat cum vrbe orbem pariter ruiturum.

3. Quam enixè verò ibidem Cassianus pro religione contra Pelagianos desudarit, testatur ipsemet in scriptis ad Leonem commentariis, vbi de suo, illo in Italiam secessu hæc ait. *Nuper quoque id est in diebus nostris emersisse hæresim venenosam ex maxima Veligarum vrbe (mendosè ab aliis legitur Beligarum) conspeximus certi erroris incerti nominis: quia cum recenti capite ex antiqua Ebionitarum stirpe surrexerit dubium admodum est antiqua magis dici an recens debeat.* Siquidem Romam prisco vocabulo Veliam seu Velias fuisse appellatam à Velia Romæ colle editiore, sic dicto quasi Vellia, quod ibi Pastores lanam vellere soliti essent, autor est Ortelius in Synominis. Et hæc quidem coniectura & qualiscumque expositio probabilior apparet, quod Pelagianorum hæresim primitus in Iouiniano contigisse Romæ damnari, affirmat Prosper his versibus

Lib. 1. c. 2.

Adfuit exhortante Deo prouisa per orbem
Sanctorum pia iura Patrum, non dispare motu
Conficiens diros iaculis cœlestibus hostes,
Hisdem námque simul decretis spiritus vnus
Intonuit. Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo quidquid non possidet armis
Religione tenet.

Quamquam illam non in Pelagio sed in Iouiniano primario hæresiarcha, à quo Pelagius eam sumpsisset, damnatam fuisse Romæ S. Hieronymus testatur vbi alloquens Pelagium ipsum sub persona Critoboli ait. *Non erubescis explosam atque damnatam Iouiniani sententiam sequi? Et ille enim his testimoniis tuisque nititur argumentis, immo tu illius inuenta sectaris in Oriente docere desiderans, quæ olim Romæ, dudum in Africa condemnata sunt.* Quod autem inuenti sunt errores. Cœlestij atque Pelagij in Iouiniano Hæresiarcha fixas habere radices in ipsum conuersa est iusta Imperatoris vindicta. Etenim sub huius anni Consulibus datum Honorij Imperatoris reperitur scriptum de eius relegatione in Insulam Boam, positam in Dalmatiæ littore, qui ad hæc vsque tempora magno Ecclesiæ detrimento permanserat in Italia, sacrilegos agens etiam extra muros vrbis conuentus. Sed in insulam tandem deportatus nunquam amplius auditus est. De cuius obitu ex Paulo Presbytero Gennadius hæc habet. *Meminit Iouiniani hæretici & voluptatum & libidinum prædicatoris, cui in tantum continentis vitæ & castæ institutio contraria fuit, vt inter luxuriosas Epistolas animam eructaret.*

Lib. 2. contra Pela.

De viris illu. c. 5.

4. Pelagius interim sub pallio latebat Catholico, sub quo Romæ delituisse & quarumdam quæstionum prætextu suarum hæresum venena sparsisse tradit Augustinus. Detectus verò abiit in Siciliam, indéque nauigauit in Palæstinam. Hoc inquam tempore agebat Romæ Cassianus, & apud Innocentium Pontificem Clerici munus explebat, cum scilicet hæc venenosa hæresis tanquam serpens è latibulis, oculis minantibus tumidisque ceruicibus sese paulatim inferret, ac pestifero suo afflatu vrbem illam maximam inficeret, vt merito dixerit author ex maxima Veligarum id est Romanorum vrbe emergentem illam oculis conspexisse. Sed hoc ita commotus est erectúsque conspectu, ne ista ex inopinato, veritatis oppressio quod in aliis eiusdem generis euenerat, in sedis Apostolicæ iniuriam cederet, vt Pontificem iam studio religionis flagrantem ad contagionis pericula propulsanda, & ad Ecclesiæ causam quam conscelerata hæreticorum vis sub ouina pelle conaretur euertere, maiori ardore defendendam excitarit. Recursabat animo & proferebat in publicum quantas ille scelestissimus animarum prædo pugnas & strages edidisset in Oriente, vbi diu in vestitu ouinæ pellis delitescens velatusque hypocrisi, iam qualis intus erat ab aliquibus lupus detectus est: cùm tamen ipse versipellis instar Protei ne qualis esset impius deprehendi posset, diuersas sæpè ex pietate formas compositas superinduceret. Innotuisse autem imprimis nonnullis Ægypti Monachis, penes quos diutius versatus est, confirmat Isidorus Pelusiota ad illum iam factum instabilem & instar Cain vagum super terram ista conscribens. *Cani effusi sunt in Ephraim & ipse ignorauit, vitiosis nimirum affectionibus inuenescens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba canitiem inuexit, & tamen rigidum atque inflexum animum habes, ex alio Monasterio ad aliud subinde migrans atque omnium mensas perscrutans & explorans. Quamobrem si tibi carnium nidor atque obsoniorum condimentum curæ est, iis qui magistratus*

Lib. de pecca. origina. c. 21.

Lib. 1. Epist. 3.

magistratus gerunt potius blandire atque vrbium caminos vestiga. Neque enim homines Eremitæ facultates eas habent vt te quemadmodum tibi gratum est, excipere valeant.

5. Vrgebat vehementius Chrysostomi Patris clarissimi recordatio & memoria, qua latentis mali formidine, grauioris fortè quam primum suspicaretur, Pontifici metueret. Meminerat enim Chrysostomus in illa prolixiore de ærumnis quas in exilio Cucusi pateretur ad Olympiadem & amicos Constantinopolitanos Epistola, de Pelagio Monacho recens defecto hæresiarcha, iubebátque cogitare quanta interdum mentes opinione sui inflatas, vt est innixa superbiæ veritas, ignorantiæ nox interciperet, ne lucis dulcedine quam penè manu prehenderant fruerentur. *De Pelagio*, inquit, *Monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur quod quantisque coronis digni sint qui forti animo in acie steterunt, cum viros tam pie ac sancte tantaque cum tolerantia viuentes abripi atque in fraudem impelli videamus.* Sed victa pertinacia atque audacia est vt intra Romam præsente Innocentio siue latenter siue apertè debacchari non posset, & hæreticorum impudentiæ, ne fines transirent omnes iniecti frœni vt qui rectè sentirent asseuerent; ac nisi Innocentij vigiliæ ac Leonis prudentia cum quibus inter adiunctos locum habebat Cassianus, interuenissent, breui Pelagianorum incursione atque impetu ruituram funditus fuisse Italiam narrat ipse Innocentius ad Episcopos Africanos à quibus priuatas literas acceperat rescribens. *Seu hæc illi in vrbe sint, quod nescientes nec manifestare possumus nec negare; cum etsi sint lateant, nec aliquando audeant vel illum prædicantem ista defendere, vel talia aliquo nostrum præsente iactare, & in tanta populi multitudine deprehendi aliquis facilè, nec alicubi possit agnosci, siue in quouis terrarum loco degant.*

Epist 4.

Epist. 33.

6. Ex quibus probe intelligere possumus meram fuisse calumniam, quam cæterorum more hæreticorum Pelagiani vt gloriarentur se primæ sedis Episcopi communione fulciri, sparserant in vulgus de tacita eiusdem Innocentij cum Pelagio conniuentia, cuius fit mentio in prædictis Episcoporum priuatis ad ipsum literis. Quam enim acerrimus Pelagianorum insectator fuerit Innocentius constat ex Augustini literis ad Paulinum, vbi inter alia docet ipsum, Innocentium ita in his omnibus se gessisse, vt fas erat atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem: quod & alias sæpe repetit. S. Hieronymus Virginem Demetriadem literis Pelagij pulsatam, admonet ne sibi sapiens videatur, sed fidem sectetur quam Innocentius Romanæ Ecclesiæ Pontifex profitetur. Laudat æquè ac prædicat S. Prosper eiusdem Papæ integritatem in fide incorrupta seruanda, cuius quoque assertione liquet eiusdem Innocentij sententia damnatum fuisse Pelagium, & eandem à successoribus comprobatam, nam aduersus Collatorem hæc ex verbis Zosimi Papæ refert. *Constituimus in Pelagium atque Cœlestinum per venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli sede prolatam manere sententiam, donec apertissima*

Epist. 106.

Hieron. Epist. ad Demetria.

Prosper aduersus Collatorem.

confessione fateantur gratiam Dei, &c. Sanè quidem Gennadius testatur ab Innocentio scriptum esse decretum aduersus Pelagium, illudque post eius obitum à Zosimo promulgatum.

7. Abfuit non longè à Cassiano ipsa eadem tam contumeliosa Innocentio Pelagianismi suspicio, cuius probrum ac dedecus scriptis eius obiectum vt infra declarabitur salutiferam illam in dies latius inclarescentem infuscarit lucem, ac nominis quam neque captaret vir modestissimus & religiosissimus neque defenderet, obscurarit authoritatem. Sed haud in eum partes, quod sanè necesse erat gerebat, animos Leo Archidiaconus, qui sancti Doctoris accessu triumphans, beneficióque sibi ducens quidquid in eum benignitatis conferret, eius amplificandæ gloriæ partes ambitiosa quadam pietate aucupatus, nulla ratione præcipi sibi permisit quantique referret hoc etiam commilitone veritatem religionis stabiliri, priuato quoque officio, cum literis misso deinceps Massiliam nuntio cohortatus est vt in Ecclesiæ defensionem aduersus Nestorium sceleratissimum & ex Pelagianorum colluuione natum hæresiarcham stylum confereret.

EX CHRONI. IBIDEM.

TEXTVS VI.

Romam adiit in qua ad gradum Presbyteratus euectus est, indéque prospero vsus vehiculo Massiliam est appulsus, vbi secundum ea quæ compererat à Patribus vel proprio studio addiderat, &c.

CAPVT XL.

Capta vrbe ab Alarico Gotthorum Rege migrat in Prouinciam.

1. INterim Gotthica eruptione, quæ anno 410. Romam funditus euertit, cunctorum versæ alio curæ. Alaricus Gotthorum Rex, qui Striliconi addictissimus erat, ob necem eius, in Honorium Imperatorem commotus exercitum in vrbem mouit, quam diu ante sitiuerat. Cum autem obsidio arctior perduraret fame atque peste populo Romano vexato, vi adacti ciues pacem ingenti rerum variarum persoluto pretio redemerunt. Haud tamen cæteris Alarici postulatis omnino satisfecit Honorius, aliisque conditionibus, quas ipse Alaricus postea adiecisset, maximè

maximè vt vtriusque militiæ dux copiis Honorij præficeretur, acquiescere noluit, propterea bis à senatu ad eumdem Alaricum Arimini agentem Missis legatis pro fœdere inter ipsum atque Honorium sanciendo (quibus annumeratur Innocentius vt Zosimus atque Sozomenus tradunt) & Alarico re infecta rursum ad obsidionem vrbis properante, ipse Innocentius apud Honorium Imperatorem Rauennæ constitit, ne vt ait Orosius peccatoris populi videret excidium & cum Innocentissimus esset periret cum impiis, tanquam Loth è Sodomis occulta prouidentia Dei subtractus est. Oppugnatos iterum Romanos coëgit Alaricus vt Priscum Attalum vrbis tunc temporis Præfectum secta Arianum crearent Imperatorem, qui mox Alaricum æquè Arianum vtriusque militiæ ducem, Tertullum verò Gentilem hominem creauit consulem, aliisque pariter Ethnicis & Arianis alios nobilissimos Magistratus distribuit; ac denique orationem ad senatum habuit, qua iactabundus promisit se patria omnia illi conseruaturum & vniuersum Orientis Imperium Italis subiecturum. Sed ob contrarium rerum euentum in Attalum commotus Alaricus, eum extra vrbem Ariminum, in qua tunc morabatur, productum diademate spoliauit & purpura exuit, iisque ad Honorium Imperatorem missis eumdem Attalum in omnium oculis ad priuatam conditionem redegit, de quo egregiè Orosius ait. *In eo Alaricum Imperatore facto, infecto, refecto, ac defecto citius his omnibus factis quam dictis mimum risisse ac ludum spectasse Imperij.* Tum Sarus Hunnorum Rex Alarico iam antea suspectus, considerans sibi nequaquam vtilia fore inter Romanos Gothosque percussa fœdera, repentè cum trecentis suis strenuis militibus irruens nonnullos ex Gothis Alarici interfecit. Vnde metu simul & ira aduersus Honorium percitus Alaricus ad expugnandam vrbem quantocyus reuersus, eamdémque obsidione cinctam proditione cepit, vel potius, si insumpti in itinere temporis ratio habeatur, ex improuiso ingressus est. Quod quidem S. Hieronymus noctu contigisse significat. Sed quorumnam proditione nisi amicorum, nimirum eorum qui cum Attalo conspirarant? Hinc enim videas S. Prosperum in Chronico dicere Attalum priuatum regno illud cessisse Gothis. Indéque & illud intelligas quod ob inopinatum Alarici ad vrbem reditum & in eam ingressum contigisse dicitur de Honorio, nempe quod cum accepisset repentino nuntio Romam perditam, putauerit hoc de Gallo Gallinaceo Roma nominato esse renuntiatum.

2. Vrbe capta præcepit militibus Alaricus vt si qui in sancta loca præcipuéque ad SS. Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos imprimis inuiolatos securósque esse sinerent. Tum deinde in quantum possent prædæ insistentes à sanguine temperarent. Id enim disertis verbis testatur fide dignus temporis illius scriptor Orosius qui eiusmodi ingens diuinæ prouidentiæ miraculum, quod Deus per barbaros, eosdémque Ariana hæresi infectos ac proinde Catholicis infensissimos exhibere voluit, multis amplificat exclamationibus, eamdémque rem gestam Cassiodorus enarrat. Vt clarè vel hinc prospicere liceat, haud aliam

Zosi. lib. 5. Sozom. lib. 9. cap. 7. Orosi. lib. 7. c. 39. Orosius l. 7. c. 41. Epist. 16. Lib. 7. c. 39. Sponda. ann. 410. Lib. 12. Variar. c. 20.

ob causam à Deo ingredi permissum in vrbem Alaricum, quàm vt in ignominiam idololatrarum pararet nobilem religionis Christianæ de Gentilitate victa atque prostrata triumphum. Quapropter & multos Paganos eâ re attonitos Christianitatem professos esse, idem Orosius tradit. Addit verò ad pompam triumphi Isidorus, quicumque extra Ecclesias à militibus reperiebantur dummodo Christi nomen vel sanctorum nominarent, & ipsis hostilem furorem pepercisse, sicque multa millia Romanorum periculum euasisse. Et in eamdem pariter sententiam Augustinus in ipsos ingratos atque obstinatos Gentiles scribens affirmat, quamplurimos ex his in Martyrum loca & Basilicas Apostolorum sese recipientes mortem effugisse. Cæterum antequam qui verè Christiani essent à Gothis explorati penitus haberentur, contigit ex iis aliquos veluti Gentiles religionem simulantes malè haberi, sicut accidit S. Marcellæ insigni illi atque clarissimæ fœminæ, quæ vnà cum Principia filia incognitæ quænam essent à barbaris, tentæ fuere, ipsaque Marcella quæ Monasticam amplexata disciplinam voluntaria paupertate amplissimis diuitiis renuntiauerat, fustibus flagellisque cæsa, cum posceretur aurum, cognitæ verò ambæ dimissæ sunt vtque saluæ fierent in Basilicam S. Pauli deductæ. Narrat hæc S. Hieronymus ad Principiam scribens. *Marcellæ quoque domum quæ erat in Auentino cruentus victor aggreditur. Sit mihi fas inquit audita loqui, imo à sanctis viris visa narrare qui interfuerunt, præsentes qui te dicunt in periculo quoque ei fuisse sociatam. Intrepido vultu excepisse dicitur ingressos, cúmque posceretur aurum & defossas opes vili excusaret tunica, non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis. Cæsam fustibus flagellisque aiunt non sensisse tormenta, sed hoc lacrymis hoc pedibus eorum prostratam egisse, ne te à suo consortio separarent, ne sustineret adolescentia, quod senilis ætas timere non poterat. Christus dura corda molliuit, & inter cruentos gladios inuenit locum pietas. Cumque & illam & te ad Beati Apostoli Basilicam Barbari deduxissent, vt vel saltem vobis ostenderent vel sepulchrum: in tantam lætitiam dicitur erupisse, vt gratias ageret Deo quod te integram sibi reseruasset, quod pauperem illam non fecisset captiuitas, sed inuenisset, quod egeret quotidiano cibo, quod satura Christo non sentiret esuriem, quod & voce & opere loqueretur, nuda exiui de vtero matris meæ, nuda & redeam.* Qui ergo inuenta sacra vasa Barbari vt illæsa seruarent, attulerunt ea in Basilicam S. Petri, iidem Gothi iuuentas sanctissimas fœminas atque cognitas viua pretiosiora Christi vasa ad Apostoli Pauli Basilicam via Ostiensi positam perduxerunt, quo vt euentus docuit custodirentur intactæ.

Isidorus de Mund.

Lib. 1. ciu. 1. & 7.

Epist. 16.

3. Est & aliud exemplum perductæ ad S. Petri Basilicam Christianæ mulieris vt viro suo conseruaretur, quod Sozomenus describit his verbis. Ego, inquit, quod & mihi tum Ecclesiastica dignum historia contigisse visum est literis commendabo, declarat enim viri Barbari factum pium, & fortitudinem mulieris Romanæ in conseruanda castitate, vtriusque autem Christiani sed non eiusdem sectæ, quandoquidem ille Arianam hæc Nicænam doctrinam sectabatur. Hanc igitur per quam formosam

Lib. 9. c. 10.

conspicatus

conspicatus iuuenis quidam Alarici miles, pulchritudine captus ad concubitum trahebat: reluctantem verò ac vi aduersantem ne quid obscœni pateretur, ille stricto gladio se interfecturum minabatur, & interim summam illi cutem in collo quasi qui ob amorem parceret perstringebat. Tum illa multo perfusa sanguine collum gladio subiecit, optabilius sibi rata mori cum castitate, quam viuere expertam virum, alium quam illum, cui legitimo matrimonio iuncta erat. Barbarus igitur cum etiamnum maiore cum terrore illam adortus nihil adhuc perficeret, admiratus eam ob castitatem duxit in Ecclesiam Apostoli Petri, & traditam custodibus & expensis in eius sustentationem sex aureis, iussit vt custodirent marito suo. Quamquam non omnium Gothorum eadem esset humanitas atque religio, vel motus Alarici, vt eius edicto de liberis dimittendis omnibus Christianis obtemperarent, non omnibus in tot miseriis ea fœlicitas obtigit, vt apprehensi dimitterentur, nam & complures etiam sacras Virgines eosdem Barbaros secum abduxisse, & stupra addidisse Hieronymus affirmat. Sed & Augustinus præter peculiarem quem eo argumento habuit tractatum, quam locupletissimè de his egit libris viginti duobus de ciuitate Dei.

Præfat. lib. 3. & 7. in Ezech.

4. Primùm autem Barbaris Vrbem ingressis quotquot fugam capessere valuerunt, eam protinus quaqua versum arripuisse testis est Hieronymus, cùm expositionis in Ezechielem iam tertium librum inchoaturus dolens ac lugens ista præfatur stupens ad nouum casum. *Vera sententia est omnia orta occidunt, & aucta senescunt. Et alibi nihil est enim opere & manufactum, quod non conficiat & consumat vetustas. Quis crederet vt totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, vt ipsa suis populis & mater fieret & sepulchrum? vt tota Orientis, Ægypti, Africæ littora olim dominatricis vrbis seruarum & ancillarum numero complerentur? vt quotidie sancta Bethlehem nobiles quondam vtriusque sexus atque omnibus diuitiis affluentes susciperet mendicantes? Quibus quoniam opem ferre non possumus condolemus & lacrymas lacrymis iungimus, occupatique sancti operis sarcina dum sine gemitu confluentes videre non patimur explanationes in Ezechielem, & penè omne studium omisimus scripturarúmque cupimus verba in opera vertere, & non dicere sancta sed facere.* Ac rursum inferius. *Nec inquit iactamus vt quidam forsitan suspicantur fratrum susceptionem sed morarum causas simpliciter confitemur, præsertim cum Occidentalium fuga & sanctorum locorum constipatio, nuditate atque vulneribus indigentium rabiem præferebat barbarorum: quos absque lacrymis & gemitu videre non possumus. Illam quondam potentiam & ignorationem diuitiarum ad tantam inopiam peruenisse, vt tecto & cibo & vestimento indigeat; & tamen nequaquam duri quorumdam atque crudeles animi emolliuntur, dum pannos eorum ac sarcinulas discutiunt aurum in captiuitate quærentes.* Nec modo Hierosolymam sed alia etiam diuersa loca adiere profugi, plerique enim ad proxima loca nempè in Igilium ac cæteras Tyrrheni maris insulas nauigio transmigrarunt, de quibus in suo Itinerario metrico Rutilius. Alij in Africam, inter quos fuere clarissimæ fœminæ Proba eiusque filia Iu-

Lib. 1.

R

liana, ambæ viduæ, atque neptis Demetrias eiusdem filia Iulianæ, quibus haud fœliciter ad fugam patuit Africa. Multum ea de re Hieronymus inuectus in Heraclianum comitem, qui sub specie tutandi Imperij contra barbaros, tyrannidem Africæ arripuit, & cùm in alios omnes sæuissimas exercuit rapinas & crudelitates, tum prædictas matronas non nisi magno persoluto pretio permisit Carthagine habitare.

Epist. 8.

5. In hac confusione rerum Cassianus vt eriperet se ex miseriis, ac manifesto cædis seruitutisque periculo cum cæteris aufugit, Deo meliores in vsus illius operam reseruante. Conductum enim operarium ita destinarat in vineam suam, vt florentissimarum ciuitatum mutatione solum verteret, & ad propagandas in vltimas & Occidentales terras religiosæ vitæ satus curam referret suam, auctámque retardatione industriam. Verum enim verò tantarum ruina fortunarum & ciuitatis miseranda clades, quæ ante oculos versabatur, ingenti cum dolore perculit mœstum, eodem tempore cum opportunitate proficiendi in spiritu ex tot amicorum sanctissimis colloquiis & exemplis, officij quoque præstandi ac regendarum animarum ademptam sibi esse occasionem. Inde vnicum casuum humanorum solatium diuinam prouidentiam respiciens, euentum illum quamuis toti Reipublicæ Christianæ luctuosum & acerbum æqui boniqueconsuluit. Ita dum ignarus diuini consilij inter spem metúmque suspensus, certæ nauigationis tempus operitur, facultatem nactus in Prouinciam cogitabat. Causa adeundi fuit non tam sacra illa regionis loca, & Christi discipulorum, Lazari, Magdalenæ, Marthæ, ac sociorum vestigia toto orbe clarissima veneraretur, tametsi id ipsum vehementer optabat, quàm vt in Academia Massiliensi eo tempore doctoribus iuxta discipulisque florentissima, contraheret sibi non paucos in contubernij vitæque societatem, & in iis ad Christianæ vitæ perfectionem pro re nata excolendis vel operæ pretium faceret, vel ipse nouum aliquem diuinæ scientiæ fructum, cuius auidissimus erat, perciperet. Neque ignorabat quæ de insigni Anachoretarum Lerinensium sanctimonia rebúsque gestis, tum de religiosis eorum institutis iam percrebuerant, & in ore atque sermone omnium ceperant esse. Quare talium & virorum & instituti cognoscendi cupidus properabat Caprasium Abbatem, Honoratum, Eucherium, quos tanquam diuinos homines ex multorum testimoniis mirabatur, aliquando videre & audire festinans.

CAPVT XLI.

Discessus ex Italia & appulsus ad Insulam Lerinam.

1. HAc igitur mente sub exitum anni 410. magno amicorum dolore ex Italia profectus, venit in Insulam Lerinam, vt Massiliam inde traiiceret. Prouincia ad Alpium pedes inter Rhodanum & Varum iacet, cui è Septentrione finitimi Allobroges, ab ostio Rhodani iuxta Massiliam, authore

Lib 5.

authore Strabone, regio talis ac tanta quædam est. Alia verò ad Varum fluuium Liguréſque vicinas vrbes Massiliensium, habet Turoëntium, & Olbiam, & Antipolin, & Niceam, & nauale Cæsaris Augusti, quod Forum Iulij vocant. Primam hanc Salyes occupant; vltimam, Italiæ coniuncti Ligures. Antipolis in Narbonensibus iacet partibus, & Nicea in Italicis. Nicea quidem in Massiliensium iure permanet, & Prouinciæ nimirum existit, Antipolis vero inter Italicas annumeratur, cum Massiliensibus iudicio contendens, ab eorum mandatis libera facta est. Inter insulas Planasia & Lero sunt, colonias habentes; in Lerone fanum est Leronis. E regione Antipolis hæc ipsa iacet, sunt & aliæ perexiles insulæ haud memoratu dignæ, partim ante Massiliam partim ad reliquum iam dictum littus. Portus vnus ad nauium stationem magnitudinis eximiæ, Mediocres vero reliqui, ex iis vnus est, quem à Liguribus Oxybiis Oxybium cognomento nuncupant. Hæc quidem de maritima regione.

2. Planasiam verò Lerinam nostram dicit author, quod æquissimo & planissimo in loco explicetur, atque in eam penetrasse Cassianum cum Germano socio confirmare liquidò possumus, testimonio Eucherij ad Hilarium, De laude Eremi seu fuga sæculi, vbi de Lerina sic ait. *Hæc nunc habet sanctos senes illos, qui diuisis cellulis Ægyptios Patres Galliis nostris intulerunt.* Neque enim possumus alios intelligere senes aut hoc verbum in aliis hominibus ponere, quàm quos Eucherio & Hilario coætaneos fuisse simulque Monasticæ disciplinæ fontes aperuisse, & ex Ægypto in Galliam deriuasse ratio temporum demonstrat. Cum enim Caprasius ex Chronologia Baronij vixerit temporibus Theodosij & Honorij eius filij, primumque inquilinum agnoscat Lerina S. Honoratum, sæculo 4. inchoato, vt author est Petrus Saxius in Pontificio Arelatensi, nemini haud dubiè vel inficiandi rationem, vel contra defendendi facultatem reliquit, iam Cœnobij Lerinensis fundamenta iecisse Caprasium simul atque Honoratum, vitámque religiosam excolere cepisse, quo tempore in eam penetrauit Cassianus. Quod ad regionis situm & formam pertinet, insula in rectum spatio est quasi vnius studij, circumnauigatio paulo minus quam duo supra, semistadium. Ab Oriente ac Meridie Oceanum, à Septentrione Antipolim, in qua Vergoani, vt inquit Plinius, oppidi memoria, ab Occidente Sturium, Phœnicem, Philam, Leronem vlteriores spectat insulas, quarum notissima æquè atque nobilissima Lero propius Lerinæ adiacet. Illi hodie nomen à S. Margareta huic à S. Honorato, qui in ea primus celeberrimi Monasterij fundamenta posuit. Hæc esse natura cœli solique dicitur ab Eucherio ad Hilarium, libro supra citato. *Equidem cunctis Eremi locis quæ piorum illuminantur secessu reuerentiam debeo, præcipuo tamen Lerinam meam honore complector, quæ procellosi naufragiis mundi effusos piissimis vlnis receperat venientes, ab illo sæculi flagrantes æstu blandè introducit sub vmbras suas, vt illic spiritum sub illa interiore Domini vmbra anheli resumant. Aquis scatens, herbis virens, floribus renitens, visibus odoribúsque iucunda. Paradisum possidentibus se exhibet, quam possidebunt. Digna quæ Honorato authore fundata*

In notis ad Martyr. 1. Ianij.

Saxius in Cõcordio.

Lib. 3. c. 5.

sit, quæ tantis Institutis tantum nacta sit patrem Apostolici spiritus vigore & vultus honore radiantem. Digna quæ illum suscipiens ita emitteret, digna, quæ præstantissimos alat Monachos & ambiendos præferat sacerdotes. Hæc nunc successorem eius tenet Maximum nomine clarum, quia post ipsum meruit adsciri. Hæc habuit reuerendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Beniamin Lupum retulit. Hæc habuit germanum eius Vincentium interno gemmam splendore perspicuam. Hæc nunc possidet venerabilem grauitate Caprasium veteribus sanctis patrem. Hæc nunc habet sanctos senes illos qui diuisis Cellulis Ægyptios patres Galliis nostris intulerunt. Quos ego illic, Iesu bone, sanctorum cœtus conuentúsque vidi? Pretiosa in his suaui vnguedine alabastra flagrabant, spirabat passim odor vitæ, interioris hominis faciem exterioris habitu præferebant, constricti charitate, humilitate deiecti, mollissimi pietate, firmissimi in spe, incessu modesti, obedientia citi, occursu taciti, vultu sereni, prorsus ipsa protinus contemplatione Angelicæ quietis agmen ostendunt.

3. De eisdem passim meminit Sidonius Appollinaris in carmine Eucharistico ad Faustum Episcopum Regiensem his versibus.

> *Quantos illa Insula plana*
> *Miserit in cœlum montes? quæ sancta Caprasij*
> *Vita senis iuuenísque Lupi: quæ gratia Patrem*
> *Mansit Honoratum: fuerit quis Maximus ille,*
> *Urbem tu cuius Monachus Antistes & Abbas*
> *Bis successor agis. Celebrans quoque laudibus illis*
> *Eucherij venientis iter redeuntis Hilarij.*

Montes appellat Episcopos & Sacerdotes, erat enim Lerinense Cœnobium velut seminarium Episcoporum. Similiter Ennodius in vita Epiphanij. *Inde*, inquit, *regrediens singula sanctarum habitationum loca visitauit, medianas Insulæ Cyclades, Lerum ipsámque nutricem summorum montium planam Lerinum adiit.* Hinc & Cæsarius qui sub Porcario Abbate ibidem diu Monasticam conuersationem summa exercuit obseruantia, licèt pro immenso animi ardore ipse sibi semper segnior videretur, vt apparet ex eius homilia, quam postea in eodem habuit Monasterio, ista subdit inter alia de florentissimo statu huius temporis eiusdem Cœnobij Lerinensis. *Benedicimus Dominum nostrum, qui sanctam institutionem & admirabilem consuetudinem loci huius iugiter crescere & in maiori dignatur gloriæ cumulo sublimare. O fœlix & beata habitatio insulæ huius, vbi tam sanctis quotidie & tam spiritualibus lucris gloria Domini augetur, & tantis damnis diaboli nequitia minoratur. Beata inquam & fœlix insula Lerinensis, quæ cum paruula & plana esse videatur innumerabiles tamen montes ad cœlum misisse cognoscitur.* Per montes haud dubiè vti dictum est sanctos intelligens, cùm ipsa insula vndique planiciè lata gaudens, montibus careat. Idcirco addit deinceps. *Hæc est quæ eximios nutrit monachos & præstantissimos per omnes Prouincias erogat sacerdotes. Vix enim reperire erat, qui his temporibus assumptus in regionibus illis ad*

Homi. 10.

regimen

regimen Ecclesiarum non delectus esset ex nobilissimo & regularis institutionis obseruantissimi, Cœnobio Lerinensi. Ac sic (subdit ipse) quos accipit filios reddit patres & quos nutrit paruulos reddit magnos, quos velut tyrannos excipit, Reges facit. Nam omnes quoscumque fœlix & beata habitatio ista susceperit; charitatis pennis ad excelsa virtutum culmina Christo sublimare consueuit. Quæ res cum penè in cunctis habitatoribus fuerit fœliciter consummata, tamen resistentibus meritis meis in me non probatur impleta. Cum enim paruitatem meam hæc sancta insula, velut præclara mater & vnica singularis omnium bonorum nutrix, brachiis quondam pietatis exceperit, & non paruo spacio educare & enutrire contenderit, licèt reliquos ad virtutum culmina erexerit, à me tamen quia cordis duritia contradicit omnes negligentias auferre non potuit. Et ideo cum omni humilitate supplico, & tota cordis contritione deposco vt quod negatur meritis meis vestris orationibus suppleatur.

4. Mira res vt sub tot barbararum gentium frequenter factis in Gallias grassationibus à Sueuis, Vuandalis, Alanis, Gothis, Burgundionibus, Hunnis, & Francis nihil ad hæc tempora passum fuerit detrimenti idem Monasterium insulæ Lerinensis, factum ipsis eiam barbaris atque Arianis venerandum. Propterea hæc ibidem subiicit Cæsarius. *Ab Oriente vsque ad Occidentem & omnibus pene locis, in quibus Christiana religio colitur, religiosissima vestra conuersatio ad Christi gloriam prædicatur. Iure à vobis exigitur, vt quod de vobis creditur hoc probetur. Agite ergo Deo auxiliante quod semper egistis*, &c.

5. Cæterum ipsum S. Eucherium de quo suprà fuisse coniugio obligatum, & ex eo genuisse viros sanctissimos eosdémque postea Episcopos, quos primùm in hoc eodem Cœnobio Lerinensi Monasticis voluit imbui disciplinis, tum ex Gennadio, tum etiam ex eiusdem Eucherij scriptis possumus intelligere: Ipse enim Gennadius dum de Eucherio agit, hæc ait. *Disseruit etiam ad personam filiorum Verani & Salonij postea Episcoporum obscura quaque capitula sanctarum scripturarum.* Fuisse hos quidem Germanos fratres, vt artor est Baronius, eiusdem Eucherij inscriptio commentariorum in Genesim & in libros Regum demonstrat. Cognoscit Veranum suum filium ipse S. Eucherius dum ad eum scribit librum de Spiritualibus formulis æquè & Salonium suum fatetur natum in Præfatione ad posteriorem librum Instructionum, & cum perorat: eius enim exordio hæc habet de bene instituta vita, Salonij. *Dignum namque est*, inquit, *quacumque cura mea ingenium tuum reparari, qui vix dum decem annos natus eremum ingressus inter illas sanctorum manus non solum imbutus verum etiam enutritus sis ab Honorato, Patre illo inquam primo Insularum postea Ecclesiarum Magistro: cum te illic Beatissimi Hilarij tum insulani tyronis, sed iam nunc summi Pontificis doctrina formaret per omnes spiritualium rerum disciplinas, ad hoc etiam te postea consummantibus summis viris Saluiano atque Vincentio eloquentia pariter & sapientia præminentibus*, &c. Sed & ipse etiam Saluianus in Epistola ad Eucherium ab eo ambos esse genitos tradit, cùm tamen non ignoremus ab

Cap. 63.

Baro. an. 441. num. 11.

aliis eos creditos filios spirituales Eucherij, qui eum coniugatum nescierant.

6. Vt Lerinam attigit Cassianus, Abbatem adiit, & quà sermonis comitate quà suauitate morum adeo sibi deuinxit, vt ille vltro ac prolixe eum ad Cœnobij Cellulam inuitarit. Et Cassianus talis ac tanti viri hospitio libenter vsus, & conuictu sanctissimorum iuxta atque doctissimorum Monachorum, obseruabatur interim ab illis, eius virtutum admiratoribus, qui deinde etiam illorum fautor & adiutor extitit. Nunquam tam egregiè inter pares & similes amor eminere visus est, atque inter ipsum & Honoratum & Eucherium, de quorum laudibus non possum quin delibem pauca, ex his quæ cum Cassiani fama & factis coniuncta sunt, cùm pridem toto eo spatio quo simul peruixerunt in Lerinensi commoratione, magnos spiritus eis communicare semper & ab eis vicissim ipse sumere consueuissent. Quod postremum nempè vt officium suum memorémque in bene meritos animum præstaret sæpè testatus est. Imprimis verò præfatione in septem Collationes trium Anachoretarum in Thebaide Ægypti Eremo consistentium, quas eisdem Honorato & Eucherio nuncupauit, vbi sic habet. *Cum virtutem perfectionis vestræ qua velut magna quædam luminaria in hoc mundo admirabili claritate fulgetis, multi sanctorum qui vestro erudiuntur exemplo vix queant æmulari, tamen vos, O sancti fratres Honorate & Eucheri, tanta illorum sublimium virorum, à quibus prima Anachoreseos instituta suscepimus, laude flammamini, vt vnus quidem vestrum ingenti fratrum Cœnobio præsidens congregationem suam, quæ quotidiano sanctæ conuersationis vestræ docetur intuitu, illorum quoque Patrum præceptis optet institui: alter verò vt etiam corporali eorumdem ædificaretur aspectu, Ægyptum penetrare voluerit, vt hanc quasi frigoris Gallicani rigore torpentem Prouinciam derelinquens, ad illas quas sol iustitiæ proximius respicit terras, maturis virtutum fructibus redundantes, velut turtur castissimus transuolaret, necessario hoc mihi virtus charitatis extorsit, vt vnius desiderio alterius etiam labori consulens tam abruptum scribendi periculum non vitarem, dummodo & priori apud filios adderetur authoritas, & secundo tam periculosæ nauigationis necessitas demeretur. Proindè quia fidei vestræ atque feruori nec illa Instituta Cœnobiorum, quæ duodecim libellis ad beatæ memoriæ Episcopum Castorem quo potuimus sermone conscripsimus, nec decem Collationes in Scythica Eremo commorantium Patrum, quas præcipientibus sanctis Elladio & Leontio Episcopis vtcumque digessimus, satisfacere potuerunt. Nunc etiam vt itineris nostri ratio & ordo cognoscatur, trium in alia eremo consistentium, quos primos vidimus, Patrum septem collationes pari conscriptas stylo vobis credidi consecrandas, quibus ea quæ de perfectione in præteritis nostris opusculis obscurius forsitan comprehensa, vel prætermissa sunt suppleantur. Si vero sanctam studij vestri sitim etiam hæc satiare non quiuerint, septem aliæ Collationes quæ ad sanctos qui in Stœchadibus consistunt insulis emittendæ sunt, fratres, desiderium vt arbitror vestri ardoris explebunt.*

7. In congressionibus familiarium, (adeo immensa erat de omnibus

bus benemerendi cupido) per omnia fere religiosæ caritatis munia, eximia eius benignitas vagabatur, ad tyrones imprimis verba facere eisque disciplinæ Monasticæ rudimenta tradere instituit, non assidua magis quam salubri ratione. Summa porro concionum, vt Ægypti desertissimas solitudines quas peragrarat, saxorúmque asperitates & impendentium montium altitudines dimetiretur atque describeret, rursúsque vsitatas à Monachis illis degentibus inediæ, verberum, ciliciorum asperitates proponeret, exercitiorúmque spiritualium & virtutum quibus excellebant speciem pulchritudinémque, non venuste sed grauiter demonstraret. De reliquo item corporis cultu incredibile memoratu erat, quantis illud rigoribus atterrerent, vt panè solo & aqua vescerentur interdiu, quamquam sæpè his etiam ipsis plures dies abstinerent, vestitu vsque in vitium gauderent obsoleto, crinibus turbidis atque impexis horridi, & ob barbam atque vngues prolixè deformes. Tum deinde lectulum somnúmque humo capere, noctem pleramque vigiliis lacrymisque exigere.

8. Nec in sermonibus magis quam in exemplis vitæque religiosæ officiis mirabilis extitit, oris enim totiúsque corporis conformatio ad modestiam & humilitatem, spirabat eam quæ in animo latebat sanctimoniam, quæ more agebantur institutísque maiorum, ita studio se retinebat, vt in eius vitam velut in speculum religiosæ perfectionis suspicere liceret. In verbis supra quam credibile est consideratus & parcus, sed mirè efficax, seipsum quantum neminem quemquam despicatui ducere, humillimè de se ipso sentire, plurimas horas flexus interdum ducere, per dies præterea singulos, siue diuina fierent in templo, siue vespertinis vltimisque precibus opera daretur, adesse cum egregia quadam voluptate perseuerabat. Itaque in hunc fere modum adiuuante Domino per multos Monachorum, ipsósque imprimis venerandos Cœnobiarchas Honoratum & Eucherium ad studium egregiæ pietatis & arctioris virtutis semitam adduxit, nec minus diuturna sanctimoniæ suæ quàm industriæ reliquit vestigia, quæ apud Lerinenses eius etiam post discessum, memoriam gratam & celebrem hodiéque oppido posteris fecere, hospitis olim sui patrocinio lætis.

CAPVT XLII.

Digressio Foroiuliensis.

1. PRoximè annum in Cœnobio Cassianus substiterat, cùm interea loci opportunum credidit, si desiderium Massiliæ quo se ardere sentiebat persequeretur. Re deliberata excedit Lerina & Foroiulium excurrit, à quo vix leucarum quatuor interuallo dissidet Lerina, inuitatus Leontij eiusdem ciuitatis Episcopi vicinia & conspicua omnibus sanctitate, ad quem deinceps tanquam clarissimum Galliæ sydus testan-

dū

di amoris gratia Collationum suarum primitias detulit, Beatissimique titulo ob sanctimoniæ nobilissimum decus magis quam splendidam Episcopatus sedem non semel cohonestauit. Subiicitur enim sub potestatem Aquensis Metropolitæ, neque vnquam aliàs fuit alius Foroiuliensis quam in Metropolitæ ditione Episcopus, factus dominus loci donatione Ildefonsi 2. Comitis anno 1203. vt refert Chopinus in sua Politia sacra.

Lib.3.c.6.

2. Oppidum colonia Octauianorum quæ Pacensis dicitur à Plinio, Nauale Cæsaris Augusti appellat Strabo. Hoc autem inter Olbiam & Antipolim constructum est, distans Massilia stadiis sex millibus. Regio in planitiæ fœcundissima Argenteo flumine irrigatur. Hoc quasi propugnaculum imperij terra marique barbaris nationibus oppositum & obiectum habebant Romani, & suas sociorúmque fortunas defendebant. Cùm enim Augustus ex militaribus copiis legiones & auxilia Prouinciarum distribuisset, classemque Miseni & alteram Rauennæ ad tutelam superi & inferi maris collocasset, visum est firmioris præsidij causa duas alias adiicere, superiorem quam in Ponto, inferiorem alteram Foroiulij, eoque nomine *Coloniam classicam* vocat Plinius, *naualem* Strabo vt supra diximus quasi quartam Romani populi classem, cuius tanquam vallo & fossa & aggere munitissimo cingeretur Italia, contra ascensum transgressionémque Gallorum. Mihi videtur suffragari Tacitus, Valerium Paulinum laudando. *Circumiectas*, inquit, *ciuitates procurator Valerius Paulinus strenuus militiæ & Vespasiano ante fortunam amicus, in verba eius adegerat concitísque omnibus qui exauctorati à Vitellio bellum sponte sumebant, Foroiuliensem coloniam claustraque maris præsidio tuebatur, eoque grauior author, quod Paulino patria Forum Iulij & honos apud Prætorianos quorum quondam tribunus fuerat. Ipsique pagani fauore municipali & futuræ potentiæ spe iuuare partes annitebantur.* Sed ad Leontij dignitatem, & authoritatem facit, quod in antiqua quæstione agitata inter Archiepiscopos Arelatensem & Viennensem, recens delatus ad Leonem Papam Hilarius Arelatensis quia ordinatum præsumpsisset Episcopum deponere in Prouincia Viennensi, & in locum alterius nondum demortui alium substituere. Cùm vero Romam idem Hilarius ad dicendam causam sponte se contulisset, de his omnibus conuictus haud expectata sententia vel obtenta licentia ab vrbe recedens rediisset Arelatum, aduersus eum idem S. Leo ad Episcopos Galliæ Viennensis Prouinciæ Epistolam dedit, cuius est exordium, *Diuinæ cultus religionis*, &c. Vbi de præsumptione Hilarij in excedendis suæ ipsius Prouinciæ terminis, & de Celidonio Episcopo eiúsque causa agitata ipso præsente Hilario Romæ in Episcoporum Concilio, subdit & de causa Proiecti Episcopi cui ægrotanti Hilarius subrogauerat successorem, cùm etiam si mortuus esset ad Viennensem id spectaret Episcopum, cuius in Prouincia Proiectus erat Antistes. Ad postremum verò irritis redditis his ab Hilario iniustè præsumptis, & de creandis nouis Episcopis præscripta regula ne maiores tumultus ea de re ab Hilario concitarentur, addit admonitionem ad eosdem

Plin.l.3.c.4. Stra. lib.4.

Sueto. in August. c.49.

Taci. lib.3.

Epist.89.

eosdem Episcopos Viennensis Prouinciæ, ne pro leui causa sententiam inferant excommunicationis in aliquem præficitque Leontium hunc nostrum Foroiuliensem Episcopum, ordine licèt Metropolitis inferiorem, cúmque in honorem ac dignitatem euehit, vt vices Apostolicæ sedis maximus ipse Pontifex latis in Galliæ regionibus illi concederet, statuens vt sine ipsius voluntate Concilia minimè ab Episcopis agerentur, atque vt ea reuerentia eidem à cunctis rependeretur, quæ cæterorum Patri Antistitum non modo ob ætatem sed potius ob probitatem omnibus notissimam debebatur.

2. Sedisse autem eo tempore Foroiulij Leontium, quo Lerinam ad Honoratum adiit Cassianus, haud difficile est coniectura ex testimonio Hilarij coniicere, in rebus gestis S. Honorati, de quo post obitum Venantij fratris sui in Gallias reuertente ista scribit. *Itaque insulam petit,* scilicet Lerinam, *præter secreti opportunitatem sancti ac beatissimi in Christo viri Leontij Episcopi oblectatus vicinia & charitate constrictus.* Ac de insigni eius sanctimonia & virtute quantam opinionem habuerit Cassianus, ex literis cognosces, quas eius nomini in primo aditu vestibuloque Collationum inscripsit. *Debitum quod beatissimo Papa Castori in eorum voluminum præfatione promissum est quæ de institutis cœnobiorum & de octo principalium vitiorum remediis, duodecim libellis Domino adiuuante digesta sunt, in qua tenuitas nostri sufficit ingenij, vtcunque sarcitum est. Viderint sanè quid super hoc vel illius vel nostri fuerit examinis æquitate perpensum, vtrum iis rebus tam profundis tamque sublimibus, & quæ in vsum styli vt arbitror antea non venerunt, dignum aliquid cognitioni vestræ omniúmque Sanctorum fratrum desiderio prompserimus. Nunc autem quia derelinquens nos Pontifex supradictus migrauit ad Christum, has interim decem Collationes summorum Patrum id est Anachoretarum, qui in Eremo Scythica morabantur, quas ille incomparabili flagrans studio sanctitatis simili sibi iusserat sermone conscribi, non perpendens præ multitudine charitatis quanto infirmas ceruices pondere prægrauaret, vobis potissimum, O beatissimè Papa Leonti & sancte frater Helladi, credidi consecrandas. Alter siquidem vestrum memorato viro & germanitatis affectu & sacerdotij dignitate & quod his maius sancti studij feruore coniunctus, hæreditario fraternum debitum iure deposcit. Alter Anachoretarum instituta sublimia, non vt quidam propria aggressus est præsumptione sectari, sed legitimum doctrinæ tramitem Sancto spiritu suggerente penè antequam disceret apprehendens, non tam suis adinuentionibus quam illorum traditionibus meruit erudiri. In quibus mihi nunc in portu silentij constituto immensum pelagus aperitur, vt scilicet de instituto atque doctrina tantorum virorum quædam tradere audeam memoriæ literarum. Tanto enim profundioris nauigationis periculis, fragilis ingenij cymba iactanda est, quantum à Cœnobiis Anachoresis, & ab actuali vita quæ in congregationibus exercetur, contemplatio Dei cui illi inæstimabiles viri semper intenti sunt maior atque sublimior est. Vestrum igitur est, conatus nostros piis orationibus adiuuare ne aut tam sancta materia imperito quidem sed fideli sermone promenda periclitetur in nobis, aut rursus eiusdem materiæ*

S

abyssis obruatur nostra rusticitas. Proindè ab exteriori ac visibili Monachorum cultu quem prioribus digessimus libris, ad inuisibilem interioris hominis habitum transeamus, & de Canonicarum orationum modo ad illius quam Apostolus præcipit orationis perpetuæ iugitatem ascendat eloquium, vt quisquis iam superioris operis lectione, Iacob illius intelligibilis nomen, carnalium vitiorum supplantatione promeruit: nunc etiam non tam mea quam patrum instituta suscipiens, diuinæ iam puritatis intuitu ad meritum & vt ita dixerim dignitatem transiens Israëlis, quid in hoc quoque perfectionis culmine debeat obseruare similiter instruatur. Obtineant itaque orationes vestræ ab eo qui dignos suos visu eorum vel discipulatu vel consortio indicauit, vt nobis earumdem traditionum memoriam plenam & sermonem ad dicendum facilem conferre dignetur, quo tam sanctè eas tamque integrè quàm ab ipsis accepimus explicantes, ipsos quodammodo suis institutis incorporatos & quod est maius latino disputantes eloquio vobis exhibere possimus.

Cap. 1. 3. Iterum de vtroque præfatur in exorsu Collationis nonæ. *De perpetua orationis atque incessabili iugitate, quod in secundo Institutionum libro promissum est Collationes senis huius quem nunc in medium proferimus id est. Abbatis Isaac Domino fouente complebunt. Quibus explicatis & præceptis beatissimæ memoriæ Papæ Castoris & desiderio vestro, O beatissimè Papa Leonti & sancte frater Elladi, satisfecisse me credo, voluminis amplitudine penitus excusata, quæ studentibus nobis non solum sermone succincto narranda perstringere, sed etiam plurima silentio præterire in maiorem modum quam disposueramus extensa est.* Torquet plurimum curiosos indagatores Photij locus in sua Bibliotheca, cùm in Elencho librorum Cassiani.

Codi. 197. *Tertium*, inquit, *his libellum adiunctum legimus quem à Castoris Episcopi nomine inscripsit Cœnobij illius moderatori, cuius Cœnobij causa & regulæ illæ prius missæ fuerant, qui quidem libellus iis quos iam enumerauimus adsimilis est.* Libellum tertium vocat primas Collationes decem, quas Leontio & Elladio inscripsit. An igitur Leontius Castori in Monasterio quod propè Nemausum condiderat successit Abbas? Atqui non modo plures annos Castore superstite, sed etiam ante fundationem huius Monasterij, Ecclesiæ Foroiuliensis administrationem gerebat, neque prius Episcopi numere quàm vita tuendæ Catholicæ fidei causa defunctus est. Extant eius acta ex eiusdem Ecclesiæ antiquis tabulis edita in Martyrologio Gallicano 1. Decemb. vbi hæc de Martyrio. *Senio iam venerabili confectus erat Leontius, nec minus fractus sanctæ administrationis laboribus, adeo vt iam maturus gloriæ leni somno placidæ mortis videretur proximè ad cœlum transiturus. Cum ei ad cumulum meriti nouum agonem, quo illustrior ei exitus pararetur, Christus aperuit. Erat tenax iustitiæ & serius, obseruator diuinæ legis vir beatus. Hoc incensus æstu pietatis quod nefanda quorumdam scelera carperet, & impiorum exitiosa reprimeret Apostolico vigore molimina, illorum in se odia acerba concitauit, qui nec eius canitiem nec dignitatem nec conspicuam omnibus sanctitatem veriti, truculenta nece charum Deo Pontificem vbique percelsa ob factorum nomina celebrem immaniter trucidarunt, tametsi non tam interfecerunt quàm ad peremnem transmiserunt*

miserunt vitam & gloriam. Huius exploratum martyrium Ecclesia Forojuliensis iam ab hinc colendum suis fastis inscripsit, quotannisque hac die, qua vt canit duplicato manipulo is ad coronam processit, triumphali pompa eius recolit ac veneratur memoriam.

4. De familia & stirpe affirmant plerique Leontium cognatione fraterna Castorem attigisse atque hoc vno maximè vrgent, quod Cassianus Leontij nomen suis Collationibus prætenderit quasi exoluturus fratri superstiti, quod olim Castori demortuo promisisset. Concepta enim sunt eius verba. *Alter siquidem vestrum memorato viro & germanitatis affectu & sacerdotij dignitate & quod his manu sancti studij feruore coniunctus, hæreditario fraternum debitum iure deposcit.* Quæ licèt spirituali ac religiosæ fraternitati accommodari possint, tamen non repugnat in nostrum etiam verum ac proprium sensum trahi.

5. De Elladio siletur in Annalibus, vox de ortu eius ac natalibus nulla missa est, ac muta est huius temporis historia, insularum decus & ornamentum non attingitur. Alios memorant Theodoretus in Theodosio Helladium diuinitus electum Cilicum Antistitem. Amphilochius in vita Basilij Helladium virum miraculis clarum atque omni virtute ornatum eiusdem Basilij successorem: Baronius in Notis ad Martyrologium 18. Februar. Helladium Episcopum Antisiodorensem, qui successit S. Valeriano seditque temporibus Constantini Imperatoris. Sed extra ostium liménque carceris sunt ista, nisi verò hactenus huiusmodi quoque formula testimonij describi ac distingui potest, vt Helladio cognomini cognatione quadam virtutum & affinitate aliquid veteres tribuisse dicantur.

Cap. 10. hist.

CAPVT XLIII.

In Stœchades Insulas excurrit.

1. TRes numero insulæ ab ordine quo sibi inuicem cohærent Stœchades dictæ, Massilia qua breuissimus traiectus est non amplius sexaginta millium spatio distant. Veteres singulis vocabulis appellarunt Protem seu Themistam & Mesen quæ & Pomponiana dicitur, tertio Hypæam. Quinque habet Ptolemæus fortè si duas alias quæ à Rhodani ostio versus Orientem pertinent, Metinam scilicet, mox quæ Blascon vocatur prioribus annumeres. Tres verò duntaxat Stœchadis nomine censentur à Martiano apud eumdem Ptolemæum. Cytharisti subiacent è regione Massiliæ, Plinio authore ac Strabone & aliis, ad gradum longitudinis vigesimum quintum, latitudinis secundum supra quadragesimum. De quibus Strabo hæc sigillatim. *Hisce locorum angustiis cum Massiliensibus inchoatis insulæ Stœchades incumbunt, tres quidem digna satis amplitudine, sed duæ perexiguæ eas exercent Massilienses opere rustico, quo in loco & impositum antiquitus præsidium contra piratarum impetum habebant ob egregiam portuum facultatem.*

Lib. 2. c. 10.

P lin. lib. 3. c. 5.

Strabo. lib. 4.

2. Saluuiæ igitur nauis Foroiulio Massiliam petentis occasione inuitatus Cassianus simul cum aliis partim vectoribus negotiorum causa partim amicis & consiliorum in peregrinatione sociis conscendit anno huius sæculi ineunte 411. Etiam si verò, certa admodum & idonea non videretur moderatio tempestatum, Dei tamen benignitas & ventum & mare adeo è sententia propitium reddidit, vt salui atque incolumes bidui circiter spatio Stœchades insulas attigerint. Trahebatur illuc imprimis Cassianus Anachoretarum sanctissimorum studio & amore quibus hac tanta celebritate famæ etiam absentibus notus erat. Sed & ipse quasi diuinans fore vt per eos via sibi fieret commodior Massiliam, Foroiulio cum soluisset eius opportunitatis securus duxerat commorandum potius in insulis paucos aliquot dies, vt facti quod à Deo constitutum & designatum fuerat necessitatem sequeretur, quàm cum cæteris qui celerius in eas terras soluebant in vrbem rectà nauigare. Ibi igitur incerto animi fluctuantique non sine vtique Dei consilio Iouinianus, Mineruius, Leontius, & Theodorus fiunt obuiam, quibus has insulas magna Monachorum frequentia & sanctitate florentes domicilium & sedem præbuisse indicauit ipse author suprà ad Honoratum & Eucherium scribens. *Si verò sanctam studij vestri sitim etiam hæc satiare non quiuerint septem alias Collationes quæ ad sanctos qui in Stœchadibus consistunt insulis emittendæ sunt fratres, desiderium vt arbitror vestri ardoris explebunt.* Et illi quantum aduentu peregrinorum voluptatis percepissent, haud sanè obscurè vultu verbisque declararunt, exceptos enim hospitio vbi consalutarunt amicè, & vltro interposita vrbani officij comitate complexi sunt, Cassianus apud homines tantos ac tales demetendæ gratiæ occasionem neutiquam sibi prætermittendam existimans, ita diligenter Christianis mysteriis & Anachoreticæ vitæ præceptis excoluit, vt omni ex eorum animis ignorantiæ discussa caligine quædam semina eximiæ sanctitatis beatæque insereret vitæ. Simul ille memorabat totam itineris sui rationem, haud dubiè administratam diuinitus, quo fœlicem hanc animorum cultutam in tam opimo ac fertili solo tanto auidius arriperet quanto diutius expetisset.

3. Atque eius cupido instruendi & instituendi se prodidit breui, nam Collationes Patrum cum proferret in lucem eorumdem nomini tanquam insignitæ notæ & authoritatis posteriores septem inscripsit his verbis. *Emensis iuuante gratia Christi decem Collationibus Patrum quæ exigentibus beatissimis Episcopis Elladio ac Leontio vtcumque digesta sunt, septem alias beatissimo Episcopo Honorato sancto quoque famulo Christi Eucherio dedicaui. Totidem & nunc vobis, ô sancti fratres Iouiniane, Mineruæ, Leonti, & Theodore credidi deputandas. Posterior siquidem vestrum illam Cœnobiorum sanctam atque egregiam disciplinam in Gallicanis Prouinciis antiquarum virtutum districtione fundauit; cæteri verò non solum Cœnobialem professionem apprimè Monachos expetere, verum etiam Anachoreticam sitire sublimitatem vestris institutionibus prouocastis. Ea namque Collationes istæ summorum Patrum disputatione contexta sunt, & ita*

in

in omnibus temperata vt vtrique professioni, quæ non solum occiduas regiones, verùm etiam insulas maximis fratrum cateruis fecistis florere conueniant, id est vt non solum hi qui adhuc in congregatione laudabili subiectione perdurant, sed etiam illi qui haud longè à vestris Cœnobis secedentes Anachoretarum sectari gestiunt disciplinam, pro conditione locorum ac status sui mensura plenius instruantur. Quibus hoc præcipuum contulit præcedens vestri laboris industria, vt parati iam atque in iisdem exercitiis deprehensi facilius præcepta seniorum atque instituta suscipiant, ipsósque in cellulas suas authores Collationum cum ipsis Collationum voluminibus recipientes, & quotidianis quodammodo cum eis interrogationibus ac responsis colloquentes, non propriis adinuentionibus arduam istam & incognitam fermè in hac regione appetant viam, sed periculosam etiam illic vbi iam tritissimi calles & innumera præcedentium exempla non desunt, Anachoreseos disciplinam illorum potius præceptis capere consuescant. quos in omnibus & antiqua traditio & longa experientia instruxit industria.

4. Porro haud vulgarem ex hoc congressu & consuetudine se vitæ & peregrinationis fructum cepisse, præ se semper tulit Cassianus. Multa quoque percontatus non minus curiosè quam prudenter quærere etiam institit de indigenarum moribus & indole, an accepturi viderentur peregrinas Monasticæ vitæ leges & instituta si ad eos defferrentur. Tum illi per multos haud grauatè ad Christum aggregaturos sese aiunt, vt gens ad omnem pietatis speciem semper visa propensior, quamquam religionem ipsam primùm tum verò vitam docentis exploraturos, ne impetu ac temeritate dictis concederet potius, quàm delectu aliquo aut sapientia duci ad iudicandum viderentur. Quibus vocibus excitatus Cassianus, & simul aliorum passim de Academia Massiliensi plena Græcarum artium ac disciplinarum, mira quædam prædicantium accensus, Massiliæ studiis virtutum sublimioribus imbuendæ, animum illico adiecit.

5. Leontius verò hic alius à Foroiuliensi de quo suprà, si coniecturæ locus, haud temerè affirmarim ordinatum postea fuisse defuncto Rauennio siue Augustali vt quibusdam placet, & Arelatensis Ecclesiæ sedem auspicatum anno salutis 461. Cùm enim clarus admodum vir esset inter huius sæculi Cœnobiarchas totaque Prouincia celeberrimus atque notissimus: susciperet autem veterum Christianorum vsus consuetudóque communis, vt è florentissimis Monachorum ordinibus, ipsa lumina deligeret ad Ecclesiasticam dignitatem & decus sustinendum, neminem alium de iis qui tunc haberentur insignes ad posteritatis memoriam, huic video vel extitisse cognominem vel in Monachorum conuentu aut Comitiorum Clericorum suffragiis anteponendum.

CAPVT XLIV.

Massilia portum appellit.

1. MAssilia siue vt alij Massalia peruetusta & opulentissima Galliæ in Prouincia Viennensi ciuitas, à Phocæensibus Ioniæ in Asia Græcis populis ad oram maris Gallici Mediterranei portu commodissimo & celeberrimo, non longè à Rhodani ostio Orientali condita, anno Mundi 3454. Olympiadis 45. anno 1. & ante Christum 599. Iechonia Iudæis, Nabuchodonosore Babyloniis, Tarquinio Prisco Romanis imperante vt plurimi scriptores antiqui prodidere, Strabo, Pausanias, Herodotus, Ammianus Marcellinus, quorum qui dixere Phocæenses à Phocæa profectos Harpali Cyri regis præfecti inclementiam vitantes Italiam naugio petiisse, eiúsque populi partem quam in Lucania Viliam, aliam in Gallia Massiliam exædificasse, decepti sunt cùm Cyrus ne natus quidem tunc esset, nedum præfectum haberet Harpalum fortè Harpagum Astyagis præfectum, de quo infra, dicere voluerunt qui Phocæenses in fugam compulerit. Decepti quoque sunt qui Phocæam cum Phocide confuderunt, & Massiliam ab Europæ populis conditam arbitrantur. Phocis enim Græciæ Prouincia est in Europa Ptolemæo teste, cuius Metropolis Delphi Boëotia finitima. Phocæa verò in Asia est quam primam Ionum ciuitatem vocat Herodotus. Ad Phocenses ergo nihil pertinent Massilienses, sed Phocæensium quæ Ionum pars est sunt coloni, vt ex Marcellino, Herodoto, Pausania, & aliis liquido constat, eorum scilicet qui ex Phocæa Harpagum Medum fugêre. Clarè Horatius Massiliam Phocæorum dixit ciuitatem non Phocensium. Et Strabo. Massilia à Phocæensibus originem duxit quos ibidem Iones fuisse tradit, & Ephesiæ Dianæ vicinos, à qua coloni viæ ducem acceperint. Verum lis est ferè tantum de nomine nam Phocæenses à Phocensibus ortum traxisse potuerunt, nec mirum videri debet Asiaticos in Gallias venisse cum ipsi Galli in Asiam aliquando traiecerint, vbi cum rege Bithyniæ in cuius præsidium venerunt imperium diuiserunt, suámque partem Gallogræciam deinde Galatiam nominarunt.

Stra. lib. 4. Pausa. in Phocæen. Herodo. in Clio. Ammi. l. 15.

Hora. Epo. Ode 16.

2. Sita est petroso in loco gradu longitudinis 26. 30. latitudinis 42. 30. cuius parallelus simul & Bisantij ad vnguem par fit, nam Hipparchus in Strabone ipsam eamdem rationem esse lineæ in Massilia ad vmbram dicit, quam ad similis nominis tempus se inuenisse Bisantij refert. Vrbs vniuersa pulcherrimis olim circumcincta mœnibus, magnitudine eximia, cui quidem portus subiacet, saxum videlicet in theatri forma ad Austrum spectans. Qua parte mari non est circumsepta fortissima credebatur, & arcem pugnacissimam loco edito habebat, vbi etiam Ephesium hoc est Ephesiæ Dianæ sacra ædes & Apollinis Delphici templum structum erat. Solum vinetis atque oliuetis natura cultum, ferendis autem frumentis ob asperitatem sanè tenuius & sterile. Quapropter

Strabo. lib. 1.

propter mari magis quàm telluri fiduciam habentes indigenæ nauigationem pro eorum ingenio delegerunt, postmodum tamen virorum fortitudine valentes quosdam vicinorum campos occuparunt, eodem sanè robore, quo & vrbes condiderunt nonnullas inter Hispanos, & quibus & Dianæ Ephesiæ sacra more patrio tradiderunt, vt & Græcanicis ritibus immolarent. Cœli temperies salubris & iucunda, semper renidente solis fulgore nimiasque nebularum maculas abstergente, vt nec hyemis rigor radiis clementioribus retusus hic sæuiat, nec æstatis inclementia mollioribus Fauoniorum auris ventilata solis ardore torreat, nec obductus æther densa caligine contristet intuentium oculos venti semper aspiratione serenatus. Ecquis enim abit dies aëre adeo caliginoso, quo solis radius discusso nimbo aut difflata nube tandem non erumpat, & lucem almam his terris non afflet?

Strabo. lib 4.

3. Cœlum hoc pulchrum vtique, attamen non minus ipsa gens ciuilitatis nobilitatísque nitore honesto literarum otio sapientiæque studio culta, adeo quidem, vt Athenis Mineruæ exercitiis, maris potentia Rhodiis, terræque diuitiis Lacedæmoniis merito existimaretur succedere. Floruit illa diu legum optimarum, imo modestiæ, frugalitatis, aliarúmque virtutum memorabilibus exemplis, atque eo nomine Massiliensis disciplinæ grauitatem, prisci moris obseruantiam, & seueritatem in multis commendat Valerius Maximus. De Magistratu imprimis quod per senatores vel optimates qui sexcenti erant res publicæ administrarentur, eosque ab honore quem per totam gerebant vitam *Timitos* hoc est honorificos nominabant; quod in eorum ordinem nemo adscriberetur nisi prius liberos procreasset, & iam ex triplici progenie ciuis foret. Gladius ibi erat quo noxij iugulabantur rubigine quidem exesus, sed ad monumentum veritatis. Ibi etiam seruabatur venenum cicuta temperatum, quod ei dabatur qui senatus consilia publicasset, mulieribus centum nummi in summam dotis constituebantur, à vino semper illæ abstinebant, Propterea cupidinis statuam iuxta fluuios maioris castimoniæ causa collocabant. Leges suas Ionicorum more promulgabant. Non patiebantur hominem qui iure gentium aut ciuili captiuus fuisset, tertiò libertati datum quartò premi iugo seruitutis, quippe debuerat toties concessa libertate ab eo cauere. Neminem in ciuitatem admittebant, qui sub specie religionis otiosam agere vitam vellet. Funera cum domestico sacrificio celebrabantur, & conuocatis amicis & affinibus epulæ parabantur, vbi tamen omnes à lachrymis omnino abstinebant, existimantes frustra in fletus homines erumpere rei alicuius gratia, quam nulla ratione adipisci possent. Mimos & Histriones in scenam admittebant nullos, ne turpia spectando imitandi licentiam præberent. Nulli quoque oppidum eorum intrare licebat cùm telo, quod mox istud aliquis custodiæ gratia accipiebat, qui exituro redderet, vt aduentantibus hospitia sua non solum humana exhiberent, sed etiam tuta. Quo mirum haud quaquam fit Plautum in Casino Massilienses mores pro optimis & probatissimis dixisse.

Vale. lib. 2. & 3. Antoni. c. 9. tit. 3. § 17.

4. Studiosa

4. Studiosa Romanorum amica Massilia quorum insatiabili tandem cupiditate vastata est atque direpta, cùm enim primum libertatis suæ iure potiretur, satis diu Iulio Cæsari grauissimum bellum terra marique inferenti, vt habet ipsemet in commentariis, validissimè restitit. Verum tandem captam propter vrbis antiquitatem Romano Imperio reseruauit, in eaque duas tantum legiones in præsidium constituit. Cicero tanto ciuitatem istam in pretio habuit, vt toti Græciæ solam prætulerit ac dubitarit vtrum cæteris terrarum orbis partibus vnam Massiliæ ciuitatem præponere deberet, tum ob Græcarum literarum studium, tum ob leges latas, quas vt ait idem Tullius, celebrare potius quam imitari par esset. Quis enim vel mediocriter in antiquorum monumentis versatus ignorat Massiliæ simul cum Græcia musas habitasse atque Romanis hic tanquam Athenas Atticissimas fuisse. Hic Europæos omnes eleganter & loqui & facere didicisse. Ex hoc velut Oceano scientiarum in vniuersam Galliam quasi quibusdam riuulis emanasse flumina aurea Græcæ facundiæ & humanitatis. Liuius eo in honore dignitatéque Massilienses fuisse tradit apud Romanos, ac si mediæ Græciæ vmbilicum incolerent. Verum etiam quod magis mirum videri debet ipsos in Græciam studiorum causa proficiscentes, Massiliam primò liberalibus disciplinis addiscendis diuertere solitos fuisse; ob plurium quoque linguarum cognitionem Massilienses à Varrone *trilingues* dictos commemorat Isidorus quod Græcè Latinè & Gallicè loquerentur, eamque vrbium studiorum magistram habuit Taciti Socer Agricola.

5. Attamen his tam magnificis & gloriosis initiis nedum Massiliæ fœlicitas omnis perfectè absoluta fuit, priusquam altera Hebræorum Colonia sanctissima huc deduceretur, quæ profligatæ impietatis vrbem vero numini consecraret. Quænam enim religionis facies fuit antequam sancti aduenirent coloni ex Palæstino solo, quàm inculta, quàm horrida quàm nemorosa, quanta in rebus diuinis caligo, quam aspera vitiorum senticeta, quanta turpitudinum Mephitis, quanta hominum carnificina? Libabatur Apollini etiam ex instituto Phocensium humano sanguine. Quam multi infantes vt piaculares hostiæ aram iam cruore suo asperserant, vt Ephesiæ Dianæ numen propitiaretur? Quam multi odoramentorum suffitus variis & fictilibus Diis imo dæmonibus euaporati? Quam ob causam Tiberius Imperator Scholas Galliæ aboleuisse putatur, quas Nigromantiæ insimulabat & sacrificiorum detestabilium nocturnorum vbi suas considerationes in extis habebant, quamquam Tiberius non tam hoc impedire quam literas vniuersæ Galliæ moliebatur auferre. Quemadmodum & Iulianus Apostata religionem Christianam, vti sperabat euersurus scholas & omnem librorum vsum ipsis ademerat. Nouis colonis opus fuit, qui agrum syluescentem superstitionibus execrandis, morum corruptela venenatum, crudelitatis vepribus asperum excolerent runcatisque vitiorum omnium fibris præpararent.

6. Huc igitur nauigationem flectunt Lasarus, Martha, & Magdalena sorores, Marcella pedissequa, Maximinus vnus de septuaginta duobus

duobus discipulis Christi Domini, qui totam illam domum baptisauerat, multique alij Christiani in quos Iudæi maiori odie exardescebant. Hi simul comprehensi omnes in dispersione discipulorum quæ post S. Stephani necem contigit anno salutis 35. Tiberij Imperatoris 19. non tantum Hierosolymis pulsi, sed in nauem sine velo ac remigio impositi sunt, vastissimóque mari ad certum naufragium commissi, Phocensem in Prouinciam diuino auxilio deducti, fœlicissimè tandem Massiliensem portum appulerunt. Quo miraculo, & horum precatione primum Massilienses, mox Aquenses, ac finitimæ gentes in Christum crediderunt, Lazarúsque Massiliensium, & Maximinus Aquensium Episcopus creatus est. Partem quoque suam pro se quisque diuinitus accepit excolendam, Magdalena Massiliam simul & Aquas Sextias, Martha Auenionem & Tarascum, cæteri cæteras Galliæ ciuitates. Sed & eiusdem discriminis comitem Iosephum ab Arimathæa nobilem decurionem ex Gallia deinceps in Britanniam nauigasse, illicque post vulgatum Euangelium diem obiisse communi fama atque sermone celebratur. Quis verò iam enumeret nostrorum colonorum in agro Prouinciæ colendo exsudatos labores? quis vigilias, inediam, peregrinationes, lachrymas, angores, pericula, dum efferatam gentem nefandis operantem sacris ab idolorum cultu ad Christum traducere sunt aggressi? Quis referat quanta contentione altæ vitiorum radices fuerint extirpandæ, quanto studio & assiduitate Euangelicæ doctrinæ sementis facienda, vt virtutum messis ampla se tolleret? Quantæ enim morum mutationes sequutæ sunt, quàm multi eiurato Apolline, Diana repudiata, Christianis mysteriis voluerunt initiari, quam multa inanium deorum protrita simulachta, quàm multa delubra diruta, quàm multi eruditione ac nobilitate principes sese æterno principi Christo nuncuparunt? Nec tantum hoc primulo Christianæ religionis vere Massilienses sese explicuere flores, quid factum credimus sæculis insequentibus quibus iam confirmatior vsu & robustior æuo pietas animo insederat? Prouentus equidem dedit ager iste tantos vt an alibi maiores extiterint & maturiores, haud certum sit. Episcopos requiritis? Hinc numero multi ac magni prodiere sacrorum Antistites, quibus Ecclesia nunc decernat honores cultúmque sanctorum Lazarus, Polycarpus, Peregrinus, Eustatius, Cānatus, Honoratus, Theodorus, Abdalongus, Maurótus, Antoninus. Mitto cæteros, quibus Massilia portus & Ecclesiæ ostium quasi domesticum fuit, ex quo ipsos ad propagandam fidem per vniuersas Galliæ ac reliquæ Europæ longè latéque regiones Apostoli dimiserunt. Eruditos homines reposcitis? hinc complures doctrina, eloquentia, & religione viri clarissimi toti orbi Christiano præluxerunt, nam Oresios, Marios, Victorinos, Proculos, Saluianos, Gennadios, Græcos, Musæos, Syluanos quis ignorat. Religiosos desideratis? Liquet infinitos propemodum, vitam ibidem & in Stœchadibus insulis à sæculi strepitu liberam, ab inanibus oblectamentis alienam, à rerum fluxarum cupiditate sepositam instituisse, tam præclara sanctimoniæ fama & existimatione vt in alias interdum Prouincias euocati ad Ecclesiarum gubernacula

sedere debuerint. Martyres expetitis? Victores ibi, & Alexandri, Fœliciani, Longini, Hermetes, Adriani, Defendentes, & alij non pauci qui fidei tenaces, maluere sese tradere hostilibus gladiis mulctandos, dirissimis tormentis lancinandos, quàm è Christianæ vitæ tenore vel latum vngem discedere.

6. Erat tum Massiliensis Episcopus Proculus cùm eò Cassianus venit. Hic ille Proculus insignis nomine & sanctitate vir, de cuius primatu cum actum esset in Concilio Taurinensi, tempore Sirini Papæ, primam esse sedem Narbonensis Prouinciæ Massiliensem Ecclesiam pariter declaratum est, eiúsque sedis tunc Episcopum Proculum Metropolitanum esse habendum Antistitem. Idem Concilio interfuit Aquileiensi vnà cum S. Ambrosio, & subscripsit Epistolæ Concilij ad Episcopos Prouinciæ Viennensis & vtriusque Narbonensis, quem & S. Hieronymus ad Rusticum scribens magnopere commendauit. Extat Zozimi Papæ ad Proculum Massiliensem de Neophytis Epistola, similiter Augustini ad eumdem pro Leporio Monacho. Vix ad illum Cassianus è mari & itinerum longis difficultatibus recreatus adierat, cùm ei comiter simul ac reuerenter salutato, prouolutus ad pedes significat, ipsum per se sua sponte suóque iudicio excitatum Massiliam confugisse, vt se à turbis Aulæ Constantinopolitanæ hominúmque frequentia tolleret, & in solitudine vspiam collocaret. Certum esse deliberatúmque vitam deinceps otiosam in Christo & quietam, sine vllo labore & contentione forensi traducere. Quamquam me, inquit, tuæ sic trado committoque fidei, vt si quid à me diuinus cultus, si quid res Christiana opis subsidiíque desiderare videretur, fidenter horteris ac per illum ipsum Deum, qui huius expeditionis dux fuit & comes, præcipias. Iussa ego atque oracula pro religione reponam in lucro, totúmque me ad suam voluntatem nutumque conuertam. Tuæ partes sunt, nec susceptæ causæ nec nostro studio deesse. Addit nimirum Deus vires cum onere, & facultatem cum potestate largietur efficiam verò ipse diuina subnixus ope, vt omnes intelligant meminisse me quam personam à Deo & à te impositam hac mea sustinuero tenuitate, omnibúsque in dictis & factis me prius vita deseret, quàm studium augendæ religionis aut fides.

Sponda. ann. 397. n. 13. Epist 4. Epist. 5.

7. Hæc elocutum Episcopus, qui de Cassiani egregia virtute iam ex Monachis insulanis multa compererat, inuitauit benignè, suísque Pontificij muneris administratoribus mandauit sanè diligenter, vt largè liberaliterque suppeditarent, quæcumque vel ad ipsorum vitam tuendam, vel ad Dei cultum augendum opus foret. Nec Episcopi dicta factis prolixiora deinceps fuerut. At illi magnam habere se quidem gratiam responderunt eximiæ liberalitati. Cæterum nihil requirere nihil desiderare omnino, quàm vt colligendi sui causa ex tanta celeberrimæ vrbis frequentia excedere, sibique deuio in loco parare qualecumque diuersoriolum, & Deum venerari quà precibus quà pœnitentiæ effectis possent. Neque enim plurimis iam experimentis diuinæ bonitati confidere & in diem, paruoque viuere assuetum, rerum quæ ad corpus pertinent

pertinent habebat vlla cura sollicitum. Petiit itaque sacellum D. Magdalenæ sacrum habere liceret. Locus is est finitimæ peninsulæ breuissimo maris traiectu à Massilia. Impetrauit facilè manumque Præsulis beneuolentissimi atque amicissimi de more osculatus, ad locum destinatum cùm peruenisset, sacram ædiculam ingressus ac numine salutato domum exilem addere constituit, & perangustam è materia rudi & imposita fabricatam, hoc vt opinor gratiorem nec minore animi voluptate quàm alij Principis beneficio aularum augustarúmque ædium magnificentiam, quod repræsentaret Domini sui præsepè summámque illam rerum omnium inopiam. Inde pueri IESV paupertatem eiusdémque iam viri solitudinem æmulaturus, talem vitæ rationem instituit, vt mirarentur in eo vniuersi eximiam vitæ sanctimoniam, assiduum statis horis studium orationis contemplationísque rerum diuinarum, paternam promiscuè in omnes indulgentiam charitatémque, quibus ille rebus effecerat, vt cum cæteris omnibus tum præcipuè Proculo Episcopo charus simul ac venerandus esset.

CAPVT XLV.

Aggregat sibi socios ex quibus natus ordo Monachorum.

1. QVamuis ad Cœli beatos ciues eius ardor præcipuè spectaret, tamen humana etiam auxilia quibus ad proximorum salutem niteretur, impensius amplectebatur. Igitur cœpit ad socios adiungendos animum intendere, viros aliquot spectato ingenio, nec eos à suis consiliis alienos. Postremum dixeris quasi partum vti fœcundiorem ita longè prioribus, quos Romæ, Constantinopoli, in Palæstina olim ediderat fœliciorem, vnde omnis penè proseminata est in Occidentem Monasticæ vitæ institutio ac disciplina. Multos ille quidem iam inde ab eo tempore, quo præclata eius virtus & eruditio fama celebrari cœpit, comites habuit, qui se in illius societatem dederant, quæ tamen recens conglutinata, Cassiani disiunctione & à Græcia æquè atque Italia discessu, facilè diuulsa est. Nam Constantinopoli pro suis in Chrysostomum singularibus studiis, cùm tam variè grauiterque exagitaretur, sanè difficilè non fuit intelligere, quàm exigua spes ibidem ipsos ad religiosam communitatem coniungendi & informandi ostenderetur, quamobrem alius aliò dilapsi sunt. Quos verò in temporaria Romæ commoratione atque etiam Massiliæ vel vitiorum probris iam eripuerat, vel ab humanis ad diuina traduxerat, plerique non vulgari aliqua probitatis laude contenti perpetuis se inclusere Cœnobiis, reliquo vitæ spatio cum virtutis admiratione exacto. Sed ex tanta discipulorum sociorúmque Cassiani varietate, veros aliquos germanósque eius alumnos disciplinæ, iam inde ab æternitate ipsi parauerat Deus, cùm enim vitæ integritate ac parsimonia plurimum iam tum vbique penè orbis Christiani hominum sermone celebraretur, mirum quantus vndique virorum ac mulie-

rum ad eum fieret concursus, quos deuincire paulatim sibi officiis nitebatur, breuique singulos ita doctrinæ & sanctitatis exemplo permouebat, vt suos labores cum Cassiani laboribus, voluntatem cum voluntate coniungerent.

2. Prima hæc noui ordinis & definita numero manus tot propediem chiliadas paritura, cuius ne quam sibi partem humana arrogaret industria, cùm nulla sanguinis coniunctio, nulla familiaritatis amicitiævè necessitudo intercederet, ac ne alibi quidem nisi Massiliæ, quo studendi causa venerant plerique, sese antea de facie notos habuissent, liquido apparuit diuinæ fuisse dexteræ, non imbecillitatis humanæ tantam subito inter eos societatem & coniunctionem, præsertim quod & Cassianus homo adhuc hospes & peregrinus, nihil amplitudinis in hac vita, nihil splendoris præ se ferre videretur, cæterorúmque non modo gente ac familia verum etiam natura ipsa & lingua esset omnino dissimilis. Ea scilicet vincula fuere animorum. Quamquam non deerant optimæ artes atque viæ ex his humanis vsitatísque rationibus, quibus ad eos conglutinandos inter se diuina sapientia vsa est, nam præter infusa diuinitus charismata, quibus velut hamo capiebat homines, fuit in Cassiano magnum etiam atque efficax ingenium & prudentia quædam singularis, ad omnium animos demerendos. Spectabantur per id tempus in Academia Massiliensi adolescentes præclara indole simul & ingenuis opibus clari, quos exemplum Cassiani insigne ad res mortales abdicandas excitabat.

3. Vbi lectos Dei beneficio sibi socios adiunxit omnes suis postea virtutibus magnos quod iam diu moliebatur & agitabat animo, re ipsa aggredi primo quoque tempore statuit, vt religionem conderet, primusque Massiliæ Cœnobium fundaret, aut certè rem Monasticam & numero & multò magis institutis & regulis amplificaret. Neque sanè difficilè fuit cæteros iam sponte currentes & Dei amore incensos posteaquam in medium consuluissent, in eamdem sententiam & propositum adducere. Atque vt ipsorum eò gratius diuinæ Majestati obsequium foret, quò maiorem sibimetipsi necessitatem seruitutis ac religionis imponerent, valuit mirificè tum ad conspirationem ac vinculum animorum, tum ad mentes omnium in suscepto consilio confirmandas, summum se Deo consecrandi desiderium & quædam voti religio simul ac primum eis occasio videretur continuo mortalibus rebus nuntium remittendi, & in obedientia perpetua seruiendi gloriæ diuinæ salutique proximorum, tamen humanæ inconstantiæ imbecillitatem reueritus, nec prospero elatus euentu Cassianus, quem non fugeret in his quæ ad spiritum & mores pertinent, satius esse tueri parta quàm quærere, sic illos instruxerat & communierat, vsu illo imprimis frequenti Sacramentorum, assiduitate precandi meditandique, tractatione sacrarum literarum, qua iuuare inter se & lucubrationes quisque suas luménque doctrinæ & ingenij, cùm res exigeret, in commune conferre consueuerant, spiritualibus modo apud hunc modo apud illum congressibus, suauissimis de Deo & Dei amore colloquiis, omni denique genere officij & charitatis, vt toto illo tempore

tempore quo rudimenta ponerent & incunabula virtutis, non modo nihil de feruore spiritus decesserit, verùm etiam maior in dies religiosi profectus ac laboris cumulus accesserit.

EX CHRONI. IBIDEM.

TEXTVS VII.

Massiliam est appulsus, &c. Nam congregatis ibidem fratribus Monasterium instituit, in quo vsque ad quinque millia Monachorum Pater extitit.

CAPVT XLVI.

Primum Massiliæ Cœnobium ordini suo parat.

1. AB eo die quo Magdalena cum cæteris Christi discipulis, vt supra ostendimus, Massiliam appulsa, locum suburbanum, in cuius speculam quamdam abditam & tunc syluestribus sepibus densam, solitudinis cupida secedebat, primùm frequentare cepit, illum Massilienses quasi nascentis fidei suæ ac pietatis Christianæ incunabula singulari religione semper coluerunt, ibidémque Magdalena demortua in monumentum rei gestæ ac vetustatis exemplum, aram & ædiculàm sub saxo sacro dedicarunt. Fuit ille ipse loci venerationis quasi ortus; ac deinceps quædam etiam velùti adolescentia, quam dicere possumus, annum circiter Domini 140. adeptum esse, cùm Antonio Pio Augusto, Dei Ecclesia erigere animum & paulum respirare à tyrannorum metu cepit. Sublato enim Adriano Imperatore, Antoninus Fuluius in filium ab eo, cuius gener fuerat, adoptatus, tantæ bonitatis in principatu fuit, vt haud dubiè sine exemplo vixerit, quamuis eum Numæ contulerit ætas sua, cum orbem terræ nullo bello per annos 23. authoritate sola rexerit, adeo trementibus eum atque amantibus cunctis regibus nationibúsque & populis, vt parentem seu patronum magis quàm Dominum Imperatorem verè putarent, omnésque vno ore in cœlestium morem propitium optantes, de controuersiis inter se iudicem poscerent. Victor. in Epitome.

2. Ferunt ipso imperij initio Pium esse ab omnibus nominatum, quod multis tum reis factis, postulatísque nonnullis ad supplicium, neminem puniuit. Non oportere inquiens ab his rebus Principatus exordium ducere, & vsque adeo miris fuit, vt cum ob inopiæ frumentariæ

suspicionem lapidibus à plebe Romana perstringeretur, maluerit ratione exposita placare, quàm vlcisci seditionem; ac Senatoribus adeo indulsit, vt etiam parricida confessus in insula deserta poneretur, quia viuere ei nationis legibus non licebat. Contingit autem his diebus, tum ipsam vrbem Romam, tum alias Imperij Prouincias multiplicibus cladibus affligari, nempè famè, terræ motibus, inundationibus, incendiis, quæ recitat Capitolinus in Antonino Pio, haud alia de causa quàm vt manifestis declararetur signis, esse gentilibus diuinum numen infensum ob concitatam in Christianos persequutionem. Eaque non solum populos sed & ipsum Imperatorem pariter commouisse ex eo facilè opinari licèt, quod anno sui Imperij decimo quinto reperiatur apud Eusebium & Iustinum promulgasse edictum pro cohibendis cædibus indignissimis maximisque Christianorum. Et quamuis inscriptum habeatur tantummodo ad populos Asiæ, tamen & ad alias quoque Prouincias missum esse constat, tum ex ipsius rescripti verbis, tum ex Melitone Episcopo Sardensi in Apologia ad Verum.

Euseb.4 hist. 12.
Iustinus.orat. ad Antonin.
Euse.ibi.c.25.

3. In hac ergo quasi verni temporis suauitate, videbantur in Ecclesia quotidie magis efflorescere firmata iam stirpe religionis ac fidei Christianæ quædam propagines Monachorum, quos Massiliam etiam tunc penetrasse, & sacra illa loca Magdalenæ nobilitata vestigiis religiosè coluisse, satis id declarat quod de Lerino & Stœchadibus insulis supra commemorauimus. Vix tamen robusta illa & virilis fortitudo teneræ adhuc accessit ætati, quam cùm aureo Constantini sæculo Christianis vbique terrarum data est summa pax, summa tranquillitas. Tunc enim Dei gratia, cùm in Oriente toto religiosis multiplicandis adeo abundabat ne alias quidem orbis partes, ista laudè caruisse certum est. Massiliam & inde quam longè lateque patet Christianum nomen in Occidente, tanti huius incrementi principem & authorem accepit magnum Cassianum nostrum, quem Dei sapientia ad hoc potissimum opus omni cœlestium charismatum copia instruxisse visa est. Ipse namque maioris perfectionis cupiditate ardens, non sibi duntaxat suoque profectui studere voluit, ac consultò multitudinem fugere vt inimicam otio & quieti spirituali, sed hanc Monasticam Philosophiam non sine singulari diuinæ prouidentiæ consilio & spiritus rectè omnia gubernantis, propius ciuitates atque oppida primus collocauit, vt proximis quoque esset vtilis & fructuosa, quod institutum postea in Basilio mirificè laudauit Nazianzenus his verbis. *Vt autem non solum sibi sed aliis quoque proficeret, primus Cœnobia excogitauit, ritumque illum Monachorum antiquum atque agrestem ad ordinem quemdam ac formulam religioni propiorem redegit. Cum enim animaduertisset eos qui in communi vita hoc est aliis mixti agunt, etiam si Monasticam abstinentiam seruent, aliis quidem vtiles esse, non ita sibi ipsis, cùm in multis eos malis versari necesse sit, quæ vitæ quietæ omnino perfectæ contraria videntur, eos verò qui in solitudine procul ab aliis degunt firmiores sanè in proposito magisque Deo coniunctos, attamen sibi tantum vtiles, cùm rerum experientiam non teneant, nec cum aliis commer-*

Orat.in laudē Basilij.

tium vllum habeant vtrumque vitæ genus coniungere conatus est. Quamobrem Monachorum Cœnobia haud procul ab iis, qui in hominum societate viuunt ædificari iussit, nec omnino separauit vt & propinquitatis cum opus charitatis exposceret adesse possent, dissiti alioqui propriis terminis, ne quies eorum interrumpi per multitudinem posset, nec ipsi Monachi actionis merito quod ex impendenda aliis charitate existeret priuarentur, neque rursus eorum actio per tumultus inutilis efficeretur, & alter alterum hoc modo iuuare posset, vt Monachorum vita per conuersationem eorum qui in communi agunt fructuosa fieret & ipsi è Monachis quietem, sapientiam, contemplationémque discerent quemadmodum terra & mare sese inuicem complectuntur & iuuant.

4. Hoc animo Massiliam Cassianus iter intendit, quo vt primum peruenit, in suburbanam Magdalenæ sacram ædem, haud procul ab hominum congressu, piis ac religiosis aliquot viris adscriptus Monasticam disciplinam ita coluit, vt mirum in modum promouerit & auxerit, nam præter occultam quamdam vim interiusque subsidium quo Deus continenter in contubernalium voluntates influebat, eos in suscepto vitæ instituto corroborans atque confirmans, Cassiano insuper tam aptas ad eos erudiendos vias rationésque suggessit, vt non miretur talem ac tantam prodiisse sobolem quam genuit, qui quo spiritu genuerit inuestiget. Neque his ædium angustiis latuit circumscripta, crescebat enim & vndique se prodebat eius sanctitas, totique iam elucebat vrbi, & in ore Academicorum omnium erat. Vix tandem arcana sui pectoris præceptámque olim Cœnobij inchoandi condendique sententiam aperuerat, siue vt sacra illa Magdalenæ vestigia honoribus amplioribus decoraret, siue vt finitimis populis Monasticæ disciplinæ fontes, vnde haurirent, atque etiam itinera ipsa demonstraret. Cùm pia mens hominis mira discipulorum suorum consensione probata est, & tanquam diuturnis expetita votis sine cunctatione suscepta. Ad hos plerique ex ea Academia accessere alij, qui vsu aliquo coniuncti Cassiano, nondum enim erat omnibus eadem communitas tecti, cum ad mutandam in obsequium Dei superioris vitæ rationem diuino raperentur instinctu, hac occasione excitati, perfacilè inducti sunt, vt cuius tempestiuam experti erant benignitatem, in intimam eius societatem penitus & ipsi se darent, institutúmque amplecti non dubitarent. Constat sanè breui variis in domibus circumquaque modico interuallo disiunctis, ad quinque millia discipulorum habuisse, qui ipsius quasi generalis Patris sapientia & consiliis nitebantur. Dixisses Antoniorum aut Hilarionum rediisse ætatem, de qua Hieronymus & Athanasius. *Erant in monte Monasteria tanquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium, qui infinitam religionem quamdam & oppidum à mundana conuersatione seiunctum videbantur incolere.* Aut quod Palladius grauis author & testis oculatus in sua quam describit peregrinatione ciuitatem se vidisse narrat, in qua plura essent Monasteria quàm prophanæ domus. Quare cum omnes vici omnésque anguli pleni essent Dei famulis, qui diuinas laudes concine-

rent, visam sibi esse ex ciuitate factam vnam Ecclesiam. Idem quoque de Massilia cogitare possit, qui multitudinem ac copiam recordatur penè infinitam eorum, quos Cassiani nomen & authoritas ad fugiendum mundum & solitudinem colendam adduxit, atque eo tempore factam ex ciuitate quasi vnam Cassiani familiam planè miretur & obstupescat, cuius tantæ fœlicitatis causa nulla verior afferri nec magis efficax potest, quam æternum diuinæ sapientiæ decretum, quæ per hunc tam varium tamque multiplicem fœtum sua potissimum de nouo constituendo Monachorum ordine consilia definitis locorum & temporum spatiis momentisque perficere destinaret.

5. Ædes illa sacra Magdalenæ paucorum capax erat, cùm multi ad rem diuinam & Sacramentorum hortantibus Monachis frequentem vsum ac verbi Dei sermonem confluerent. Hanc igitur principibus viris Deus mentem pariter iniecit, vt pietates studio & in Cassianum amore adducti amplissimum templum à fundamentis curarent, augustum sanè seu architecturæ artem spectes siue ornatum. Nec diu post eamdem beneficentiæ voluntatem plerisque aliis dedit, qui & singulari pietate in Deum fuere & in Monachos liberalitate, vt eis domum etiam laxiorem construerent, annuosque reditus quod satis esset attribuerent. Locus ædificio designatus vetus illa eadem spelunca Magdalenæ. Massilia ciuitas olim in summa collis planitie non multum amari eminens portum habebat, ad ipsius collis radicem, quæ Borealem plagam respicit, magni nominis emporium & mercimoniorum copia celebre & opulentum. In angulo altero quasi meridionali tractus est maris angustus, plures in continentem passus excurrens. Scopulosus & salebris ac syrtibus aliàs frequens locus, nunc ex arte in commodissimi portus ostium aditúmque proiectus. Vrbi simul & monti aduerso interiicitur, qui non tam naturæ quam incolarum culpa opaci nemoris asperitate, & virgultis inter se implicitis continenti densaque arborum nube, desertus ferebatur à plebe atque à cultura hominum. Ideo Magdalenæ recessus & solitudo fuit. Eleganter copioséque describit Poëta in sua Pharsalia:

Lucus erat longo nunquam violatus ab æuo
Obscurum cingens connexis aëra ramis,
Et gelidas alte summotis solibus vmbras.
Hunc non ruricolæ Panes nemorúmque potentes
Siluani, nymphæque tenent, sed barbara ritu
Sacra Deum, structæ diris altaribus aræ,
Omnísque humanis lustrata cubilibus arbor.
Si quà fidem meruit superos mirata vetustas.
Illis & volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit syluas excussaque nubibus atris
Fulgura, non vllis frondem præbentibus auris
Arboribus suus horror inest, tum plurima nigris
Fontibus vnda cadit, simulachraque mœsta Deorum

Arte

Arte carent, cæsisque extant informia truncis.
Ipse situs putrisque facit iam robore pallor
Attonitos, non vulgatis sacrata figuris
Numina, sic metuunt, tantum terroribus addit.
Quos timeant, non nosse Deos, &c.

Tangit priscam Gallorum in venerandis lucis superstitionem, & Cæsaris in eis contemnendis audaciam. Cùm enim tanta esset religio sacrorum, vt quod veteri persuasione assererent Massilienses, suus etiam arboribus horror & superstitiosus timor inesset, nec ramis volucres insistere nec feræ lustris & obscuris cubilibus recubare, nec aër effluens huc & illuc ventos efficere vehementes atque immoderatas tempestates, neque nubium conflictu ardor expressus in illas cruoribus humanis expiatas Deorum aras & puluinaria se emittere sustinerent. Fama erat terræ motibus & agitationibus à fontibus atris deduci, taxos vetustate aut nutu Deorum inclinatas se in sedem restituere, deflagrantes incendio arbores non comburi, sicut de rubo Moysis veritas habet, dracones robora complexos tanquam lumen solis instar accendi.

6. Locum tamen tam sacrum ac religiosum Massiliensibus ausus Cæsar prophanum habere, syluámque bellis superioribus tum ab ipso Cæsare, tum ab alio gestis intactam nunc decidere verebantur sectores, sacrilegij pœnam redituras in sua membra secures, quod Lycurgo Threicio vitem incidere conanti accidit, eiusque suum pro vitè incidit. Quare suos videns metu superstitionis ab euellendo luco frigere, correpta bipenni quercum incussit, & exemplo reliquos facilè prouocauit.

7. Hic nouum templum descriptæque denuo ædes, Pauli Episcopi potissimum ope & opera, qui Proculo demortuo ingenti bonorum omnium gaudio suffectus fuerat, breui tempore absolutæ sunt. Dæmonis spurcissima latibula & execrandos ritus ad Dei cultum & Christianæ religionis honorem diuina sapientia vertente, ideoque templum dicatum Victori Martyri, & inde Cœnobium S. Victoris appellatum, quoniam Victoris Christi ornandum tropheis simul ac triumphis ditandum foret. Idque hodie Pontificum ac Regum munificentia locupletatum bonis, ædificiisque pulcherrimis constructum, est egregium sanè Gallorum Principum munificentiæ monumentum, amplissimúmque Præsulum olim & Monachorum ad vsum Prouinciæ Occidentisque seminarium. Ex hac enim quasi vna radice non modo eminentes viri qui in tota Christi Ecclesia doctrinæ ac pietatis gloria floruerunt. Sed variæ deinde stirpes prodiere variarum familiarum, quæ idem Cassiani institutum complexæ, nonnulla tantum vel addendo aut leuiter immutando ab ipso discreparunt. Quod cum ita sit illi tamen iure ac merito nomen Patris & Patriarchæ Monachorum Occidentis tribuitur, quoniam ita rem Monasticam sanctitatis & sapientiæ authoritate amplificauit, vt penè eius author videri possit.

CAPVT XLVII.

Prima item Regularum Ordinis rudimenta.

1. NEque hominum multitudine duntaxat & ædificiorum laxitate religionem auxit sed disciplina quoque, quippe qui regulam scripserit. Quamquam autem quod ad Monasticas Institutiones attinet, eæ conditæ nondum erant, tamen ne nullæ prorsus essent aut sine disciplina ordo iam inchoatus se regeret, tradidit rudia quædam monita atque præcepta, Regulæ nomine, quorum ad normam diuersi religiosorum cœtus atque Cœnobia, quàm diu certæ leges ederentur, se ipsa dirigerent. Extant adhuc & vigent tanta sapientia, vt in earum laudem verè dixerit Gregorius Turonensis agens de Palappia matre S. Aredij sic eam instituta voluisse Monachorum Cœnobia quæ fundauit, vt in iis Cassiani regula præscripta sequerentur & sola quodammodo aut saltem prima regnaret. *Construxit templa*, inquit, *Dei in honorem Sanctorum, expeditque eorum pignora ac ex familia propria tonsuratos instituit Monachos, Cœnobiúmque fundauit in quo non modo Cassiani verùm etiam Basilij & reliquorum qui Monasterialem vitam instituerunt celebrantur regula, beata muliere victum ac vestitum singulis ministrante.* Eandem nobis ex ordine recitat Menardus de tabulis publicis & M M. S. S. Codicibus, quos ex variis Bibliothecis sumptos apud se habuisse ac verbum ex verbo transtulisse se ait in suam Concordiam Regularum. Lege authorem si allubet, ne in hoc genere nimium quod esset, offendat vehementius quàm id quod videtur parum.

Lib. 10. hist. c. 29.

2. Atque his monitis perindè ac iustis legibus parebatur à singulis, idque tam sponte, charitate eos agente, vt non ab homine tradita sed à Deo putarentur accepta. Quæ quidem verum Regulæ nomen sortiti fuerunt, non enim in iis narrantur Monachorum Ægypti mores & instituta, sed quid faciendum sit præcipiunt. An vero primùm nuda ista & angustis atque concisis sententiis illigata scripserit Cassianus, quæ vberius ac fusius deinceps disputarit in suis Commentariis de institutis Renuntiantium. An quispiam alius concinnauerit & ex institutis illis fusioribus compendio excerpta nomine Cassiani regulæ vulgarit, non habeo certò dicere, cùm Photius, Gennadius, Bellarminus, Sixtus Senensis, Posseuinus, & alij qui Cassiani opera recognouerunt nullam eiusmodi regulæ mentionem faciant, nisi id fortè ex loco Gregorij Turonensis colligere liceat. Quod suspicantur aliqui. partum hunc fuisse Eucherij Lugdunensis Episcopi de quo narrat Gennadius quædam Cassiani opuscula lato tensa sermone angusto verbi resoluisse tramite & in vnum volumen collegisse, id perperam de hac Epitome intellexeris. Eucherius enim teste Petro Damiano Collationum duntaxat in summa vbertate luxuriem stylo censorio depastus dicitur. *Legite*, inquit, *Collationes Patrum quas Eucherius*

De scriptor. Ecclesiast. c. 63. Lib. 5, Epist. 19.

Eucherius Lugdunensis Episcopus elimato sermone abbreuiare studuit. Habet alium id genus libellum Eucherij nomine ex Seuero Sulpitio & Cassiani Collationibus compactum Rosuueydus in vitis Patrum Orientis quem ea de re differentem legere quisque potest. At regula Cassiani quæ hic citatur, maximè sumpta est ex libro 4. De Institutis Renuntiantium. Quædam colliguntur etiam ex libro 2. de nocturnis Orationibus, atque etiam ex lib. 1. de vestitu Monachorum, nec non ex lib. 3. de diurnis orationibus, contractius quidem quàm apud Cassianum descripta exceptis duobus capitibus, quibus regulæ nomen non præfigitur, ita vt hæc regula compacta sit ex Institutionum duntaxat præfatis Cassiani libris.

CAPVT XLVIII.

Renuntiatur Cassianus Ordinis Abbas Generalis.

1. QVamquam autem constabat ordo ipse quasi per se, suasque habebat in virtutis studio progressiones & gradus, nulla vtique alia vi impulsuque nisi diuino, tamen vsquequaque perfectus & suis omnibus expletus numeris nondum erat, Quousque ab Episcopi authoritate & nutu cooptaretur religio, ac superior aliquis legeretur, ex cuius administratione ductuque vniuersa penderent. Fuit enim peruetus Ecclesiæ consuetudo vt Monachi suum sibi Abbatem eligerent, idque præscribunt antiquorum Patrum regulæ & Ecclesiasticæ ciuilésque sanctiones, & praxis habetur in Menardi Concordia ex Regula Magistri de ordinando Abbate. *Videte fratres, ne quis hanc ordinationem animo malo suscipiat & Christum contemnat, cuius vicem in Monasterio vobis iste acturus est. Post hac statim oratione ab omnibus facta, accersitus statim præses Ecclesiæ ipsius territorij, vel testimonio eius Clericatus officij mutato, Episcopi manu nomen eius Abbatis qui in honorem ordinatur post nomen Prioris eius scribatur, iam Missa altaris in Oratorio à Clerico recitetur ipso oblationem fratrum recitante.* Et §. 1. *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio vt hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio secundum timorem Dei, siue etiam pars quamuis parua Congregationis saniore consilio elegerit. Vita autem merito & sapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus est etiam si vltimus fuerit in ordine Congregationis. Quod si etiam omnis Congregatio vitiis suis, quod quidem absit, consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa in notitia Episcopi ad cuius Diœcesim pertinet locus ipse vel ad Abbates aut Christianos vicinos claruerint prohibeant prauorum præualere consensum, sed domui Dei dignum constituant dispensatorem, scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste & zelo Dei faciant, sicut è diuerso peccatum si negligant.* De Episcopo territorij in quo situm est Monasterium qui Abbatem electum benediceret atque ordinaret, id dicitur iuxta antiquum morem quo Abbates ab Episcopis benedicuntur & ordinantur, vt videre est in antiquo ordine Romano &

§. 4. cap. 4.

statuitur Codicis Lege 46. De Episcopis & Clericis. Item Synodus 7. can.14. si ipsi, inquit, Abbati ab Episcopo manus est imposita. Tum de eligendi ætate ac morum probitate Menardus ibidem. *Abbas interea eligendus est ab institutione sanctæ vitæ duratus atque inspectus patientiæ & humilitatis expertus. Quique etiam & per exercitium vitam laboriosam tolerauit, ac transcendens ætatem adolescentiæ, iuuentutem seu senectutem tetigerit. Cui & maiores non dedignentur parere, obedientes ei tam pro ætate quàm etiam pro morum probitate. Iste se imitandum in cunctis operum exempla exhibebit. Neque imperare illi cuiquam licebit quod ipse non fecerit, singulos autem hortamentis mutuis excitabit, alloquens cunctos, exhortans vel ædificans in eis si quid eorum vitæ pro vniuscuiusque gradu prodesse perspexerit. Circa omnes seruans iustitiam, contra nullum liuore odij inardescens, omnes ex corde amplectens nullum conuersum despiciens, paratus etiam quorumdam infirmitatibus compatiendi misericordiam Apostolum sequens, facti sumus paruuli in medio vestrum tanquam si nutrix foueat pullos suos.*

5. 2. Congregata igitur in vnum ordinem tot millium Monachorum familia, gratiæ primum vt æquum erat actæ superis, quorum benignitate res bene hactenus fœliciterque vertisset. Deinde quoniam noua semper multitudinis incrementa dies afferret, è suo corpore Abbatem aut præpositum Generalem primo quoque tempore deligere visum est, cui deinceps vniuersæ administrationis pondus incumberet, & per quem inferiores nixi, ad ea quæ Deus adderet virtutum decora & ornamenta conscenderent. Euocati mox ex variis disiunctisque domiciliis, in quibus plerique, vt sese facultas obtulerat, versabantur distincti, selecti Patres qui in suffragium irent, priusquam vlla de re alia inter se agerent proposito sibi ante oculos communi duntaxat bono. Deum venerantes, precantur, vt instinctu afflatuque suo mentem prouidam rerum gerendarum efficeret. Hinc suffragia in vnum Cassianum collata, nemine præter ipsum discrepante, sic enim sibi persuaserant vniuersi, à neminè melius regi se posse, quàm ab eo quem ad constituendum ordinem præcipuum Deus ipse delegerat, & per quem veluti per caput in reliqua huius corporis membra eumdem spiritum, eamdem gratiam vocationis infunderet, eaque inter se coniuncta & colligata arduis illis tueretur initiis. Quod vbi in vulgus manauit, ea subsequuta est acclamatio amicorum sibi gaudentium sociisque gratulantium, vt facilè quanti Cassianum facerent omnes testarentur. Vnus ipse parendi nimirum longè quam imperandi cupidior mœstus apparuit, & delata dignitate perculsus animoque perturbatus obtestari, vt quemuis potius quàm se huic muneri obeundo deligerent, cui ex omni numero se magis ineptum esse neminem ex animi sententia posset affirmare. Sed videlicet eorum nihil, quæ ad honorem detrectandum afferret Cassianus, non modo aliò non transferebat voluntates Patrum, vt vel maximè studia eorum incenderet. Nihil enim ad conciliandos homines æquè valet atque animi moderatio atque submissio. Spe itaque omni rei bene gerendæ in vno,

vno Deo reposita & recti conscientia nixus, quod eam dignitatem minimè ambiisset, quin potius omni ope defugisset, dedit manus Cassianus, ac prouinciam difficilem illam quidem sed publicè tandem Dei benignitate profuturam suscepit. Mox Conuentu habito gratiisque Deo actis, ad Paulum his temporis Massiliensem Episcopum, benedictionem more maiorum vt impetraret, ingressus, benigneque acceptus est. Nam & in Abbatem sapientissimus Antistes perhonorificum sese præbuit, & nascentem ordinem multis rebus decorauit auxitque, & Monachorum eius opera maximis in difficultatibus Ecclesiæ suæ plurimum vsus est, & de augendis ex ærario suo Monasterij reditibus serio cogitare cepit.

3. Quibus rebus ingenti omnium consensu & conspiratione peractis, Magistratum Cassianus iniit, primúmque omnium ad constituendam domesticam disciplinam adiecit animum, quæ digna tali instituto, digna vitæ Monasticæ hoc est religiosissimæ professoribus haberetur. Hoc itaque imprimis studio fuit, quando ab origine pendent omnia, vt iuuenes qui ex omnibus Prouinciæ vrbibus confluebant frequentes, ordinique adscribi cupiebant, ad pietatem ac religiosas exercitationes accuratè informarentur. Regulas item quas sigillatim seruandas diuinitus ab oratione experimentisque tradiderat, easdem re ipsa publico commodo geri mandauit, nimirum vt esset in tanta nationum ingeniorúmque varietate, quemadmodum consensio amorque mutuus, sic & ad morum sententiarúmque similitudinem vno omnes communique præceptionum vinculo inter se colligarentur. Accedebat ad hæc tum in officiis singulorum exigendis tum in erratis puniendis admirabili mista leuitate seueritas, subleuandis verò omnium & animi & corporis necessitatibus cura & vigilantia plusquam paterna, cuius menti voluntatique mens vicissim respondebat discipulorum, quibus cùm ipse in medullis hæreret, & eadem qua ille charitate flagrarent, nullæ tum querimoniæ, nullæ obmurmurationes, nulli susurri quibus incommodæ suspiciones excitantur & disiunguntur animi, sed acerrimum sui cuiusque deprimendi submittendique certamen in Abbatis sanctissimi iussis excipiendis exequendisque alacritas ingens, mirus in communicando interpretandoque candor atque simplicitas. Eum de suis quisque rebus absens admonebat per literas, ad eum si quid quæstionis incideret referebat, eius sententia consiliúmque maximi erat apud omnes ponderis, omnésque ad eum non in suis negotiis duntaxat, verùm etiam aliorum quorum se ad vsum & commodum explicarent siue auxilij siue consilij causa confugiebant, idque tam liberè fidentérque quàm explorata sibi erat eximia Patris charitas, rara prudentia, singularis humanitas.

4. His officiis haud difficilè fuit in tyronum animos recentissimo tum pietatis spiritu spontè incensos, virtutum ac perfectionis desiderio eos mores eamque viuendi rationem inducere, vt intra illa tecta parietésque Angelorum in humanis corporibus conuictus videretur esse. Nec vnà cum sæculis hæc opinio inueterare potuit, quoniam prædium Cœ-

nobio nunc vicinum, olim proprium inde traxisse aiunt *Paradisi* nomen, quo illud etiam hodie vulgus appellat. Sed & Cœnobiorum aliqua passim facta accessio est, nos ordine pleraque locorum & temporum quoad eius fieri poterit habita ratione referemus infra Libro 3. cap. 18. Quod & olim D. Benedicto curæ fuisse ex historiis discimus, quem cum multi ad eum quotidie discipuli conuenirent duodecim Monasteria ædificasse, eaque sanctissimis legibus communiuisse referunt. Similiter coniectis vt sit omnium oculis in nouum Cassiani ordinem, non ad Massilienses tantum verùm ad exteros etiam salutaris exempli mouit vtilitas. Alij Monachos ad se mitti postulabant nonnulli Monasteria apud se excitari, Castor Nemansi, Honoratus Arelatæ, cæterique alibi, rogare vt pro incolumitate sua Deum præcarentur. Quo factum vt breui communis res ordinis benè sit gesta.

EX CHRONI. IBIDEM.

TEXTVS VIII.

VBi etiam libros duodecim in vno volumine quod Speculum Monachorum dicitur composuit, atque ad Castorem Episcopum vrbis Aptensis transmisit. In quo omne studium & disciplinam habitus & victus Monachorum, breui & luculento sermone exarauit, &c.

CAPVT XLIX.

Excitat eum Castor Abbas ad edendos libros de Institutis Cœnobiorum.

1. INter cæteras autem occupationes, nec ea quidem sine negotio sine fructu postrema, receptio erat & missio literarum. Consulebatur enim à maximis viris de rebus grauissimis & vltro ipse literis appellabat suis, quos existimabat posse publicæ rei prodesse. Quæ sanè plurimæ erant, nec pauciores domi congressus nec Cœnobitarum in commune consulentium cœtus ad quos familiæ suæ administrandæ causa veniebat frequens Cassianus, quid facto foret opus præcipiens, respondens dubitationibus, consolans mœrentes, recreans fatigatos, incitans lentos, omni denique boni Abbatis & Magistri fungens officio. Accedebant & aliæ

aliæ subindè curæ, tanto enim Magistro ac duce in institutis etiam Cœnobiis religiosæ vitæ tyrocinium ponebant Sanctimoniales quamplurimæ, quo ex onere tantum perferebat laboris ac sollicitudinis dum homo impeditissimus quotidianis mulierum querimoniis, anxietatibus, percunctationibus distineretur, vt id genus negotij plus ei prope molestiæ quam Monachorum vniuersus ordo facesseret. Ad has porrò summas & incredibiles occupationes, quis non miretur vni homini vel tempus suffecisse vel vires, sed nimirum adest piè laborantibus vigor ac robur è cœlo, & quauis hominibus industria mirè producit horas.

2. Sub id tempus Castor Nemausensis indigena, nobili prosapia ortus, Arelate liberalibus disciplinarum studiis traditus est à parentibus imbuendus, cùm opibus terrenis eorum hæres ex asse toto afflueret, sæcularibus pompis primùm & corruptelarum illecebris irretitus est adolescens, quibus tamen propè iam acto quasi ætatis flexu decursoque contemptis & abiectis, diuini amoris igne succensus in quodam sui ruris agello, cui *Maunacus* nomen erat, Ecclesiam sub sancti Faustini titulo & Monachorum domicilium construxit, vbi ipse cum adlectis pium in cœtum sociis aliquot solenni pietatis apparatu celebrique pompa religiosæ professionis & vota conciperet & vitam institueret. Igitur permagni interesse existimanti ad surculariæ & quasi lactentis vineæ sationem peritæ ac studiosæ operæ manum parari, venit in mentem eam fore expeditissimam viam, si Cassiano cuius spectata probataque virtus longè latéque dimanarat ad existimationem hominum, munus illud demandaretur. Id fieri nulla propè domesticæ administrationis fraudè posse, quippè Nemausum vrbem haud procul interuallo locorum Massilia disiungi, & ad excitanda Cœnobia quæ plurimorum commodis vtilitatique seruirent fore sedem opportunam, cùm Episcopalis Cathedræ templum ac Romanorum Coloniæ ius & nomen haberet? Nec non dato eo aditu, quasi è Prouinciæ carceribus in alias emitti circumquaque regiones, & ad Occidentis calcem breui posse religionem peruadere. Hæc meditans vir sapientissimus cùm rem ad suos detulisset, tanto illi consensu probarunt vt concordiam miraretur ipse Castor, & pro diuini nutus prosperique euentus argumento caperet. Supplex igitur de proposito susceptoque consilio egit, quàm primum cum Cassiano his literis.

Martyrolo. Gallica. 21. Septemb.

3. *Domno sanctitatis speciali gloria decorato atque per omnia memorando, sed & scientarum decore pollenti Patri scilicet Cassiano Castor in mundo degentium peripsema, quæ possumus seruitutis humillima.*

Rationabiliter Pater irrationabilibus & elinguibus pædagogi fomenta subueniunt, quia non etsi æqua omnibus moderatio oppressa humanitate vigere deprehenditur, restat tamen vt his quibus subacta probatur, subigat emolumentum. Non enim omnia possumus omnes, quia non omnium nosse certare. Merito enim sui quisquam iacturam incurrit, qui ea quæ potiora capere dedicit, bona surripere minimè ambigit. Diutina namque sunt exercitatione premendi variisque operibus alendi, quibus aliorum discretio subrogatur.

Etenim

Etenim aliquotiens præsumptor sua temeritate succumbit, dum necessariis vsibus apta, sua incongrua industria incertis moderationibus dispertitur. Nobis verò idiotis facile per iniuriam inepta persuaderi possunt. Te ergo, charissimè Pater, qua possumus charitate præuenimus, quo pia ac inexhausta exuberantia nihil promere sapientibus nobis subuenias, & quibus præmines exercitiis, sub quibus præpollens mens & membra creuerunt, nos neophitos & mundialis pompa accurationibus illectos excitare non differas. Te quidem potissimum Orientalium Cœnobiorum doctrina expertum tenemus, maximéque Ægyptiorum & apud Thebaidem fundatorum, præsertim cùm & loca Dominica natiuitate insignia, tua sint illustrata præsentia. Quocirca cùm sis omnium studiorum Catholicorum disciplina refertus, te quoque conuenit nos scientia inopes non præterire. Poscimus namque tuam paternitatem, vt instituta Monasteriorum, quæ per Ægyptum & Palæstinam florere ac institui vidisti & seruanda sanxisti, & sicuti ibi à Patribus tradita sunt simplici sermone in nostro rudi Monasterio adhibere complanata non abnuas, & eloquiorum tuorum melliflua suauitate exuberantia verba diffundens, nostra diu arentia corda rigare non differas, ex quo abiecta sterilitate fruges iustitiæ valeant pullulare. Vnde reor si quid proficere nos possibile fuerit, te quoque potiori merito munerandum; si paterni laboris obedientia inertium mentes qualemcumque reddiderint habilem seruitutem. Vale Pater Dei seruorum & memento nostri.

4. Attulerunt hæ literæ tot inter curas & labores multùm consolationis animíque famulo Dei, sed ille ab obsequio retardabat aliquantulum ex modestia magis quam susceptus ex vero scrupulus, quod se minus idoneum & parem censeret iis ad quæ ambitiosis votis expeteretur. Præterea sese hominem natum in Græcia, & duntaxat semiromanum destitui opinabatur Latinè scribendi gratia, quam verò Latini afferre & in id genus commentariis vulgares etiam doctores ac magistri spiritus exhibere soliti essent. Sed hæc idemtidem cùm menti recurreret æqua & honesta postulatio, ac vereretur ne contra numinis instinctum despiciendo faceret ad demandatum munus, maiore quadam fiducia curam aduertit. Et ex eo partim quod suo ipse vsu & quotidiana obseruatione notarat, partim ex eo quod ab Ægyptiis Patribus ac diuino illo institutore didicerat salutarem quamdam religiose viuendi regulam, velut artem effecit, quam in dies magis ac magis auctam locupletatamque ad similitudinem status politici legibus astricti, *Instituta renuntiantium* siue Cœnobiorum appellauit vt quemadmodum suis institutis ac legibus Respublicæ, ita suis se spiritus regeret & informaret. Ad eas verò Castoris literas responsum hoc edidit, Præfatione. *In libros de Institutis Cœnobiorum ad Castorem Pontificem*, &c.

5. Non potuit gratius quicquam accidere Castori, qui dum oblatos sibi libros variis locis delibat, mirum quantum eorum pulchritudine caperetur, quæ scripta reperiebat atque adeo inter ipsam lectionem vbi quippiam insigne cognouerat, ad eam quam adumbratam haberet virtutum omnium perfectionem, aspirare illico. Neque verò cùm hæc & alia

alia sibi multa proponeret, res occurrebat vlla tam ardua támque difficilis, quàm non perficere sese posse generosa quadam alacritate confideret. Magno itaque suo bono singula primum expertus, & ratus id quod erat eamdem quoque vim in cæteris habitura, subindè ad aliorum adhibere salutem & vitæ religiosæ disciplinam constituit. Vix editus partus in lucem oculósque vulgi peruenit, cùm statim probatus summáque cupiditate manibus omnium teri cœptus est, tam illustri commutatione morum tam vberi multorum fructu, vt nihil eo videretur siue ad conformandos mores appetitúsque sedandos, siue ad retinendam in præclaris animi nostri decretis constantiam, elucubrari potuisse præstantius. Neque omnino dubitare fas sit quin opus fuerit humano maius & planè diuinæ mentis inuentum.

6. Ex hoc fonte quæ gessit Castor tota vita pro causis animarum, quæque perpessus est, & multo plura quæ in honoribus despiciendis cupiit perpeti, ex eodem sociorum adlectio & ipsius ordinis constitutio & vniuersa descriptio emanauit. Ex hoc venerationi populo esse ceperat, tum propter eximia virtutis exempla, tum quod eum consequuta deinceps & verò etiam amplior fama de nobilitate generis mutato sæculari habitu relictis fortunis admirabilem faciebat. Tractat ista luculenter vitæ author, in supplemento Martyrologij Gallicani vndecimo Calendas Octobris. *His igitur theorematibus suscepta cum sodalibus suis Castor castissimæ conuersationis & perfectæ religionis studia excoluit. Abbásque factus illius Cœnobij, cuius fundator erat, sanctitate conspicua ita inclaruit, vt exempto ab humanis Quintino Episcopo Aptensi, tam cleri quam populi votis in eius vicem fuerit sublectus. Declinauit omni qua potuit industria vir sanctus delatum suscipere honorem. Clero enim & plebè ad eius Monasterium concurrente, ne ad sedem raperetur festinus se subduxit in montem de Bresine vbi aliquandiu latuit. At ne in occulto maneret fulgentissima Spiritus sancti lucerna diuina prouidentia effecit. Deprehensus enim in latebris à quibusdam venatoribus, vir Angelicus in ciuitatem cum custodia adductus atque ad Ecclesiam directus, ibi magno applausu omnium exceptus, magna reuerentia ordinatus solemníque ritu Pontificali throno impositus est. Moxque vti orto sole germinant flores tanti syderis diffusis splendoribus religio circumquaque refloruit, pullularunt omnis generis virtutes vitia emarcuerunt, Cleri decora aucta sunt, populi mores in melius commutati. Operibus etenim iustitiæ non solis sapientiæ verbis Pontifex ouibus suis prælucebat: qui castitatis pietatis ac misericordiæ affectibus plenus Ecclesias decorabat, officia diuina religiosissimè celebrabat, clericos suos in perfecta disciplina continebat, in omni sapientia & doctrina arguebat peccantes correptosque ad meliorem frugem eos reducebat, mœstos solabatur, miseros adiuuabat, pascebat scilicet egenos, vestiebat nudos, captiuos in vinculis paternè inuisebat, iísque omnem quam poterat impendebat opem. Qua in re illud æterna commemoratione dignum de eo narratur, quod aliquando imminente sacrosancta Dominicæ Resurrectionis celebritate commiseratus reorum, qui in ergastulo catenarum nexibus constricti tenebantur maciéque & squalore*

tabescebant, supplex ad iudicem qui sub Honorio Imperatore ciuitati præsidebat accesserit, eúmque tam demissè quam enixè orauerit quatenus pro reuerentia Dominici triumphi miseros illos ad participandum Paschale gaudium tantisper relaxaret. At superbæ ceruicis iudex præsulis vota ac preces contempsit. Ideóque sanctissimus Episcopus comitante clero populóque spectante progreditur ad carcerem, vbi præ foribus pauimento affusus aliquantulum Dominum exorauit vt suos gemitus, pastoris scilicet pro ouibus anxiati, de alto respiceret. Mox mirum in modum diuinæ virtutis impetus custodiæ claustra inuisibiliter reserauit, compedes & cathenas vinctorum disrupit, qui ceu captiui illi de inferni ergastulo eodem die à Christo erepti prodeuntes, cum gaudio de tetro carceris specu ad sancti Antistitis pedes procubuerunt, tantæ opitulationis ei gratiam referentes. At ille opus diuinum agnoscens ad Domino debitas gratias exoluendum eosdem excitauit, ceuque pastor bonus ouiculas sibi diuino præsidio redditas humeris suæ pietatis reuexit introduxítque cum diuinis laudibus in matricem Ecclesiam sanctæ Dei genitricis. Exterritus iudex tanto prodigio deposita cordis duritia Episcopum magna cum humilitate conuenit, rogauítque vt carceris illius domicilium, quod tam miro facto insignierat in sacros vendicans vsus, in Domini saluatoris oratorium consecraret. Vota eius compleuit Pontifex eoque in loco deinceps frequentius Christianæ redemptionis sacrificium immolabat, quatenus vbi precibus reorum vincula ruperat, ibidem iugi litatione placata diuina iustitia, peccatorum nexus exitiosos dissolueret. Plurimis autem aliis diuinæ virtutis operibus emicuit. Cùm verò migrationis suæ diem Domino sibi reuelante pranosset, conuocatos ad se vicinos Episcopos, Abbates, Presbyteros, Monachos, caeterósque religiosos viros omni instantia pietatis obsecrabat, vt pro se Dominum deprecarentur. Flere omnes ceperunt & mirari, quamobrem tam humiliter de se vir beatus sentiret, vt tanto enixu preces ipsorum flagitaret, rogarétque magister discipulos, supremus infimos, iustus indignos. Saginatus itaque alimonia vitali corporis & sanguinis Domini psallens cum psallentibus, orans cum orantibus, hilari vultu sese beatum ad exitum accinxit, frontique ac pectori signo sanctæ crucis impresso, manibus in Cœlum protensis valedicens fratribus, animum sanctissimam efflauit ad gloriam sempiternam.

7. Placuit vsque eo Castori religiosa disciplina Cassiani, vt quo latius funderetur, Monachorum propaginem ex eiusdem quasi seminario euulsam, quæ Nemausi & Massiliæ tam frugifera hominum sermonibus ferebatur, & in aliis Galliæ ciuitatibus passim talis esse iam videbatur, Aptæ Iuliæ ordinatus Episcopus, Ecclesiæ quoque suæ areis pangere destinarit. Ea de causa prædicare laudes illorum, & res præclarè gestas, eósque etiam atque etiam populo notos facere non desistebat, qua prædicatione permoti non pauci, virtute ac literis probè instructi auidis eos animis expectabant, vt si res famæ atque expectationi hominum responderent, eorum pietatis religiosæ studia sine dubitatione capesserent. His apud se magno suo ac suorum commodo Cœnobium excitauit Episcopus, omniumque rerum opportunitate fouit, & in curatum commissi

sibi

sibi gregis partem vocatos magna veneratione & obseruantia semper coluit. Martianum Abbatem sanctissimum ætate longè posteriorem, ex eodem vel eiusdem Monasterij sobole prodiisse, cùm iam inter Benedictinas familias cooptatum haberetur, colligimus ex fastis Ecclesiasticis in quibus ad 8. Calend. Septembris ista de Martiano. *Apta Iuliæ vulgiensium S. Martiani Abbatis, cuius corpus beatæ animæ priscum domicilium & futuræ semen incorruptionis & gloriæ ibidem sancta obseruatione habetur.* Sed rebus deinceps turbulentioribus, cum iniuria temporum ac bellorum frequentia sæpius exagitati Monachi facultates suas vitámque tueri non possent, eripere se confestim è periculis, & procellam hostilium incursionum euitare constituunt, in ædes & ciuitatem redituri quas desererent, vbi transacta frigoris hyberni tristitia placidior se tempestatis vernæ hilaritas aperiret. Sed alius diuina prouidentia cursus, alius exitus fuit. Versa enim & mutata in Nosodochium Cœnobij forma & tanquam facies etiam nunc visitur.

CAPVT L.

Ab Episcopo Venerio in numerum Presbyterorum Clero Massiliensi adsciscitur.

1. POst hæc Paulus Episcopus senio curísque confectus è vita migrauit, eique Venerius ingenti bonorum omnium gaudio suffectus est, qui quod Cassianum eiúsque discipulos florem Academicæ nobilitatis ac iuuentutis magnam partem nouerat familiariter & amicè, plurimaque tum ex iis tum ex aliis de nouo ordinis instituto didicerat, Cassiano supplicanti multa in Cœnobij sui incrementum ac rem admodum liberaliter tribuit. Nec enim solum prioris Episcopi de Monasticæ vitæ genere iudicia & acta firma rataque voluit esse. Verum etiam eundem Cassianum & ordinem nouis insuper ipse testimoniis atque dignitatibus ornauit. Audiebat tum Massiliæ docendi munere clarus imprimis Cassianus, eruditísque lucubrationibus in ore omnibus, erat, & frequens ad illum ex Academia hominum concursus fiebat támque virtutem & sanctitatem suam cum genti vniuersæ tum Episcopo ac Clero Massiliensi ita probauerat, vt eo Episcopus nullum prorsus ad diuinorum mysteriorum interpretationem atque ad Presbyteri munus aptiorem existimaret. Is pro sua sapientia cum præclarè intelligeret literarum præstantiam cum virtute religionis esse coniunctam, vt quantum de pietate detraheretur tantum de authoritate ingenij ac doctrinæ decederet, contra sæuientem eo maximè tempore Pelagianam ac Nestorianam pestem, velut vnicum remedium quam optimos Presbyteros & diuini verbi præcones omni diligentia conquirebat.

2. Porro certos aliquos in Ecclesia semper fuisse ministros doctrinæ ac Sacramentorum ex institutione diuina liquet ex scripturæ testimo-

1. Corinth 4. 2. Corinth 3. 1. Corin. 12. Rom. cap. 12.

niis nam de se scribit in priori ad Corinthios Apostolus. *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum eius.* Tum in posteriori. *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti non litera sed spiritu.* Neque illos omnes vnius & eiusdem ordinis ac modi esse sed omnino diuersi atque adeo inæqualis docet idem Apostolus ibidem. Diuisiones ministrationum sunt. Et ad Romanos. *Sicut in vno corpore multa membra habemus omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationem, secundum gratiam que data est nobis, differentes, siue Prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando.* Similiter ad Ephesios. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij in ædificationem corporis Christi donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum.* Censeri autem septem species vel gradus ministerij huius Ecclesiastici, nam qui plures statuunt & istos adiiciunt, iisque Presbyteratum in primo ac digniori gradu annumerari vna omnes Doctores & voce & mente consentiunt. Singulos refert Ignatius Martyr Epistola ad Antiochenses. *Saluto sanctum Presbyterum vestrum saluto sanctos Diaconos, saluto Subdiaconos Lectores, Cantores, Ostiarios, laborantes Exorcistas atque confessores.* Vt non dubium sit ætate Apostolorum, qua iis suppar vixit Ignatius, omnes hos ordines in vsu perpetuo Ecclesiæ positos fuisse.

3. Ex officiis illa Presbyterorum propria & quasi legitima describit Isidorus Epistola ad Ludifredum apud Gratianum Distinct. 25. can. 1. Sacramentum corporis & sanguinis Domini ad altare conficere. Dona Dei benedicere & orationes dicere. Sacramenta, præter Ordinem & Confirmationem cætera administrare. Inde à sacris sacerdotes dici Varro affirmat quasi sacra dantes, Presbyteri verò propter dignitatem quia olim & nunc in optimis rebus publicis, senioribus dignitates & honores maiores delati. Et sicut apud Latinos recepta est phrasis. *Nihil esse antiquius* id est honoratius sic & apud Græcos forsan, & sacra antiquiora ideo & sacerdotes Presbyteri non absurdè compellantur. D. Hieronymus in Epistola de 7. gradibus Ecclesiæ. *Sextus*, inquit, *seniorum ordo est qui sacerdotibus datur, qui Presbyteri dicuntur, qui præsunt Ecclesiæ Dei, & Christi Sacramenta conficiunt. Is autem in benedictione cum Episcopis consortes ministeriorum sunt, nec vlla Episcopis in conficiendo corpore Christi ac sanguine inter eos Episcopos credenda distantia est*, &c. Idem alibi ait in scripturis sanctis Presbyteros merito & sapientia eligi non ætate, & senis nomen per verbum Presbyteri explicari in veteri Testamento. Cæterum pertinet etiam ad Presbyteros prædicare verbum Dei & docere populum. *Labia sacerdotis*, inquit Malachias, *custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius.* Et Hieronymus. *Singula*, inquit, *requiruntur à singulis, vaticinium enim futurorum propriè requiritur à Propheta, legis vero interpretatio sacerdotis officium est*: hinc summus sacerdos

Lib. 4. de lingua Latina.

Cap. 2.

In c. 7. Ezechiel.

dos Rationali suo inscriptum habebat *Vrim & Tummin* hoc est Doctrina & Veritas, vt sacerdotem sui admoneret officij. Quamquam id non tam iure quàm ex facultate & bona cum venia præstabant Episcopi. Sic in Concilio Vasensi legitur factam fuisse ab Episcopis potestatem prædicandi Presbyteris. Et Possidonius etiam in vita S. Augustini, refert Valerium Episcopum prædicandi potestatem indulsisse S. Augustino, suo tunc Presbytero, cùm ipse Valerius homo Græcus non posset satis commodè id Latinè præstare. In hoc maximè suos non modo non contempsit sed etiam admirata est Ecclesia Massiliensis Saluianos, Musæos, Gennadios, qui nec in officio Presbyteri cuiquam cesserunt, & diuinorum mysteriorum intelligentia atque omni prudentiæ genere præstiterunt, de quibus Gennadius ipse in Catalogo virorum illustrium. *Saluianus Massiliensis Presbyter diuina & humana literatura instructus, & vt absque inuidia loquar Episcoporum Magister, scripsit scholastico & aperto sermone multa.* Ac de Musæo hæc ibidem. *Musæus Massiliensis Ecclesiæ Presbyter, vir in diuinis scripturis doctus & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, lingua quoque scholasticus, hortatu S. Venerij Episcopi excerpsit ex sanctis Scripturis lectiones, totius anni festiuis aptas diebus.* De se ipsemet etiam in Coronide eiusdem operis sui, nisi adiecta sint Gennadio, quæ illius non sunt hæc verba. *Ego Gennadius Massiliæ Presbyter, scripsi aduersus omnes hæreses libros octo, & aduersus Nestorium libros tres, & tractatus de mille annis. De Apocalypsi B. Ioannis, & hoc opus de fide mea misi ad B. Gelasium vrbis Romæ Episcopum.*

4. Igitur per eos dies Venerio Episcopo placuit nouos Presbyteros aut vita functis substituere, vt iactura ea repararetur, aut plures etiam prioribus adsciscere, omnibúsque diligenter circumspectis & personis & rebus munus illud Cassiano perspectæ sibi virtutis & doctrinæ viro tradere ac demandare constituit. Sanè vt vulgo expetuntur huiusmodi sacerdotia, minimè timendum videbatur esse ne delatum vltrò præsertim honorem Cassianus repudiaret. Etenim Venerius Episcopus hac electione cum illud efficere voluit, vt sibi eum à consiliis virum prudentia, doctrina, virtute, tum in omni vita tum in ordinis sui administratione eximium adderet, qui sibi ac Clero assideret Theologus & Oraculum omnium horarum, qui hæreticorum calumnias, cùm res daret, refelleret; tum verò numerari decebat egregios in Diaconatu labores Constantinopoli obitos pro Chrysostomi atque adeo Ecclesiæ Romanæ inter Orientales defensione. Perculsus inopinato nuntio Cassianus auersis primùm id auribus atque animo tulit, quod onus impositum, qua erat prudentia, cogitatione præsentiret ac reformidaret, tum quod gradus honoris à spiritu humilitatis, quem profiteretur status Monachorum, vehementer abhorreret. Idcirco patria secessisse ac bonis sese officióque Diaconatus abdicasse, ne celsiorem gradum dignitatis apud exteros religionis sanctitatísque specie captaret sibi. Deinde & illud perincommodum ordini fore, si se ipso primùm quasi ianitore speciosos titulos in eum recens natum inuehi fineret, ac non potius contrariis artibus tueretur & am-

plificaret, paupertate nimirum & honorum contemptu. Ac qualitate enim simul & munerum morúmque similitudine charitas arctissimum religiosæ coniunctionis vinculum inualescit.

5. Quo factum est vt Episcopi pedibus aduolutus rogaret deprecaretur vè multis rationibus ei suadens, vt tam honorifico iudicio decoraret alium digniorem, longè imparem suam imbecillitatem esse oneri. Interesse etiam permagni rel giosæ familiæ ne ab eius administratione in alienam curam & prouidentiam auocaretur. Nascenti saltem & surgenti Ordinis plantæ hoc benignus tribueret. Verùm Episcopi iam satis incensum studium cum multo vehementius his expostulationibus inflammaretur, quod ita statueret tantam in summa virtute & eruditione modestiam nequaquam in priuatæ duntaxat vitæ quasi tenebris delitescere, sed in editissimo fastigio vt luceret omnibus, collocari oportere. Cassianus repugnare non amplius ausus, sed fiducia diuini numinis plenus delatum sibi munus admisit. Neque tamen interea domesticis Cœnobij negotiis deerat, temporibus ita distributis vt quantum liceret vtrique oneri tum Abbatis tum Clerici Presbyteri satisfaceret. Prosper aduersus Collatorem. *Igitur*, inquit in libro cuius prænotatio est De protectione Dei, *vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi vsu inter eos quibus cum degit excellit, Abbatem quemdam introducit de gratia Dei & libero arbitrio disserentem.* Tum suprà fictam religionem exprobrans. *Nisi eiectis*, inquit, *extra ouile Dominicum lupis sub nomine ouium suffragarentur, essentque eiusmodi vt nec ordo eorum in Ecclesia nec ingenia despicienda videantur. Siquidem habentes speciem pietatis in studio cuius virtutem diffitentur in sensu, trahunt ad se multos ineruditos & non habentia spiritum discretionis corda conturbant.* Meminit præterea Cœlestini Papæ magna cum ipsius laude, quod ad Venerium & alios Galliæ Episcopos scripserit, in quorum Ecclesiis illi presbyterio fungebantur quos arguit, & inter ipsos Cassianum imprimis, Venerij Presbyterum commentarios aduersus Pelagianos à S. Augustino editos temerè sugillasse. Sed ista disertè ac sigillatim liber secundus excipiet.

Cap. 1.

EX CHRONI. IBIDEM.

TEXTVS IX.

***A**Liud quoque egregium volumen post Castoris excessum ad Leontium & Illadium Patres composuit, quod Collationes Patrum prætitulauit, &c.*

CAPVT

CAPVT LI.

Collationes elucubratur ac demortui Germani Abbatis interloquutione pertexit.

1. TAntùm à vitiis dissimulandis aberat vt ne notabilia profiteretur non modo à concionibus nobilibus ambiendis alienus esset, sed neque etiam parem se censeret iis ad quas muneris nexu ac religione obligabatur. Interdum etiam veniebat in mentem non leuius se pretium facturum operæ, si ad scriptionem conuerteret animum, vtrumque vt laborem, quod ad studia doctrinarum spectat, styli pariter ac linguæ coniungeret. Videbatur sibi ea in re Laïcis sin minus eruditis at certè Monachis simplicibus non solum gratificari, verùm etiam prodesse in Domino posse. Sperabat aliquid, præter ea quæ circumferebantur, in medium allaturum, vt si quid fortè non secundum typum maiorum antiquissima constitutione fundatum, sed pro arbitrio vniuscuiusque instituentis Monasterium, vel diminutum, vel additum in istis regionibus comprobaret, secundum eam quam viderat regulam per Ægyptum, vel Palæstinam antiquitus fundatorum fideli sermone vel adiiceret vel rescinderet. Nequaquam credens rationabilius quippiam vel perfectius constitutionem nouellam in occiduis Galliarum partibus reperiri posse, quàm illa sint instituta in quibus ab exordio prædicationis Apostolicæ, à sanctis ac spiritualibus Patribus fundata Monasteria ad nos vsque perdurant. Illam sanè moderationem opusculo designato inserere præsumpturus, vt ea quæ secundum Ægyptiorum regulam seu pro aspiratione aërum seu pro difficultate ac diuersitate morum impossibilia in his regionibus vel dura vel ardua comprobasset, institutis Monasteriorum quæ per Palæstinam vel Mesopotamiam haberentur aliquatenus temperaret.

2. Hæc idemtidem cum recurreret menti cogitatio, ac vereretur ne contra numinis instinctum reluctando faceret nec non iam aliàs Episcopo Castori obstrictam fidem frangeret, si Patrum Collationes illas & commentationes inclusas omisisset in veritatis lucem proferre, quam ipse inquit incomparabili flagrans studio sanctitatis simili sibi iusserat sermone conscribi, non perpendens præ multitudine charitatis, quanto infirmas ceruices pondere prægrauaret cuncta arcana pectoris vt Patri filius, quo iniectum animo scrupulum omnem ac dubitationem euelleret, sincere Venerio aperuit. Is negligendum nequaquam ratus publicæ illum vtilitati patefactum aditum, vt erat pronus promouendis iis ex quibus religioni vel ornamentum vel vtilitas oriri posset, Cassiano suasor & author fuit, ad memoriam perscriptas, obseruationes, quàm posset tempestiuè, ordinare, quò sine mora ederentur, cùm ita pro Ecclesiæ bono expeterent multi, vt quæ priuatis in Eremis Ægypti exercita dudum

Præfat. in 1. Collat.

dudum fuerant, tandem in theatrum Prouinciæ ac mundi lucem exirent. Imperium Præsulis sui accepit Cassianus tanquam oraculo editum, & familiares congressus quibus, tum ipse, tum eius collega Germanus, de rebus spiritualibus & ad vitæ Monasticæ perfectionem præcipuè spectantibus, cum Patribus siue Anachoretis illustrioribus diuersis in locis contulerat, eorúmque doctrinam, institutiones, ac regulas diligentissimè exquisierat & exceperat, stylo ipse exarauit omnes & in commentarios redegit. Vnde & Collatorem Prosper nominauit.

3. Vtque intelligas quam nihil de suo laboraret nomine sed de vtilitate vna publica, quámque de se humiliter de aliis præclarè sentiret, per hunc ipsum temporis tractum, qui suos edere fœtus poterat, in alienis quasi educandis & publicandis multùm operæ posuit, sic enim Collationes numero viginti quatuor prima generali serie ac distributione tripartitas, non locis modo ac temporibus sed personis etiam & singulis suppositiciis authoribus distinctas voluit, vt hoc quasi simulationis artificio defraudaret proprio nomini gloriam, si quidquid pareret ingenium, hoc ipsum alienæ manus Abbatum quos introducebat tanquam obstetrices colligerent sibique arrogarent. Hoc mihi non modo confirmauit sed etiam persuasit Antoninus qui de sanctis Patribus quos in suis Collationibus profert Cassianus sic ait. *Quamuis visitauerit aliquos ex dictis Abbatibus, non tamen pro vt ipse scribit omnes illas sententias & verba ex ore eorum suscepit, etsi aliqua, sed in Monasterio suo edidit fingens eius interrogationem & illorum responsionem sicut actum a sanctis in Dialogis suis quibus non semper aderant interrogantes cum illos ipsi componebant.*

Par. 2. tit. 10. c. 10. §. 2.

Tanto autem studio ac tam celeri fama proseminari ceperunt, vt communis omnium fuerit admurmuratio, cùm primùm eas legissent, illas non humanæ sed cœlestis sapientiæ fœtum esse. Tenet hoc etiam hodie publica fama & illud satis affirmat, quod vix alicuius literaturæ Theologus aut Religiosorum præfectus & Magister spiritus reperiatur vllus, qui libri huius instrumento ac supellectili paratus atque instructus non sit. Addo infinitos propemodum ab eo ipso temporis vestigio quo euulgari nouum opus & manare in dies latius cepit, occasione prælectionis eius desiderio incensos iam hauriendi Monasticum disciplinam inter ipsos fontes ad sanctorum Patrum imitationem ad idémque institutum perductos fuisse. Alios demiramur equidem non paucos viros omni doctrina & virtute ornatissimos, qui postquam volumina ea legerint semel iterare ea, sæpiúsque relegere auiditate semper inexplebili vix temperent, quin etiam ex his qui religionem ac fidem saluam esse cupiunt Theologorum vertex D. Thomas aliique plurimi eo venerationis loco habent vt ab eius doctrina vim & sensum depromere se posse existiment ad fidei confirmationem, cui obstrepere aut obloqui non possint aduersarij circa Theologiæ de quibus ambigunt argumenta. Plura eiusdem operis elogia in proximo de Cassiani doctrina libro secundo adspici possunt, ab iis qui de re certius & vberius cognoscere studeant.

4. Cæterum in Dialogistico charactere quo in his Collationibus vsus

visus est, sequutus videtur modum ac morem scriptorum illius temporis. Nam Seuerus Sulpitius Gallo & Posthumiano concludendæ S. Martini historiæ partes attribuit. Cyprianus qui S. Cæsarij Arelatensis vitam elaborauit, secundi operis sui librum Messiani Presbyteri & Stephani Diaconi interloquutione pertexit. Habent omnes sancti Gregorij & aliorum plurium notos & tractatos Dialogos. Delectatus igitur hoc exemplo Cassianus hic noster, vt vitam & documenta plura SS. Patrum enarraret Germanum Abbatem induxit. Quamquam si ex facto ipso coniectura capienda est, non temere affirmarim tum fortè vitam cum morte commutasse Germanum, ac debere se hoc meritis viri sanctissimi atque amantissimi recens demortui Cassianus putauit, vt cum etiam nunc viuam illius memoriam teneret, hanc immortalem redderet si posset amplissimísque historiæ nunquam interituræ monumentis posteritati consecraret.

CAPVT LII.

Cassiani studium in tuenda Massilia Catholica fide.

1. GRauior illa coquebat cura Cassiani animum, vt pleróśque Massiliæ & in reliqua penè tota Gallia Christiana in religionis sententia iam ante nutantes, sed tunc etiam insultantes vehementius ac volitantes in Catholicos insolentius cohiberet à lapsu, & in auita atque orthodoxa fide contineret. Feruebant magnis motibus frequentes illæ, quas supra commemorauimus aduersus Augustinum simultates & querimoniæ, quod aliqua scripsisse videretur contra quam Ecclesiæ vsus ad ea vsque tempora tulerat de vocatione & pœnitentia electorum déque gratia præueniente; quam à voluntate hominum præueniri iactabant, & alia his cognata, vt idem qui supra S. Prosper pluribus in responsione ad tria prima Genuensium excerpta, tum in Epistolis ad Ruffinum & Augustinum, atque alibi passim significauit. Résque eo deuenerat, vt hæresis inde conflaretur Semipelagianorum, qui subuertebant corda seruorum Dei, negantes specialem Dei beneficentiam in electos & vocationem eorum secundum propositum, antecedentem quoque gratiæ excitantis præparationem & omnem voluntatis humanæ præuentionem à Deo gratiæ authore factam auersabantur tanquam libertati nostræ infestam. Latius opinione disseminatum est hoc malum nequissimæque illius sectæ Doctores oras maximè Galliæ Narbonensis, quasi morbus quidam illius furoris peruaserat, quorum pestilentissimis consiliis haustum prius ipsi venenum tota sua Diœcesi longè latéque diffundi impia dissimulatione sinebant plerique omnes præsules, & viri sanctitate ac eruditione præstantes. Quamobrem ad Episcopos, in quorum illi Ecclesiis Presbyterio fungerentur, scripsit Epistolam Cœlestinus Papa, redarguens imprimis eos, quod permitterent ipsis tacentibus in Ecclesia loqui Pres-

byteros cum absque Episcopo nihil illis concessum sit de doctrina præsumere, vt æque suo loco demonstratum à nobis est.

2. Cassianus ergo cum perturbata videret omnia, & iam propè ad desperationem adducta, quod reliquum fuit, Catholico populo profligatisque ab hæresi ciuitatibus cauendum putauit. Vix dum enim veteratores illi admiscere pestem eam passim omnibus ausi erant. Huc industriæ suæ neruos omnes ac vigilias confert, ac primum gnarus neque qui rigat qui plantat esse aliquid, sed qui incrementum dat Deum, flagrantissimas preces assiduis contentionibus adiungebat, causámque religionis tanto commendabat ardentius, quanto vehementius laborabat. Abdebat interdum se in Magdalenæ, Lazari Victoris aliorúmque Massiliæ tutelarium Sanctorum cineribus ossibúsque veneranda & religiosa sacella, vbi mente & corpore stratus humi non sine multo lacrymarum imbre in conspectu Dei suam animam effunderet, rerumque diuinarum eas hauriebat notitias plurimas & magnas, quibus quo mens eius acrior & vegetior euadebat in dies, eò formidolosius superbissimorum aduersariorum conscientiam plenam spei maximæ percellebat atque affligebat. Cuius rei testimonio sunt Commentariorum tabulæ, quos de Incarnatione ad Leonem misit vbi de ingente ex eius laboribus animarum fructu, & Pelagianorum ad Catholicam fidem traductione hæc per quam breuiter perstringit. *Sed tamen quia illi qui de hac pestilentium spinarum stirpe descenderant, diuina ope iam ac pietate sanati sunt, orandus quoque etiam nunc dominus Deus noster est, vt quia consentaneæ sibi in quibusdam sunt pristina illa heresis & hac noua similibus malorum initiis similem bonorum exitum largiatur.*

Lib. 1 c. 4.

3. His verò diuinis muniendæ religioni præsidiis intentus simul etiam humana externaque admiscebat, nam studium cum eo conferebant Doctores varij & Academici continenter. De clero item non pauci aderant & Venerius Episcopus Massiliensis à Cœlestino Papa per literas ad Episcopos Galliæ prouocatus nominatim ad fidei Catholicæ defensionem. Denique ipsa robora Ecclesiæ Gallicanæ Prosper & Hilarius, quibus cum Massiliæ fuit Cassiano tum fortè consilium & militia communis, nisi quod illi pietatem licet & sanctum propositum Cassiani ex merito commendarent, quia tamen eius verba ab hæreticis hausta Semipelagianam impietatem præferre videbantur stylum aduersus quamdam eius doctrinam strinxerunt, quæ cum noua esset & ab ipso primum excogitata non potuit carere suspicione, cui quod nouum est semper coniunctum atque commune est, vt pulchrè docet Vincentius Lirinensis in suo opusculo contra prophanas nouitates, superat autem propemodum fidem quanta cura & commentatione præparatus ad dicendum accederet, quàm forti & magno animo discrimina cuncta & peruersorum hominum calumnias contemneret. Sæpè cominus lacessiuit hostem, Leporium & id genus alios nouos Magistros prouocabat ad certamen, in omníque congressu manifestissimis argumentis atque rationibus, eorum confutabat insanias, tanta eruditione ac varietate doctrinæ tanta ingenij fama

fama atque admiratione virtutis, vt cæteri præ illo vix aliquid in eo genere se esse sentirent. Hæc Prosper non confirmauit modo sed etiam persuasit, qui in libro supra citato contra Collatorem de ipso eodem Collatore. *Vnius*, inquit, *potissimum definitiones, quem non dubium est illis omnibus in sanctarum Scripturarum studio præstare referemus.* Et paucis interiectis. Igitur in libro cui prænotatio est, *De protectione Dei, vir quidam sacerdotalis ordinis qui disputandi vsu inter eos quibus cum degit excellit, Abbatem quemdam introducit de gratia Dei & libero arbitrio disserentem.* Nec Massiliæ modo disputationibus assiduisque concionibus lupos terrebat hiantes, sed eminus etiam scriptis pugnare parabat. De quibus item Prosper in Chronico. *Ioannes Monachus cognomento Cassianus Massiliæ insignis & facundus scriptor habetur, eosque passim de gratia & libero arbitrio sermones scriptis suis aspersit, quibus eius contagionis pericula & agnoscendi pariter & declinandi rationem viamque traderet, simul & insidiosas hæreticorum artes fallacésque dolos aperiret.*

4. Extitere autem ex diuina semente vberrimæ si vnquam fruges Academicis nonnullis quos lues importata peruaserat. Ereptus error, & excussa Pelagianæ noctis caligine dies redditus. Vicina Monachorum Cœnobia æque adita, & pristinæ fidei ac pietati reddita, eadémque ad arma interiora sumenda contra nouos animarum prædones diabolique satellites incitata. Magistratus orabat serio, vt Ecclesiæ causam omni ardore defenderent, viderentque ne impuri homines & scelerati quo plus haberent authoritatis & fidei audaciam suam ficto ipsorum nomine & clarissimorum virorum confirmarent iudiciis, aut quod etiam deterrimum foret, ne ipsos sin minus patrocinantes at conniuentes tamen & dissimulantes in eiusdem societatem facinoris & impietatis accerserent.

CAPVT LIII.

Eius opera simul, & Augustini, Leporius aliique non pauci Pelagianismum recantant.

1. INter eos quos adiunxit Ecclesiæ, Leporius præcipuè spectandus fuit, qui plures annos grauiter à Catholicis alienum gesserat animum & Pelagianorum imprimis semper columen & princeps habitus erat, vt in Catalogo Gennadius rectè commeminit his verbis. *Leporius adhuc Monachus postea Presbyter, præsumens de puritate vitæ quam arbitrio tantum & conatu proprio non Dei se adiutorio obtinuisse credebat, Pelagianum dogma cœperat sequi, sed à Gallicanis doctoribus admonitus & in Africa per Augustinum emendatus scripsit emendationis suæ libellum, in quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione, simul & quod de Incarnatione Christi malè senserat corrigens, Catholicam sententiam tulit dicens Manentibus in Christo in sua substantia duabus naturis vnam*

Gennad.c.59.

credendam Dei personam. Hæc Gennadius Porro hunc authorem fuisse Nestorio suæ ipsius hæresis Cassianus noster affirmat in Commentariis, quos aduersus eumdem Nestorium de Incarnatione conscripsit. Nam & inter alia hæc habet Nestorium alloquens. *Ita ergo & tu Pelagianæ hereseos spinosâ soboles, ostendis in germine quod pater tuus habuisse traditur in radice. Leporius enim ille, vt Leporius eius dixit, Dominum nostrum asserebat Christum factum esse per baptismum, tu in baptismo templum dicis factum esse per spiritum. Non quidem ad plenum eadem verba sunt sed ad plenum vna peruersitas.*

Lib.7 de Incarnat.

2. De eius verò tum errore tum pœnitentia quam ipse primùm suo persuasu & inductu promouerat Cassianus, antequam Leporius in Africam ad Augustinum conflueret ista enarrat, lib.1. de Incarnatione Christi cap. 4. & 5. *Leporius enim tunc Monachus modo Presbyter, qui ex Pelagij vt supra diximus institutione vel potius prauitate descendens, apud Gallias adsertor predictæ hereseos aut inter primos aut inter maximos fuit à nobis admonitus, à Deo emendatus, ita malè conceptam persuasionem magnificè condemnauit, vt non minus penè admiranda sit correctio illius, quam illæsa multorum fides, quia primum est errorem penitus non incurrere secundum bene repudiare. Is ergo in se reuersus non solum in Africa, vbi tunc erat atque nunc est, tam errorem suum cum dolore quam sine pudore confessus est, sed etiam ad omnes admodum Galliæ ciuitates flebiles confessionis ac planctus sui literas dedit. Scilicet vt vbi deuiatio eius prius cognita erat, illic etiam emendatio nosceretur, & qui testes erroris antea fuerant iidem postea correctionis essent. Ex cuius confessione vel potius deploratione nonnulla inferenda existimauimus duplici ex causa, vt correctio eorum & nobis testimonio & his qui nutant exemplo esset, quorumque errorem sequi non erubuissent eorum emendationem sequi non erubescerent, ac sicut simili agritudine infirmarentur ita simili remedio sanarentur. Is ergo agnita opinionis suæ peruersitate & inspecta fidei luce scribens ad Episcopos Gallicanos ita exorsus est. Quid in me primum, ô Domini mei Venerandi & beatissimi Sacerdotes, accusem nescio, & quid in me primùm excusem non inuenio. Sic imperitia & superbia sic stulta simplicitas cum persuasione noxia, sic feruor cum intemperantia, sic vt verius dicam cum sui diminutione debilis fides, simul in me omnia recepta viguerunt, vt tot & tantis simul sit & obedisse confusio & hæc eadem ab animo potuisse cedere mihi stupenda gratulatio.* Et post pauca subiungit. *Si ergo minimè percipientes hanc potentiam Dei sensu nostro & propria ratione sapientes, quasi in inferiora se Deus agere videatur, ita hominem cum Deo natum esse dicamus, vt seorsum quæ Dei sunt soli Deo demus, & seorsum quæ sunt hominis soli homini reputemus, quartam manifestissimè introducimus in Trinitate personam, & de vno filio Deo non vnum sed facere incipimus duos Christos quod à nobis iam ipse Dominus & Deus Christus auertat. Ergo confitemur Dominum ac Deum nostrum Iesum Christum vnicum filium Dei, qui sibi antè secula natus ex patre est, nobis à tempore de Spiritu sancto & Maria semper Virgine factum hominem Deum natum. Et confitentes vtramque substantiam carnis ac Verbi vnum eumdémque Deum*

atque

atque hominem inseparabilem semper pia fidei credulitate suscipimus, & ex tempore suscepta carnis sic omnia dicimus qua erant Dei transisse in hominem, vt omnia qua erant hominis in Deum venirent. Et hac intelligentia Verbum factum sit caro, non vt conuersione aut mutabilitate aliqua cœperit esse quod non erat, sed vt potentia diuinæ dispensationis Verbum Patris nunquam à Patre discedens, homo propriè fieri dignaretur, incarnatúsque sit vnigenitus secreto illo mysterio quo ipse nouit, nostrum namque est credere illius nosse, &c. recitat quæ reliqua sunt libelli Leporij Cassianus ad perfectam fidem de verbi incarnatione pertinentia: vt mirum planè sit, antequam à Nestorio eadem hæresis promulgaretur, inueniri eam à Leporio suo ipsius libello penitus confutatam, assertámque ea de re sincerè Catholicam fidem qua & sanctissima Virgo Maria Dei genitrix iure asseratur. Ad finem verò Cassianus hæc subdit. *Hanc ergo eius confessionem id est Catholicorum omnium fidem, & omnes* Africani Episcopi vnde scribebat & omnes Gallicani ad quos scribebat comprobauerunt. At de Leporio hactenus.

3. Præter quem, alium inuenimus clarissimum genere Leporium, in S. Augustini Monasterio profitentem, vt monet Baronius in Annalibus, idque magno miraculo factum existimat, quod ille ipse hæresiarcha, cæterique opera Cassiani conuersi hæretici, adeo sincera adeoque vera confessione damnarint, quæ pugnacissimis disputationibus antea defendere consueuissent.

Anno 420. n. 14.

EX CHRONI. IBIDEM.

TEXTVS X.

AD extremum rogatus à Leone Archidiacono postea vrbis Romæ Episcopo scripsit aduersus Nestorem de Incarnatione Domini libros septem, &c.

CAPVT LIV.

S. Leonis hortatu scribit contra Nestorium.

1. INterim verò Deus eum Ecclesiæ parabat Antistitem, qui suæ prouidentiæ foueret & promoueret ortus. Leo is erat huius nominis primus, proximus eius sapientiæ minister in condendo illustrandóque Cassiani instituto, qui Sixti Pontificis obitu ad fastigium Apostolatus

erectus anno huius sæculi quadragesimo, ita se erga nascentem ac postea etiam adultum eius ordinem gessit, vt ex his quæ tradituri sumus per facilè intelligi possit, non eum à Deo Ecclesiæ duntaxat vniuersæ, sed etiam Cassianæ Monachorum familiæ ex consulto fuisse donatum.

2. Porro huic perfamiliarem & ab intimis consiliis fuisse Cassianum nostrum, liquet ex dictis 1. de eius legatione, quam pro defensione Chrysostomi Romam obiuit, vbi cum Innocentio Romano Pontifice de causa dissensionum inter Orientales Ecclesias copiosè & abundanter tractaturus, non potuit non communicasse de multis ac sæpius cum Leone iam tum maximæ authoritatis ac nominis viro, & interiore in conclaui eiusdem Pontificis consiliario. Præterea cùm de morte Chrysostomi Patris amantissimi ita esset afflictus vt nemo vnquam, ideoque pertæsus officij ac muneris omnis Ecclesiastici ac patriæ desertor Romam confugit ad Leonem suum, quo quidem homine vix alium posse amiciorem, aut ad ea capienda solatia quæ in tanto mœrore spectabat aptiorem prudentiorémque reperire arbitrabatur. 3. Massiliæ inter se conuenere, vbi Cassianus iactis sui ordinis fundamentis coacta frequenti Monachorum familia lectissimam virorum ac mulierum iuuentutem ad religiosam & piam vitam instituerent, Leo sua functurus in Galliam legatione eo commigrauit, salutaturus suum ex animo Cassianum. Quo tempore ab ipso tanquam Apostolicæ sedis legato celeberrimam factam esse dedicationem nobilis Ecclesiæ SS. Petri & Pauli ac S. Victoris nunc recens erectæ ab eodem Cassiano, habent Acta ipsius. Sed de his mox infra. Postremò familiarissimè atque amicissimè vixisse Leonem cum Cassiano, eiúsque singularem diuinarum literarum scientiam non ex opinione tantum sed ex veritate magnò semper æstimasse testantur eiusdem literæ quibus hortatus est Cassianum vt de Incarnatione Verbi quæstionem nondum satis Latinis literis illustratam ex maiorum ratione & authoritate ac veræ pietatis & Catholicæ religionis regula interpretaretur.

Baro. an.459. num.2.

3. Complexus est toto pectore eam procurationem Cassianus Leonis præsertim nutu atque verbo, cuius vti consueuerat summa reuerentia & promptissima voluntate velut à Christo ipso profectum excipiebat imperium; tum quia opus arduum & supra vires rebatur suas, totum se precationi omni alio solutus opere curâque impendere ac rem diuinam quam accuratissimè facere, vt mentem suam Deus pleniore quodam lumine collustraret & motu cieret interiore, quo magis omnia è consilio diuino Ecclesiæque decerneret. Hæc enim verò Christiani Doctoris germana sapientia est, modesta, diffidens imbecillitati humanæ, & à gubernatrice rerum sapientia quasi per canales è cœlis caput & originem petens, quam Leo ipse sanctissimus exemplo etiam suo probasse dicitur, cùm aduersus impiam & detestabilem Euthychetis scripsisset hæresim priusquam aliò destinaret Epistolam (ea est ad Flauianum decima mirifico deinde plausu à Chalcedonensi laudata Concilio) scriptam iam & exaratam altari B. Petri Apostoli, cuius miro studio Pontifex ille tenebatur imposuit, totos quadraginta dies precationi ieiunióque continenter

nenter intentus, vt Chyrographum tanti ponderis quodque grauissimam Ecclesiæ causam continebat, si quid in eo castigandum & corrigendum esset Apostolus ipse sua manu corrigeret. Sic sapiens noster totus è schola illa vnici Magistri, cùm scribendis de Incarnatione libris operam daret, omni motu animi affectuque deposito, totum se in Dei manus potestatémque tradebat. Deinde summo etiam ardore & contentione poscebat vim opémque, vt scribenti ac deliberanti Christus illuscesseret vberius, & multiplicato lumine de re quaque secundum maximam Dei gloriam veritatémque statueret. Extant etiam num eius literæ operi præfixæ ac Leonis clarissimo nomini inscriptæ, in quibus elucet ad viuum expressa viri sanctitas & habitus animæ, variísque sensus, quos largissimè ex immenso Diuinitatis fonte hauriebat, & quanti apud nos ponderis esse oporteat relictas ab eo lucubrationes illas de Incarnatione Verbi, sic enim ait.

4. *Absolutis dudum Collationum spiritualium libellis sensu magis quam sermone insignibus, quia alto sanctorum virorum sensui sermo nostra imperitiæ impar fuit, cogitaram & propemodum constitueram post illum prodita inscitiæ pudorem, ita me in portu silentij collocare, vt excusarem quantum in me esset per taciturnitatis verecundiam loquacitatis audaciam. Sed vicisti propositum ac sententiam meam laudabili studio & imperiosissimo affectu tuo, mi Leo venerande, ac suspicienda charitas mea Romanæ Ecclesiæ ac diuini ministerij decus producens me ex illo præmeditati silentij recessu in publicum formidandúmque iudicium, & noua subire cogis adhuc de præteritis erubescentem, cumque etiam minoribus impar fuero, par maioribus à te esse compellor. Ego enim ne in illis quidem opusculis quibus per ingeniosi nostri oblatiunculam Domino sacrificauimus, moliri aliquid aut vsurpare tentassem, nisi Episcopali tractus imperio. Creuit itaque per te oris nostri & styli dignitas. Nam qui iussi antea de Dominicis studiis locuti sumus, nunc id exigis vt de ipsa Incarnatione Domini ac maiestate dicamus. Ita qui prius in sancta Templi velut per sacerdotalem manum introducti sumus, nunc ductu tuo atque subsidio quasi in sanctorum sancta penetramus. Magnus honor sed periculosa progressio, quia obtineri sacrorum penetralium ac diuini præmij palma non potest nisi hoste superato. Exigis itaque ac iubes aduersus recentem heresim ac nouum fidei hostem conserere imbecilles manus, & contra pestiferi serpentis graues hiatus aperto vt aiunt ore consistere: scilicet vt insurgentem in Ecclesiæ Dei sinuosis tractibus draconem vis prophetica & sermonis Euangelici diuina virtus me quasi incantatore irrumpat. Pareo obsecrationi tuæ, pareo iussioni, malo enim de me ipso tibi quam mihi credere, maximè quia id tecum amor Iesu Christi Domini mei præcipit, qui hoc ipsum etiam in te iubet, superest vt effectum imperati negotij ab ipso postules, per quem imperasti. Tua enim iam hic magis causa quam mea vertitur, tuum magis iudicium quàm meum officium periclitatur. Me enim siue par sim tuo imperio siue non sim ipsa aliquatenus obedientiæ ratio atque humilitatis excusat, nisi quod hoc plus meriti est in obsequio meo, si minus est in possibilitate. Facilè enim cuiuslibet iussioni ex abundantia satisfacimus: illius*

officium

officium grande est & mirabile, qui etiam idem in voto habet quod in viribus non habet. Tua ergo hæc res, tuum negotium, tui pudoris opus est, ora & obsecra ne imperitia mea periclitetur electio tua, & opinioni tantæ nobis non respondentibus etiam si ego per obedientiæ veniam, bene pareo, tu tamen per inconsiderantiam iudicij malè imperasse videaris.

5. Præfationem verò hanc libris de Incarnatione Christi à Cassiano præfixam atque instar Epistolæ nuncupatoriæ Leoni Romanæ tunc Ecclesiæ Archidiacono postea summo Pontifici, qui scribendi huius operis ei author & suasor extiterat, vnà cum ipsis libris directam ac destinatam fuisse colligitur ex veteri & recepta Gennadij sententia in Catalogo virorum illustrium, vbi hæc de Cassiano. *Ad extremum rogatus à Leone Archidiacono postea vrbis Romæ Episcopo scripsit aduersus Nestorium de Incarnatione Domini libros septem, & in his scribendi apud Massiliam & viuendi finem fecit Theodosio & Valentiniano regnantibus.* Baronius ann. 430. Monitu Leonis Romanæ Ecclesiæ Archidiaconi aduersus Nestorium de Incarnatione Verbi septem libros luculentissimos edidit.

6. De tempore quo scripsit maior esse potest opinionum inconstantia & ambiguitas. Baronius ibidem scripsisse asserit anno Christi 430. Cœlestini Papæ 7. Cùm enim, inquit, ab eo scriptos constet, dum adhuc Nestorius sederet Constantinopoli, quem sequenti anno in Concilio Ephesino liquet fuisse è sede depositum, & Maximum in eius locum subrogatum, cúmque nulla insuper in eis de Ephesino Concilio mentio habeatur, cuius necessario meminisse oportuit, planè ante Ephesinum Concilium damnationémque Nestorij eos ab ipso fuisse elucubratos dicere necesse est, & hoc ipso quidem anno quo vt vidimus, hæresis Nestorij planè innotuit Occidentali Ecclesiæ, ante autem susurri tantum quidem de ea pertigerant oras Occidentales. Causas verò parum firmas aut certas conquirit, cur per Cassianum Leo Archidiaconus ista præstari voluerit, cùm ipse Leo eruditissimus esset, & quàm fœlicissimè id exhibere valuisset; ratus hac in parte Leonis fuisse Concilium vt ne opinarentur Orientales hæresim Nestorianam ex Pelagiana prognatam defensores habere in Occidente qui Pelagiani erroris quoquo modo suspecti redditi essent, per vnum ex illis voluerit validissimè Nestorium oppugnari. Rursum verò ne qui in Occidente articulum illum de libero arbitrio Pelagiani erroris viderentur esse fautores. At illa Cassiani hæresis quam prætendit, sine Leonis maximo probro atque dedecore non fuisset, si hæretico à se potius ab alienando in amicitiæ officiis tantùm attribueret, vt ab ipso plurimum se diligi pateretur, aut nullam vix solertissimus tentaret viam, per quam salutem tam chari atque iucundi amici proueheret, ac in tantis tenebris erroris atque inscitiæ nullum ipsi lumen præferret, quin etiam in eo magis dissimulando vim foueret veneni, vt inde aliis nescio quibus fictam animo & inaniter adumbratam pararet antidoti speciem.

7. Alia quæ docet apertè secum pugnant, & non modo non cohærentia inter se dicunt sed maximè disiuncta atque contraria, nam si huic

huc spectaret Leo vt per Ioannem Cassianum Constantinopolitanæ olim Ecclesiæ Diaconum Constantinopolitana admoneretur Ecclesia vitare Nestorium. Quo authoritatis pondere scribere potuisset Cassianus ad orthodoxos, vir hæresis insigni turpitudine notatus atque oppressus dedecore & infamia? præsertim Pelagianismo in quem tam acerbum odium conceptum iam diu ab ætate Chrysostomi Constantinopolitana continebat Ecclesia. Neque tam tuto adiri possunt viriati atque corrupti hæreticorum fontes, vt quidquid inde hauseris purum liquidumque haurire te sentias. Mitto quod imprudens fecisse videretur Leo, si quam dirimere & abrogare penitus vellet in Nestorio, conciliare eandem Cassiano similiter hæretico studuisset in scribendo fidem.

8. Quam verò ineptum sit & aliter ac deceat vt hæreticus res diuinas tractandas susciperet, diuinitus animo prouisum prædixisse fertur Origenes, cùm iam lapsus per errorem & hæreticæ prauitatis reus sacros codices vti consueuerat legendos & interpretandos in manus sumpsisset, ex psalmorum lectione cui fortè superuenerat admonitus fuit, tanquam sibi exprobraretur quod legebatur. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum.* Psalm. 49. Id enim ille ad se retulit. Nec vltra legere voluit, nec opus erat, statim quippe cum fine huius sententiæ quasi luce diuinæ gratiæ infusa mutatóque vultu, intentissimus cogitare cepit, num ista cœco aliquo casu obtigissent ac volubilitate fortunæ? An potius quod suspicabatur in se admisisset peccati tale aliquid, quod aspernaretur Deus & abhorreret.

9. Certius itaque dixeris ac probabilius commotum Leonem opinione Cassiani nominis & eximiæ doctrinæ, quæ constanti fama atque omnium sermone celebrabatur; quamque ipse familiari vsu Romæ olim perspectam & exploratam habuerat. Potuit insuper & illud etiam fuisse hac de re Leonis consilium, quod cùm Cassianus de libero arbitrio haud rectè sentiendi & Pelagianorum studiis communicandi mouisset suspicionem editis Collationum libris (post scriptas enim Collationes elucubrasse commentarium illum contra Nestorium idem ipse in operis Præfatione testatur) vt penitus expurgaret sese ac suspicionem dimoueret, per illum validissimè oppugnari Pelagianam hæresim ac Nestorianæ cui stylum intenderet tanquam capiti voluisse illudi. Postremo nil est quod insitatum ac nouum videri debeat, si in eum sapientissimorum hominum numerum & ordinem Cassianum accensemus, qui adessent Leoni in sanctioribus consiliis legum ac iuris interpretes & Doctores, qualem Damasus olim habere voluit Hieronymum consiliorum suorum omnium & participem & adiutorem & socium, quoniam eius doctrinam æquè atque amicitiam suspiciebat Leo: Ac sæpè aliàs consuluisse peritos propter magnitudinem rerum ac difficultatem reperiamus in Episto. 63. ex Theophili Episcopi Alexandrini centenario cyclo Paschali cùm definitum esset Paschæ diem anno Christi 455. ad octauum Calendas Maij incidere contendentibus nonnullis errasse Theophilum quasi Pascha nec ante vndecimum Calendas Aprilis nec post decimum Calendas Maias

celebrari poſſe. De hoc Leo conſuluit Proterium Epiſcopum Alexandrinum & Paſchaſinum Epiſcopum Lilybæi in Sicilia virum eruditione præſtantem, qui non ſolum Theophili Cyclo ſed etiam ex Hebræorum calculo probatam reddidit veritatem, eamdémque miraculo conſignatam oſtendens (quod deinceps in Eccleſia perpetuo canone ſanxit Leo) non eſſe abſurdum vt ad octauas Calendas Maias Paſcha Domini celebraretur, ſicut & Proterium luculentiſſimam eius rationem reddidiſſe Beda teſtatur de ratione temporum cap. 42. videndus etiam Leo à quo datæ ſunt ea de re literæ circulares Epiſto. 63. ad Epiſcopos Galliarum atque Hiſpaniarum, & Epiſtola 64. & 65.

CAPVT LV.

Profectio Leonis in Gallias iuſſu Sixti III. Pontificis, ac de his quæ tum egit pro Eccleſia bono.

1. Legatum ea tempeſtate Sixtus III. in Gallias mittere conſtituit Leonem, qui ob ſingularem prudentiam & virtutem omnibus imprimis Eccleſiæ principibus patronis iuxta charus acceptúſque erat, quo natum iſtic bellum inteſtinum & Aëtianæ factionis incendium initio pius parens pro virili parte reſtingueret.

2. Poſt Gotícham eruptionem, quæ anno 410. vt ſupra dictum eſt, Romanam vrbem oppreſſit, ſub Honorio ac deinde Valentiniano domeſtici pariter externique motus aſſidui ac fœdiſſima Occidentalis facies imperij fuit. Erat Honorius natura mitis & placidus, ludis & ſocordiæ deditus, & à cura Reipublicæ ac negotiis abhorrens. Quare Gothi ſi non ad extremum, tamen vſque eò fregerunt eius vires ac debilitarunt potentiam, vt parta veluti non contenti præda, Campaniam, Lucaniam, Brutios impune populati, Romam rege Athaulpho duce remigrantes corraſerint quod prior clades reliquum fecerat, Placidiámque Honorij ſororem in Hiſpanias captiuam abduxerint. Hac deinceps Athaulpho nupta, natus illis eſt Theodoſius, qui paulo poſt Barcinone obiit. Placidiæ opera & conſilio inductus ad amorem pacis Athaulphus, cùm fruſtrà Romanum in Gotthos imperium nomémque transferre ſtuduiſſet, de reſtituendo illis hoc ipſo imperio cogitauit, ac ſecum Gotthis ſuis Narbona pelli, & in Hiſpaniam relegari patienter tulit. Hæc dum agitaret animo apud Barcinonem dolo ſuorum occiſus eſt. Extat ipſius Epitaphium ad eius ſepulchrum ibidem Barcinone poſitum, quo conſtat vna cum ipſo ſex quoque eius filios à Gothis peremptos eſſe.

3. Sigericus inde Athaulphi ſucceſſor creatus Sari frater, qui Placidiam indignè habuit, & quia idem eius etiam exitus fuit, nam poſt dies ſeptem interfectus eſt, huic ſubrogatur Vallia Rex & ſibi & Romanis fœlicior, quippe territus maximè iudicio Dei, quia cum magna Gothorum manus traiicere in Africam moliretur, in freto Gaditano tempeſtate

pestate correpta miserabili exitu perierat, memorque illius acceptæ sub Alarico cladis, cùm Gothi in Siciliam transire conati submersi sunt, pacem optimam cum Honorio Imperatore datis obsidibus pepigit, ac Placidiam ipsius sororem relictam Athaulphi honorificè apud se habitam fratri reddidit, quæ Constantio clarissimo duci exinde nupsit inuita, & eodem quo nupsit anno nata est illis Honoria. Fuit Constantius patria Illyricus, oppido Panæso, multísque sub Theodosio præfecturis claruit, ac post summum adeptum fastigium eius pertæsus sæpè conqueri solebat, quod vt ante consueuerat iocis ac ludicris indulgere non posset. Author Olympiodorus qui hoc præterea scribit, eumdem ipsum ab Honorio reluctante in imperij communionem assumptum, septimo post mense obiisse. Sed id perperam Honorio reluctante factum existimat, nam cuius potissimum virtute eiusdem Constantij Magistri militiæ idem Honorius tyrannos debellauerat, ipsum præmij loco, inquit, Sozomenus tum sorore, tum corona, tum purpura, tum Imperij consortio honorauit. Pacem cum Vallia & Gothis idem firmauerat, eisque Aquitaniam omnem & certas quasdam Prouinciæ Narbonensis vrbes à Tolosa vsque ad Oceanum concesserat. Hinc Gotthici in Gallia regni caput Tolosa fuit, & hi quod in occasum solis vergerent Visigothi ipsorum lingua appellati, nam Ostrogothi dicti, qui deinde Italiam tenuere quod spectarent solem Orientem.

Lib. 9. c. 15.

4. Placidia interim Constantio viro orbata in eam cum Honorio fratre familiaritatem sese dedit, vt minus etiam secunda vtriusque fama vulgo esset. Mox Elpidia nutricè Placidiæ & Leontio eiusdem curatore id agentibus tanto exarsere inuicem odio, vt post frequentes Rauennæ rixas & iurgia, demum anno 423. Placidiam cum filiis Honorius extruserit, & Constantinopolim ad Theodosium abire coëgerit. Nec ita multo post Honorius nulla relicta stirpe Romæ decessit, anno imperij sui 28. cuius corpus porphyretico Mausolæo illatum, quod in Basilicæ S. Petri atrio visitur. Theodosius Placidiam cum Augustæ titulo & Valentinianum consobrinum adhuc puerum Cæsarem prius appellatum, mox Augustum Romæ salutatum in Italiam misit anno 424. vbi principatum gessit multiplici clade ac demum occasu imperij infamem, Barbari namque omni metu liberi ac soluti passim volitare imperiúmque Romanum discerpere ceperunt. Franci Merouco Rege Parisios eamque Galliæ partem quæ deinde Francia dicta est occuparunt. Visigothi Euricij Regis ductu Hispaniam subegerunt. Maximus tyrannus Roma atmis occupata Eudociam Valentiniani Imperatoris, coniugem connubio sibi iunxit inuitam, quæ vlciscendæ iniuriæ auida Gensericum Vuandalorum Regem accersit ex Africa, tyrannum oppressura, Patriæ ruina Rex barbarus Maximo interfecto Romam capit eiúsque spoliis onustus ipsam Eudociam Augustam Theodosij filiam vna cum liberis Carthaginem abducit. Vvandali Neapolim, Nolam, Campaniámque omnem populati apportarunt in Africam ingentem numerum captiuorum.

5. Cæterum haud meliore euentu Galliam barbarorum quoque in-

cursiones ea tempestate infestam habuerunt, Clodio quippe siue Clodius Rex Francorum quinque à morte Honorij annis elapsis, & à Christo, anno 428. aut 429. Rheno traiecto primus in Gallias erupit, sed ab Aëtio repressus citimam Rheno partem illam amisit Galliæ, quam cum suis occuparat. Post annos circiter 18. longius etiam in Attrebatum & Cameracensium fines transducto Francorum exercitu Romanos profligauit, & ad Suminam vsque fluuium ditionis suæ fines extendit sub annum 445. Videtur tamen ab Aëtio & Maioriano tum cladis aliquid accepisse, quod Sidonius indicat in Panegyrico de Consulatu Maioriani, qui sub Aëtio tunc eques pugnauit contra Francos, ad vicum Helenam, nam bene vsus Aëtius opportunitate temporis adortus eos ex improuiso, dum choreas ducerent, in nuptiis cuiusdam nuptæ Franco claræ puellæ, & illam cepit & cæteros in fugam egit nouo casu perculsos. Burgundiones ibidem quos Stilico exciuerat cum eorum rege Guadicario fusi fugatique anno 435. quibus & pacem Aëtius indulsit, vt scripsit Prosper in Chronico, Christianámque religionem per id tempus amplexi in Gallia ad Rhenum consederunt, mox versus Occidentem solem progressi Burgundiæ nomen regioni fecerunt.

6. Gothos idem Aëtius ab Narbonæ obsidione depulit per Litorium Comitem ac Ducem Romanum, sed is dum Aëtij gloriam superare nititur & haruspicum ac dæmonum responsis fidem adhibet, contra Theodoricum Gotthorum Regem bellum infimis precibus detrectantem inconsultè dimicauit, & magna accepta clade captus & occisus est.

7. Attila Hunnorum Rex cum quadringentis armatorum millibus Gallias similiter inuasit quem Honoria Valentiniani soror ob stuprum cum procuratore suo commissum pulsa palatio & ad Theodosium transmissa contra Occidentalem Rempublicam incitauerat, vt scribit Marcellinus, sed Aëtius fracta barbari Regis audacia, ipsi affluentibus vndique copiis furorem exultantem repressit illico, ardorémque restinxit.

8. Aliis collidebatur sæuioribus turbinibus Gallia intestinóque & hærente in ipsis visceribus vrebatur bello, dum per hæc tempora dira fraude seditio ad Imperij Romani authoritatem funditus affligendam apud Gallos grassabatur serendis dissidiis inter capita summa Christianæ gentis. Ventilabant eas Romani fasces, & hominum factis vtcumque ea essent ad odium religionis abutebantur. Nec in præsens impedimentum in rebus gerendis maius formidabat Sixtus Pontifex, quàm Albini ducis apud Aëtium magistrum militum & vtriusque apud Augustum Valentinianum offensam, quam vt obliteraret, nil non coram per se apud Cæsarem, nil non apud ipsos per Leonem mouit destinatum post hæc legatum in Gallias. De simultate quam cum Litorio gereret Aëtius, ac quemadmodum eidem gloriam splendorémque inuidisset Litorius strictim attigi suprà. Discordiarum par fuit exitus claros inter ac potentes viros Aëtium similiter & Bonifacium, nisi aut vniuersus penè imperij Romani interitus aut victoris Geiserici dominatus ac regnum.

Nam

Nam cum Bonifacius Comes bellicis laudibus clarus & in Africa cum exercitu agens insidiis ac dolo Felicis Magistri militum, vt habet Prosper siue vt Procopius & alij volunt Aëtij æque Magistri militum apud Placidiam Augustam & Imperatorem Valentinianum affectatæ tyramidis accusatus esset, missoque contra se Sigisuulto parem se non esse Romanis viribus animaduerteret, in Hispaniam ad Vandalorum quibus cum affinitatem antea iunxerat ducta istiusmodi gentis vxore confugit auxilia, quamuis & alioqui disciuisset iam miser à pristina illa pietate morúmque probitate in qua se hactenus S. Augustini aliorúmque sanctissimorum Episcoporum monitis continuerat, in vitia prolapsus enormia, quæ idem Augustinus modestè exprobrauit literis suis, illum ad meliorem frugem reuocare studens. Anno itaque 427. Geisericus cum octoginta Vandalorum & Alanorum millibus transfretauit in Africam, sed auxilio acciti, exitio penitus fuere, quippe Africam populationibus vexatam Arriana insuper labe polluerunt, qua tempestate Augustinus Hippone à Vandalis obsessus excessit è vita.

Proco. lib. 1. de bello. Miscella. lib. 14.

Epist. 70.

9. His tam grauibus Ecclesiæ Imperiique Romani procellis & tempestatibus Sixtus Pontifex vt aliquo modo conaretur occurrere, decreuit è sacro Clericorum suorum senatu legatum mittere in Galliam, qui authoritate ac prudentia intestinos tumultus sedare & ad concordiam animos adducere posset. Ad id verò muneris, quod ita magnum ac pertinens erat, Leonem Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum designauit virum ob singularem prudentiam & sanctitatem Valentiniano Imperatori matrique Placidiæ Augustæ carum imprimis acceptúmque, intelligentia verò rerum, iudicio ac magnanimitate facilè primum.

CAPVT LVI.

Ex itinere constructam à Cassiano Massiliæ Basilicam Leo numini dedicat.

1. Nihil Legatus ita prouidens agendique sciens videbatur posse desiderare iucundius in profectione illa, quàm visere longo internallo Cassianum veterem suum consiliarium & amicum, cui religionis causa imprimis innitebatur si de rebus ad eam spectantibus eueniret fortè vt decerni quid oporteret. Roma digressus ascendit ad nauim, in qua ipse nauigans plenissimis velis breui Massiliam secundo cursu peruenit, vbi super hospitio ad quod diuerteret Leo, haud haberi varius delectus potuit, dum Cassianus viueret in oculis vrbis vir excellentia doctrinæ præ cunctis clarus ipsique charus. Hic Monachorum hortatu atque consilio rogatur à ciuibus vt eam Cassiani extructionem, quæ esset ad memoriam æternitatis ara religionis, consecraret iis verbis ac ritibus quos in consecrandis Ecclesiis & altaribus non ita pridem Syluestri Papæ instituto simul & exemplo Romana seruabat Ecclesia. Nam etsi iam à pluri-

bus retro annis locus fuisset Deo dicatus, vbi suum & Monachi hospitium, & Magdalena olim sanctioris vitæ rudimentum posuisset, fieréntque collectæ in recenti Basilica & Christianus populus ibidem orare, Canonicas & sacerdotales preces audire, sacris interesse consueuisset, non tamen adeo solenni more & ritu dedicata fuerat, nec adhuc in titulum erectum in ea visebatur altare, quod chrismate delibutum Christi Domini, qui altare hostia & Sacerdos noster est, figuram vt moris erat exprimeret. Dedit libenter rei diuinæ operam & sacris initiisque tradendis præfuit Leo, nec solum diuinis precibus sacrauit ædem sed etiam sancti olei perliniuit vnctione, festósque dies dedicationis egit, celeberrimo virorum Massiliensium mulierúmque conuentu. Ac ne qua ritus abolescat, celebrabatur annuis Missæ officiique diuini solennibus 7. Calend. Iulij eius memoria rei veteris elogio posteritati tradita, quod mihi visum ex Bulla Benedicti Papæ de dedicatione huius Ecclesiæ, quæ incipit, *Supernæ diuinitatis*, hic ad verbum exscribere.

Denique sancitum esse à sanctissimis Ecclesiæ rectoribus perhibetur, quo statu quaue institutione sancti Martyris Victoris Ecclesia permanere consueuit, quæ sine ruga immaculato thoro huc vsque sedulo viguit, & sponsum Christum via immaculata castoque vestigio sequuta est. Hæc est denique æterni sponsi aula, quæ ita claruit Apostolica benedictione atque omnium peccaminum labis absolutione ceu vniuersalis Romana Ecclesia clauigeri Petri, & ideo secunda Roma legitur esse, quod ne obliuioni daretur futuris temporibus hactenus impressum antiquis marmoribus continetur. Hac diligentia muniendum censuimus prædicti Martyris Monasterium apud Massiliensem vrbem tempore Antonini Imperatoris fundatum, quod postea à Beato Cassiano Abbate constitutum eodem rogante vt fertur à maioribus natu, à Beatissimo Leone Romanæ sedis Antistite consecratum & eius Apostolica benedictione atque authoritate sublimatum, in quo maiorem constituentes Ecclesiam in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli & omnium Apostolorum aliámque in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ sanctique Ioannis Baptistæ multorum sanctorum Collatis pignoribus dedicarunt, &c.

2. Paulo Episcopo demortuo suffectus Venerius ad Ecclesiæ Massiliensis clauum sedebat hoc anno Cassiani eiúsque ordinis studiosissimus, & Leoni virtutum ac nominis fama iam olim Romæ notus & cognitus, vt ex literis constat Cœlestini Papæ, de quibus infra vberius ac fusius lib. 2. Nec dubitare fas est Leonis tanti viri præsentia concursum esse factum Massiliæ, totámque breui tempore in eum locum Prouinciam conuenisse. Ea enim regio his temporibus ingeniorum satis ferax illustrissimos Episcopos Eucherium, Claudium, Constantinum, Audentium, Agrestium, Iulianum, Auspicium, Maximum, Theodericum, Nectarium, Iustum, Augustalem, Ingenuum, Cæsarium, Salonium qui Concilio 1. Arausicano sub Leone anno 441. subscripsere, & alios viros doctos effudit. Aderant Cassiani delatores Hilarius & Prosper aduenienti Magistro de ipsis Romæ alias tam bene merito salutem, vt opinor, dicturi, quorum interuenisse querelis quas apud Cœlestinum de Collatio-

Baro. an 441. n. 3. & 17.

num

num ſuſpectis aliquot locis habuerant, ſimulque induxiſſe per literas Caſſianum ad ſcribendum aduerſus Neſtoirum hæreſis Pelagianæ participem & ſocium, in quo ſuſpicionem omnem tolleret prioris doctrinæ, ſi qua deerraſſet, poſterior retractatio, haud magni æſtimabat Leo, niſi præſentes quoque mutuiſque colloquiis & vſu inter eos familiari congreſſos diſcuſſis vltro citroque ſuſpicionum tenebris vocaret in lucem, eoſque pacis interpres ſuis commonitionibus ita placaret ac leuiret, vt omnes conſtituta concordia, quam ipſe cum omnibus haberet communem, ſiue querela diſcederent.

3. Eadem ætate florebat Maſſiliæ cum vtroque diſcipulo Salonio & Veranio Eucherij nobiliſſima prole, vir diuina & humana literatura inſtructus & Epiſcoporum ſui temporis magiſter qui plures annos priuatus licèt ſacerdos Maſſiliæ vixerit (quam ob cauſam *Presbyterum Maſſiliæ* vocat Gennadius & ex eo Trithemius) tamen ſub affectam ætatem Venerio ſubrogatum Eccleſiæ Maſſilienſis adminiſtrationem ſuſcepiſſe teſtantur Bellarminus, Baronius, Sixtus Senenſis, eiuſdémque Saluiani de ſua re teſtimonium & grauior quædam confirmatio, dum ſeipſum vocat Epiſcopum in præfatione librorum *De prouidentia & Dei iudicio* quos Salonio Epiſcopo ita inſcribit. *Sancto Epiſcopo Salonio Saluianus Epiſcopus ſalutem in Domino.* Multa cum Leone ab eo collata inuicem, quæ ad Vandalorum & Alanorum incurſiones & Galliæ miſerabilem attinebant aſpectum. Nec ſibi temperare vir ſanctiſſimus poterat, quin animi ſenſum atque mœrorem in tantis calamitatibus publicè teſtaretur, nouus, vt inquit Baronius, *ſui temporis Hieremias*, viuebat enim ipſe his temporibus ob oculos habens, quæ ab oculis excuterent iugiter lacrymas, & ſanè religionis ſtatus malo erat loco & prolabebatur aſſiduè in peiorem, nihil non mouentibus nouarum inter Romanas acies turbarum & factionum authoribus, quas extitiſſe hactenus ſeminarium ſeditionum bellorúmque ciuilium & ſectarum, quæ ad hanc diem in Gallia diſſeminatæ regnum cætera florentiſſimum & pietate olim Chriſtiana clariſſimum penè iam funditus euerterent, prudentes homines obſeruabant.

Baro. an. 406. num. 54.

4. Itaque Legatus Apoſtolicus pro ſua pietate reique momento ſuſcepit cauſam eumque ſibi amorem conciliauit ab omnibus, vt de pace poſitis armis ciuilibus deque religione maiorum illic retinenda agerent. Complexus toto pectore ipſam commendationem Leo poſt egregia humanitatis documenta nullam hærere ſibi curam potiorem demonſtrat, quàm de nefariis factioſorum hominum furoribus aut reſtinguendis aut ſedandis, exiſtimare verò ſe legationis quam aditurus eſſet primitias auſpicaturum fœliciſſimè, ſi eius ad Chriſtum preces efficerent, vt hæc qualiacumque deſideria fructum afferrent, & ſuam aliquando maturitatem aſſequerentur. Porro fructus vberrimi, qui deinde toto Romano imperio per exquiſitam Leonis doctrinam & ſingularem induſtriam Deo aſpirante maturuit, haud ſuſpicari fas eſt hæc tum verba tum vota vtriuſque viri omnium maximi oraculum præiuiſſe. Nec temerè laudi eius adſcripſeris, quod nefarij conſilij ac furoris ſui pœnitens Bonifacius

reconciliata

reconciliata sibi Placidia Augusta; cùm Vandalis reditum in Hispaniam persuadere non posset, bello eos aggressus est, sed victus ex Africa Romam venit anno 432. ibique donatus ab Imperatore Magisterio militum haud diu postea vel morbo, vt scribit Prosper, extinctus, vel, vt Marcellinus ait, ab Aëtio sauciatus interiit ac Pelagiæ coniugi, vt ne alteri quam Aëtio nuberet, moriens præcepit.

CAPVT LVII.

De Cassiani scriptis. Vera & legitima Cassiani opera quæ extant.

1. Antequam varias Doctoris opiniones non receptas, vel suspicionem latentis mali mouere aptas subiiciamus: prius de summa vniuersorum operum cognoscere oportet, num spuria aliqua & supposititia in ingenuorum censionem & ius adsciscantur. Plurimum enim tum nostra tum ipsorum scriptorum refert ne quid corruptum eorum nomine præferatur aliena adsutum manu, ne virorum authoritatem sequuta posteritas si quid simulata fide irretiret, incauti circumueniatur sensimque per incogitantiam delitescentibus errorum laqueis se illiget. Quin etiam ne dolo malo & cum iniuria Reipublicæ literariæ ingeniorum partus eximij abiudicentur veris ac legitimis parentibus; atque ita exautorati quodammodo eruditionis gradu debitaque apud homines existimatione velut in ærarios referantur:

Quibus ergo Cassiani nomen vulgo præfigitur
Libri 4. De Institutis Cœnobiorum
Libri 8. De Capitalibus vitiis
Collationes Patrum 24.
De Incarnatione Christi contra Nestorium hæreticum libri 7.

Tanta cura & fide à Gennadio Tritemio, Bellarmino, Posseuino cæterisque rerum nouarum exploratoribus recensiti ac recogniti sunt vt eos vel tantillum à calamo mentéque scriptoris abesse vix ac ne vix quidem vllus addubitet. Idémque facit exemplarium omnium quæ supersunt vetustissimorum vnanimè suffragium, quorum octo antiquissima exhibet Bibliotheca Vaticana & ex his quædam emendatissimè manu scripta ex quorum Collatione stylus planè clamat eumdem cui adscripti leguntur, si aliquorum certè omnium pro comperto haberi authorem.

2. De institutis Monachorum & Capitalibus vitiis, variatum est sententiis in partitione librorum. Quidem enim ex Vaticanis exemplaribus

bus. *De institutis renuntiantium* vt Ciaconius & Editio Lugdunensis: nonnulli verò *De institutis Cœnobiorum* vt D. Thomas passim in sua summa Theologica, simul omnes duodecim libros inscribunt. Gennadius aliter designat & tribuit nempè. *De habitu Monachorum* & *De Canonico Orationum & Psalmorum modo* Libros tres, *Institutionum* librum vnum, *De origine & remedio octo principalium vitiorum* libros octo. Nos Tritemium & Cuychium sequuti ex duplici quod tractatur argumento, commodius ni fallor in duas secamus partes sic vt prior Institutionum Monasticarum libros quatuor: posterior. De capitalibus vitiis octo complectatur. Etsi enim primum de primo Gastrimargiæ vitio librum author ipse quintum numeret eiusdem libri capite 1. *Quintus nobis iuuante Deo liber iste procuditur*, diuersa tamen appellationum serie & ordine seiungere videtur alios ab aliis, cum idem subiungit. *Post quatuor libros qui super Institutis Monasteriorum digesti sunt nunc arripere Conflictationem aduersus octo principalia vitia vestris orationibus domino confortante disponimus.* Id est primum Gastrimargiæ, secundum fornicationis, tertium phylargyriæ, &c. Sic vt primam illam ordinandi rationem ad personam cui vniuersum inscribitur opus potius quam ad subiectam operis materiam accommodarit. Id enim officij genus à Beatissimo Papa Castore Aptensi Episcopo expostulatus totum sub vno eius nomine dumtaxat, publico ac posteris mandari voluit. Extat eiusdem Castoris Epistola ad Cassianum quam superiori tomo ad Verbum recitauimus. Effectum ergo dedit Cassianus quod amicus rogarat, Monachorumque institutum, scriptis hisce 12. libris simul atque exemplis & factis mirificè illustrauit & propagauit. Lege sis præfationem ipsius Cassiani citatam in qua supplici Castoris libello articulatim rescribitur.

3. Sed & alterum deinceps luculentiorem tractatum eiusdem Castoris suasu edidit quem idcirco nuncupat *Collationes* Patrum quia familiares congressus & colloquia describit in quibus ipse res diuinas & ad vitæ Monasticæ perfectionem præcipuè spectantes cum Patribus, diuersis in locis contulerat. Differunt ab Institutionibus subiecto simul & fine etiam ex mente authoris lib. 2. Instit. cap. 9. siquidem hi libelli nempe Institutionum ad exterioris hominis obseruantiam & Institutionem Cœnobiorum competentius aptabuntur, illi verò scilicet Collationum ad disciplinam interioris ac perfectionem cordis & Anachoretarum vitam atque doctrinam potius pertinebunt sic enim ad eos proludit. *Ab exteriori ac visibili Monachorum cultu, quem prioribus diggessimus libris, ad inuisibilem interioris hominis habitum transeamus vt quisquis iam superioris operis lectione Iacob illius intelligibilis nomen carnalium vitiorum supplantatione promeruit nunc etiam non tam nunquam Patrum Instituta suscipiens diuinæ iam puritatis intuitu ad meritum & vt ita dixerim dignitatem transiens Israëlis, quid in hoc quoque perfectionis culmine debeat obseruare similiter instruatur.* Dicuntur autem 24. Collationum authores siue Collatores aut Collocutores capite 1. Collat. 24. non personarum numero sed Collationum, vix enim plures quindecim censentur Colloquutores Abbates

ita vt non singulæ singulis sed aliquibus duæ, aliis tres Collationes attribuantur. Omnes porrò necdum natas sacris dilectissimi sui Castoris destinarat auspiciis, sed illo temporius quam vota ferrent per mortem sublato, tripartito operi doctrinæ suæ tutelam & patrocinium sectionibus fecit & vt locis temporibus & personis*, ita dicendi præludiis ac procemiis membratim distinxit. Nam decem primæ à septem Abbatibus Moyse Paphnutio Daniele Serapione Theodoro Sereno Isaacio in Scythica vel Scetica Eremo commorantibus habitæ inscribuntur Leontio Episcopo necnon Elladio Abbati sanctissimo: septem verò aliæ proximæ trium Anachoretarum Chæromonis, Nesterotis, Iosephi in Thebaidis solitudine degentium Honorato Arelatensi & Eucherio Lugdunensi, quos vocat fratres non natura aut consanguinitate sed vel Episcopi officio, vel Monastico instituto & professione: reliquæ septem à quinque senioribus Ægyptiis Piamone, Ioanne, Pynufio, Theoua, Abrahamo disputatæ, Iouiniano, Mineruio, Leontio, Theodoro de Lirinensi vt aiunt Monasterio lectis Abbatibus cæterisque Monachorum coloniis Stœchadas Massiliæ proximas insulas frequentantibus.

4. Extremum Cassiani opus & velut ab natu maximis posterior eius ingenij fœtus, libri septem De Incarnatione Christi, quos à Leone vrbis Romæ Archidiacono, postea Episcopo rogatus, scripsit aduersus Nestorium. Nec excusatione se tegere, aut onus detrectare potuit, viro præsertim Ecclesiæ Optimati, & amico pernecessario, etsi iam ad fastigium deductis Institutionum & Collationum operis, spiraret ad otium à commentandi labore, sic enim ad calcem Collationis 24. *Superest*, inquit, *vt me periculosissima tempestate iactatum nunc ad tutissimum silentij portum spiritalis orationum vestrarum aura comitetur.* Rursumque in Præfatione librorum De Incarnatione ad eumdem Leonem. *Absolutus dudum Collationum spiritalium libellis, sensu magis quam sermone insignibus, cogitaram & propemodum constitueram, post illum prodita inscitiæ pudorem, ita me in portu silentij collocare, vt excusarem, quantum in me esset, per taciturnitatis verecundiam, loquacitatis audaciam. Sed vicisti propositum ac sententiam meam laudabili studio, & imperiosissimo affectu tuo, mi Leo venerande ac suspiciende Claritas Romanæ Ecclesiæ ac diuini Ministerij decus, producens me, ex illo præmeditati silentij recessu, in publicum formidandúmque iudicium, & noua subire cogis adhuc de præteritis erubescentem.*

Cuychius Præf. in Cassian.

5. Hos autem libros ab ipso Cassiano editos, & conscriptos esse, vt ait Cuychius, nemo addubitabit, qui illos diligenter lectitarit, & illud orationis filium, cum prioribus eius operibus comparauerit. Vt interim silentio prætercam, libros hos, à Tritemio, & Gennadio qui illustrium virorum iudices descripserunt, inter opera Cassiani numerari. Cùm perquirit Baronius quid sani consilij in hac sufficienda Cassiano, stili occupatione, Leoni propositum esset, cùm ipse Leo & eruditissimus, & quam felicissimè id exhibere valuisset; nec per imprudentiam labi poterat, vt ignoraret, præsertim iam editis Collationum libris, Cassianum

de

de libero arbitrio haud rectè sentire, sed cum Pelagianis aliquid habere commune. Ea propter consultò factum existimat, quod Leo Diaconus, Cassianum teneri vellet scriptione sua obligatum, & cum eo velut antesignano, cæteros omnes qui inter Catholicos Pelagiani erroris viderentur esse fautores, ne affinitate dogmatis consertructi ri essent, pro defensione Nestorij, quasi de naturali hominis instinctu & inductu, in hæreses, quàm veræ fidei dogmata procliuiore, malè auspicaretur. Sed hæc causa excogitata ab aliis Cassiani famæ & existimationi parum vt assolet, aut nihil propemodum officiosis; alteram subiicit longè similiorem vero, vt per Ioannem Cassianum Constantinopolitanæ olim Ecclesiæ Diaconum ab opinione virtutis atque doctrinæ perillustrem, pro ea, qua pollebat apud Constantinopolitanos, authoritate & nominis celebritate; efficacius, impij Nestorij falsa sententia dedoceretur. Et quidem Leonis, hac ex parte, istud fuisse consilium persuadere videtur Apostrophè illa authoris, ad finem operis collocata, cum demum post alia, eiusmodi Nestorium exagitat inuectiua. *Tu ò impiissimè atque impudentissimè, præclaræ vrbis contaminator Catholicæ, & sanctæ plebis grauis & exitiosa contagio, stare in Ecclesia Dei, & loqui audes, & blasphemiis ac furiosis vocibus tuos sacerdotis, semper illæse fidei, & Catholicæ confessionis infamas, Magistrorum priorum vitio plebem Constantinopolitanæ vrbis errare?* Insuper autem Leonem mouere potuit alia eadem ratio, quæ à Prospero, libro aduersus Collato. cap.41. dicitur olim mouisse Bonifacium Papam, vt cum ipse doctissimus esset, tamen aduersus Pelagianorum obiectiones sibi propositas, responsa posceret S. Augustini: probata videlicet iam ipsi erat & explorata viri insigniter docti facultas atque industria. Similiter Leoni non in opinione modo sed & in amoribus virtus Cassiani erat & eruditio, præsertim aliàs perspecta satis & cognita cùm à Clero Constantinopolitano Romam ad sedem Apostolicam delegatus, causam in iure ageret pro defensione Chrysostomi, vbi Leo authoritate sua & gratia qua plurimum valebat apud supremum Ecclesiæ Magistratum, aduersus nefarios calumniatores, ei princeps adfuit, cepitque familiarem in modum cum ipso versari, & perspectæ iam indoli eruditionique confidere.

CAPVT LVIII.

Quæ dubia & spuria?

1. IN operibus Godefridi Tilmanni Carthusiani, Epistola quædam annumeratur, ad Ioannem Gropperum Archidiaconum S. Gereonis apud Coloniam Agripinam, Scholasticum, in qua de Cassiani tabulis recitatum habemus, documentum hoc, religiosis hominibus, virtutis, pietatis, prudentiæ.

His subtexui medicam sed & festiuam Dosim, à corporis morbis,

ad exinaniendos animi affectus, Græcè scriptam, per Ioannem Cassianum, prius Diaconum Chrysostomi, vel teste Palladio Helenopolitano Episcopo in suis Dialogismis, de vita B. Ioannis Chrysostomi. Ascetica enim Græcè primum scripsit, quæ & extare audio in Vaticana Bibliotheca.

Ex Asceticis Sancti Patris Nostri Cassiani.

Metaphora à medicorum quidem Dosibus deprompta: Ad rationem verò Monasticæ vitæ, seu ad scopum intendens, ac relata, Godefrido Tilmanno Cartusiano interprete.

Qui vitam exercebant Monasticam, SS. Patres dicebant, quia prætereuntium obiter vnus aliquis exercitatione Monachus denarrasset, se ex itineris diuerticulo in officinam contendisse cuiuspiam Medici, vidissèque numerosam turbam laborantium, varia morbi specie, qui se eò conferrent. Medicus proinde pro qualitate morborum, accommoda cuique & opportuna adhibebat remedia. Ingressus igitur Monachus, & salute dicta, Medico adstitit, iis propior qui curandi aduenerant. Accepta mox salute, Medicus subiecit, qua quæso te, gratia, Pater, ad vos aduenisti? Cui Monachus. Est ne vspiam vlla in herbis, cuius vos, efficax adeò sit, vt delictorum numerosam multitudinem possit inducere & abolere? Sanè est, ille respondit. Hinc à me facessito Pater. Radicem decerpe tibi inopiæ spiritualis, patientiæ insuper folia seligito, florémque humilitatis. Permista hæc & in mortario trita cribro impone obedientiæ bonorum discretori. Ad eum deinde modum probè cribrata, deponito in tuæ ollam conscientiæ. Vide vt his aquam superfundas lachrymarum. Ea ipsa conserito concordiæ charitatis. Ad hæc fac subtus accendatur flamma Cœlestis desiderij, simul atque miscella istius medicamenti commodè efferbuerit, ex olla eam exhauri, demittens in catino discretionis ac flabello diuentila debitæ gratiarum actionis. Salutarem hanc Dosin sumito per cochlear sanctæ compunctionis: perque confessionem pressius extergitor. Hoc sanè pacto, exinanies tuorum multitudinem peccatorum.

2. Verùm ista, præter quam quod, si è Græco Latinè tantum reddidit author, Cassiani operibus qui Latinè omnia scripsit, vt mox infra definiam, falsò adscribit, procul etiam à dictione modoque scribendi, Cassiani absunt. Neque authoritate Censorum aut memoria plurimorum firmat & docet.

In vitis Patrum Rosuueydus librum attexit ordine quartum ex Seuero Sulpitio & Ioanne cassiano Concinnatum. Non enim recens ac nouus est partus, sed tantùm excerpta quædam ex eorum libris, verbis penè eisdem. Loca singula vnde desumpta sunt, ad singula capita annotantur. Verùm quod ad authores spectat, variant M M. SS. Codices quos ad adornandam suam editionem subsidio sibi fuisse testatur Rosuueydus. Codex inquit Audomarensis ex Ecclesia Collegiata S. Audomari, vetustus, & maximè perfectus. Laetiensis Maior ex formatissimo ad regulam

Rosuu proleg. 24.

regulam S. Benedicti, sub patrocinio S. Lamberti, Monasterio, Moretianus & Camberonensis, librum hunc quartum ex solo Cassiano habent expressum. Quæ ex Seuero passim prætermittuntur; Ingolstadiensis Collegij nostri, in folio, membrana, valdè vetustus. Crispiniensis ex Monasterio ordinis S. Benedicti. Lætiensis minor, Notæ non inferioris à priore Lætiensi. Rebdosiensis & S. Sepulchri maior ex Monasterio S. Sepulchri, quod Cameraci est, ordinis S. Benedicti, hunc eumdem librum Sulpitio simul & Cassiano inscribunt. Camberonensis ex Abbatia S. Mariæ de Camberone, ordinis S. Bernardi apud Athum & Aquicinetinus, ex Cœnobio ordinis S.Benedicti, apud Duacum, Posthumiano Monacho eumdem tribuunt. Atque hoc initium Aquicinetinus præferre dicitur. *Incipit liber Posthumiani de gestis SS. Patrum.*

3. Causam verò huius diuersi nominis ex Seuero Sulpitio ortam existimo, qui in dialogis suis Posthumianum, ex Oriente, post triennalem peregrinationem reducem, multa de Monachorum & Eremitarum vita ac instituto narrantem, introducit. *Posthumianus*, inquit, initio Dialogi primi, *ab Oriente, quò se ante triennium, patriam relinquens contulerat, regressus*, &c. Nam quæ hic libri quarti prioribus aliquot capitibus habentur, ea omnia compendio sublecta sunt ex primo Seueri Dialogo, in quo Posthumianus narrator introducitur. Postremo Claromarescanus, ex Abbatia S. Mariæ de Claromaresco, iuxta Audomarum, ordinis S. Bernardi, eumdem Anonymum exhibet, nullique certo authori inscriptum. In prioribus editionibus hunc præfixum titulum habet, qui posterioribus deest. *Cum omnis præfatio textum opportunè praeueniens, aut sequentis materiæ prædicit qualitatem aut defensatum sui commendet authorem: tum verò præsentis libri seriem proprio contingit hac de causa prologo indigere, quia speciales quasdam virtutis quasi pretiosos lapides, passim proponens vtilitatem suam, toto in corpore, lectoris oculis probatur offerre. Decem quippe & nouem diuisus in partes, distinctas licet habere videatur virtutes, attamen dum occasione vnius, plerùmque virtutes cætera promiscuè commendantur, collisis inter se vnionibus hoc est collatis, ad inuicem virtutibus, gemmarum spiritualium immortalis claritas sese reuerberans, mutuati luminis detrimenta non nouit.*

Vulgo opinio hominum hunc librum interponit vitis Patrum ex Seuero Sulpitio & Ioanne Cassiano conflatum & concinnatum, illius quidem Dialogis huius verò Institutionibus. Varia continet sanctorum Patrum exempla, & monita, constatque capitibus 55. Quis autem eum concinnauerit, malo in medio relinquere, quàm temerè quid asserere. Scio Eucherium Lugdunensis Ecclesiæ Presbyterum, quædam Cassiani opuscula, lato tensa sermone, angusto verbi resoluisse tramite, & in vnum volumen coëgisse. Atque ita, cùm non desint MM. SS. Codices, quos supra numerauimus, qui solius Cassiani nomine, hunc librum adornatum exhibent, Eucherio hæc Epitome tribui posse videtur. Quia tamen editi omnes & plerique alij MM. SS. ex Seuero & Cassiano contractum repræsentant, videndum. An quod habet Cassio-

Cassiod. Diuin. Institut. cap. 29.

dorus De Victore quodam Afro, huc facere possit. *Cassiani*, inquit, *dicta Victor Martyritanus Episcopus Afer ita domino iuuante purgauit & quæ minus erant addidit, vt ei rerum istarum palma meritò conferatur, quem inter alia de Africæ partibus citò nobis credimus esse dirigendum.* Fortè enim additio hæc intelligi potest de Seueri Epitome quæ hic Cassiani Epitomæ adiuncta est. Baronius existimat Cassiodorum spe frustratum non accepisse, siquidem Ado Viennensis Episcopus, ab ipso Cassiodoro id operis, vt Cassianum corrigeret, elaboratum affirmat, dum ait Opera illius cautissimè legenda, maximè de libero arbitrio & gratia. Sed & Encratitarum hæresi fauit. Errores illius Cassiodorus Rauennatum Senator, purgare volens, non ad plenum, omni ex parte potuit. Hæc Ado. sed de his quoad errores, mox pluribus. Ad hunc similiter ordinem refert Sixtus Senensis scripsisse insuper plano & librato sermone, de eo quod dicit Apostolus. Non quod volo bonum facio sed quod nolo malum, librum doctum & elegantem. Sed eum ab aliis singularem non numeramus, quoniam illum postmodum Collationibus SS. Patrum à se editis inseruit, & vigesimam tertiam Collationem prænotauit.

Baro. an 443.

Sixtus lib 4. Biblior.

4. Cæteri plerique omnes, in Cassiani familiam asciti omnino mouendi ab hoc hæreditario iure tanquam adulterini fœtus, ab incerto authore editi. Sic *Theologica Confessio* ipsi à nonnullis tribuitur, sed ab iis qui saliuam Cassiani styli non habent; Et liber de conflictu virtutum ac vitiorum qui habetur in Bibliotheca Dominicanorum Leodiensium, Cassiani nomine præfixo, vt refert Cuychius, in sua præfatione. Ridiculi verò prorsúsque insulsi sunt qui Cassiani cuiusdam Chronographiam Cassiani nostri lucubrationibus accensent, cùm eius meminerit in suis Stromatibus Clemens Alexandrinus qui annis 30. supra ducentos, Cassianum hunc nostrum antecessit. Didacus Aluares eidem ascribit librum Pastoris. Ioannis inquit Cassiani librum qui appellatur Pastoris inter Apocryphos numerat Gelasius Pontifex distinct. 15. cap. Sancta Romana: sed illum iam à multis ante Cassianum actis retrò sæculis vulgatum fuisse, nemo ignorare potest, cum passim ab Irenæo, Tertulliano, Origene, Athanasio, Clemente Alexandrino, aliísque Cassiani æuo longè superioribus de scripto citetur ad testimonium, traditque Hieronymus authorem ipsius fuisse Hermam, cuius Apostolus Paulus ad Romanos meminit. *Salute Asyncritum Phlegontem, Patrobam, Hermam & qui cum eis fratres sunt.* Damasus Papa in vita Pij I. Pontificis maximi, At Pius ipse eumdem allegans in Epistola Decretali ad omnes Christi fideles significare videtur sibi duntaxat Synchronum fuisse.

Didacus l. 1. de auxi. gratiæ & viribus liberi arbi. disp. 1. § 3.

5. An igitur Cassiani librum appellat? quoniam ab eo citatur testis, Collatione 8. capite 17. Et Collat. 13. cap. 12. eoque nomine velut fictas & apocryphas ementitus authoritates, à D. Prospero coarguitur. Verùm quam probæ fidei? quamque absurda & inepta foret ista interpretatio, nemo non videt. Vt vt sit communi sapientum omnium suffragio fixum esto, neque hunc, neque alios, si quis eius generis à nobis prætermissi,

prætermissi, è Cassiani nostri propaginibus proseminatos esse, tum quia merito ab eruditis Cassiani res accuratiùs expendentibus, Gennadio, Tritemio, Bellarmino, Posseuino exploduntur: tum quia opera illa à grauitate & accuratione librorum S. Cassiani plurimùm absunt.

CAPVT LIX.

Quo loco tempore, idiomate scripserit?

1. MAssiliæ quidem scripsisse libros de Incarnatione author est Gennadius in Catalogo De viris illustribus vbi hæc de Cassiano. *Ad extremum rogatus à Leone vrbis Romanæ Archidiacono postea Episcopo scripsit aduersus Nestorium De Incarnatione Domini libros 7. & in his scribendi apud Massiliam & viuendi finem fecit Theodosio & Valentiniano regnantibus.* Idque testatur ipse Cassianus in fine eorumdem librorum, quos perscribere se ait in longinquiore procul ab vrbe Constantinopolitana secessu, quem Massiliam fuisse nemo hactenus non dicam persuasum sed ne quidem suspectum habuit. *Etsi*, inquit, *corpore absum affectu illic sum & illi dilectissimo mihi ac venerandissimo populo etsi nunc præsentia non admisceor, tamen mente coniungor.* Quod de cæteris æquè affirmare licet, primùm quia Episcopi & Abbates quorum postulatis & gratiæ studuit, Institutionum & Collationum opera elaboraturus, populares eius erant dum Massiliæ degeret & incolæ eiusdem Prouinciæ Phocensis. Neque vllo firmo argumento ductus coniiceres ad hoc vt exteris ac tam remotis Galliæ populis de ipso constaret, ansam aliquam præbuisse aliàs Constantinopoli. De iis enim quæ per Ægyptum & Palæstinam Monachorum instituta custodire conspexerat, vel ibidem à Patribus tradita acceperat, commentarios ad proximam cognitionem instruere tam celeriter vix potuit, sub reditum ex itinere religiosæ suæ peregrinationis; quoniam derepente à Magno Chrysostomo Constantinopolim accitus, vel ad reducendos ab Ariam hæresi Gentiles suos Scythas totus incubuit: Vel pro legationis munere quo fungebatur in Italia peregrè versatus est, ita vt ne momentum quidem ab assidua negotiorum contentione interquiescens ad capessenda literarum studia omni planè otio reliquo deficeretur. Huc accedit quod ipse dum per diuturnitatem rerum in mente consignatarum, delinquentis in officio memoriæ morbum excusat, manifestè docet hoc operis prius non curasse quàm lapsis aliquot annorum spatiis ex rei publicæ administratione simul & Ecclesia Constantinopolitana cum laude decedens, Massiliam tutissimum sunt ab negotiorum tumultu perfugium & opportunissimam capiendæ quietis stationem se receperit, iuxta illud præfationis in libros, De institutis Cœnobiorum ad Castorem Episcopum. *Quæ à pueritia nostra inter eosdem constituti didicimus, vel visu percipimus minimè iam possumus ad integrum retinere tot annorum circulis ab eorum*

Genna. c. 61.

eorum consortio & imitatione conuersationis abstracti, præsertim cùm harum rerum ratio nequaquam possit otiosa meditatione doctrinaque verborum, vel tradi, vel intelligi, vel memoria contineri, totum namque in sola experientia vsque consistit.

2. Astipulatur Baronius cum eiusdem postremi partus natalem refert ad annum Christi 430. Hoc ipso anno Ioannes Cassianus monitu Leonis Romanæ Ecclesiæ Archidiaconi aduersus Nestorium De Incarnatione Verbi septem libros luculentissimos edidit. Cùm enim ipsos ab eo scriptos constet, dum adhuc Nestorius sederet Constantinopoli quem sequenti anno in Concilio Ephesino, liquet fuisse è sede depositum, & Maximum in eius locum subrogatum, cúmque, nulla insuper in eis de Ephesino Concilio mentio habeatur, cuius necessariò meminisse oportuit, planè antè Ephesinum Concilium damnationémque Nestorij, eos ab ipso fuisse lucubratos dicere necesse est. Et hoc ipso quidem anno quo vt vidimus hæresis Nestorij planè innotuit Occidentali Ecclesiæ. Ante autem susurri tantum quidam de ea pertigerant oras Occidentales.

Baro. an. 430. num. 94.

Tum pro aliorum ætate mox subiungit. Ante autem quàm ad hæc scribenda manum admoueret, iam dudum absoluerat Collationum & ante Collationes Institutionum libros, vt ipse in Præfationibus testatur, quarum altera ad Leonem Romanæ vrbis Episcopum sic exorditur. Absolutis dudum spiritualium Collationum libellis. Altera ad Leontium & Helladium Episcopos. Debitum quod Beatissimo Papæ Castori in eorum voluminum præfatione promissum est, quæ de institutis Cœnobiorum & de octo principalium vitiorum remediis duodecim libellis domino adiuuante diggesta sunt, in quo tenuitas nostri suffecit ingenij, vtrumque sarcitum est. Ex quibus possumus intelligere ipsum anno superiori 429. vel qui eum præcedit (nisi fortè hoc ipso 430.) collationes easdem absoluisse. Si igitur ætate penè suppares fuerunt, vix variari possunt natali solo, quandoquidem ex supradictis liquidò constat anno illo 430. & aliquot superioribus proximis Cassianum Massiliam iam aduenisse.

3. De idiomatè quod apud nonnullos vertitur in quæstionem, Græcone an Latino primigeniæ lucis vsuram acceperint? Plerique omnes periti Latino patrocinantur, Bellarminus De scriptoribus Ecclesiasticis. Ioannes Cassianus S. Ioannis Chrysostomi olim Diaconus & postea ad Gallias accedens ibique sedens figens apud Massiliam, Presbyter ordinatus, scripsit Latino idiomate. Hieronymus Platus. Ioannes inquit Cassianus Scytha stylo cum primis Latinus Massiliæ Monasterium ædificauit. Antonius Posseuinus in Apparatu. Ioannes Cassianus Eremita scripsit de institutis renuntiantium libros 12. & Collationum SS. Patrum libros 24. idque lingua Latina, quidquid secus aliqui existimarint siue Tritemius siue Dionysius Cartusianus.

Platus l. 1. de bono status Relig. c. 23. Posseuinus in Appara v. Ioan. Cassia.

4. Sed hæc non est operosum demonstrare quantopere à vero absint, nam ipse Cassianus pluribus locis adeò manifestè obluctatur, vt mirum sit

sit quemquam lectis apud se & compertis tot testimoriis in eam sententiam, discessisse. In præfatione Collarionum Leontium Pontificem & Helladium fratrem alloquitur in hæc verba. *Obtineant orationes vestræ ab eo qui dignos vos, vel visu eorum, vel discipulatu vel consortio iudicanit, vt nobis earumdem traditionum memoriam planam & sermonem ad dicendum facilem conferre dignetur, quo tam sanctè eas tamque integrè quam ab ipsis accepimus explicantes ipsos quodammodo in suis institutis incorporatos & quod magis est Latino disputantes eloquio vobis exhibere possimus.* Et Collatione 3. cap. 15. proferens illud Apostoli. Sufficientia nostra ex Deo est. Subdit quod minus Latinè sed expressius dici potest, Idoneitas nostra ex Deo est. Si autem Græcè scripsisset, Græcam vocem quæ apud Apostolum vna est ἱκανότης simpliciter exprimeret, quod & Luychius & Ciaconius annotarunt; nec de vocibus Latinis inter se collatis scrupulum moueret alteram alteri præferendo. Et libro 1. Instit. cap. 3. Habentes, inquit Apostolus, alimenta & operimenta his contenti simus. *Operimenta dicit non vestimenta vt in quibusdam Latinis exemplaribus impropriè continetur.* Et libro 5. cap. 16. Tentatio vos non apprehendit nisi humana. *Hoc Apostoli testimonium quidam non intelligentes posuerunt pro indicatiuo optatiuum modum id est Tentatio vos non apprehendat nisi humana, quod ab ipso magis dici manifestum est non optantis sed prænuntiantis vel exprobrantis affectu.* Idémque colligitur ex Collationis primæ cap. 5. Collationis 11. cap. 9. Collationis 14. cap. 16. atque ex sexcentis aliis locis.

5. Quin etiam in proferendis scripturæ sententiis vt plurimum posthabita septuaginta Interpretum versione vulgata nostra à S. Hieronymo, cui æuo par fuit ad Hebræorum Codicum fidem Latinè reddita non vtitur modo, sed omnium primus vti cepisse dicitur. Collatione 23. cap. 8. citans illud Iob 15. Si in sanctis suis non confidit & in angelis suis reperit prauitatem siue vt emendatior translatio habet. Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & cœli non sunt mundi in conspectu eius. Emendatiorem vocat Latinam quam indicauimus translationem, verùm quoniam septuaginta Interpretes, qui in omnium tunc manibus versabantur, imbiberat, fit vt loca quædam, sed præcipuè ex Prouerbiis quæ fortasse iam olim in eius memoria insederant, secundum eorum interpretationem citet. Libro 12. de Spiritu superbiæ cap. 31. Refert illud Isaiæ cap. 66. Super quem requiescet Spiritus domini nisi super humilem & quietum & trementem verba mea. Siue secundum exemplaria quæ Hebraicam exprimunt veritatem. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum & contritum & trementem verba mea. Alia id genus loca à vulgata editione aliquantulum discrepantia in indicis formam redegit: atque his Græca vnde desumpta sunt ex vetustissimo Vaticanæ Bibliothecæ libro & aliis correctioribus adiunxit Petrus Ciaconius, quem ea de re differentem legere quisque potest.

6. Alia item rationum momenta nos impellunt in hanc opinionem, quod ad Episcopos Galliæ Latinos scribens, non aliud quàm quod

iisdem frequens ac familiare fuisset, & in quo simul ipse iam Massiliotici gymnasij Doctoribus Latinè dicendi peritissimis consuescens mirum quantum promouerat, sermonis genus vsurpare debuit. Sed neque vllus eius interpres in commemoratione apud veteres, neque vllum Græcum exemplar siue M. S. siue excusum hactenus bona fide constitit. Vidit quidem Photius dictus Constantinopolitanus Patriarcha libros Cassiani aliquot in Græcam linguam conuersos, aut in compendium redactos, aut desectos potius librorum caudices dixeris, quàm solidos & integrè conuersos. Quam ob rem luxatas adeo & mutilas inscriptiones eis præfigit Codice 197. suæ vt vocat Μυριοβίβλου, Bibliothecæ quamuis in ea ducenti septuaginta nouem dumtaxat authores censeantur vbi ita legimus ex versione R. P. Andreæ Scotti. Lectus libellus quo Cassiani Monachi patria Romani libri duo continentur. Eorum alter Castori cuidam Episcopo qui hunc ab illo scribi postularat, formas autem & regulas præscribit ex quarum institutis viuunt in Ægypto Monachi per cœtus illos distributi, quos ex vocis origine, posita ratione Cœnobia nominant. Alter quoque liber eidem inscriptus ab octo illis vitiorum cogitationibus titulum mutuatur. Tertium his adiunctum libellum legimus quem à Castoris Episcopi morte inscripsit Cœnobij illius moderatori, cuius Cœnobij causa & regulæ illæ prius missæ fuerunt, qui quidem libellus iis quos iam adnumerauimus, adsimilis est; docet enim imprimis quid discretio sit deindeque maiorem eam esse cæteris virtutibus: tum vnde gignatur & quomodo hæc eadem plerumque donetur. Addit præterea quis scopus ac finis esse debeat eorum qui religiosorum exercitiis probantur sed quæ è Vaticana Bibliotheca proferuntur Collationes perpaucæ & octo postremi libri Institutionum Græcè translati tot adulteratas sententias fictaque ementiuntur testimonia vt afferri nihil possit quo authoris parum Latinè docti & in sacris literis negligenter versati excusetur ignorantia. An non illud dictu audituque indignum quod in capite 5. Collationis 2. de Herone scriptum quem quinquaginta annis in hac Eremo commoratum sic vertit τοῦτον γὰρ μεμνήμεθα πεντήκοντα ἔτη ἐν Ἀχερέμῳ διαλάμψαντα. Turpissimè hallucinatus homo exilis ac ieiunæ latinitatis in sensu vocabulorum *Hac Eremo*, per insignem vecordiam confusu & indistinctu legebat *Acheremo*, nomenque esse loci proprium existimabat. Tum paulo post hæc verba Cunctos in hac Eremo constitutos ita reddit πάντας τοὺς ἐν Ἀχερήμῳ πατέρας. *Cunctos*, inquit, *Patres in Acheremo commorantes.* Scripturæ verò sacræ authoritates verbis multò diuersis ab iis quæ in Bibliis Græcis leguntur profert. Hæc fere Petrus Ciaconius præfatione ad Lectorem Cassiani de multis pauca ne fastidium pareret; Nam vsque eò mendis ineptiisque differti sunt, vt passim lectione studiisque omnium regerantur.

CAPVT

CAPVT LX.

Illustratur Religiosa disciplina eorumdem præclaris Institutionibus & exemplis, & multum pietas publica promouetur.

1. PRæter elogia, quibus Patres virique sapientissimi Cassiani libros celebrarunt, sicut alias ostendimus, redundare etiam ingentem fructum ex illis ad disciplinæ religiosæ studiosos non modo exploratum habetur sapientum suffragio, sed ipsa quoque experientia vt quod olim in pari causa de se magnus Augustinus, hoc de Cassiano habita ratione confirmare liceat. *Ille nouit sub cuius oculis loquor, imo sub cuius oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quàm stimulari & angi quomodo viuant qui me laudant. Laudari autem à malè viuentibus nolo, abhorreo, detestor, dolori mihi est non voluptati. Laudari autem à bene viuentibus, si dicam nolo mentior. Si dicam volo, timeo ne sim inanitatis appetentior quam soliditatis. Ergo quid dicam nec plenè volo, nec plenè nolo: Non plenè volo ne in laude humana pericliter, non plenè nolo ne ingrati sint quibus prædico, quibus scribo.*

August. l. 50. homi. 25.

Faciunt omnino ad hanc rem, quæ à S. Benedicto præscripta sunt in regulis cap.73. *Collationes Patrum, & instituta, & vitæ illorum, & regula S. Patris nostri Basilij quid aliud sunt nisi benè viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum?* Propterea vt in quotidianis religiosæ familiæ consessibus perpetuò & accurate legerentur sancitum voluit cap.42. *Monachi omni tempore siue ieiunij siue prandij fuerit, mox vt surrexerint à cœna sedeant omnes in vnum & legat vnus Collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes.* Et paucis interpositis. *Si autem ieiunij dies fuerit dicta vespera paruo interuallo, mox accedant ad lectionem Collationum, vt diximus, & lectis quatuor aut quinque foliis vel quantum hora permittit omnibus in vnum occurrentibus, per hanc moram lectionis si quis fortè in assignato sibi commisso fuerit occupatus occurrat.* Sed & Rabanus ad caput 38. huius regulæ inter primarias leges à Benedictinis Monachis sedulo obseruandas ac notandas recenset vt, sicut B. Cassianus ait, reficientibus fratribus sanctæ lectiones legantur. S.Pachomij regula 7. ex Hieronymi interpretatione sic habet. *Manè per singulas domos finitis orationibus, non statim ad suas cellas reuertantur sed conferent inter se, quæ præpositos audierint disputantes, & tunc intrabunt cubilia sua. Disputatio autem à præpositis domorum per singulas hebdomadas tertio fiet.*

2. Eumdem quoque sensum insedisse plerisque aliis Monasteriorum conditoribus & instructoribus, produnt quæ ex variis Conciliorum decretis exhibent Iuo Carnotensis in sua Pannomia & Burchardus Episcopus Vuormatiensis, hic enim decretum profert ex capite 6. Concilij Moguntini sub Leone 3. Romano Pontifice & Carolo Magno Imperatore anno 813. *Sanctimoniales in Monasterio constitutæ omnibus diebus ad*

Iuo part. 7. cap 91. Burchar l. 8. Decretorum, cap. 77.

capitulum & ad Collationes veniant & regulam à sanctis illis Patribus constitutam diligenter obseruent. Id quod apud Iuonem ex 77. Canonum canone 59. Concilij Cabilonensis 2. æquè præcipitur. Nec dissimiliter à S. Gregorio Turonensi commemoratum video, cum agens de Pelagia matre S. Aredij. *Cœnobium*, inquit, *fundauit in quo non modo Cassiani verum etiam Basilij & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt celebrantur regulæ, beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante.* Fuisse tamen apud Cœnobitas Cassiano antiquiores, frequentissimum Collationum vsum constat ex Athanasio in vita S. Antonij, Palladio in Lausiaca, Theodoreto in historia religiosa, Basilio in regulis fusiùs disputatis, Hieronymo, Smaragdo Abbate, Isidoro in libris de summo bono, vbi de illarum ingenti fructu disertè & perspicuè multa tradit. Quin & ab ipsis sanctis Apostolis sumpsisse approbationis exordium demonstrat Aluares De Pas, siquidem Apostolus ad Galatas scribens sic ait. *Ascendi autem secundum reuelationem & contuli cum illis* nimirum cum Apostolis, *Euangelium.* Non ascendit ille ad discendum Euangelium quod antea ab ipso Christo immediatè didicerat vnde præmiserat. *Notum enim vobis facio fratres, Euangelium quod Euangelizatum est à me quia non est secundum hominem neque enim ego ab homine accepi illud neque didici sed per reuelationem Iesu Christi.* Sed ascendit conferre Euangelium, nam Collatio æqualium est, qua, de proposita quæstione singuli exponunt quid sentiant, vt dum in eodem sensu conueniunt, se magis ad bonum sectandum & malum fugiendum accendant, hæc igitur Pauli & aliorum Apostolorum Collatio in eum scopum à doctore gentium ordinata est, non vt aliquid noui disceret, sed ne in vanum curreret aut cucurrisset, id est sine fructu apud homines laborasset. Fidelibus enim suspecta esset eius doctrina, & merito, si à doctrina aliorum Ecclesiæ procerum dissentiret. Hinc autem vsus inoleuit inter spirituales viros, vt aliquando loco exhortationis, Collationem instituerint, qua vno interrogante & alij ad interrogationem respondentibus, & Prælato, quod sentiendum est, discernente, vniuersi in bono erudiantur, & ad omnem perfectionem excitentur.

Grego. Turo l. 10. hysto. Franc. c. 29.

Basi. in regu. c. 59. Hieron. Epist. 22. ad Eusto. Smaragdus in c. 40. regu. S. Benedic. Isido. l. 3. de summo bono cap. 14. De Pas to. 2. l. 3. par. 5. c. 4. Gala. 2. 2.

3. Sed in omnibus id proprium ac singulare habent Cassiani Collationes, quod primum literis consignatæ & in publicum editæ, religiosis Conuentibus conferendi inuicem, & colloquendi tum argumentum luculentissimum tum archetypam tabellam exhibeant, cuius æmulandæ studiosi deinceps, Dorotheus, Gregorius, Benedictus, Bernardus, Dominicus, aliique spiritualium rerum Magistri, ad summum artis fastigium compendio peruenerunt.

4. Regustemus verò paulò exquisitius collectas iam superiori capite proximo de Photij spinis, vvasne dixerim, & de tribulis ficus? Etsi enim nonnulla erroribus aspersa inseruerit citatis Μυριοβίβλου codicibus, non tamen adeo leuis momenti esse oportet, quæ ex ipsis afferri possunt testimonia, vt in Apparatu sacro monet Posseuinus, dum in iis etiam tot encomia & panegyricos legimus de sanctis Cœlestino, Leone, Gregorio,

gorio, aliisque Romanis Pontificibus, de maiestate Pontificia, deque Apostolicæ sedis authoritate & aliis eiusmodi eo efficacioribus futuris argumentis, quo sedi Apostolicæ ille fuit infensior, vt non tam hostium dona, quam spolia de ipsius manibus eripiamus. Plenè igitur & optimè de libris Cassiani scribit ad nostram mentem loco citato. Vtilissima verò, si quæ alia, hæc iis sunt pronuntiata, qui religiosam inire vitam cupiunt. Et verò tanta in iis vis inest ac quasi diuinitas, vt in hunc vsque diem si quis Monachorum Conuentus hac ex forma & hisce præceptionibus gubernetur, reuera tantispet floreat, cæterisque prælucens virtutum esse officina cernatur, cùm qui hæc repudiarit cœtus, quibusdam virtutum reliquiis instructus veluti in fluctibus iactetur, vel etiam naufragium faciat. Quare expedit nihil eorum quæ ibi traduntur contemnere, nam dominicæ hæc legis sunt & Euangelicæ disciplinæ expositio & explanatio. Cæterum sensibus ipsa quoque apud eum respondet elocutio vt quæ non perspicuitatem solùm afferat sed ea insuper sit facultate prædita, vt facilè ac sine vlla vi, hominum animis imprimatur, quin & eosdem peruadere atque ad institutum suum attrahere queat. Imo sapienter adeò sunt omnia & dextrè temperata atque efformata vt nec tropologiis liber secundus destituatur, sed multa contineat quæ demulceant, atque alliciant ac plura etiam quæ cum metum ac terrorem incutiant tum pœnitentiam commouendi vim habeant. Quæ quanto dictionis cultu & ornatu selecto dicta sint, quamque, gloriosa authori nostro, & ad honoris rationem affectu nihil attinet exponere. Breuiter sed egregiè Theophilus Raynaudus abstrusioris & exquisitæ literaturæ vir in suo Valeriano vbi ratam omnino habet Cassiani sanctitatem, valdéque commendat primùm ab eius scriptis quæ, inquit, *Christianæ perfectionis medullam* iure dixeris. Non plus aut aliter Iacobus Aluares De Pas vocans insignes Cassiani Collationes quæque non solum facundia illius obseruantissimi Eremitæ mentis legentium mirificè delectant & mouent, sed & omnium spiritus doctrinam continent. Vincentij Belouacensis elogia de Cassiani virtutibus aliàs deflorauimus, quibus ad singularem scriptorum eius commendationem ista subnectit. Certè huius opuscula multam ædificationem continent animarum, & luculento sermone nitescunt. Nec inter multa antiquorum opuscula quidquam ad spirituales profectus atque perfectionis apicem tendenti vtilius arbitror me legisse. Nam & B. Pater noster Dominicus, vt in eius vita legitur, librum illum qui Collationes Patrum inscribitur studiosè legens, ac vigilanter intelligens salutis in eo rimatus semitas magnum perfectionis apicem apprehendit. Agit siquidem liber iste de cordis puritate, de vitiis, & de omnium perfectione virtutum, cuius frequens lectio Christi discipulum ad multam cordis puritatem, & ad contemplationis arcem & totius spiritualis disciplinæ perfectionem, gratia opitulante prouexit.

Raynau. in Valeria. c. 3. num. 2.

De Pas cap. 4. cita.

Vincen. l. 20. specu. histo. §. 18.

5. Iam quod scriptis cæteroquin eruditione omniúmque commendatione celeberrimis, vtilitatis etiam exquisita & singularis quædam

ratio accedat, si virtutum præceptis non modo sensum aut recordationem, sed ipsam quoque lectoris mentem altè imbuerint, his verbis monstrat Hieronymus ad Demetriadem *Optimè vteris lectione diuina, si illam tibi adhibeas speculi vice, vt ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quæque corrigat vel pulchra plus ornet.* Id quod Dacrianus grauiter contestatur in Speculo Monachorum. Vtilitas tua singularis non in hoc sita est, & doctrinæ verba memoriæ commendes, sed vt doctrinæ verborumque effectus in te remaneat, id est vt tu ex doctrina puritatem interiorem, paratámque voluntatem adimplendi mandata diuina consequaris. De lectione itaque Cassiani, quàm multos non mediocriter iuuerit in spiritu, plurima & varia commemorantur. S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, vt scribit author vitæ eius, Ægyptiorum Monachorum vitas admirabiles legens, Institutionum simul atque Collationum spiritali Meditatione succensus, memoratas terras nauigio petere statuit, duabus videlicet ex causis, vt vel ibi deposito nomine Abbatis, sub regula viueret in humilitate, vel districtioris abstinentiæ legibus subderetur. De S. Dominico item legitur in eius vita apud Surium quod satagens perfectorum imitari vestigia, & ad virtutum fastigia contendere, librum illum qui Collationes Patrum inscribitur, studiosè legendum suscipiebat, dabátque operam vt lecta intelligentia comprehenderet, affectu sentiret, effectu exequeretur, didicit enim ex eo puritatem cordis, contemplationis viam, omniúmque virtutum perfectionem. Admirabilius fortè ac supra fidem scriptum videbitur ibidem de Thoma Aquinate & admirabilius quidem quo viri virtus & sapientia numeris omnibus absoluta eminebat magis. Fuit tamen hoc quoque in sancto viro memorabile, vt affirmat eius vitæ author, quod cum ei esset integrum, libenter solitus fuerit aliquid in Patrum Collationibus lectitare, ne rerum subtilium speculatione, affectus eius non nihil tepesceret, possétque se rursus facilius ad diuina contemplanda colligere & erigere. Et in hoc quidem S. Dominicum sectatus est, quem eius libri lectione constat magnopere fuisse delectatum, & ad magnam vitæ perfectionem incitatum atque promotum. Numerabat quoque in singularibus è cœlo delibatis iucunditatibus sanctissimus Patriarcha noster Ignatius, vnum aliquod caput ex Cassiani Collationibus legere interdum, tum alia deinceps vt necessitas vel infirmitas postularet De P. Ioanne Baptista Piscatore narrat Ceparius noster in vita B. Aloysij Gonzagæ quo tempore B. Aloysius Romæ in Quirinali in tyronum domo ad ædem D. Andreæ religionis suæ tyrocinium ponebat, administrabat eam domum & tyrones probabat P. Ioannes Baptista Piscator Nouariensis admirabili sanctitate vir, & in excellenti Philosophiæ Christianæ gradu positus, cui raræ cuiusdam virtutis ac bonitatis tot alumni atque in diuiniore vita filij, qui tanto magistro ac duce gloriantur, certum, testimonium tribuunt. Tum infra. *Obseruabat per quam studiosè præcepta religiosè viuendi, quæ à D. Basilio sunt tradita. Collationum Ioannis Cassiani Abbatis tanto studio ducebatur, vt eas prope totas memoria teneret. Incumbebat*

Hieron Epist. 1. ad Deut.

Dacria. to. 5. Biblioth.

Cepa. l2, c.4.

cumbebat verò toto animo, ad ea quæ à veteribus illis Patribus sanctitate conspicuis præcepta esse legebat, factis singillatim persequenda.

6. Cæteros non est animus vel illos recensere etiam nominatissimos viros tam veteres quam recentiores, qui authoris huius lectione mirificè recreati in eius præceptionibus, institutis, & Collationibus perdiscendis & ad vsum appicandis omne suum studium collocauerunt: vel fructus multiplices, qui magna copia inde exorti sunt dinumerare. Verbulo dixerim, tot fuisse ectypa perfectionis ex hoc prototypo quot prodiere viri sanctitate ac doctrina conspicui ex antiquissimo ac celeberrimo Monasterio Massiliensi, quod ipse fundauit, & in quo instituendo ac regendo vt scitè loquitur Hieronymus Platus, *non est dubitandum quin re ipsa explicarit quæcumque ex Sanctorum Patrum congressu ac sermone scriptis mandauerat, quæ scripta quantam perfectionem complectantur, notum est omnibus.*

Platus l. 2. de bono status relig. c. 15.

CAPVT LXI.

Collationes publicatæ, Massiliæ primùm, tum alibi diuersis temporibus, ingentes animorum excitant motus.

1. QVia non amicorum studio duntaxat, sed in Academiarum præcipuè gratiam, Latinum exercuerat stylum in suis libellis aureis Cassianus, ipsumque scriptionis genus eruditum ac pium lectorem postulabat, facilè vel ipsa authoris iam inclyta fama vel curiosæ lectionis cupiditate prouisum est, vt eorum quamplurima exemplaria scholis Massiliensibus inferrentur, adeo celeriter extulerat se Cassiani nomen, omnium penè Academicorum tum oculis lectioni intentis, tum animis doctrinæ admiratione suspensis, vt cogitare quis posset hominem qui ita supra cæteros emineret criminationibus, atque inuidia maiorem esse. Attamen vt semper suspicio est, cuius afflatus tentat vt plurimum, afficitque indiscriminatim omnes, neque, sit hactenus vlli concessum, sedatis fluctibus, ventis, procellis, turbinibus inter æmulorum fulmina & tonitrua honori velisicari suo, percrebuit etiam, & audita est Cassiani detrectare laudes, & corrumpere gloriam, quam pro meritus erat occasione Collationum, quas plerique suspectas atque inuisas habere ceperunt. Fauit opinioni temporis opportunitas, fortè enim accedit, vt quo tempore libellus Cassiani editus est, à Pelagianis in dicendi controuersiam aut disceptationem vocaretur Augustini doctrina, *De vocatione & pœnitentia electorum, deque gratia præueniente* & aliis eiusmodi. Quomodo enim Augustinus tunc temporis Pelagianos detriuerit, & quantum Ecclesiæ Orthodoxæ profuerit, narrat Possidius Calamensis Episcopus ipsius discipulus in eius vita capite 18. *Aduersus Pelagianistas quoque, nouos nostrorum temporum hæreticos & disputatores callidos, arte magis subtili noxia scribentes, & vbicumque poterant publicè*

blicè & per domos loquentes, per annos fermè decem laborauit, librorum multa condens & edens, & in Ecclesia populis ex eodem errore frequentissimè disputans, & quoniam iidem peruersi sedi Apostolicæ, per suam ambitionem eandem perfidiam persuadere conabantur, instantissimè etiam Conciliis Aphricanis Sanctorum Episcoporum gestum est, vt sancto Papæ vrbis Romæ, & prius vt. Venerabili Innocentio, & postea sancto Zozimo eius successori persuaderetur, quàm illa secta à Catholica fide abominanda & damnanda fuisset. At illi tantæ sedis Antistites suis diuersis temporibus eosdem notantes atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Aphricanas Orientis & Occidentis Ecclesias, eos Anathematizandos, & deuitandos ab omnibus Catholicis censuerint; & hoc tale de illis Ecclesiæ Catholicæ prolatum iudicium etiam piissimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere constituit. Vnde nonnulli de eis ad sanctæ Matris Ecclesiæ gremium vnde resilierant redierunt, & adhuc alij redeunt, innotescente & praualescente aduersus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate. Et erat ille memorabilis vir Augustinus præcipuum Dominici corporis membrum, circa vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem sollicitus semper ac peruigil. Est Augustini Epistola ad Innocentium 90. & sequentes.

Spondanus an. 418.n.3. August.Epist. 105.

2. Primùm tamen aduersus eosdem hæreticos, postquam Zozimi sententia damnati sunt, palam inclamauit Anathema Sixtus Romanus Presbyter, qui postea Pontifex Cœlestino successit. Quod S. Augustinus in Epistola ad ipsum reddita ea de causa factum ab eo docet vt dilueret calumniam quam iidem more suo mentientes sparsissent, quod ille ipsis faueret. Eundémque ad sui purgationem adiecisse, vt aduersus eosdem Commentarium scripserit idem Augustinus testatur. Sed & cum iam vbique locorum sparsis per Christianum orbem eiusdem Pontificis aduersus eosdem scriptis literis, Sacrorum & ciuilis congressus iure multarentur qui in errore obstinatiori animo remanserunt: exulcerati inuidia, nec habentes quid iam detecti facere possent, ad calumnias concinnandas stylum exercuerunt, præstititque id imprimis, qui post Pelagium atque Cælestinum sectæ illius habebatur Antesignanus Iulianus Episcopus Capuanus, qui patrocinium hæresis & hæreticorum suscipiens, pro ipsis aduersus Orthodoxos quatuor libros edidit, atque duas Epistolas, quarum alteram Romam misit, alteram nomine decem & octo Episcoporum scripsit ad Episcopum Thessalonicensem. Meminit S. Augustinus ad Bonifacium contra Pelagianos lib.1.c.1.& 5.

August.Epist. 104.

3. Fuit hic Iulianus honesto loco natus, patre Memorio Episcopo cui cum Augustino magna intercesserat necessitudo, de eo enim hæc ipse. *Ego certè beatæ memoriæ Memorij patris tui non immemor, qui mecum non paruam inierat amicitiam, colloquium literarum, teque ipsum mihi carissimum fecerat cum te viderem in libris tuis non antelucano conuiuio temulentum sed insano conuicio turbulentum introduxi te sedandum atque sanandum non in alicuius Philosophi auditorium sed in Sanctorum Patrum pacificum honorandúmque conuentum.* Videtur autem Memorius fuisse

Baron.419.

Capuanus

Capuanus Episcopus, atque filium suum eidem Ecclesiæ mancipatum Diaconum ordinasse, quem non sacris vt par erat sed sæcularibus imbuendum curauerat disciplinis; quo nomine quasi reprehendere ac sub accusare ipsum videtur Augustinus in Epistola 131. ad eumdem Memorium data, vbi pluribus disserit, liberales disciplinas non esse eas quæ vulgo ita dici consueuerunt, sed tantùm quas docuit Christus suos imprimis Apostolos: petierat enim Memorius pro Iuliano sex libros ab eodem Augustino scriptos olim de Rhytmo, tum ad finem Epistolæ de Iuliano hæc habet. *Quem quidem non audeo dicere plus amo quam te, quia nec veraciter dico, sed tamen audeo dicere, plus desidero quam te. Mirum videri potest quemadmodum quem pariter amo amplius desiderem: sed hoc mihi facit spes amplior videndi eum, puto enim quod si ad nos te iubente vel mittente venerit, & hoc facies quod adolescentem decet maximè, quia nondum curis maioribus detinetur & te ipsum mihi expeditius apportabit.* Hic igitur adhuc iuuenis sede auctus nobili, nempe Capuana, vt tradit Gennadius (sed Prosper vocat Atellanensem, ab oppido inter Capuam & Neapolim sito, fortè à patria, vel quod postea, sedem mutauerit) fastu tumidus literarumque sæcularium inflatus superbia, erumpens in maledicta, eo modo sanctissimum senem, Augustinum ipsius amantissimum scriptis exagitauit, primúmque omnium quatuor libros scripsit aduersus eiusdem sancti Commentarium De nuptiis & concupiscentia, quem contrariis sex libris Augustinus redarguit sic exorsus. *Contumelias tuas & verba maledica, Iuliane, quæ ardens iracundia libris quatuor anhelasti, si me contemnere dixero mentiar*; sed rursum Iulianus, cum duorum librorum numero se ab Augustino superatum esse videret (quippe quoniam aduersus suos quatuor ab eo sex editi fuerant) ipse aduersus hos sex, conscripsit octo, eodem numero quo fuerat superatus, ipse superare conatus Augustinum, perinde ac non de veritate Catholica cuius essent potiora iura, sed de librorum numero altercatio esset.

4. Inde pestis ac pernicies aliquantulum remorata, serpere atque progredi longius cœpit, nec vnum duntaxat vel alterum aduersarium, sed ipsos plures, ac plurimis armis, diuersis in locis armauit, contra Augustinum. Primum enim Galliarum quidam Presbyteri, quod iam certamen Augustino viuente aggressi fuerant, eo mortuo acrius instaurarunt, quindecim scribentes obiectiones, aduersus eos quos in Pelagianos S. Augustinus scripserat commentarios. Rursus verò Vincentius quidam, rem priuatim agens sexdecim in eosdem proposuit obiectiones. Insuper & Camillus & Theodorus Presbyteri Genuenses decem dubia obiecere.

5. Huius opportunitate disceptationis fortè vsus Cassianus cùm in Collationibus ac præsertim Collatione 13. de liberi arbitrij viribus & diuini adiutorij necessitate passim aliqua iactasset, quæ refellere & coarguere Augustini doctrinam *De gratia*, aduersúsque eam Pelagianismum inferre viderentur, diuersi animorum motus (vt cuique studia partium, vel expers à studiis erat animus) excitati Massiliæ, Pars in

Cassianum vocem ac stylum acuere : hi erant, tum ij qui doctrinam Augustini mordicus amplexi, fidei legibus ac moribus à Christo Domino semel institutis orbe vniuerso iuncti fœderatique censebantur ; tum ij qui cum magistros, Theologiæ agerent, tanto fauore excipi, quibus ipsi aduersarentur intensius, molestissimè ferebant; pars qui alieni ab recto Augustini dogmate infœlici Pelagianorum saxo ad quod naufragio fidei facto inhærebant, vel aperta simplicitate causam tam constanter defendi suam existimabant ; Pars ridere vana huius opinionis commenta, fœliciterque elusas artes prædicare, & erant hi ex eo hominum genere qui quasi spectatores otiosi paratique disputationum argustias & vrbanitates non momenta probare, nulli sermo non magno negotio non intersunt. Alij quibus ambiguus religionis animus erat, rem secum taciti voluere, vel in cœtibus Academicis inter discrimina probandæ eruditionis exquirere atque agitare. Omnes denique Collationum, quarum laudes breui cognitæ vulgatæque sunt, lectionem flagitare. Neque aut captu facilè, aut dictu promptum est, quantum hi commentarij nomen Cassiano, quantam ordini famam, quantam religiosæ disciplinæ robur adiunxerint.

CAPVT LXII.

An ille idem qui à suo fonte fluxit, Cassianus doctrina integer ac litura purus ad nos vsque peruenerit.

1. ET hinc via vtcumque aperitur, per quam accuratè dispiciamus & perspicuum fiat, iure ne an iniuria liber quem proponimus improbatus ante hac sit, aut in suspicionem vocatus : sunt enim qui existiment standum non esse Cassiani, qui nunc vulgatur Codicis testimonio & authoritati, quoniam immissi olim cum falcibus multi, tot ac tam iteratis cæsionibus purgarunt & aperuerunt omnem eius vbertatem, & quasi syluam dicendi, vt mutila quædam & hiantia potius nunc loqui videatur, quam plenè cumulatéque perfecta.

2. Primus, Cassiani librum, quem in manibus habemus, de natiuo declinasse statu suo, genúsque sermonis fusum aliàs & profluens nunc censoriis iudiciis ac notationibus exilè aridum, concisum, minutum & fractum esse docuit Baronius anno 433. *Falli*, inquit, *certo scias, qui ex eo, qui præ manibus habetur Collationum liber Cassiani, defendunt ipsum fuisse omni ex parte Catholicum, vt videre potes in appendice ad Cassianum Romæ editum; perinde atque siquis cum aliquem videat esse sanum, ex eo nunquam antea ægrotasse velit asserere. Morbosum quidem olim fuisse volumen illud, ex medicorum in eo impensa diutius arte certo certius intelligere potes, nisi libeat auscultare Gennadium æque Pelagianum. Cassianum excusantem, Prosperum verò damnantem his verbis. Legi & librum Prosperi aduersus opuscula Cassiani, sub persona Collatoris quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociua quæ enim vera Cassiani & Prosperi de gratia & libero*

libero arbitrio sententiæ fuerunt, in aliquibus sibi contrariæ inueniuntur, hic etiam Prosper post obitum Beati Augustini librorum eius, contra hæreticos inimicos gratiæ Christi, defensor extitit; Hæc quidem Gennadius, sed dum Prosperum damnat, absoluit, & dum Cassianum absoluit, damnat. Etenim si Prosper impugnat Cassianum & defendit Augustinum planè refragante illi S. Augustino Cassianum condemnat, & defendentem Augustinum S. Prosperum absoluit, Quibus similia refert Rosuueydus in vitis patrum Prolego. 6. vbi de Eucherio habet ista. *Quid si Eucherius huius quod hoc libro quarto damus compendij est author, cum & scalpello vsum & forcipè nunc venam incidendo, noxiumque sanguinem extrahendo, nunc luxurians capillitium circumcidendo merito dixeris. Nam ita sanus, ita concisus, hic Cassianus est, vt nullo Pelagianæ præsidentiæ nimio feruore vena micet nullis prolixitatis cincinnis exuberet fastidiosa facundia.* Tum infra de Victore Martyritano Episcopo, ex Cassiodoro. *Nisi quædam addiderit iis quæ purgauit, scilicet Cassiani dicta, id est Antidotum contra veneni intimationem, quod scriptis suis passim inserebat Cassianus apposuerit.*

Cassiodorus lib. diuin. Institut. c.29

3. Verùm hanc singularem prorsus ac recens excogitatam sententiam argumentis aut nullis probabilibus aut tantummodò coniectura ductis confirmant ad suspicandum. Non est igitur, cur à communi ac recepta iam ab omnibus longè ac retro superioribus sæculis opinione, de Cassiani scriptis ad hanc vsque ætatem seruatis illæsis discedamus, quam omnino certam esse non rationibus solùm conuincitur, sed experimento etiam compertum est 1. enim conspirat consentiens in hoc editionum omnium & exemplarium continuata successio, quæ successionis regula, vt Augustino placet, contra Faustum in sacris libris diiudicandis tum in dignoscendis etiam sæcularium scripturarum authoribus seruari solet. *Vndè*, inquit, *constat eos qui nunc habentur Hippocratis nobilissimi Medici esse libros, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore vsque ad hoc tempus successionis series ita commendauit, vt de his dubitare dementis sit? Platonis item, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorúmque eiusmodi authorum libros, vnde nouerunt homines, quod ipsorum sint nisi ex eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Quare si quæratur à nobis vnde sciamus Apostolorum esse istas literas breuiter respondemus, ex fundatissima Ecclesiæ attestatione, à temporibus Apostolorum vsque ad hæc tempora certis successionibus producta, quæ nouum testamentum ab Apostolis & Euangelistis, scriptum semper credidit & credendum proposuit.* Deinde, quòd domestica natiuaque Cassiani, versa non sint mutataque in aliena, eadem semper & in eumdem modum continuata eius in scholis ac disciplinis lectio manifestè conuincit; quo argumento idem S. Augustinus in libro, De vtilitate credendi vtitur contra Faustum & Manichæos. *Nouum testamentum nec à Christo scriptum fuisse nec ab eius Apostolis sed longo post tempore à quibusdam incerti nominis viris, qui ne sibi non haberetur fides scribentibus quæ nescirent, partim Apostolorum nomina partim eorum qui Apostolos sequuti viderentur scriptorum suorum frontibus indiderunt asseuerantes secundum eos scripsisse*

Aug. lib. 33. contra Faustum cap. 6.

August. c. 3. *quæ scripserint. At nullis*, inquit, *Augustinus, in tam recenti memoria extantibus exemplaribus conuinci potest, diuinas scripturas esse falsatas. Nam si de nouo testamento loquamur eodem modo citant & legunt Ireneus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus atque alij Patres, qui per temporum sibi inuicem succedentium seriem in Ecclesia secuti sunt, simul autem omnes istos fuisse deceptos atque vna cum his vniuersam Ecclesiæ Catholicæ successionem per tot annos fuisse delusam vt pro incontaminatis, corrupta falsataque legerit, quis vmquam nisi ex toto impius dixerit.*

4. Similiter, quod ad libros Cassiani spectat de Prospero quisquam ne dubitare possit, quin authorem adhuc superstitem prouocaturus, in certamen, fidelissimos codices & autographo simillimos legendos susceperit? quos ab iis ipsis, qui nunc promulgantur, non modo non vniuersa re ac tota sententia, sed ne verbulo quidem dissentire facilè cognosces, qui textus Collationis 13. à Prospero citatos & suffixos, cùm nostris, & cum aliis quotquot extiterunt, conferat; & quid in vtramque partem afferri possit discriminis, curiosè peruestigarit. Præterea si cuique pro suo sensu liceat ex scriptorum monimentis vel probare vel tanquam adulterinum reiicere, omnis penè fides ac scripturæ diuinæ humanæque authoritas euanescit, sicut enim de vno vel altero corrupto loco, æquè ac de aliis, & de toto opere suspicari licebit: cùm nulla sit potior ratio cur istam magis quàm illam immutatum seruari oportuerit; Vnde Augustinus absurditatis huius ignominiam Manichæis obiiciens. August. l. 32. contra Faustũ cap. 19. *Videtis ergo*, inquit, *id nos agere vt omnis de medio scripturarum auferatur authoritas, & suus cuique animus author sit, quid in quacunque scriptura probet quid improbet. Id est vt non authoritati scripturarum subiiciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subiiciat: non vt ideo illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur, sed ideo rectè scriptum videatur quia hoc illi placuit.* Num in iis reficiendus magis atque in meliorem frugem restituendus fuisset Cassianus in quibus erroris suspectus vitium fecisse videbatur? hoc enim quam iniquè comparatum esset, quod in curatione corporis, si quæ inscij imperitique Medici conscripsissent pro salutaribus mortifera, aut aliquam partem ex illa salubritate purissimæ ornatissimæque dictionis, quasi sanitatem temerè atque iniuriosè perdidissent? Atqui errores omnis veteris Cassiani, iis quæ extant eius operibus contineri docent quæ in collationibus reprehendit Prosper, haberturque etiamnum apud Cassianum nostrum. Vnde igitur aut quomodo versa & mutata in meliorem partem sunt omnia? his fauet vindiciis nostris Raynaudus in suo Valeriano. *Vt displiceat*, inquit, *quod Cardinalis Baronius anno Christi 433. affirmat nempe nunc quidem sanum esse Cassianum, olim tamen priusquam Eucherij Lugdunensis & Victoris Martyritani ac Cassiodori labore purgaretur, iis refectis quæ cum Ecclesia Catholica doctrina non cohærebant, morbosum extitisse. Hoc reiicio, cùm extent, vt dixi, etiamnum apud Cassianum quæ Prosper ex eo verbatim retulit, atque confixit.* Dicere autem quod in ea Collatione asseritur, quam sugillat Prosper morbidum esse duntaxat, quæ verò alibi ab eodem authore tradebantur,

debantur, ab aliis deinceps purgata & interpolata fuisse, diuinare est vel potius affectatæ suspicionis tenebras gratis offundere.

CAPVT LXIII.

An aliquos habuerit Cassianus beneuolos & benignos interpretes ac defensores.

1. ETsi hactenus inter Theologos minimè defuerunt, qui sententiam Chrysostomi & aliorum Græcorum Patrum defendere conarentur, vt animaduertunt Sixtus Senensis lib.5. Annotat.101. Toletus in cap.6. Ioann. num.20. Vasques in 1. par. Tom.1. Disputat.91. cap.8. num.44. & Disput.89. cap.4. Braduuardinus lib.2. de causa Dei cap.31. Ammianus præfatio. in homi. Chrysostomi super Matthæum nonnulli tamen cautius loquuti opinionem tueri ausi non sunt, sed Patres atque inter eos Cassianum in bonum sensum interpretantur, quorum nomina & defensiones, præsertim pro Cassiano, vt veritas magis elucescat, in his postremis capitibus breuiter referemus. Non proferam quoscumque possem, sed qui scientia & sanctitate præstant, iuxta sententiam Augustini qui cum dixisset humanam authoritatem plerumque falli, subiungit. *In iis tamen videtur excellere, qui quantum imperitorum sensus capit, multa dant indicia doctrinarum suarum, & non aliter viuunt, quàm viuendum esse præcipiunt.*

August.lib.2. de ordi.c.9.

2. Primum igitur liquidissimè constat de Gennadio Episcopo Massiliensi, quemadmodum in lib. *De viris illustribus*, quem paulo post illa tempora scripsit, agens de Cassiano, scripta eius commemorat & omnia consensu ita vehementer approbat, vt eorum defensionem aduersus viros alioqui multis præclarisque monumentis ad omnem memoriam sibi commendatissimos, authoritate tueatur. *Prosper*, inquit, *homo Aquitanicæ regionis, sermone scholasticus & assertionibus neruosus, multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nomini eius prætitulata legi*, &c. *Legi & librum aduersus opuscula suppresso nomine Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat ille infamat nociua. Re enim vera Cassiani & Prosperi De gratia Dei & libero arbitrio sententiæ in aliquibus sibi inueniuntur contrariæ.* Nec vero potest aut debet, tanto cum fastidio Gennadij authoritas declinari, admittendo eius lapsum. Nam Adrianus Papa Episto. 3. ad Carolum Regem de ipso perhonorificè loquitur, testémque producit, & cum laude tanquam scriptorem vsquequaque Catholicum allegat in suæ causæ præsidium, pro veneratione reliquiarum sanctarum, vbi etiam Pontifex titulo sanctitatis eumdem honestat. Vnde Colligit Suarez Gennadium nunquam fuisse Pelagianum, quia si fuisset hæreticus, etiam si resipuisset, non tanto honore ab Adriano Papa ad fidei dogma confirmandum allegaretur. Fieri ergo potuit vt ea quæ de Cassiano & Fausto scripsit, non per errorem in doctrina sed per ignorantiam facti dixerit.

Suarez in opere Triparti. de gratia. Prologo. 5. cap.5.n.35.

quia in bono sensu illorum sententias & loquendi modos interpretatus est. Cùm enim nunc aliqui Catholici id facere tentauerint, & non propterea in hæresis suspicionem veniant, quid mirum quod idem potuerit Gennadio accidere?

3. Indubiéque eadem mens fuit Eucherij Lugdunensis Episcopi & summa cum Cassiano nostro, vt supra docuimus, familiaritate coniuncti, de quo item Gennadius ibidem. *Sed & Cassiani quædam opuscula lato tensa sermone idem Eucherius angusto verbi resoluens tramite, in vnum collegit volumen.* Et Petrus Damianus. *Quod si vobis dubium videtur, saltem vestrarum partium testimonio aurem accommodate, legite Collationes Patrum quas Eucherius Lugdunensis Episcopus elimato sermone abbreuiare studuit, & si nobis credere non vultis, saltem illius literæ credite.* Sermonem autem abbreuiare vel in pauca contrahere non est expurgare aut incidere, noxiaque extrahere, vt aliqui perperam interpretantur. Sed quemadmodum ex Antonio ipse idem Cassianus Monachum docens, quibus modis aut quibus viis religio alienis nos exemplis informet & ad virtutem erudiat. *Vetus, inquit, & D. Antonij admirabilisque sententia Monachum qui post Cœnobiale propositum fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere, & apprehenso discretionis examinè proprio iam potens est stare iudicio, atque ad arcem Anachoreseos peruenire, minimè debere ab vno quamuis summo vniuersa genera virtutum expetere. Alius enim scientiæ floribus exornatur, alter discretionis ratione robustius communitur, alter patientiæ grauitate fundatur, alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur, alius simplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis, ille misericordia, iste vigiliarum, hic taciturnitatis, ille laboris studio supereminet cæteros. Et idcirco Monachum spiritalia mella condere cupientem velut apem prudentissimam debere vnamquamque virtutem ab iis qui eam familiarius possident deflorare, & in sui pectoris vase diligenter recondere.* Quod ergo in variis multiplicibúsque exemplis illi, hoc ab Eucherio in Cassiani scriptis amplissimis, vt ipsa abbreuiando ac deflorando sibi spiritualia quasi mella conderet, elaboratum affirmant, Gennadius & Petrus Damianus.

Damia. lib. 5. Epist. 19.

Cassian. lib. 5 Institu. cap. 4.

4. Ioannes Dominici Florentinus Ordinis Prædicatorum vir ita viuido ingenio vt S. Antoninus qui fuit ipsius discipulus & auditor testatus sit eum in nulla scientia velut alterum Augustinum nullum alium habuisse doctorem, Archiepiscopus Rhagusæus & Cardinalis titulo S. Sixti à Gregorio 12. creatus, ac postremo plenus dierum missus Legatus in Hungariam ad Sigismundum Imperatorem, Budæ obiit, sanctitate ac miraculis clarus, scripsit librum qui *Amor charitatis* intitulatur, vt refert Antoninus, vbi Cassianum excusat, eiúsque sermonem ad sensum & intelligentiam peritorum moueri posse contendit.

Antoni. histo. part. 1. tit. 23. cap. 11.

5. S. Antoninus apertè palamque asserit dicta Cassiani posse saluari, si intelligenter audiatur & attentè. De libro enim Collationum in laudem multa præfatus demum ista subiicit. *Verum dicitur ille liber numerari inter Apocryphos distinct. 15. sancta Romana, ibi dum dicitur Opuscula Cassiani Presbyteri Galliarum Apocrypha. Quod fortè ideo est quia Prosper,* cuius

Idem part. 2. tit. 10. c. 10. §. 2.

cuius doctrina est approbata ab Ecclesia in dicto Capitulo, & post eum etiam Cassiodorus arguunt ipsum asserentes, non Catholicè scripsisse de libero arbitrio & gratia, plusque attribuisse libero arbitrio minúsve gratiæ, quam conueniat, in Collatione videlicet prima Moysis & illa Chæremonis, De protectione Dei in qua tamen aliqui vt Dominus Ioannes Dominici in libro qui intitulatur Amor charitatis excusant eum dicentes dicta eius posse saluari, si sanè & maturè intelligantur, & non eo modo quo Prosper & alij ea exponunt, nimis cursiuè & superficialiter intelligentes. Recurrunt argumenta Ludouici Blosij aduersus Ekium, in Apologia ac defensione Tauleri. *Taulerus,* inquit, *Catholicæ fidei cultor integerrimus, ea quæ scripsit, sana & planè diuina sunt, vt cognoscere possunt qui in illis sunt versati. Sed Ekius ardore Ecclesiæ succensus indignè tulit, quod Lutherus magnificè laudaret Taulerum, & sententiis suis praua dogmata confirmare niteretur.* Et infra. *Ekius non putans se falli dicit. Vtinam Taulerus prorsus lateret, & non inuolaret in Monasteria. Ego vero in nomine Domini dico. Vtinam Taulerus vbique gentium cognitus esset, atque à compluribus diligentissimè legeretur. Verùm Ekius licet minus circumspectè damnauerit Taulerum nondum à se studiosè lectum, nequaquam tamen malignè fecisse credendus est, sed feruens ille zelus quo inuehebatur in Luterum, facilè illi persuasit vt præproperè iniquam de sanctissimo viro Taulero sententiam ferret.*

6. Vincentium quoque Bellouacensem Episcopum natione Burgundum Gallum ex ordine Prædicatorum ibidem allegat Antoninus, qui enexplicabili discendi ac legendi scribendique ardore captus, ac nullis vnquam studiorum laboribus vigiliisque fessus, cùm omnes penè omnium gentium libros longo tempore & assidua diligentia reuoluisset, doctrinæ Cassiani tanquam sinceræ & vndequaque erroribus liberæ, si benè intelligatur, locuples testimonium perhibet his verbis. *Certè huius opuscula multam ædificationem continent animarum & luculento sermone nitescunt. Nec inter multa antiquorum opuscula quidquam ad spiritales profectus atque perfectionis apicem tendenti vtilius arbitror me legisse. Nam & B. Pater noster Dominicus, vt in eius vita legitur, librum illum qui Collationes Patrum inscribitur studiosè legens ac vigilanter intelligens, salutis in eo rimatus semitas magnum perfectionis apicem apprehendit. Agit siquidem liber iste de cordis puritate, de vitiis & de omnium perfectione virtutum, cuius frequens lectio Christi discipulum ad multam cordis puritatem & ad contemplationis arcem & totius spiritualis disciplinæ perfectionem, gratia opitulante prouenit.*

Vincentius lib. 20. Specu. histor. cap. 18.

7. Franciscus Toletus Cardinalis magnis ingenij dotibus vt solida doctrina & perspicuitate præstans, qui cùm viginti totos annos Romæ in Pontificio palatio coram sex Pontificibus continenter fuisset concionatus, à Clemente VIII. in numerum Cardinalium adscitus, triennio eo munere functus decessit è vita. Viuens commentarios in Ioannis Euangelium edidit anno 1588. in quibus Cassiani doctrinam interpretatur, & alios, quorum sententiam tuetur ipse Cassianus, Græcorum Patrum nomine compellat. *Est autem,* inquit, *hæc doctrina (scilicet Cassiani) non istorum*

Toletus in cap. 6. Ioánis.

istorum tantum sed aliorum Doctorum maximè Græcorum qui libero arbitrio humano multum tribuebant, nondum Pelagiana heresi grassante, hoc est nondum per definitionem Concilij Arausicani 2. proscripto errore, ac veritate Catholica constabilita, maximè Chrysostomi temporibus.

8. Henricus Cuychius Ruremondensis Episcopus, cum geminas scripsisset orationes Panegyricas, priorem de vitandis & proscribendis è Republica libris perniciosis, posteriorem aduersus Politicos, tamen Cassiani nostri opera scholiis illustrata edidit, quorum etsi aliqua obscuriora loca & ob Prosperi impugnationem & Gelasij Decretum erroribus respersa esse fateatur, tamen absque Cassiani labe, quem ait retulisse tantùm non etiam approbasse Abbatis Chæremonis sententiam. Sic enim in suas censorias Notas præfatur, & difficultatem propositam expediens ait. *Non est apud me dubium, beneuole & candide Lector, qui studium hoc & labor, quem in D. Ioanne Cassiano illustrando & veterum Codicum authoritate ab innumeris mendis quæ vel scriptorum & typographorum incuria vel alias ob causas irrepserunt repurgando recognoscendoque exhaustanimus, apud complures qui authorem hunc nostrum hereticæ labis insimulant improbabitur. Nam & Gelasius Pontifex Distinct. 15. Cap. sancta Romana, Ioannis Cassiani opuscula inter Apocrypha numerat, & B. Prosper contra 13. Collationem quæ Pelagianæ hæreseos reliquiis penè tota respersa est libellum edidit, cui titulum inscripsit, Contra Collatorem. Verum sicut negari non potest obscuriora aliquot loca & errores tam in ista tertia decima quam in plerisque aliis Collationibus inueniri, quos nos ad calcem totius operis adnotauimus, & ne imprudens Lector in eos impingeret, Censorias notas ac veluti antidota & amuleta quædam subiecimus: ita constanter affirmamus hos tam ipsi Cassiano quam Collatoribus, quos ille ita opinatos fuisse scribit, imputandos esse.* Alios autem Cassiani libros errore liberos contendit, & sicubi Cassianus contrarium videtur tradere, interpretatur id Cuychius de bona voluntate per gratiam excitata, & præcedente vberiora auxilia eaque vtcumque promerente.

9. Antonius Posseuinus Cuychij sententiam sequutus in Bibliotheca V. *Ioannes Cassianus* excusare videtur eumdem Cassianum, eo quod non ex proprio sensu scripsisse arbitretur sed Chæremonis doctrinam retulisse, præsertim, inquit, cùm Cassianus iis de gratia & libero arbitrio locis adeo pugnantia secum proferat, vt ex Pelagianorum potius disputationibus quorum sententiam refert, quam ex suo sensu deprompta esse videantur, quod ipse alicubi admonere videtur.

10. Aloysius Lippomanus Patritius Venetus, qui postea Veronensis Episcopus fuit, collegit vitas sanctorum octo tomis comprehensas, quarum maxima pars inserta est operibus Laurentij Surij Carthusiani, vbi præfatus ante excerpta è Cassiano, affirmat Cassiani opuscula tantum prohibita esse ob vnam potissimum Collationem 13. Abbatis Chæremonis De protectione Dei, quod ex B. Prospero colligere est, libello contra Collatorem, in quo hominem hunc notat De gratia Dei & libero arbitrio quædam temerariè ac contra sanctæ Ecclesiæ definitiones sentientem

tientem, locum iam citatum adducens. Cuius etiam sententiæ fuisse videtur Ioannes Trithemius. Quod vt quis credat facilius, adduci is potest præclarorum virorum authoritate miræ cum eruditionis tum sanctitatis, qui Cassiani opera & legerunt intrepidè & ad scriptorum suorum fidem confirmandam adduxerunt, in medium atque suis etiam discipulis legenda mandauerunt. Ex his D. Benedictus, Cassiodorus, Climachus, Bernardus, D. Dominicus, D. Thomas Aquinas, aliique non pauci. Adde quod in his sanctorum vitis, non de Ecclesiasticis dogmatibus fiat disputatio, sed de iustorum moribus, conuersatione, & exemplis tantum agatur. Igitur qua in parte bonus est, admissus fuit, in qua malus (ea autem est supradicta Collatio De protectione Dei) reiectus est. Sic & de Origenis libris fecisse videtur sancta mater Ecclesia nam explosis περὶ ἀρχῶν, & aliis nonnullis eiusdem opusculis, Cætera sine offensione legi videmus & audimus, & quod magis mirere contra hæreticorum insanias adducere non veremur. Ita Lipomanus.

11. Confirmat quoque eamdem assertionem Heribertus Rosuueydus, & ad authoritatem Lippomani eiusque responsi veritatem defendendam conspirasse videtur Prolegome. 15. in Vitas Patrum. Sed quia doctrina illius Collatio. 13. quam duntaxat suffigit, vterque consonat cum doctrina eiusdem Cassiani, in libris De Institu. renuntiantium, & vtrobique eodem loquendi modo semper vtitur, quod gratia adiuuet conatus nostros. Quo etiam vtitur in Præfatione ad 10. primas Collationes, & in Præfatione ad 7. sequentes ait se ideo scribere, vt illis ea quæ de perfectione in præteritis opusculis obscurius forsitan erant comprehensa vel prætermissa suppleantur. Proinde quam benignam interpretationem adductis locis ex Institutionum aut aliarum Collationum Commentariis Lippomanus & Rosuueydus concedent, eamdem similibus aliis locis apud Chæremonem Abbatem in Collat. 13. negare non foret æquum.

12. Petrus Ciaconius Obseruationes edidit in Cassianum quibus facem præfert ad dispiciendum, quid in eius scriptis & quo sensu respui debeat, quid autem piam recipere possit interpretationem. Loca igitur omnia quæ Semipelagianismum subolere visa vndecim propositionibus comprehendit, eaque purgat à crimine, eo quod Cassianus astruat tantum naturale aliquod meritum remotum, siue naturalem dispositionem remotam ad gratiam sanctificantem, non autem proximam dispositionem quam solam Ciaconius cum errore ac hæresi admitti censere videtur.

13. Alexander Pesantius in Errore 3. nempe hominem viribus naturæ posse habere actum fidei, non tamen opera meritoria. Eumdem, inquit, errorem habere videtur Cassianus, verum tamen est, quod multæ propositiones Cassiani reducuntur ad bonum sensum, vt videre est apud Cassianum Romæ editum.

Pesantius 1. par. quæst. 23. articu. 5 disp. 2.

14. Ioannes Maldonatus in Cap. Lucæ 24. dum inter authores Catholicos ac bonos Cassianum recenset simul etiam Catholicè omnino ac pie exponi posse eius scripta consentire videtur.

15. Hugo Menardus vir doctus sapiensque Ordinis S. Benedicti in

Concordia Regularum, vbi de huius Concordiæ regulis earumque authoribus. Notandum, inquit, est in hac concordia Cassianum sæpe appellari *Sanctum* quam appellationem reliqui, pro vt iuueni in Codice M. S. neque eum in locis vbi non erat adieci. Nec mirum videri debet hunc appellari Sanctum, fuit enim Sanctus ille vir & admiratione dignus, vt satis ex eius scriptis constat quæ etsi quibusdam in locis Pelagiana fuligine aspergi quodammodo videantur, maximè Collat. 13. in qua disputat quosdam sine gratia Dei præueniente solis arbitrij liberi viribus, nonnullos non sine ea ad Deum conuerti, & eo nomine à Prospero Aquitanico impugnatus sit & à Gelasio Papa inter scriptores Apocryphos relatus, nunquam tamen quoad vixit ab Ecclesiæ communione separatus est, errore eius multis post annis in Concilio Arausicano 2. quod anno Christi 529. habitum est tantum condemnato, nempe Cano. 8. qui sanè errorem emendasset, si illum ab Ecclesia reprobari vidisset. Vnde Prosper in suæ disputationis epilogo. *Quorum tamen dum adhuc non sunt à fraterna societate diuisi toleranda est magis intentio, quàm desperanda correctio.*

16. Andreas De Saussay vir clarissimus & Doctoris Sarbonici titulo ac iure insignitus nunquam nisi honorificentissimè Cassianum appellat, eumque in suo Martyrologio Gallicano inter scriptores ac Patres recenset, quibus ita illud accommodat Augustini vt conuenire videatur. *Isti sunt Episcopi & pastores docti, graues, sancti, veritatis Catholicæ acerrimi defensores, qui Catholicam fidem in lacte suxerunt, in cibo sumpserunt, cuius lac & cibum paruis magnisque ministrauerunt. Talibus post Apostolos plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit.* Sigillatim de eius doctrina extra omnem suspicionem multa & ornate & laudabiliter prædicat, in Supplemento ad 10. Calendas Augusti his verbis. *Apud Massiliam depositio venerabilis Ioannis Cassiani multorum Monachorum Patris & insignium opusculorum authoris, doctrina & sanctimonia præclari. Mox infra. Presbyter ordinatus & spiritu sapientia repletus praclaras lucubrationes concinnauit, vt non modo Monachis suis vtilia præcepta præscriberet, sed & documento Christiani populi inseruiret. Igitur libros 3. de habitu Monachorum & de Canonico Orationum & Psalmorum modo & vsu Institutionum conscripsit, quorum ad Castorem Aptensem Episcopum apographa misit. Quo mortuo commentarium texuit de origine & remedio peccatorum, & insignem illam Collectionem Ascetis traditam, quam Collationes Patrum inscripsit. Demumque ad petitionem Leonis Romanæ Ecclesiæ Archidiaconi postea Papa cognomento Magni, pereruditum exarauit tractatum De incarnatione Verbi, & hoc opere expleto finem scribendi vinendique fecit anno ætatis suæ 97.*

Augus. lib. 2. contra Julia.

17. Attexo Driedonem qui cùm Faustum & eius libros ab errore defendere conatur non potest Cassiano, cui Fausti doctrina planè coniuncta atque communis esse dicitur, non æque patrocinari. *Faustus*, inquit, *contra Augustinum non scripsit vt quidam illi tribuunt, nam illum cum magna reuerentia allegat lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 7. vbi & Beatissimum appellat, sed scripsit contra Lucidum Presbyterum Gallum, qui ex doctrina Augustini*

Driedo. de ... priui. & re... dept. tract. 2. c. 2. par. 4.

gustini male intellecta varios errores hauserat, nimirum hominem sola gratia saluari sine voluntaria obedientia vi solius prædestinationis, imo & peccatores eodem modo damnari vi præscientiæ & reprobationis, & similia quæ in Tom. 4. Bibliothecæ sanctorum Patrum ante libros Fausti præferuntur. Contra ergo illos errores scripsit Faustus, prius damnans Pelagium & postea errorem extreme contrarium. Ipse autem media via se incedere profitetur necessitatem gratiæ prædicando, & illi necessitatem laboris & obedientiæ adiungendo. Quamuis labor hic non sit nec fuerit in lege naturæ sine occulto aliquo auxilio, vt Driedo Faustum interpretatur. Frustra anniterer demonstrare quàm hæc conueniant cum iis quæ in Cassiano suspecta traduntur, nisi æque cum Fausto haberet aliquid excusationis non illius quidem iustæ, sed quæ probari posse videatur. Quin imo vt erudite disputat Vasquez. Seuerius in ea re loquitur Faustus quàm Cassianus, nam ipse necessarium esse existimat hominem semper incipere vt gratiæ Dei auxilia ipsi conferantur. At Cassianus concedit Deum aliquando incipere & gratia sua nos præuenire. Quod si Deus inciperet aliquando, non dubitaret Faustus asserere id quod lib. 2. cap. 6. contra Augustinum scripsit Deum videlicet tunc magis vti iure dominantis quam ordine regentis. Hac de causa dixit Petrus Diaconus, inter eos qui similia Pelagio sapiunt scilicet Semipelagianos se præcipuè anathematisare libros Fausti. Cur ergo Driedo potius Faustum defendat, quàm Cassianum.

Vasquez to 1. in 1. par. disp. 91. cap. 9.

18. Trithemius de eodem Fausto ait prius quidem Pelagianum fuisse; postea verò à Fulgentio ad veram fidem reuocatum scripsisse in gratiam illius egregium volumen De gratia & libero arbitrio, quod inter opera eius circumfertur. Vnde videtur loqui de hoc volumine, quod nunc habemus in duos libros diuisum, quoniam neque aliud ipsi attribuitur, neque mentionem alterius in antiquis doctoribus inuenimus. Censuit ergo Trithemius opus illud esse Catholicum, & authorem quando illud scripsit à Pelagianis omnino recessisse. Verùm deceptus 1. fuit vir alioquin & in aliis disciplinis exercitatus & in historia multum & sæpè versatus. Nam imprimis Faustus non potuit nec potest fuisse planè Pelagianus cùm in priori ex libris illis de Gratia à cap. 1. vsque ad 6. item toto cap. 14. eleganter contra Pelagium necessitatem gratiæ multis & grauibus argumentis confirmat. Sed fuisse dicitur de reliquiis Pelagianorum. Vnde autem sumpserit Faustum à S. Fulgentio fuisse conuersum, cùm neque factum constet neque nomen, ficta ne sit & commentitia fabula vocatur in dubium. Neque ea de causa quam putauit Trithemius, suos de gratia libros edidit Faustus, nam in multis locis initium aliquod ex nobis concedit ad promerendam gratiam contra Fulgentij doctrinam lib. De Incarnatione, & alibi passim. Addit præterea Vasquez citato loco Petrum Diaconum suam fidem & Orientalium Patrum Romæ contra Semipelagianos professum scripsisse de ea librum De Incarnatione & gratia ad Fulgentium in quo cap. 8. damnat huius Fausti libros prædictos, quod in eis labori humano subiungeret gratiam. Fulgentium verò in libro De Incarnatione & gratia quam ad Petrum res-

cripsit nomine suo & totius Africæ, doctrinam ipsius Petri approbasse. Nusquam verò Faustum ab hac nota defendit, vindicasset autem si illum ab errore conuertisset, & in gratiam ipsius Fulgentij libros illos Faustus composuisset, sequeretur enim in omnibus Fulgentij sententiam, qui omne initium tribuit gratiæ Dei, & oppositum vt errorem damnat.

Baron. to. 10. in Appendi. ad an 490.

19. Hæc planè gemina sunt iis quæ pro Cassiani defensione afferri possent nam vt vt sit de causa, propter quam Faustus suos conscripserit libros De gratia & libero arbitrio, non diffitetur Baronius Sancti nomine dignum excessisse è vita, atque adeo impegisse communi errore duntaxat, & absque pertinacia aut potius sententiam retractasse. Quod similiter non ad Cassiani tantùm sed etiam ad plurimorum Patrum indemnitatem respondere operæ pretium est.

Sixtus lib. 5. Biblio. Annot. 201.

20. Sixtus Senensis Chrysostomum benignè interpretatur, vt nihil deroget gratiæ præuenienti, & vt verba illius referenda sint non ad gratiam præuenientem sed ad subsequentem, quam Theologi vocant habitualem, ita vt hæc detur nobis petentibus & laborantibus oblata iam Deo promptitudine & occasione nostræ voluntatis. Vel certè intelligatur de auxiliis gratiæ subsequentis, quæ ad perficiendum quod incepimus dantur nobis iam volentibus. Sed hanc interpretationem non admittit Vasquez, nisi Magistro simul ac discipulo, Chrysostomo inquam & Cassiano videatur esse communis.

CAPVT LXIV.

Errare Doctores Catholici possunt citra hæresis labem.

1. Recenti memoria grauissimi Theologi authoritatem huius assertionis monumentis publicis testati sunt.

Vasquez to. 2. in 1. par. disp. 91. c. 2. n. 8.

Vasquez. Alius, inquit error, qui dicebat paruulis concessum aut negatum fuisse baptisma propter opera quæ alias si vixissent facturi præsciebantur, non legitur fuisse Pelagij, sed eorum qui dicebantur de reliquiis Pelagianorum, & alias viri Catholici erant, Massiliensium scilicet quorum caput fuit Cassianus.

Suarez in Opere tripar. Prolego. 5. c. 5. n. 7.

Suarez id quoque ratum habet, valdéque commendat in suo De gratia, opere tripartito, cum ait negari non posse Cassianum fuisse vnum ex præcipuis illius erroris defensoribus. Per quod, inquit, non intendimus eius damnare vel onerare personam, nondum enim erat illa sententia hæresis vel erroris damnata ab Ecclesia, vt Prosper in fine libri contra Collatorem apertè docet, Cassianúmque inter Catholicos numerat. Solum ergo de doctrina ipsa tractamus.

Maldona. in cap. Lucæ 14.

Ioannes Maldonatus in Lucam. Fuit, inquit, Cassianus author Catholicus & bonus, sed nullum tam pulchrum est corpus vt næuo careat.

Toletus in Joan. c. 6.

Toletus in Ioannem. Est autem, inquit, hæc doctrina (scilicet Cassiani) non

non istorum tantùm sed aliorum Doctorum maximè Græcorum, qui libero arbitrio humano multum tribuebant, nondum Pelagiana tunc hæresi grassante, hoc est nondum per definitionem Concilij Arausicani secundi proscr pto errore ac veritate Catholica constabilita, maximè Chrysostomi temporibus.

Antoninus in Epilogo De Monachis, Cassianum aggregat in ordinem ac numerum Sanctorum Patrum, qui ab antiquis temporibus ad nos semper publicè dicti & habiti sunt Catholici nullo Catholico reclamante. *In interioribus*, inquit, *virtutibus vltra prænominatos, & alij plurimi ex religiosa conuersatione assumpti ad regendas Ecclesias Episcopi, & ad erudiendos populos Doctores excellentissimi temporibus illis claruerunt, vt Basilius Gregorius Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, Ioannes Damascenus, Ioannes Cassianus, gloriosissimus Hieronymus, Augustinus etiam factus Presbyter Monasterium Clericorum mox instituit, & cœpit viuere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam, vt Canonici regulares, Item Martinus, Gregorius Magnus, Cassiodorus & alij plures.*

Antoninus par 2. tit. 15. cap. 12. in epilogo.

Ioannes Azor. Respondeo, inquit, Gelasium eo capite Sancta Romana. Distinct. 15. etiam Apocrypha censuisse opera Lactantij, & historiam Eusebij Pamphili, scripta Clementis Alexandrini, Iulij Africani, Cassiani, & Arnobij, qui tamen omnes Catholici scriptores censentur, cùm tamen omnes lapsi fuerint in aliquos errores.

Azor. 1. par. Instit. lib. 8. cap. 16. q. 14.

2. Mitto reliquos cùm in hac ipsa defensionis causa suppetant exempla Prosperi luculenta & omni exceptione maiora. In peroratione libri aduersus Collatorem cùm demonstrasset reprehensores S. Augustini & vana obiicere, & recta impugnare, & praua defendere, peremptorúmque armis intestina bella mouentes dictis diuinis atque humanis constitutionibus rebellare, subiicit mox de Catholica eorum fide ac religione. *Quorum tamen dum adhuc non sunt à fraterna societate diuisi, toleranda magis est intentio quam desperanda correctio, vt donec Dominus per Ecclesiæ Principes & legitimos iudiciorum suorum ministros, hæc quæ per paucorum superbiam & quorumdam imperitiam sunt turbata, componat. Nobis Deo adiuuante sit studium quieta modestaque patientia odiis dilectionem reddere, & ineptorum recitare conflictus, veritatem non deserere nec cum falsitate certare.* Tum supra Cassianum nominatim affatur. *Doctor Catholice, cur professionem tuam deseris? Cur ad fumosam falsitatis caliginem relicta serenissima veritatis luce deuolueris.* Et in Epistola ad Augustinum. *Multi ergo seruorum Christi, qui in Massiliensi vrbe consistunt in sanctitatis tuæ scriptis, quæ aduersus Pelagianos condidisti contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui quidquid in eis De Vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti.*

3. Et quidem ex hac parte cur sic opinemur argumenta occurrunt. Quantum enim errorem inter & hæresim seu hæresis suspicionem intersit, nemo quantumuis Theologiæ imperitus sit, qui nesciat. Hæresim consummatam facit pertinacia & inemendabilis prauitas, quia ita firmiter adhæret animus falsis opinionibus in fide, vt frustra sit explorare in

hæreticorum verbis certa aliqua resipiscentiæ vestigia, vel occasionem interpretandi benignè ac trahendi in bonum sensum. Disertè tradit Augustinus in lib. contra Manichæos. *Qui in Ecclesia Dei morbidum aliquid prauumve quid faciunt; si correcti vt sanum rectùmque sapiant, resistant contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt sed defendere persistunt, heretici sunt.* Ideo non patitur Ecclesiæ authoritas aliam admoueri tam contagiosæ luis expurgationem aut curationem, quàm quæ ex antiqua & perpetua omnium gentium consuetudine ferro flammisque præscribitur, vt refert Tullius lib. 1. de Natura deorum. Protagoram Abderitem eiurati numinis reum Athenienses exilio contumeliose multarunt, eiusque libros religioni noxios in frequentissima concione cremari voluerunt nec dissimiliter Romani, teste Valerio. Cùm reperti fuissent libri quidam qui non nihil videbantur soluere religionem, Prætor Vrbanus ex authoritate senatus in conspectu populi eos combussit. Fuit item rescriptum Diocletiani & Maximiani aduersus Manichæorum hæreses, De æterno altero principio malo, ac de nefario dogmate congenitam à Deo bonitatem abdicante. Pontificium verò ac Principum Christianorum huius moris exempla collegit Bellarminus. Ac primum in 7. Synodo Actio. 5. generatim interdicuntur & comburi iubentur libri hæreticorum vniuersi, &c. Neque aliter factum accidit, quod ex hæreticorum myriadibus bene multis, quas vidit Ecclesia ab ipso sui nascentis exordio, vix vllus ab ipsis hæreticis scriptus liber nunc superfit, & euanuerint apud posteros tot volumina Valentini, Marcionis, Arij, Eunomij, Nestorij, Pelagij, & aliorum, imo ea fere nobis essent prorsus incognita, nisi à sanctis Patribus ea refutantibus commemorentur.

Vale. lib. 1. c. 1.

Bellarm to. 2. Controu. l. 3. de Laicis c. 10.

4. Aliud falsi genus describitur ab Augustino, & refertur in Decret. 24. quæst. 3. cap. *Dixit Apostolus.* Si qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem tota sollicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi, quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ. Potuit ergo etiam circa ea, quæ ad fidem pertinent SS. Patribus humanitus aliquid accidisse, citra iacturam tamen & offensionem Catholici nominis. Neque illico minuenda scriptoris fama aut conclamanda fides, per hoc quod intendens quidem assentire Christo, prauæ dispositionis ignorantia, vel aliqua inuoluntaria cespitatione magis quam cogitata & obstinata electione, luminibus veritatis officitur, alioqui multorum Patrum lucubrationes erroribus interdum tanquam næuis distinctæ & notatæ, vt Irenæi, Cypriani, Iustini, Chrysostomi, Gregorij Nysseni, Hilarij, Bernardi, Hieronymi, & aliorum de quibus fusius tractarunt Facundus Hermiensis, Canus, Driedo, Sixtus Senensis, Braduuardinus & alij probatis nonnullis exemplis sanctorum virorum eo modo lapsorum, exauctorandæ omnino & interdicendæ forent, quas tamen vulgi assensu omniúmque ordinum approbatione vsum in disciplina Christiana per vtilem & necessarium habere

habere certissimum est. Remque ita decisam à Gelasio Papa in Concilio 70. Episcoporum explicant Canonistæ Dist. 15. cap. sancta Romana, vt qui ab hæreticis, & ordine & genere seponuntur authores, Catholici censeantur vniuersi, eorúmque libri recipiantur in publicam Ecclesiæ authoritatem & lectionem quemadmodum exponit Glossa ibidem, Antoninus, Couarruuias, Azor. Quibus addit Bellarminus longè alia conditione labi falsarios hæreticos ac cæteros. Nihil enim fere aliud propositum habent hæresiarchæ, quàm vt tyrannicis moribus, teste Nazianzeno, nomen suum illustrent, familiam ducant, sectarum conditores sint, principes opinionum & duces, solo vt plurimum hostilis animi & æmulationis studio aduersus Ecclesiam incitati. Cæteri verò stant & faciunt ab æquiore causa Ecclesiæ, & eorum lapsus non hæreses sed humani sunt errores, qui velut extincti & mortui nocere minimè possunt, error enim non nocet nisi quandiu pertinaciter defenditur, neque detecti aut damnati fuere dum authores viuerent, alioqui vel ipsi eos emendassent, vel Christianorum sacris & conuentu exturbati fuissent.

Couarru. Resolut. lib. 4. cap. 15. Azor. lib. 8. Institu. c. 16. quæst. 16. Nazian. orat. 12.

5. Sed ita de Apocryphis, si est quemadmodum sacri Canones definiunt, quod eorum libri non adeo abstrusi aut reconditi sunt, neque tantis tenebris circumfusi vt in iis conspici nihil possit quid amabo tam imprudenter, fecerit atque imperite? quisquis ad eorum intelligentiam rimatur auxilia quibus φωτὸς πύλας portas lucis aperiat, perfectè videat. Et si Apocrypha doctrina caligo est, caliginem illam lucidissimam efficiat ingeniis suspicandi facilioribus, & sollicita nimis religione anxiis. Quid tam male feriatos interpretes dixeris si in iis scrutari & effodere profundius laborant, vt quæ, tanquam thesaurus, profundè reconduntur & alte delitescunt veritatis aureæ glebas inuenire queant? Quid intolerabilius hac insania, quæ curandi officium non modo turpe sed crimini obnoxium & indignum putaret, quæ Medicinam manuariam ita religioni duceret, vt vulnus aspicere nedum attrectare, procul edicere & consulere nedum manu scalprum infigere, aut pharmacum porrigere nefas haberet. En diuini oris acroama Matth. 9. *Non est opus valentibus Medicus sed male habentibus Euntes autem discite quid est Misericordiam volo & non sacrificium non enim veni vocare iustos.* Et allucinabatur Christus cum charitatis parcos & malè meritos de eo, qui inciderat in latrones sacerdotem & leuitam insimulauit deserti negligenter officij, quod descendentes eadem via viso illo plagisque impositis seminiuo relicto, pertransiissent: contra verò studiosum benignitatis Samaritanum maximè commendauit, quod videns eum misericordia motus & appropians alligasset vulnera eius, infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum duxisset ad stabulum & curam egisset. Neque existimo fore quemquam tam stolidè ignarum aut tam ridiculè infantem, qui suspectis de crimine neget suum in Prætorio patrocinij aduersus delatores azylum. Ecquis enim innocens erit, vt ait Marcellinus, si accusare sufficiat. Eas verò decet oratorem agere partes lenitatis ac misericordiæ, quas natura & ratio ipsa nos docuit, id est miserorum laboranti fortunæ multúmque

Lucæ c. 10.

multúmque iactatæ portum aperire, defensionem æquitatis suscipere, calliditates & calumnias in odium criminatoris retrahere, de summa iuris disceptare, & proposita controuersiæ capita, singula quæque explicando, exhaurire. Quod insignè charitatis opus mater Lamuelis amantissimo filio commendatum voluit Prouerb. 31. *Aperi os tuum muto & causis omnium filiorum, qui pertranseunt.* Muto enim os aperire, est mortuorum siue ab hominum oculis & memoria fugientium causam propugnandam arripere, atque ab errorum suspicionibus in quas passim vocantur indemnes præstare.

6. Hoc consilio turmæ doctissimorum Theologorum quibus rectè conuenit illud quod siracides dixit de sapiente Apocryphi sermonis interprete ac diuinorum oraculorum enarratore, qualem Nazianzenus orat. 20. Basilium suum appellat, Ecclesiasti. 39. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret & in absconditis parabolarum conuersabitur.* Et sapient. 8. *scit versutias sermonum & dissolutiones argumentorum.* Qui in tractandis & recognoscendis de errore suspectis libris singularem operam fœliciter posuerunt, qui officij potius & ingenij quam obtrectandi studio quærerent nodos in scriptis Apocryphis, quos dissoluerent, vmbrosa & condensa illustrarent, vias complanarent, sparsa errorum venena detegerent, ac diuiniora quam quæ Philo Medicus regia & θεῶν χεῖρας *deorum manus* appellat, alexipharmaca propinarent, si quid in verbis ac sententiis infirmum consolidarent, quod ægrotum sanarent, & alligarent quod confractum, quodque abiectum reducerent. Tales habuerunt causarum suarum patronos & suspectorum in fide dogmatum expurgatores, Eusebium Origenes, Hieremiam Constantinopolitanum, Dominicum, Soto, Bellarminum, Chrysostomus, Driedonem Faustus Regiensis, Marianum Victorium, Hieronymus, Augustinum, Cyprianus, Gentianum Heruetum, Clemens Alexandrinus, Franciscum Feuardentium Irenæus, Pamelium Tertullianus, Hieronymum, Origenes, Ciaconium, Cuychium atque alios de quibus superiori proximo capite, Cassianus noster. Porro quam vtiliter & gloriosè in hoc studio operam suam posuerint, testantur elogia cum quibus id genus interpretes vocant illustres viri, *Ecclesiæ luminaria quæ præessent nocti* iisque adæquant illud Ecclesiastici cap. 20. de Simone Onia filio & insigni Doctore ac Pontifice. *Quasi stella matutina in medio nebularum & quasi Luna plena in diebus suis, obscuras ingeniorum noctes è tenebris in lucem vocant.*

7. Quare tenuisse Cassianum studiosissimè religionem Christianam, & in vnitate fidei charitatisque Ecclesiæ communionem seruasse, qua vt inquit Augustinus Catholica est & Catholica nominatur, Prosperi testis viui atque præsentis authoritate rationúmque momentis firmatum habes supra. Præsertim cùm liquidissimè constet Cassiano superstite potuisse Doctores in quamuis partem, liberos & solutos agitare illam de gratia & libero arbitrio Augustini sententiam. Neque prius eam decretis edictisque

August. lib. de vita religio. cap. 7.

edictisque interpositis retulisse Pontifices in tabulas fidei, quàm Felix Pontifex qui anno Christi 529. Romanam regebat Ecclesiam; hoc est anno post editos à Cassiano commentarios, pene centesimo, Concilium Arausicanum indixerit vel confirmarit, permotus ipse scriptis S. Cæsarij quæ his diebus miserat ad ipsum Felicem de gratia & libero, arbitrio, aduersus Fausti Regiensis libros eiusdem argumenti, de quibus nos aliàs, quæque agnita ipse Felix non solum probauit, sed etiam vt tradit Gennadius per suam Epistolam roborarit, vulgandáque vbique curarit. Non extant illa quidem sed quanta fuerint ex Romani Pontificis addita illi Epistola coniectare licet. Ea vero de re editi sunt pariter in eadem Synodo Arausicana 2. Canones 25. ex antiquorum Patrum definitionibus excerpti, qui maximè conformes reperiuntur doctrinæ S. Augustini, cuius etiam Apostolica sedes se professa est de gratia & libero arbitrio probare sententiam, sane quidem hunc illum esse annum Christi 529. & ab ortu Cassiani circiter octogesimum, plura sunt quæ demonstrent. Quorum ignoratione factum est vt Conciliorum Collector, & alij perperam illud adscripserint temporibus Leonis vel Hilarij Romanorum Pontificum. Cæsarium enim Episcopum Arelatensem qui ei præfuit Concilio, haud illa ætate quam designant, sedisse Episcopum docent quæ scripsit author Pontificij Arelatensis in eodem Cæsario, quem & peruenisse ad annum Christi 544. tradit ex Baronio Spondanus ibi. & anno 529. Insuper tempus ipsum Liberi Patricij Præfecti Galliarum, qui huic Arausicano Concilio subscripsisse reperitur, vt error cognoscatur admonet. Hoc vero potissimum tempore eò Patres Arausicanos conuenisse id inde accidit, quod in eandem ciuitatem à Liberio Præfecto vocati fuissent ad dedicationem Ecclesiæ quam ipse illic construxerat. A quo etiam & aliis viris illustribus, qui iisdem sacris Encæniis interfuere decreta sua Patres subscriptione firmari voluerunt, vt suo ipsorum obstricti tenerentur Chirographo, ne fallacibus hæreticorum partibus aditus aliqua ex parte pateret.

Gennad. De scriptor c. 86

8. Licebat itaque Cassiano dubitare citra hæresis periculum aut suspicionem, & disputare in contrarias partes, cùm ab Ecclesia nondum edita diutius silerent, De gratiæ controuersiis, fidei oracula. Hæc pluribus tractata reperies apud Driedonem, vbi in hanc rem. *Quia*, inquit, *multa ex sacris scripturis elucidata quæ olim sub ipsis fidei Christianæ rudimentis nondum erant ex illis declarata, idcirco nunc multa reputantur hæretica, de quibus tunc nondum ex scripturis sacris elucidatis licebat olim aut dubitare aut in vtranque partem disputare. Ex definitione Ecclesiæ Apostolicæ oportet credere B. Mariam permansisse Virginem post partum, quod tamen ex scripturis sacris non sequitur necessario.*

Driedo lib 4. de dogmati. cap 4.

9. Sed & pertinaciam vitio vertere, ac suffigere Cassianum eo nomine, ineptire est, nec vacat iniuria in sanctissimos Antistites Leonem, Castorem, Leontium, Eucherium, Honoratum, Helladium, Venerium, quod eius in libris conscribendis studio ac cupiditati morem gessisse, vel etiam faces addidisse liquido constat ex superioribus. Atque in iis quantum vltro detulerit semper prudentum amicorum consilio ac Romanæ imprimis Ecclesiæ authoritati, legere licet multis in locis, sic enim Ca-

stori præfatur in libros De Institu. Cœnobio. *Post tam exuberantis eloquentiæ flumina (scilicet Hieronymi ac Basilij) possem non immerito præsumptionis notari, si quid stillicidij huius inferre tentassem, nisi me ad hæc fiducia tuæ sanctitatis animaret & sponsio, quod vel tibi hæ nugæ forent acceptæ qualescumque sint; vel eas congregationi fratrum in nouello tantum Monasterio commorantum deputares, qui si quid à nobis minus forsitam cautè prolatum fuerit, & pie relegant & cum venia indulgentiore sustentent fidem potius mei sermonis, quàm venustatem eloquij requirentes. Quapropter Beatissimè Papa vnicum religionis & humilitatis exemplar, tuis precibus animatus secundum vires ingenij mei opus quod iniungis aggrediar, & ea quæ omnimodis intacta relicta sunt ab anterioribus nostris, vt pote qui audita potius quam experta tractauerunt, velut rudi Monasterio & veritatem sitientibus intimabo.* Similiter in Præfatione Collationum ad Leontium & Helladium. *Vestrum igitur est conatus nostros piis orationibus adiuuare, ne aut tam sancta materia imperito quidem sed fideli sermone ponenda periclitetur in nobis, aut rursus eiusdem materiæ abyssis obruatur nostra rusticitas.* Est etiam insignis locus Præfationis in libros De Incarnatione Domini ad Leonem Romanæ vrbis Episcopum, quem compellat his verbis. *Superest vt effectum imperati negotij ab ipso postules, per quem imperasti, tua enim iam hic magis causa quam mea vertitur, tuum magis indicium quàm meum officium periclitatur. Me enim siue par sim tuo imperio, siue non sim, ipsa aliquatenus obedientia ratio atque humilitatis excusat, nisi quod hoc plus meriti est in obsequio meo si minus est in possibilitate, facile enim cuiuslibet iussionis ex abundantia satisfacimus. Illius officium grande est, & mirabile qui etiam idem in voto habet quod in viribus non habet. Tua ergo hæc res, tuum negotium, tui pudoris opus est, ora & obserua, ne imperitia mea periclitetur electio tua, & opinioni tanta non respondentibus etiam si ego per obedientiæ veniam bene pareo, tu tamen per inobedientiam indicij male imperasse videaris.*

Hanc in dicendo modestiam didicerat studiosissimus discipulus à præceptore suo & virtutis Magistro Hieronymo, cuius verba De expositione Symboli ad Damasum Papam obseruarat atque collegerat. *Hæc est fides, Beatissimè Papa, quam in Catholica didicimus Ecclesia, in qua si minus perite aut parū cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & sedem tenes, si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum vel maleuolum vel etiam non Catholicum non me hæreticum comprobabit.* Vnde illud magni Augustini dictum refertur ex Epistola 162. *Errare quidem possum sed hæreticus non ero.*

Hieron. to. 2. de expositione Symbolo ad Damasum.

10. In pari causa Gilberti Porretani Pictauiensis Episcopi, pro defensione dicit luculentus testis Baronius ann. 1148. n. 13. ex Actis Concilij Rhemensis sub Eugenio Papa III. His absolutis introducta est in Concilium Gilberti Episcopi Pictauiensis causa, in qua idem Gilbertus expertus est S. Bernardum vehementissimum contradictorem. Qui cum adeo perstringeret illum, vt omnino conuinceret ipsum hæreticum, Eugenius Papa consulens tanti Episcopi famæ, id seorsum post dimissum Concilium faciendum duxit. Testatur hæc Gofridus in vita S. Bernardi lib. 3. cap. 5. cum ait. *Igitur in Concilio quod in vrbe Rhemorum Papa Venerabilis*

lis Eugenius celebrauit, egit cominus aduersus hunc Gilibertum Ecclesiæ sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus, primò quidem totum, quod ille verborum cauillationibus occultare nitebatur eliciens; deinde verò tam suis ratiociniis, quàm sanctorum testimoniis biduana disputatione redarguens. Considerans sanè nonnullos ex his qui præsidebant, iam quidem animaduertentes blasphemiam in doctrina, adhuc tamen auertentes iniuriam à persona, accensus est zelo, & domesticam sibi Ecclesiam seorsum conuocat Gallicanam. Communi denique consilio à Patribus decem Prouinciarum, aliis autem Episcopis & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei nouis dogmatibus opponitur Symbolum nouum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, vt eorum videlicet omnium sicut irreprehensibilis zelus cæteris innotescat. Ita demum Apostolico iudicio & authoritate vniuersalis Ecclesiæ error ille damnatur. Episcopus Gilibertus an eidem damnationi consentiat interrogatur. Consentiens & publice refutans, quæ prius scripserat & affirmauerat, indulgentiam ipse consequitur, maximè quod ab initio cautus fuisset ea lege eamdem ingredi disceptationem, vt promitteret sine vlla sese obstinatione pro Ecclesiæ suæ sanctæ arbitrio correcturum liberè suam opinionem. Hactenus Gofridus. Ex quibus, inquit, Baronius planè illud inducitur eamdem Gilibertum licet hæretica senserit, hæreticum non fuisse, cum pertinacia, quæ secundum sanctum Augustinum de ciuitate Dei facit quemquam hæreticum, omnino caruerit, & hac de causa non fuerit pœna mulctatus, priuatione Episcopatus quo priuandus omnino fuisset ex præscripto sacrarum legum, si conuictus fuisset hæreticus, imo & hæresiarcha. At quod symbolum nouum quod asserit tunc à S. Bernardo fuisse conscriptum, quænam controuersia eius causa excitata fuerit, & tumultus obortus à S. R. E. Cardinalibus aduersus Eugenium Papam, lege apud Ottonem Frisingensem rem ipsam locupletius persequentem in Frider. lib. 1. cap. 55. & seqq.

11. Nec minus perspicuè Cassianus studia illa sua in Pelagianam doctrinam, quæ offensionem ingenerarunt, posterioribus suis elucubrationibus, in quibus vt ait Gennadius, scribendi apud Massiliam & viuendi finem fecit, publica retractatione diluit, Augustini & aliorum plurimorum Patrum exemplo. Siquidem disputans de Incarnatione contra Nestorium acerrimè inuehitur in errorem Pelagianorum, quod ipse etiam fatetur Baronius anno 433. n. 25. Tale quiddam, inquit, hoc tempore accidit in Ecclesia, Cùm enim vt superius dictum est, Ioannes Cassianus Presbyter Massiliensis Ecclesiæ aduersus Nestorium disertum atque perutile De Incarnatione Domini Commentarium edidisset eodemque volumine Pelagium atque Pelagianos velut eius hæresis primos authores vehementer exagitasset, factum esse visum est nonnullis, vt calumniæ loco duceretur, quod à Catholicis viris vt Prospero & aliis ipse Cassianus Pelagianæ hæresis in crimen adductus esset, ac proinde editas ab eo Collationes Patrum absque erroris periculo & suspicione fideles incautè legerent absque delectu, vt pote viri Catholici, cuius cuncta esse Catholica existimarent, &c. Vrgent idem vel maximè Leonis Papæ authoritas, cùm in Epist. 47. ad Nicetam Aquileiensem Episcopum, & in 83. vel 85. ad Metropolitanum Venetiæ grauiter reprehendit quosdam Episcopos, *qui conuersos à Pelagiana*

& Cælestiana hæresi, sine expressa retractatione & detestatione erroris sui ad communionem admittebant. Præcipitque vt nulli in posterum recipiantur, nisi prius damnent apertis professionibus sui erroris authores, & quidquid in doctrina eorum vniuersalis Ecclesia exhorruit detestentur, omniaque decreta synodalia quæ ad decisionem eius hæreseos Apostolicæ sedis confirmauit authoritas, amplecti se apertis ac propria manu subscriptis protestationibus eloquantur. Sed nemo est qui tibi sapientius id suadere possit ipso authore, quem constat Pelagianam hæresim pestilentem, vt vocat, & venenosam tanquam auspicium malum detestatum fuisse. *Nuper*, inquit, *id est in diebus nostris, emersisse hæresim venenosam & maximè Veligarum vrbe conspeximus, certi erroris, incerti nominis, quia cum recenti capite ex Ebionitarum stirpe surrexerit dubium admodum est antiqua magis an recens dici debeat. Noua enim assertoribus sed vetusta erroribus.* Pelagianam hæresim etsi non nominet omnino designat, quæ sicut ab Ebionitis traxit originem, quatenus cum ipsis Christi diuinitatem negantibus ipsum solitarium seu purum hominem asserebat, ita eam ad Nestorium & Nestorianos transfudit tempore inter vtrosque media. Vnde illorum soboles & filia, horum vero parens & procreatrix appellatur, vt infra plenius ostendit author. Accedit quod in hisce libris De Incarnatione aduersus Pelagianum quemdam Antiochensem Episcopum disputat, sicut & 6. & 7. lib. 6. capitib. & ex 31. capite libri vltimi manifestum est. Cuius errores lectissimis optimisque argumentis ita insectatur, & confutat, vt hinc liquido appareat ipsum Pelagianæ sectæ nequaquam patrocinatum fuisse. Cùm verò hanc venenosam hæresim nuper, id est suo tempore emersisse eamque incerti nominis sed certi erroris esse dicit Cassianus, manifestè designat non Pelagianos sed ipsorum reliquias aut Semipelagianos quos idcirco *Pelagianos cineres* appellat. *Nunc*, inquit, *quod paulo austerius dicere cepimus exequamur, vt omnes sciant in Pelagianis cineribus ignes quærere te, & nouis sacrilegiorum flatibus fauillas veteres excitare.* Quæ mihi videntur idoneæ coniecturæ ad probandum spectasse imprimis Cassianum in hac contra Nestorianos disputatione, in tantis tenebris erroris & inscitiæ Semipelagianorum, præferre clarissimum lumen, ac bonæ cuiusuis voluntatis etiam primæ exordia, in nostræ iustificationis negotio diuinæ gratiæ auxiliis adscribere. Adducit & commendat hunc locum Baronius anno 430. & ostendit non tantum Pelagianis fauisse Nestorium, quod ex edicto Imperatoris & Celestini Papæ querelis ad ipsum Nestorium demonstrat, sed etiam in aliquibus eadem sensisse cum ipsis.

12. Porro hæc sunt, Candide Lector, quæ hic breuiter super Cassiani scriptionibus annotanda existimauimus. Tu, si qua habes, explicandis Patrum sententiis aptiora, his vtere & hæc nostra qualiacumque sint boni consule. Hæret animo illud celebre iam olim apud eruditos interpretes, Druthmari præceptum ac monitum, Prolusione in Euangelium Matthæi. *Ego vero*, inquit, *nulli nolenti iussero aut legere aut habere hunc librum, vel sequi hunc sensum. Sed qui voluerit. Et si aliquis hunc detestetur, ordinet meliorem, & ego voluntariè istum suscipio. Nam iste nihil vlli nocet. Amicis parui in hoc facto. Amici mea voluntate non tangent, ne fortè de bono æmulationes fiant.*

FINIS.

LIBER SECVNDVS, DE GLORIA *ET* BEATITVDINE.

PROOEMIVM.

QVALIS inter mortales, & in omnibus vitæ ſuæ partibus fuerit expoſuimus, tempus iam eſt exequi, quam Chriſtianum ſanctumque in modum ſe beatiſſimus Caſſianus ad poſtremum illum & terris ad cœlos tranſitum accinxerit. Etſi enim multa eáque præclara in eius animum à perenni illo bonorum omnium fonte congeſta fuerint hactenus dona atque ornamenta virtutum, quas demonſtrauimus; tamen in apparatu ad mortem, & ad beatitudinem ac gloriam poſt ipſam, non pauca ſane admirabilia mihi videri ſolent, quæ præter cæteros clarum illum atque inſignem reddiderunt. De quibus in hoc libro ſcripturi, monemus omnia narrari haud facilè poſſe, ni prolixi eſſe nimio ſtuderemus. Quare iis omiſſis quæ memini in ſuperiori libro curſim me & obſcurè ſignifi-

non ad primarium eius fautorem Ioannem scripsit, vt de literis ad Nestorium testis est Gennadius in Catalogo, ac de scriptis ad Ioannem, Vincentius Lirinensis. Mirabiliter verò conspirauit ad Ecclesiam defendendam omnium generum atque ordinum consensus. Nam Theodosius Imperator hoc eodem anno Sixti I. apud Ioannem Antiochenum Episcopum nauiter egit vt damnaret Nestorium, & cum Cyrillo Alexandrino iniret concordiam, pacemque inter omnes Orientales Ecclesias conciliaret. Vsusque ad hoc consilio Maximiani Episcopi Constantinopolitani & aliorum Episcoporum Orthodoxorum qui cum eo erant, illud imprimis quod aliter res transigi non posset, ex sententia eorumdem decreuit, vt tum Ioannem ipse tum Cyrillum, vtriusque videlicet partis authores Nicomediam conuocaret, haud permissurus eos inde discedere, nisi iisdem inter se mutuo ad concordiam pristinam restitutis. Ad huius legationis obeundam prouinciam delectus est vir integer piusque Aristolaus nomine, Tribunus & Notarius, quem Antiochiam misit cum literis ad Ioannem eius ciuitatis Episcopum. Scripsit insuper ad Acacium Berœensem Antistitem qui totius Orientalium machinationis consultor præ senij grauitate & rerum agendarum vsu atque peritia habebatur, & ad magnum illum Simeonem Stylitam incomparabile huius sæculi admirandæ sanctitatis exemplum. Literas vltrò citroque redditas totidem verbis transfert ex Concilio Ephesino Baronius anno Christi 432. vbi magni huius Simeonis nomen ob eius magnificas virtutes ingentiaque miracula non in Oriente solùm vbi degebat, sed in Occidente fuisse percelebre, quæ de eodem tradit Theodoretus significant. Licet enim super columnam in solitudine Syriæ Ciliciæque contermina positus, vitam parem cœlitibus in terra duceret, tamen curam Ecclesiæ Dei minimè abiecit, zelo quippe pietatis exæstuans, nullam prætermisit aliquando occasionem illi consulendi: cuius rei causa etiam cum opus esset, scriberet ad Imperatorem, ab eodémque vicissim soleret accipere literas, quibus ei commendaret quam studiosissimè, vti nominatim Deum pro ipso obsecraret obtestareturque, atque sua ipsum impertiret benedictione.

Genna. c. 54.
Vincen. c. vlt.

Côci. Ephesi. c. 5. 10. & 15.

Theodoretus in vitis SS. Patrum c. 26.

2. Nec in Leone Romanæ Ecclesiæ tunc Archidiacono, post Sixtum vero Pontifice, defuit hæc sollicitudo, neque oratio ad huius rei disceptationem desiderata est; nam eius hortatu Cassianus aduersus Nestorium adhuc Constantinopoli sedentem, luculentum atque per vtile de Incarnatione Verbi suum illud edidit Commentarium, de quo dictum est superiùs. Et eiusdem Leonis opera Constantinopolim ad Orientales Episcopos & alios si qui potentes factiosi, legendum misit, quod quidem hoc tempore factum esse tam Prosperi quam Baronij ex ipso Prospero testificatione liquet. Etenim cum in præfatione operis contra Collatorem annos numeret viginti & amplius, nempè exactos. *Qua*, inquit, *contra inimicos gratia Dei Catholica acies huius viri ductu*, nempe Augustini, *pugnat & vincit*, idemque tempus illud numerare incipiat ab anno Concilij Carthaginensis, in quo primùm Cælestius damnatus est, vt quæ subdit ipse declarant, & docent ea quæ de ortu eius hæresis in Chronico profitetur,

profitetur, ducens huiusmodi numerum annorum viginti in hunc ipsum annum scilicet Christi 435. desinere, quo Consulatum gessit Theodosius Augustus decimum quartum, cum Maximo, quo ipse S. Prosper in Chronico eiusdem S. Ioannis Cassiani honorificè meminit verbis istis. *Ioannes Monachus cognomento Cassianus insignis & facundus scriptor habetur.* Quibus sanè verbis eum adhuc vita superstitem fuisse ipse declarat: vt planè intelligas cùm Gennadius ait eum post scriptos libros contra Nestorium finem viuendi fecisse, significare voluisse nihil prætereà superueniente morte ab ipso scriptum fuisse; Peruenisse ipsum quidem ad annum Christi duntaxat 435. Trithemius tradit, cui, tamen haud consentimus. Certè quidem annos aliquot vltra superstitem vixisse, non solùm quæ in historiæ decursu tradidimus, sed & quæ habet ipse in fine operis contra Nestorium, ex vno de cæteris coniecturam faciunt. *Vnde ego*, inquit, *quoque ipse humilis atque obscurus nomine sicut merito, licet mihi inter eximios Constantinopolitanæ vrbis Antistites locum Magistri vsurpare non possim, studium tamen discipuli affectumque præsumo. Adoptatus enim à beatissimæ memoriæ Ioanne Episcopo in ministerium sacrum, atque oblatus Deo, etsi corpore absum, affectu illic sum, & illi dilectissimo mihi ac venerandissimo Dei populo & si nunc præsentia non admisceor, tamen mente coniungor. Et hinc est quod condolens ei atque compatiens in vocem nunc tristitiæ communis ac doloris erupi, & quod vnum potui per opusculorum nostrorum flebilem querimoniam quasi pro membrorum atque artuum meorum infirmitate clamaui. Etenim si iuxta Apostolum dolente quidem minoris Corporis parte condolet maior atque compatitur: quanto magis dolente maiore minorem compati oportet? Inhumanissimum quippe est vt in vno atque eodem corpore maiorum infirmitatem minora non sentiant, cum minorum maiora patiantur. Vnde obsecro ac deprecor omnes vos qui intra Constantinopolitanæ vrbis ambitum siti, & per affectum patriæ ciues mei & per vnitatem fidei fratres mei estis, vt separetis vos ab illo vt scriptum est lupo rapaci, qui deuorat Dei populum sicut cibum panis.*

3. Hæc enim de libris eiusdem Nestorij aduersus Catholicam doctrinam indicat atque innuit, quibus conficiendis cum totum illud tempus impendisset, quo in pristinum suum Monasterium S. Euprepij quod erat Antiochiæ relegatus, degere ibidem permissus est; indeque iuges in Ecclesia Orientali controuersiæ agitarentur, Theodosius vt discordiarum tolleret seminarium illos vbique conquiri & comburi iussit, ac ne quis deinceps legere aut retinere aut in disputationibus allegare auderet, adhibita pœna publicationis bonorum prohibuit, ac tandem ipsum authorem serò licet in Oasim Prouinciam Ægypti perpetuo exilio amandauit, vbi postmodum verminante lingua miserabilem vitæ sortitus est exitum. Quod in suis temporum rationibus ad annum sæculi quinti trigesimum sextum & septimum Baronius refert.

4. Angebant itaque Cassianum ingentes animi curæ quod Nestorianorum succrescentium nouis semper molitionibus Ecclesia, maioribus in dis prœliis quateretur, ac pacis & conciliationis artibus parum admodum loci esse intelligeret. Quin etiam periculum à Vandalis in Africa vehementius

vehementius ingrauescere videretur, cum Gensericus eorum rex fidem Catholicam (à qua olim ad Arianismum apostatasse Isidorus tradit) Ariana volens impietate subuertere multos Episcopos Orthodoxos quorum inuicta constantia nullis superbissimi Regis terroribus cederet primùm Ecclesiis & ciuitatibus præscriberet, deinde in exilium actos & atrocissimis vexatos suppliciis, ad postremum diuersis mortibus interemptos illustri Martyrio mirabiliter excruciaret; vt eorum sanguine atrati fluctus maris intermedij Massiliam vsque rumoribus diffunderentur, & in vrbis frequentia exulum squalor inauditus & miserabilis feriret omnium ciuium oculos & mentes, pertæsus inquam temporum & ærumnarum istarum Cassianus, & æger, non animi solùm sed etiam corporis petebat animæ suæ vt moreretur, vitamque ipsam numerans inter odiosas res, nihil votis adæquare atque eius excessum expetebat, & ingenti gaudio ferebatur ad cœlestem patriam vbi cupito numinis aspectu, potiretur. Quare administratione ordinis subrogatis optionibus permissa, secessum accuratiorem spectare cepit, vt quod supererat vsuræ lucis mortalis, Deo sibique vacans, in adornando ad lucem immortalem transitu collocaret.

Isido. in historia Vandalica.

CAPVT II.

In cælum migrat.

1. VErùm etsi animus patiendi auidus tantis occurrebat difficultatibus incommodisque, corpus tamen confectum ætate assiduisque laboribus, ex ea viuendi qua de diximus seueriori disciplina necessario atterebatur, vnde morbi illius quem supremum habuit initia prodiere. Et apparuerat ægritudo primùm non pro eo, quàm esset periculosa, paucis tamen diebus continuata euasit in eam quæ aditum ei ad æternam vitam aperiret; scilicet nouellus ordo magnis iam auctibus in omni genere prouectus educante qui genuerat ac regente Cassiano, visus est sapientissimo numini vt tempus existimaret quo & ipse suum in cœlesti curia ac beatorum senatu parentem haberet ac præsidem. Ipse verò habens desiderium, vt loquitur Apostolus dissolui & esse cum Deo suo, ad eum per gradus illos ferebatur, quibus procreatæ res ascensiones in corde disponunt, magnisque lachrymis rogabat identidem iuberet se statione discedere, & quietem demum aliquam capere, qua æstuanti animo & ad Deum spectandum intento fieri posset satis. Tria desiderasse aiunt, antequam è vita concederet, videre perfecta. Primò stabile, fixum & permanens religiosi sui ordinis bonum, 2. Nestorianorum extremam perniciem & contritionem, postremò redditum Ecclesiæ Constantinopolitanæ & in suam pristinam sedem ac dignitatem restitutum Chrysostomum, id enim sanctus ipse ex Cucuso, exul scribens ad Olympiadem iuniorem viduam prædixerat fore, vt rediret Constantinopolim, cuius va-

Chrysostom. Epist. 2.

ticinationis obscura adhuc spe & cœca expectatione Cassianus pendebat.

2. Horum compos votorum factus, vidit iam longo regionum in Occidente maritimarum tractu numerosam familiæ suæ sobolem ad quinque Monachorum millia propagatam, multa passim ab exteris gentibus atque longinquis domicilia exædificata præter vrbana duo, alterum virorum, mulierum alterum, quæ innumerabiles homines religiosam ac piam vitam instruerent. De profligandis atque perdendis Nestorianis extant illa eius optata & preces in calce librorum de Incarnatione. *Te autem præter omnia ac super omnia Deus pater domini nostri Iesu Christi, aque voce ac mente supplici obsecro, vt hæc quæ ex largitate tui muneris scripsimus, tu dono tui amoris insinues. Et quia vt ipse nos dominus Deus noster vnigenitus tuus docuit, ita dilexisti hunc mundum vt pro salute mundi vnigenitum tuum mitteres: dones hoc plebi tuæ quam redemisti, vt in Incarnatione vnigeniti filij tui, & tuum donum & affectum illius sapiat, & hoc quod pro nobis vnigenitus tuus Dominus Deus noster & natus & passus est & resurrexit, ita omnes & intelligant & ament, vt dignatio suæ maiestatis profectus sit nostri amoris, nec in animis vniuersorum humilitas illius imminutionem habeat honoris, sed augmentum semper pariat charitatis, ac beneficia sacræ misericordiæ ita omnes piè ac sapienter intelligamus, vt tantò plus debere nouerimus nos Deo nostro, quantò humilior propter nos factus est à se Deus.* His quoque occurrit in votis diuina prouidentia quæ omnem incendij illius velut scintillam, doloso cineri geminandæ in Christo personæ, & abnegandæ in Deipara maternitati diuinæ suppositam fœliciter compressit annis superioribus, vt ostendimus. Quod de Chrysostomo reliquum erat, venerandum eius corpus Comanis, vbi exul vitam finierat, celebri pompa translatum est Constantinopolim. Idque Proclum Episcopum Constantinopolitanum curasse Socrates existimat vt eos qui propter Ioannis abdicationem separatim adhuc conuentus peragerent, cum cæteris in concordiam reduceret, & prudentia eorum animos offensos permulceret. Iuuit etiam plurimum ingens populi & assidua contentio, cum enim Proclus anniuersaria die transitus sancti Chrysostomi ex more Panegyricam ad populum orationem haberet, vniuersi Christi fideles Ioannis amore incaluerunt vt acclamationibus indesinentibus inter concionandum Proclum pulsare aggressi concionem ad finem perduci minimè siuerint petentes reddi sibi Ioannem sacrasque eius reliquias Constantinopolim transferendas, quibus permotus Antistes abiens ad Theodosium instar Nicodemi audacter petiit corpus Ioannis, ac de eo facilè impetrauit quod diceret magno Imperatori probro futurum si pateretur exulare Chrysostomum, qui eum per baptismum genuisset in Christo.

Cap. 31.

Socrates l. 7. cap. 44.

3. His persuasus Theodosius selectos viros ex senatoribus ad opus perficiendum legauit Comanum in Ponto ciuitatem, quibus præcepit vt illustri & splendidà pompa venerandum Ioannis corpus inde sublatum, charis, psallentium sacrorum ministrorum comitantibus, accensis cereis de loco in locum quàm religiosissimè auehendum curarent sed contigerit ne his cœptis exitus quem optaret dicam quam copiosè & abundante

danter quoniam triumphi decus istud & ornamentum Cassiani expectationi & solatio nunc etiam mirificè redundabat. Singula vt se habuerint Nicephorus accuratè complexus ita recenset. *Postquam autem itinere confecto in littus ex aduerso Constantinopoli ad Chalcedonem cum reliquiis sancti viri peruenere, transiit eo Imperator & senatus Imperatorius, transiit etiam Patriarcha & Indices magistratúsque omnes, & deinde homines generis & ætatis omnis per fretum in mare perinde atque in continente vadantes: & ad Propontidem os Bosphori ardentibus funalibus tegentes, sacrum tumulum Imperatoria triremis excepit. Tum sanè miraculum quoddam edidit Deus, prodigiis quæ vnquam visa sunt longè maius, Cum enim certa & constans esset in mari tranquillitas repentina subito exorta est procella, & naues innumerabilis illius classis aliæ aliò diuersæ saluti suæ consulentes dispersæ sunt. Ea autem quæ sacrum illud pondus & præclarum thesaurum vehebat Imperatoris triremis funibus derepente ruptis, veluti diuina gubernante manu ad viduæ agrum appulit, viduæ inquam illius propter quam sponsa Christi Ecclesia pastore tanto viduata fuerat, & rursum post mortem quoque iusto indicio legitimam ille tulit sententiam agrum viduæ authoritate sua attribuens, atque confirmans; Deo nimirum magnum illum glorificante & iniquum exilium eius apertè prædicante. Et quo ad eius fieri potuit petram nauis discidit, quod miraculum hodie quoque cernitur & egregij illius viri ardorem eximium quouis præcone clarius attestatur. Hoc vbi factum est serenitas rursus aduenit & naues aliæ aliunde collectæ cum apparatu & comitatu maximo carminibusque debitis virum sanctum perducentes, in Vrbem Imperantem deportarunt. Eúmque primum circa Amantium magni Thomæ templum excepit, inde verò ad Ecclesiam S. Irenes delatus: porrò postea Imperiali curru sepulchrum euectum in sanctorum Apostolorum templum illatum est. Ibi Imperator sacro tumulo chlamyde tecto, & fronte atque oculis vrnæ impositis communem supplex precationem pro parentibus fecit. Dudum enim illi mortui fuerant in pupillari ætate eum tenerum adhuc relinquentes. Seorsum verò pro matre quoque precatus est, vt tumuli eius motus atque strepitus consisteret, triginta enim & quinque annos iam is quatiebatur, quo tempore scilicet & ipsa Ecclesiam concutiebat. Nec ille id non exorauit, confestim namque vrna eius constitit. Atque vbi sacer Proclus virum sanctum in eundem secum thronum collocauit, plebs circumfusa vno ore exclamauit. Recipe inquiens thronum tuum ô Pater. Fertur ipse quoque, tum quæ dudum clausa fuerant labiis rursum apertis ad populum dixisse. Pax vobis, sicuti id circumstantes homines & Proclus Patriarcha se audisse testati sunt. Porrò sacris mysteriis peractis ad reliquiarum eius repositionem itum est & Episcoporum manibus magnus Antistes ad basim sacræ diuinæque mensæ veluti sacer & inuiolabilis thesaurus conditus est, Episcopis Episcopus, martyribus quamuis sine sanguine Martyr, Prophetis Christi & Apostolis magna atque aurea Ecclesiæ Christi tuba, omnes omnium aures personas & pia dogmata & præcepta clarè musicis penè modulis occinens. Factum id vigesimoseptimo mensis Ianuarij die. Ingenti autem facinore isto illi etiam qui propter ipsum secesserant persuasi Ecclesiæ omnes coniuncti atque vniti sunt.* Hactenus Nicephorus.

Niceph. l. 14. cap. 43.

CAPVT III.

Demortui veneratio & exequiæ.

1. AB hoc eius excessu, qui animorum motus apud mortales multos extiterint, difficilè est iis qui rem oculis non vsurparunt subiicere cogitationi. Quam primum id signi datum est, vt habetur receptum moribus religiosorum, quo certi fierent domestici omnes sanctissimum Patrem in cœlos euolasse, certatim singuli tam tristi nuntio exanimati ad eius, velut ad communis parentis funus, accurrerunt, completur cubiculum, in quo situm erat sacrum corpus & super humile solum, quod olim Monachis in vsu fuit, cilicio ac cinere instratum, submissisque omnes genibus, affectuque ingenti pedes primum suauiari & amplexari: tum pro sua quisque religione opinionéque, quam de eximia eius sanctitate acceperant, vel pro eius animi incolumitate Deum, vel quorum maxima pars erat, ipsum pro sua venerari. Inde lachrymæ aliis affectuum speique plenæ decurrere, sed longè maius sui desiderium quàm luctum in aliis reliquit, vnoquoque cum animo suo reputante, quàm illustri gemma orbati essent, quam sancti ac studiosi parentis eo die iacturam fecissent. Quis religionem in exteras gentes propagaturus? Quis, ægris Monachorum corporibus & animis saluti futurus? Quis in Abbatis locum successurus? subibat animum eximia illa morum probitas & vitæ moderatio prope singularis, quæ coniunxisset in homine, raro miraculo, summam doctrinam cum summa humilitate, magnitudinem animi periculis ac difficultatibus inuictam cum penè puerili simplicitate, mentem æqui retinentissimam cum benignitate & eximia in omnes liberalitate, denique tam humile iudicium, quo solitus deprimere laudes suas, cum prudentia maximarum rerum ad Dei obsequium effectrice vt hinc merito à plurimis, Norma religiosorum, Antistitum Exemplar, sanctimoniæ Speculum, Ecclesiæ Lumen, literatorum Magister salutaretur. Illud igitur virtutum omnium & pietatis exemplum, illud familiæ tam certum præsidium sibi ereptum, talem præconem religioni, tam studiosum Ecclesiæ ademptum defensorem, nouum sydus quod Institutionum Monasticarum lucem penè caligantibus attulisset, his regionibus, subito occidisse querebantur.

2. Neque hæc de Cassiano iudicia cœnobiorum limitibus circumscripta mox elanguerunt, sed multos Massilia tota, neque nullos per reliquum Prouinciæ, par opinio in virtutis admirationem venerationémque adduxit. Re per ciuitatem vulgata ingens confestim hominum concursus visendi causa in facellum est factus; atque hi manus, hi pedes certatim exosculari, alij sacram aliquam supellectilem admouere corpori alij reliquiarum de more frustula erogare. Et erat magnum eius morti decus, publica virorum etiam primariorum mœstitia, & qualem

vix præsentes qui aderant seniores vrbis olim visam esse meminissent. Quod vt summopere dum viueret charus acceptúsque omnibus Massiliensibus ille esset, sic & mors incredibilem omnibus mœrorem attulerit.

3. Ipse verò Venerius Episcopus & Clerus vniuersus Massiliensis, quo putas animo tam præstantis viri occasum tulit? Certè si bonum demortui spectetur, non nisi æquo & hilari, quem inter cœlites adscriptum & è mediis laboribus in illam requiem excessisse sine dubitatione credebant: sin autem suum & Christianæ Reipublicæ commodum non nisi ægro & afflicto, quem Venerius ex cunctis Ecclesiæ suæ administris principem Sacerdotem Clero asseruerat, requirebat hominem ad res gerendas natum, diuinæque gloriæ percupidum, sitientissimum alienæ salutis, in ipsa ætatis maturitate rerumque gerendarum maxima opportunitate sublatum. Similem sensum Saluianus tunc Presbyter Massiliensis & Cassiani collega, tum è Clericis alij priuatim manifestarunt, qui tum populi religionem & pietatem aspicerent, & mortui virtutem non ignorarent, non persuasione modo vulgi sed propriæ sanctimoniæ merito decreuerunt ipsum cœlo & superis inferendum. Suffectus verò deinceps in locum Episcopi Venerij qui anno post, Cassianum sequutus est, vt quàm virtute & charitate proximus fuerat pater filio, tam esset beatæ vitæ natali. Postero die curatum legitimè funus, & exanimè corpus sacerdotum Monachorum vestitu ritè indutum, ac mitram capite dextraque lituum gerens, quod est summorum Cœnobiarcharum gestamen, inque feretro decenter compositum multis prosequentibus effertur in templum, iustisque ac precibus exequialibus quanto maximo potuit cultu & studio persolutis, sepelitur humili primum conditorio in æde angusta veterique sancti Victoris, cuius modicum templum subterraneum inter recentes fabricas etiam nunc visitur; sed qua in parte vt internoscatur à cæteris adhuc quæritur. Multis enim ædes illa amplificata commutataque modis tandem ab Vrbano 5. Pontifice Maximo excitatæ Basilicæ cessit, in quam placuit traducere lipsana, & argenteæ thecæ religiosè inclusa præter dextrum aræ maioris latus collocare, adscripta hac epigraphe. *Caput S. Cassiani.* Et additur subtus Vrbanum V. Pontificem Maximum posuisse; cuius item Pontificis corpus Auenione Massiliam translatum, vt testamento constituerat, sepulchro ibidem erecto aram maximam inter ac sacellum S. Cassiani conditum est, à Gregorio X I. Nonis Iunij anno 1372. vbi cum Cassiano & reliquis sanctissimis Abbatibus, à quibus exceptum regendi huius Monasterij Magistratum plures annos habuerat, icon eius adhuc veneranda conspicitur.

V. S. Eustach.

4. Nec Massiliæ solùm funus Cassiani honorificè celebratum, sed ad omnes omnium vicinarum regionum socios, mors protinus flebilis fuit; quod communem Abbatem amissum dolerent. Nec socios tantùm dolor tangebat, exteri etiam, pro veteri quæ cum illo fuerat necessitudine, luxerunt exequiasque curarunt. Venerius enim Episcopus & Clerus Massiliensis honestandum apud se in maiore vrbis templo funus duxerunt, quod talem

talem tantúmque Presbyterum ac Doctorem Ecclesia amisisset. Quin etiam Lerini à Monachis ne postea suus defuncto honos haberetur, inhiberi studia non potuerunt. Testes vtriusque ordinis tabulæ Calendariæ, quibus ab hinc frequentatus hic ritus anniuersarius designatus ad 10. Calend. Augusti cum hac scriptura

A. X Cassiani Abbatis to. offi. fo. CCCLXVIII. Apollinaris Episcopi & Mart. commem. fo. CCCLXIX.

In tabulis verò Lerinensibus cuiusdam M. S. Martyrologij sic legitur

Depositio Beati Cassiani sepulti apud Massiliam Monasterio S. Petri & S. Victoris, &c.

Sepulchrum hodie inter primaria Massiliæ loca numeratur, summáque pietate frequentant ciues, inuisunt aduenæ religionis causa, quos certum est exciri tum magna vitæ ac sanctitatis opinione tum admiratione earum rerum, quas mirificas illius precibus conferri existimant à Deo venerandas famuli sui reliquias honorante. Capiuntur & rara magnitudine fructus, quem suis illum Institutionibus Monasticis & exemplis peperisse intelligunt, rati haud facilè tantam ramorum fœcunditatem nisi ex optimæ stirpis indole propagari, neque tam vberes scientiarum riuulos, nisi à saluberrimo & limpidissimo virtutum fonte scaturire potuisse.

5. Cæterum ætas erat vt diximus affecta & ingrauescens, statura procera, iustam haud sanè multùm excedente. Vires, ne se ipsæ confecissent robustæ, post autem diuturnas inedias & sæuitiæ rigores in seipsum perquam fractæ, ac sub ægritudinis vltimæ tentamenta omnino defectæ. Corpore fuit satis amplo, & cui esset abundè sanguinis, vt Scytharum temperatio solet. Color oris pallidum inter fuscumque anceps, quantum ex icone argentea Vrbani V. studio & impensis facta coniicere licet. Facie honesta & liberali, frons exporrecta & lata Maiestatem addebat. Cæsios vegetosque oculos habuit, nasum modicum vultum hilarem quidem sed viuidum & ardentem, barbam & capillos nigros sed iam ætate aut curis etiam canos, humorum temperiem aut in excessu nullo, aut declinantem nonnihil ad iram naturamque præferuidam. Reliquus corporis habitus adeo illi neglectus in vita, & in incessu toto, vultuque ita temperatus & congruus, vt non alio fere viua ipsa modestia magis apto sui simulachro spirare potuisse videretur.

CAPVT IV.

Præstantium virtutum exempla.

11. VIta Cassiani ad exitum perducta, libet virtutum eius aliquot exempla & scitè dicta seiungere ac summatim excerpere. Nam ire-

ire per singula non est operæ. Nobis sat erit in rerum optimarum copia, syllabum aliquarum duntaxat texuisse, & quas ille prolixè habuit, multò hic angustius denarrare.

2. Hoc habuit eximiè dum in sacra palæstra diuinæ sapientiæ altioribus documentis exerceretur vt omnes religiosi & sancti Monachi numeros ex disciplina ordinis expleret, eiusmodi enim inter hæc studia fuit Cassiani virtus, si obseruare modo diligenter velimus, quæ scripto etiam in Instituta renuntiantium & Collationes Patrum adnotauit, vt domesticis esset exemplo, externis admirationi. Fuere quædam in eo singularia dona atque ornamenta, quæ præter cæteros clarum illum atque insignem vbique reddebant. Primùm animi demissio atque modestia eo admirabilior atque præstantior, quo maiore cum sapientia & interiore eruditione coniuncta. Ab hac tanquam fundamento religiosæ sanctitatis, & parente cæterarum virtutum, disciplinam sibi exteriorem pleramque formauit; quia verò ad hoc institutum via munitur humiliatione, curabat sedulo vt tum domi tum in Xenodochiis ad abiectissima quæque ministeria perpetuo applicaretur. Asperum se in seipsum, suique corporis seuerum domitorem præbebat, ieiunia & flagra erant ei familiaria, ad cubitum nuda interdum contentus humo, non tamen nudus sed cum indumentis capturus somnum, quo ad orandum Deum euigilaret expeditior.

3. Nec verò exteriorem hanc humilitatem modo coluit indicem interioris, sed multò magis interiorem quæ sita est in sui ipsius cognitione despicientiaque. Etenim cum propter iam tum adeo certam de eximia eius doctrina & sanctitate opinionem, in tanta haberetur veneratione vt ab eo se moneri regique perinde cæteri permitterent, ac si summam in eos authoritatem obtinuisset. E diuerso ipse se humillimo semper loco ducere, de se abiecte sentire & loqui, aliosque perinde omnes vt maiores suspicere, ac sicubi comparatio fieret etiam infimis deferre, si quid officij despicatum esset, id ipse ambire & promptius fungi, quàm alij detrectassent. Nihil vnquam egit aut dixit quod vel longo interuallo ad suam laudem pertineret, quin imo omnem sæculi splendorem & ingenij decora atque ornamenta scientiæque copiam & cætera quæ laudi esse poterant admirabili silentio contegebat, vt nemo vnquam ita se erexerit superbia, atque iste animi submissione depressit, nemo sic appetierit honores vt idem contempsit.

4. Accedebat ad hunc tam demissæ humilitatis amorem eximia quædam precandi suique colligendi facultas & familiaritas cum Deo, in qua tantum operæ collocabat quasi in ea spes omnis sita esset perfectæ sanctitatis parandæ. *Ieiunia*, inquit, *vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas ac priuatio omnium facultatum, non perfectio sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplina illius finis, sed per illa peruenitur ad finem. In cassum igitur hæc exercitia molietur, quisquis his velut summo bono contentus, intentionem sui cordis huc vsque defixerit, & non ad capiendum finem propter quem hæc appetenda sunt, omne studium virtutis extenderit.* Tum cap. 8. *His nobis principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio*

Collat. 1. c. 4.

destinatio cordis iugiter affectanda vt diuinis rebus ac Deo mens semper inhæreat, quidquid ab hac diuersum est, quamuis magnum secundum tamen aut etiam infimum seu certè noxium iudicandum est. Itaque cætera cum leges iuberent nusquam postremus at in precandi studio se etiam ipso prior excitatiorque tempus occupare, ac præter statas diei horas ei exercitationi attributas, maximam noctis partem, quod illi toto vitæ tempore perenne fuit, cum Deo transigere. Neque quod in officia charitatis tam propenso esset animo propterea desistebat, quin semper aliquid pium sanctúmque mente volueret ac reuolueret; hoc enim commodi ex orandi assiduitate percipitur, vt Deum vbique præsentem circumferamus, & frequens seu locus seu negotium, templi vicem nobis præbeat, materiámque adeo suppeditet, ac segetem comprecandi meditandique. Nihil à cogitando de Deo sic eius auertebat animum, vt non Dei præsentia sensuque perpetuo vbique frueretur, quamquam præcipuè tunc exardescebat ignis, cùm in mediis syluis aut aliis locis solitariis inambularet aut moraretur. Sæpius per somnum diuini amoris flamma exæstuantis animi succensas emittebat voces, vt orare illum non dormire crederes. In mensa cibi frequenter oblitus aut cum Deo loquebatur, aut ex intimo pectore suspiria in Deum tanquam flamentata iacula intorquebat. Quoties grauius rei momentum suberat non prius negotio manum admouisset, quibusuis rationibus duceretur, quàm de summa re ad Deum referret; neque domo aut cubiculo pedem efferebat, ni sui custodiam per idoneas preces cœlitibus commendaret. Quid exequar copiosissimos lacrymarum imbres? dum intempesta nocte in templum obrepens ante sacro sanctum Christi præsepe, modo genibus nitens, modo humi abiectus feruidas preces funderet, ac perseueraret in illa summa vi & contentione animi atque labore corporis, donec aut somni necessitas aut auroræ lux superueniret. Quid suauissimos sensus & diuinitus haustas voluptates? quibus inundatus ardere oculis & vultu, totúsque ex Dei cognitione & amore pendere videretur, vt non ambigeres eius animum quasi corpore abstractum interdum eminere foras. Qua ex re hunc fere fructum referebat, vt nulla res eum abducere posset à perpetua continentique de Deo cogitatione, neque pateretur momentum quidem præscripti temporis, de tam suaui atque diuino studio interire.

5. Tanta hæc pietas & religio haud disparem in Cassiani animo charitatem accenderat. Flagrabat immensa lucrandarum animarum cupiditate; quæ prius etiam quàm iungeret consuetudinem & familiaritatem cum externis, qua potuit, erupit. Subinde namque in puerorum conuictu, de quo supra narrare memini, cùm fortè instructorem ageret seorsim cum vnoquoque tractaturus, nunc precandi artem, nunc puritatis amorem commendans, optima diuini amoris semina tenellæ illi ætati & ad omnem virtutem facili committebat. Hunc ipsum zelum explicauit, dum se hospitibus & peregrinis quasi seruum addiceret, agrestésque animas sanctioris vitæ rudimentis excoleret tironum formaret ingenia, veteranorum mores erudiret, publicus vitiorum suorum accusator & vindex,

ac in se rigidus & seuerus, in alios blandus ac facilis, nihil vt sibi ignosceret, aliis omnia. Quam quisque plurimis illum obtrectationibus aut iniuriis violasset, tam maximè beneficiis se vindicabat.

6. Iam verò legum obseruantia tam sollicita, vt cuipiam superesse videri posset. Cordis mundities & castimonia, prudentia, magnitudo animi, diuinaque fiducia, comitas grauitati iuncta, cætera æque laudata & pleraque in hoc primo religiosæ vitæ curriculo Cassiani similia.

CAPVT V.

Meditandi studium & familiaritas cum Deo.

1. NEc solis precibus quas quod ore proferantur vocales nominamus, sed longè impensius meditandis diuinis animum consueuerat exercere. Etenim cum in cæteris religiosæ vitæ bonis etiam hoc suppetere sibi vtilissimum agnosceret, quo vitiorum securus ad summa virtutum euadere, & duci rectà quasi per viam compendiariam ad perfectionis adyta posset, exinde fixum firmumque animo habuit, vt iugiter cum Deo ac familiariter versaretur, & ad cæteras orandi formas, quas statas Deo velut ex officio constanter solueret ac attente pieque pronuntiaret, huius quoque studij partem sibi capesseret.

2. Maximè verò ne animus diuina illa optatissimaque fraudaretur requie, cùm assiduæ occupationes vix paucas ei diurni temporis horas ad meditandum vacuas relinquerent, orationi magis quam somno auidè affectus, sub nocturnam synaxim totam reliquam noctem quieti corporis detractam tribuebat his cœlestibus deliciis, *donec*, inquit, *superueniente diei splendore nocturno operi ac meditationi operatio diurna succederet. Quamobrem Canonicis vigiliis priuata ab eis subiunguntur excubiæ, ac maiore illis obseruatione succedunt, vt & illa purificatio, quæ Psalmis & orationibus est acquisita non pereat, & intentior solicitudo diligentius nos per diem custoditura præparetur meditatione nocturna. Et idcirco eas cum adiectione operis exequuntur, ne velut otiosis valeat somnus irrepere. Sicut enim nullum ferme ab eis otij tempus excipitur, ita nec meditationi quidem spiritali finis imponitur. Nam pariter exercentes corporis animæque virtutes exterioris hominis stipendia cum emolumentis exterioris exæquant, lubricis motibus cordis & fluctuatiori cogitationum instabili, operum pondera velut quamdam tenacem atque immobilem anchoram præfigentes, cui volubilitas ac peruagatio cordis innexa intra cellæ claustra, velut in portu fidissimo valeat contineri: atque ita spiritali meditationi tantùm & custodiæ cogitationum intenta, non modo ad consensum prauæ cuiusque suggestionis peruigilem mentem corruere non sinat, verum etiam ab omni superflua otiosaque cogitatione custodiat; ita vt quid ex quo pendeat haud facilè possit à quoquam discerni, id est vtrum propter meditationem spiritalem incessabile manuum opus exerceant, an propter operis iugitatem tam præclarum spiritus profectum scientiæque lumen acquirant.*

Lib. 2. Instit. c. 12. 13. 14.

3. Tum

3. Tum etiam ne destinata commentatio teperet custodia sensus omnes acriter munire, seuocare se in angulum, vt inter tenebras pleramque abstrusus tumultuantibus curis præcluderet accessum. *Intra nostrum*, inquit, *cubiculum supplicamus, cùm ab omnium cogitationum siue sollicitudinum strepitu cor nostrum penitus amouentes secreto quodammodo ac familiariter preces nostras Domino reseramus. Clauso oramus ostio, cùm strictis labiis nostris omnique silentio supplicamus, non vocum sed cordium scrutatori. In abscondito oramus, quando corde tantùm & intenta mente petitiones nostras soli pendimus Deo, ita vt ne ipsæ quidem aduersæ valeant potestates genus nostræ petitionis agnoscere. Propter quod cum summo est orandum silentio non solum ne fratres astantes nostris susurris vel clamoribus auocemus, & orantium sensibus obstrepamus; sed vt ipsos quoque inimicos nostros, qui orantibus nobis maximè insidiantur, lateat nostræ petitionis intentio. Ita enim præceptum illud adimplebimus. Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.*

Collat. 9. cap. 31.

4. Iucundo verò diuini amoris motu suauitatibusque cœlestibus pleno interea pectore fruebatur, miratus identidem qua homines dementia capti, tantas pietatis illecebras & mulsa fluxis auderent voluptatibus post habere, ac veris virtutum fastiditis opibus, mentem inanibus aut ambitiosis voluntatibus pascere. Hæc sua orationis studia, consilia, cogitationésque aperit Collat. 9. vbi super veræ orationis statu B. Antonij sententiam producens etsi Abbatis Isaaci nomine, suam esse inficietur tamen vt de se in omnibus & sentit abiectè & summissè loquitur, in communi atque eodem quo ille deuotionis affectu versari existimo. Sic enim Antonium nonnunquam in oratione perstitisse aiunt, *vt eodem in excessu mentis frequenter orante, cùm solis ortus cepisset infundi audirent eum in feruore spiritus proclamantem. Quid me impedis sol, qui ad hoc iam oriris, vt me ab huius veri luminis abstrahas claritate? Cuius etiam hæc quoque est super orationis fine cœlestis & plusquam humana sententia. Non est, inquit, perfecta oratio in qua se Monachus, vel hoc ipsum quod orat intelligit.* Æque Cassianum nostrum videre erat postquam aliquandiu quasi alienata à sensibus mente orasset, tanta diuinæ consolationis copia perfundi, tanta lachrymarum affluentia, vt ardescere totus ac colliquescere animo videretur. Sed nusquam nec vberius animam hi imbres neque suauius irrigabant, quàm vbi materies & argumentum suberat, quo impensa Dei beneficia, vel mortalium admissa scelera, vel Christi pro eorum expiatione patientis dolores meditanti subiicerentur.

Collat 9. c. 31.

5. Multus est in his enarrandis Collatione citata de diuersitate spiritualium lachrymarum, quas docet non vno affectu omnes, vel vna virtute depromi. *Aliter enim ille emanat fletus qui peccatorum spinâ cor nostrum compungere profertur, de quo dicitur. Laboraui in gemitu meo; lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum Deduc quasi torrentem lachrymas per diem & per noctem, & non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Aliter qui de contemplatione æternorum bonorum & desiderio illius futuræ claritatis exoritur, pro qua*

Collat. 9. cap. 29. & 30.
Psalm. 6.
Thren 4.

etiam vberiores lachrymarum fontes de intolerantia gaudij & alacritatis immensitate prorumpunt, dum sitit anima nostra ad Deum fontem viuum dicens. Quando veniam & apparebo ante conspectum Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte; cum eiulatu quotidie & lamentatione proclamans. Heu mihi quoniam incolatus meus prolongatus est, & multùm incola fuit anima mea. Aliter profluunt lachrymæ quæ absque vlla quidem talium criminum conscientia, sed tamen de metu gehennæ & horribilis illius iudicij recordatione procedunt cuius terrore Propheta percussus orat ad Deum. Non intres inquiens in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Est etiam aliud lachrymarum genus quod non pro sua conscientia, sed pro aliena duritia peccatisque generatur, qua Samuel Saulem, quo illam quoque ciuitatem Hierusalem, vel in præteritis Hieremias vel in Euangelio Dominus fleuisse describitur ita dicens. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo in die & in nocte interfectos filiæ populi mei. Vel certe quales illæ sunt lachrymæ de quibus in Psalm. 101. canitur quia cinerem sicut panem manducaui & poculum meum cum fletu miscebam. Quas certum est non illo affectu promi quo in 6. Psalmo ex persona pœnitentis emergunt, sed pro anxietatibus vitæ huius atque angustiis & ærumnis, quibus iusti in hoc mundo positi deprimuntur. Quod etiam Psalmi ipsius non solùm textus sed etiam titulus euidenter ostendit, qui ex persona pauperis illius de quo in Euangelio dicitur. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, ita describitur. Oratio pauperis cum anxiatus fuerit & coram Deo effuderit precem suam. Ab his ergo lachrymis multum distant illæ quæ obdurato corde de siccis oculis exprimuntur quas licèt non penitus infructuosas esse credamus, bono enim proposito earum attentatur emissio, ab his præsertim, qui nec dum vel ad scientiam peruenire perfectam vel pristinorum seu præsentium vitiorum potuerunt ad purum labe mundari. Ab his tamen qui in affectum iam transiere virtutum nequaquam debeo hoc modo extorqueri profusio lachrymarum, nec exterioris hominis magnoperè affectandi sunt fletus, qui etiam si fuerint vtcumque producti, nunquam pertingere ad illam spontanearum lachrymarum poterunt vbertatem. Magis enim supplicantis animum suis conatibus distrahentes humiliabunt, atque ad ima demergent, & ab illa cœlesti sublimitate deponent in qua attonita mens orantis indeclinabiliter debet esse defixa, eamque compellent precum suarum intentione laxata, erga steriles & coactitias lachrymarum guttulas ægrotare.

Psalm. 41. Psalm. 119. Psalm. 142.

6. Declarabat insuper insignem viri pietatem & incensum precandi studium, quod præter quotidianæ Psalmodiæ pensum contemplationisque nocturnæ, quocumque ingrederetur aut quidquid aggrederetur, ansas vbique & semper quæreret & captaret orandi. Maximè cum per vias iret, aut in grauiori opere ac munere domi laboraret, velut optatissima nactus otia, & à cæteris curis atque occupationibus libera, ea tota piis cogitationibus & sanctis precibus consumebat. In rebus momenti etiam leuioris vt videbatur, nihil tamen consueuerat prius constituere, quàm de genibus Deo supplicasset, pedem foras efferre, ni sui custodiam per idoneas

idoneas preces cœlitibus commendasset. Volebat denique vt sui semper orarent, aut aliquid pij meditarentur, dicebatque vtilius de sententia Patrum Ægytiorum breues quidem orationes, sed creberrimas fieri; illud quidem vt frequentius Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere possimus. Hoc verò vt insidiantis diaboli iacula quæ infligere nobis tunc præcipuè cum oramus insistit, succincta breuitate vitemus. Iterum de vtilitate breuis & tacitæ orationis docet, *frequenter quidem sed breuiter esse orandum, ne immorantibus nobis inserere aliquid nostro cordi insidiator possit inimicus. Istud namque est sacrificium verum quia sacrificium Deo spiritus contribulatus. Hæc salutaris oblatio, ista sunt pura libamina, istud sacrificium iustitiæ, istud sacrificium laudis, hæ sunt veræ ac pingues hostiæ, ista sunt holocaustomata medullata, quæ contritis & humiliatis cordibus offeruntur, quæque hac qua diximus disciplina & intentione spiritus exhibentes, efficaci poterimus virtute cantare. Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Lib. 2. Institut. c. 10. Collat. 9. c. 36.

Psalm. 140.

7. Astipulatur Augustinus ad Probam ita scribens. *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas & raptim quodammodo iaculatas: ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras, euanescat atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem sicut non est obtundenda si perdurare non potest; ita si perdurauerit non cito esse rumpendam. Absit enim ab oratione multa loquutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui est in orando rem non necessariam superfluis agere verbis: multum autem precari est eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Et plerumque plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam afflatu.*

Epist. 121.

CAPVT VI.

Religio & amor erga SS. Eucharistiæ mysterium.

1. EMicabant ex eo cùm in aliis semper actionibus virtutum, tum verò in vsu præsertim Eucharistiæ pietatis eximiæ signa. Quippe tunc diuinum ardorem & illecebras mentis tam notabiles præferebat, vt circumstantibus esset admirationi exundantibus interea lachrymis ac perenni affluentes tenerrimorum affectuum voluptate. Isque animi habitus ei semper postmodum constans erat, quoties vel inter sacra diuinam hostiam in præsentia & ante oculos propositam videret vel eam ipse contingeret vel cum non rarò statis horis in sacram ædem se reciperet atque ibi augustissimam Eucharistiam adoraret. Quæ vero consuetudo vetus & leges pristinæ Monachorum essent ad cœlestem hanc mensam ex cap. 11. ad librum 3. Institut. adiuncto constabit, quo omnem illum apparatum & solemnem ritum exponit his verbis. *Die Dominico vnam tantummodo Missam ante prandium celebrari mos erat, in qua Psalmorum atque*

Lib. 3. Institut. cap. 11.

orationum seu lectionum pro ipsius collectæ vel communionis Dominicæ reuerentia solemnius aliquid ac propensius impendentes, in ipsa Tertiam Sextamque pariter consummatam reputabant. Itaque fit vt de orationum obsequiis nihil imminuatur, adiectione scilicet lectionum, & nihilominus differentia quædam vel remissio videatur fratribus indulgeri, pro reuerentia dominicæ resurrectionis præ cætero tempore, quæ & totius septimanæ videatur obseruantiam relaxare, & pro hac ipsa quæ intermiscetur quadam differentia, eumdem diem velut festiuum prouocet rursum solemnius expectari, minúsque faciat hebdomadis venturæ ieiunia huius expectatione sentiri. Semper enim æquanimius qualibet fatigatio sustinetur & sine fastidio labor impenditur si interiecta ei vicissitudo quædam vel operis immutatio qualiscumque succedat.

2. Quo loco, etsi Missæ nomen pro conuentu Monachorum ad officium diuinum peragendum accipiatur aliquoties, nihil vetat in hoc conuentu etiam Missæ sacrificium comprehendi, cuius causa præcipuè Monachos Ægyptios ad Ecclesiam conuenire testatur ibidem cap. 2. Exceptis vespertinis ac nocturnis congregationibus nulla apud eos per diem publica solemnitas absque die sabbathi vel Dominica celebratur, in quibus hora tertia sacræ Communionis obtentu conueniunt. Quod in Oriente ab vniuersis Christianis in morem etiam perductum fuisse scribit Clemens. *Sabbathum*, inquit, *& Dominicum diem festum agimus, quia illud naturæ conditæ est monimentum, hic resurrectionis.* Et Socrates. *Cum festa cuiuslibet hebdomadæ occurrebant videlicet Sabbathum & dies Dominicus, in quibus conuentus in Ecclesiis fieri solent.* Vnam ergo Missam non plures memorat quod vix alius præter Abbatem in tota familia sibi arrogare auderet, vel concedi postularet sacerdotij dignitatem. Atque huius tanti officij seruitutem astringit Sabbathi aut Dominicæ festis diebus duntaxat, quibus solemnes Missæ ac publicæ tertia ab ortu solis hora celebrandæ indicebantur, ad popularem mysterij intelligentiam accommodatè, cum appetente hora sexta, ad quam protrahebatur tertia, secundum diei ritum Ecclesiasticæ in crucem actus sit Christus, vt ad expressam viui ac spirantis oris imaginem in altari dandum sacrificij spectaculum designaretur. Cuius etiam meminit Athanasius his verbis. Post tertiam synaxes conficies, quoniam ea hora defixum est lignum crucis. Priuatas licitè toto anni tempore quotidie celebrari solitas constare inter omnes video tum ob debitum Dei cultum tum ob commune fidelium viuentium & defunctorum bonum. De ea re ipse & Abbas Moyses inter se loquuti sunt cum de morte Heronis senis, pro cuius meritis aiunt, *laborum tantorum & annorum numerositate, qua in eremo perdurauit, hac miseratione & humilitate summa ab his qui eius compatiebantur exitio, vix à Presbytero Abbate Paphnutio potuit obtineri, vt non inter Biothanatos reputatus etiam memoria & oblatione pausantium iudicaretur indignus.*

Clemens lib. 7. Const. c. 24.

Athanasius lib. de Virg.

Collat. 2. c. 5.

3. Horum libenter factorum administer erat Cassianus antequam fieret ipse; deinceps sacerdotij ordine inauguratus sæpius templum obibat per diem, manè, vespere, eundo, redeundo è cella egrediendo, regrediendoque, domum, denique post vnam & alteram horam quas le-

ctioni

ctioni aut operi manuum impendisset continenter, atque aliàs non rarò. Inque his ante omnia augustissimam Eucharistiam tanto adorabat affectu animique contentione, vt inter suauissimos sensus se ipse non caperet, sed gaudio exuberante in suspiria & voces tenerrimi affectus abiret.

CAPVT VII.

Fiducia eius in Angelos ac præcipuè tutelarem suum.

1. ENim verò quàm arcta illi cum sanctis Angelis (vt erat similiter ipse angelicis moribus) ac præcipuè tutelari suo intercederet necessitudo, vel ex eo constare potest quod in rebus omnibus præsentes cerneret, & velut ad exemplum quod imitaretur respectaret, nec facilè dies abiret, quo sæpius cùm in ædem sacràm circum aras supplicatum se conferret salutare religiosè, & vbi tempus aut necessitas premeret, fidem eorum obtestari aut misericordiam implorare prætermitteret. Sed clariùs longè conceptam de eorum tutela fiduciam & opinionem expressit in prolixa illa iuxta & eleganti sermocinatione Sereni Abbatis quæ Collat. 8. cap. 7. & sequentibus præscripta habetur. Et hic mihi collocanda visa est nimirum vt aliorum bono tam insignium sublimiumque sententiarum monumenta suppeditentur.

2. *Ac primum de initio Principatuum & Potestatum, præfatur in hæc verba. Ante conditionem huius visibilis creaturæ spiritales cœlestésque virtutes Deum fecisse, quæ pro hoc ipso quod scirent, se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio creatoris ex nihilo fuisse productas, perpetuas ei gratias referentes indesinenter eius laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat. Nec enim existimare debemus creationis & opificij sui principia ab huius mundi constitutione Deum primitus inchoasse, quasi in illis anterioribus atque innumeris sæculis ab omni prouidentia & dispensatione diuina fuerit otiosus, ac tanquam non habens in quos bonitatis suæ exerceret beneficia, solitarius atque ab omni munificentia alienus fuisse credatur quod de illa immensa ac sine principio & incomprehensibili Maiestate satis humile est incongruumque sentire, ipso Domino de illis potestatibus hæc dicente. Quando facta sunt simul sidera laudauerunt me voce magna omnes Angeli mei. Qui ergo intersunt creationi siderum ante istud principium in quo factum dicitur cœlum & terra, creati fuisse manifestissimè comprobantur, quippe qui pro istis omnibus visibilibus creaturis, quas videbant ex nihilo processisse creatorem magna voce referuntur & admiratione laudasse. Ante istud ergo temporale principium quod à Moyse ponitur quodque mundi huius secundum historicum imo Iudaicum sensum signat ætatem, saluo scilicet nostro sensu, quo nos interpretamur omnium rerum Christum esse principium, in quo omnia creauerit Pater secundum illud. Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil. Ante istud inquam Geneseos temporale principium, omnes illas potestates cœlestesque virtutes Deum creasse non dubium est. Quas Apostolus per ordinem*

Collat. 8. c. 7.

nem dinumerans ita describit. Quia in Christo creata sunt omnia, siue quæ in cælis, siue quæ in terra sunt visibilia, & inuisibilia, siue Angeli, siue Archangeli, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.

3. Quo loco tradit secundum sententiam Doctorum Græcorum qui omnes teste D. Thoma 1. part. quæst. 61. art. 3. hoc concorditer sentiunt quod Angeli sunt ante mundum corporeum creati. Idque affirmare non est inquit reputandum erroneum, præcipuè propter sententiam Gregorij Nazianzeni, cuius tanta est in doctrina authoritas vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasij documentis, vt Hieronymus dicit, qui eorumdem opinioni astipulatur super Epistolam ad Titum. Etsi contrarium non tantùm probabilius sed & conuenientius videtur, decreto Concilij Lateranensis sub Innocentio III. In eo enim firma fide credendum statuitur Deum ab initio temporis simul vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corpoream, Angelicam & mundanam.

Epist. ad Titū cap. 1.

Ibi. cap. 10.

4. Addit insuper litigiosam concertationumque plenam disputationem. Num ruina seu præuaricatio eorum qui de Angelica statione deiecti sunt, specialiter ex inuidia processerit, quando Adamum & Euam liuida calliditate deceperunt, *quod Geneseos*, inquit, *lectio manifestè inficiatur, quæ ante illorum deceptionem serpentini nominis eum nota credidit inurendum, ita dicens. Serpens autem erat sapientior siue vt Hebraici exprimunt libri callidior cunctis bestiis terræ, quas fecit Dominus Deus. Intelligitis ergo quod ante illam circumuentionem, primi hominis de Angelica discesserat sanctitate. Ita vt non solùm nominis huius insigniri mereretur infamia, sed etiam in nequitia tergiuersatione cæteris præferretur bestiis terræ. Non enim tali vocabulo scriptura bonum Angelum designasset nec de his qui in illa beatitudine perseuerant diceret, serpens autem erat sapientior omnibus bestiis terræ. Nam hoc cognomen non solum Gabrieli siue Michaeli nullo modo posset aptari, sed ne bono quidem cuiquam homini conueniret. Apertissimè itaque & serpentis vocabulum & comparatio bestiarum, non sonat Angeli dignitatem sed præuaricatoris infamiam. Denique liuoris ac seductionis materia qua vt hominem deciperet instigatus est, de anterioris ruinæ extitit causa quod scilicet de limo terræ nuperrimè figuratum, ad illam eum gloriam cerneret euocandum, vnde cùm esset vnus de principibus, se meminerat corruisse. Et idcirco priorem eius lapsum quo superbiendo corruerat, quo etiam serpens meruerat nuncupari, secunda ruina per inuidiam subsecuta est, quæ inueniens eum adhuc aliquid in sese rectum habentem ita vt etiam cuiusdam colloquij atque consilij cum homine posset habere consortium, sententia Domini vtiliter in ima deiectus est: vt non iam sicut ante sublime aliquid intuens excelsus incederet, sed vt solo cohærens reperet & humiliatus super ventrem terrenis vitiorum escis & operibus pasceretur, occultum deinceps publicans inimicum, ac ponens inter ipsum & homines vtiles inimicitias salutarémque discordiam, vt dum cauetur tanquam hostis noxius, amicitiis fraudulentis vlterius homini nocere non posset.*

5. Tum

5. Tum ad eorum ferocitatem comprimendam & impetus retardandos vt erigat omnium nostrum cupiditates & acuat industriam, proponit pœnas in eos, qui faciliores se in malis consiliis audiendis admittendisque præberent. *Quod licet deceptionis author congrua pœna & condemnatione plectatur, ne ille quidem qui seducitur supplicio careat, licet aliquantulo leuiore, quàm ille qui author deceptionis extiterit. Quod hic expressum plenissimè cernimus. Adam namque qui seductus est, imo vt Apostoli verbis eloquar qui seductus non est, sed seductæ acquiescens in exitialem videtur accessisse consensum; sudore vultus ac labore tantummodo condemnatur qui tamen illi non per suam sed per terræ maledictionem sterilitatémque decernitur. Mulier verò quæ huius rei persuasor extitit, multiplicationem gemituum & dolorum atque tristitiæ promeretur, perpetuo pariter iugo subiectionis addicta. Serpens autem qui primus incentor huius offensæ est perenni maledictione multatur. Quamobrem summa sollicitudine & circumspectione cauendum est à consiliis prauis, quia sicut authorem puniunt ita deceptum nec peccato faciunt carere nec pœna.*

6. De causis præterea ex quibus Hierarchiæ diuersa inter se cognomina sortiuntur, quid sentiret scriptum fecit cap. 14. & 15. *Officiorum & meritorum seu dignitatum esse nomina nulli dubium est. Ac de officio nunciandi, Angelos id est nuncios appellari manifestum est, & Archangelos eò quod ipsis Angelis præsint nominis ipsius proprietas docet. Dominationes etiam ab eo quod quibusdam dominentur. Et Sedes quod ita scilicet Deo cohæreant, & domestica sint ei, ac familiares vt in ipsis velut in quadam sede diuina maiestas peculiariùs requiescat, & quodammodo in eis firmius reclinetur. Principatus quoque vel Potestates quod scilicet vel diuersis gentibus dominentur, ac præsint; vel certè quod in inferiores spiritus atque dæmonia (de quibus etiam Euangelia, legiones esse propria ipsorum confessione testantur) suos exerceant principatus. Regi autem immundos spiritus à nequioribus potestatibus eisque subditos esse præter illa scripturarum testimonia, quæ in Euangeliis quoque calumniantibus Pharisæis Domini legimus responsione descripta. Si ego inquit in Beelzebut Principe dæmoniorum eiicio dæmonia etiam perspicua visiones & experimenta sanctorum multa nos edocent; De quibus infrà.*

7. Plures illorum legebat sibi in aduocationem, sed imprimis tutelarem suum, cum nescius non esset singulatim vnicuique hominum in custodiam à Deo singulos Angelos delegari, quod ex scriptis illius ibidem cap. 17. intelligitur. *Nam quod vnicuique nostrum duo cohæreant Angeli, id est bonus & malus scriptura testatur. De bonis quidem saluator. Ne contemnatis inquiens vnum ex pusillis istis, dico enim vobis quod Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Illud quoque immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eripiet eos. Nec non etiam quod in Actibus Apostolorum de Petro dicitur, quia Angelus eius est. De vtrisque vero liber Pastoris plenissimè docet. Si autem consideremus & illum qui B. Iob expetit, apertissimè instruemur illum fuisse qui semper insidiatus ei, nunquam eum ad peccatum potuerit incitare, & idcirco potestatem à Domino poposcisse, velut qui non virtute illius sed Domini defensione, qui illum*

semper protexerat vinceretur. De Iuda quoque dicitur & diabolus stet à dextris eius.

8. Meminerat in suis precibus eorum etiam qui in domiciliis sedem collocassent vel collocaturi essent, ne quid eorum animis illa nequissimorum spirituum contagio vmbraue officeret. Quin & sanctos cuiusque loci patronos ac defensores contra eosdem spiritus implorabat, præsertim eos qui non tam tectis essent infesti, quàm corporum pudicitiæ. Rem de eo narrat, qua intelligi possit quàm iuuet magnis difficultatibus affectos atque afflictos confugere ad opem Angelorum ac præcipuè tutelarium suorum, eosque habere quasi in potestate, promptosque ad afferendam virtutem & imminentis mali molem à ceruicibus nostris depellendam. *Nam cùm vnus*, inquit, *ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret aduesperascente iam die, antrum quoddam reperiens ibidem substitit, vespertinam volens in eo Synaxim celebrare. Vbi dum Psalmos de more decantat, tempus mediæ noctis excessit. Cùmque finita solemnitate refecturus lassum corpus paulullum resedisset, repente cœpit cateruas dæmonum vndique confluentium innumerabiles intueri, quæ infinita constipatione atque ordine longissimo procedentes, aliæ præibant principem suum, aliæ sequebantur. Qui tandem aliquando & magnitudine procerior cunctis, & aspectu terribilior aduenit, ac posito solio cùm in tribunali quodam sublimissimo consedisset, vniuscuiusque actus diligenti cœpit examinatione discutere, illósque qui nec dum se circumuenire æmulos suos potuisse dicebant, velut inertes ignauosque à conspectu suo cum nota & iniuria iubebat expelli, spatia tanti temporis & opus inaniter expensum cum fremitu furoris exprobrans. Illos verò, qui se nuntiabant consignatos sibimet decepisse, summis laudibus cum exultatione ac fauore cunctorum, vt fortissimos bellatores ad exemplum cunctorum gloriosissimos coram omnibus emittebat. In quorum numero cum quidam nequissimus spiritus, vt pote quemdam triumphum sublimissimum delaturus lætior aduenisset, nomen Monachi optimè cogniti designauit, asserens se post quindecim annos quibus eum iugiter obsedisset, tandem aliquando præualuisse vt eum eadem ipsa nocte ruina fornicationis elideret: Nam cum quadam sacra puella, non solum impulisse vt stupri crimen incurreret; sed etiam persuasisse vt eam sibi iure coniugij retentaret. Super cuius relatione cum immane cunctorum gaudium fuisset exortum, summis à principe tenebrarum laudibus eleuatus magnisque præconiis coronatus abscessit. Aurora itaque superueniente cum omnis hæc ab oculis euanuisset dæmonum multitudo, dubitans frater de assertione spiritus immundi, magisque iratus quod inolita consuetudinis suæ fallacia sibi voluisset illudere, & innocenti fratri inurere crimen incesti, memor Euangelicæ sententiæ quod in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cùm loquitur mendacium, de propriis loquitur quia mendax est & pater eius, Pelusium petiit vbi illum quem spiritus immundus asseruit esse deiectum nouerat commorari. Erat siquidem illi etiam notissimus frater. Quem cum requisisset reperit quod eadem nocte qua teterrimus ille dæmon ruinam eius suæ cohorti vel principi nuntiauerat, Monasterio pristino derelicto vicum petisset, & cum designata puella fuisset lapsu miserabili deuolutus.*

Ibid. cap. 16.

CAPVT

CAPVT VIII.

Animi interiora, & ingis Cellæ perseuerantia.

1. CÆterum si vsquam alibi seuerus certè in lingua diligentissimè continenda & errandi vagandique latius cupiditate coërcenda penitúsque resecanda cum primis fuit. Etsi enim hoc solitudinis studium & ab hominum frequentia recessus cuilibet homini Christiano laudatum esse debet, tum verò iis, qui ad perfectionem contendunt adeo est necessarium, vt parum in hac vita progredi possit, qui non multum in eo se exercuerit, ob idque, vt opinor, religiosus quidam ac pius vir aliquando dixit nunquam se cum hominibus egisse, quin domum minor homo redierit.

2. Magnopere igitur hortabatur & suadebat Cassianus *Christi verum athletam qui agonem perfectionis cuperet legitime decertare hunc quoque morbum de latebris animæ suæ extrudere, & ita contra hunc quoque nequissimum acediæ spiritum vtrobique contendere, vt neque somni telo elisus concidat, neque de Monasterij claustris expulsus, quamuis sub prætextu coloris pij, fugitiuus abscedat. Quemcumque enim in qualibet parte ceperit superare, aut tanquam inertem & desidiosum sibi patietur absque vllo profectu spiritus in cellula commorari, aut excussum exinde instabilem de cætero reddet ac vagum, & ad omne opus desidem, cellas fratrum ac Monasteria iugiter faciet circum ire nihilque aliud procurare, quàm vbi quoue colore occasionem refectionis futuræ valeat præparare. Mens enim otiosi nihil aliud cogitare nouit, quàm de escis ac ventre, donec inuenta quandoque sodalitate cuiusquam viri vel fœminæ æquali tepore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus inuoluatur, & ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, vt tanquam serpentinis spiris obstrictus numquam deinceps ad perfectionem professionis antiquæ se valeat enodare.* Lib. 10. Instit. cap. 5.

3. Aiebat ferè nihil Monachis æque incommodare, atque eam, quam cum sæcularibus tum humanis officiis tum mutuis colloquiis ad animi salutem non pertinentibus contrahunt fouentque amicitiam & familiaritatem. Siquidem contingere vix vnquam potest vt hisce familiaritatibus à cellæ custodia celerrimè fastidio quodam & satietate non ab alienentur eorum animi, ac tandem illud non erumpat solitudinis tædium & anxietas cordis. *Vagis maximè*, inquit, *& solitariis magis experta; & in eremo commorantibus infestior hostis ac frequens, qui eum miserabilem obsederit mentem, horrorem loci, fastidium cellæ, fratrum quoque qui cum eo vel eminus commorantur tanquam negligentium ac minus spiritualium aspernationem gignit atque contemptum. Ad omne quoque opus quod intra septa sui cubilis est, facit desidem & inertem. Non eum in cella residere, nec operam sinit impendere lectioni, nihilque se proficere tanto tempore in eadem commorantem crebrius ingemiscit, nec habere se fructum aliquem spiritualem* Ibid. c. 2 & 3.

donec fuerit illi consortio copulatus; conqueritur atque suspirat & ab omni se dolet spiritali quæstu inanem in locoque vacuum consistere, vt pote qui cum posset etiam alios regere ac prodesse plurimis, nullum ædificauerit nec quemquam institutione sua doctrináque lucratus sit. Absentia longéque posita magnificat Monasteria, loca etiam illa magis ad profectum vtilia, & saluti congruentiora describit, consortia quoque ibidem fratrum suauia & plena spiritali conuersatione depingit. E contra vniuersa quæ habentur in manibus aspera, & non solum ædificationem nullam esse in fratribus qui morantur in loco, sed ne ipsum quidem victum corporis absque ingenti labore conquiri. Postremo non posse se saluari putat in eo loco durantem, nisi relicta cella cum qua sibi si adhuc in ea fuerit remoratus, pereundum erit, exinde semetipsum quantocyus asportauerit. Deinde lassitudinem corporis cibique esuriem quinta sextaque hora tantam suscitat, vt velut longo itinere grauissimoque labore confectus sibimet lassúsque videatur, aut quasi refectionem cibi biduano ieiunio triduanoque distulerit. Tum præterea huc illucque anxius circumspectat, & nec fratrem sibi quempiam aduentare suspirat, sæpiusque ingreditur & egreditur cellam ac solem velut ad occasum tardius properantem crebrius intuetur: & ita quadam irrationabili mentis confusione velut tetra suppletur caligine, omnique actu spiritali redditur otiosus ac vacuus, vt nulla re alia tantæ oppugnationis remedium quam visitatione fratris cuiuspiam seu somni solius solatio posse æstimet inueniri. Deinde honestas idem morbus ac necessarias suggerit salutationes fratribus exhibendas, visitationésque infirmorum, vel eminus vel longius positorum. Quædam etiam pia ac religiosa dictat Officia, illos vel illas debere parentes inquiri & ad salutandos eos crebrius properari; illam religiosam deuotamque Deo fœminam omni præsertim parentum præsidio destitutam, magnum opus esse pietatis frequentius inuisere ac si quid ei sit necessarium, quæ à propriis parentibus negligitur atque despicitur, sanctissimum procurari, magisque oportere in his operam pietatis impendi, quàm infructuosè ac sine vllo profectu in cellula residere. Agitur itaque infœlix anima talibus inimicorum machinis impedita, donec acedia spiritu velut ariete validissimo fatigata, aut in somnum discat concidere, aut excussa claustris cellulæ suæ consolationem impugnationis huius visitatione fratris consuescat acquirere; hoc quo vtitur ad præsens remedio paulo post acrius infirmanda. Frequentius enim ac durius aduersarius attentabit eum, quem conserto prœlio prabiturũ cominus sibi terga cognoscit salutémque sibi nec de victoria nec de conflictu sed de fuga sperare peruidet, donec paulatim protractus è cella actus suæ professionis incipiat obliuisci, qui non est aliud quàm intuitus & contemplatio diuinæ illius & excellentis super omnia puritatis, quæ non alibi potest nisi in silentio & iugi cellæ perseuerantia ac meditatione conquiri atque ita militiæ suæ fugitiuus ac desertor Christi miles effectus, implicet se negotiis sæcularibus ei cui se probauit minimè placiturus.

4. At enim consilium hoc ad religiosæ disciplinæ profectum & commendationem prudenter à senioribus traditum, cùm secus ac debuerat, quod sæpè per imprudentiam fit, non sine detrimento atque piaculo vsurparet facilè seipsum ab Abbate Moyse redargui refellique passus est. *Huic enim*, inquit, *omnium sanctorum summo dum incipiens in Eremo commorari dixissem*,

Ibi. cap. 25.

dixissem, me ægritudine acediæ hesterno die grauissimè fuisse confectum, nec ab ea potuisse aliàs liberari nisi ad Abbatem Paulum protinus cucurrissem. Ille. Non te ait ab ea liberasti, sed magis ei te deditum ac subditum præbuisti. Grauius enim te vt desertorem ac fugitiuum deinceps aduersarius impugnabit, quem de conflictu superatum protinus an fugisse conspexit nisi de cætero commissa congressione non desertione cellæ, vel somni torpore ingruentes æstus eius ad horam euaporare malueris, sed tolerantia potius & conflictu didiceris triumphare. Vnde experimento probatum est acediæ impugnationem non declinando fugiendam, sed resistendo superandam.

5. Nec verò cessationis eius liberæ & otiosæ, cui desidiæ labes inspergitur, sed etiam illorum operum quæ euagatione corporis grauarentur magis quàm releuarent cordis anxietatem, noxia religiosis consuetudo est. Vix enim non ipsis aliquid hæret, si non indecorum at certè minimè decorum, quod etsi comparere in sæculo siue turpitudine potest, transferri tamen ad religionem siue iactura & perniciè sanctitatis non potest. *Et ideirco,* inquit, *ei qui de interioris hominis puritate peruigilem sollicitudinem gerit, expetenda sunt loca, quæ mentem eius nulla ad culturæ distentionem, vbertatis suæ fœcunditate sollicitent, nec de cellulæ fixa atque immobili statione perturbent, atque ad aliquod subdiuale opus prodire compellant, & ita velut in apertum effusis cogitationibus omnem mentis directionem ac subtilissimum certè illius destinationis intuitum, per diuersa dispergat, quæ à nemine prorsus quamuis sollicito ac vigilanti vel caueri poterunt vel videri, nisi qui animum suum atque corpus iugiter intra parietum septa concluserit, vt ita quis velut piscator egregius victū sibi Apostolica arte prospiciens, in tranquillissimi cordis sui profundo agmina cogitationum natantia, intentus atque immobilis captet; & tanquam de prominenti scopulo curiosè profunda prospectans, quas ad se homo attrahere debeat salutari, quas verò tanquam malos ac noxios pisces negligat ac refutet, sagaci discretione diiudicet. In hac ergo vnusquisque custodia iugiter perseuerans efficaciter illud implebit, quod per Abacuc Prophetam satis euidenter exprimitur. Super custodiam meam, inquit, stabo & ascendam super Petram & speculabor vt videam quid loquatur in me, & quid respondeam ad arguentem me. Quod quanti laboris ac difficultatis sit experimentis illorum, qui in illa Calami siue Porphyrionis Eremo commorantur, manifestissimè comprobatur. Nam cum longiore solitudinis interuallo ab vniuersis vrbibus & habitaculis hominum, quàm Eremus Scythi, diuidantur, septem siquidem vel octo mansionibus vastissimæ solitudinis deserta penetrantes, vix ad cellularum suarum secreta perueniunt, tamen quia illi agriculturæ dediti claustris minimè cohibentur, cum ad hæc squalida in quibus degimus, vel ad illa Scythiotica venerint loca tantis cogitationum æstibus, tanta animi anxietate vexantur, vt quasi rudes & qui solitudinis exercitia ne leuiter quidem aliquando contigerint, commorationem cellæ & quietis silentia tolerare non possint, atque ex eis statim excussi tanquam expertes & nouitij perturbentur. Non enim sedare interioris hominis motus & cogitationum suarum tempestatibus obuiare, iugi sollicitudine ac perseueranti intentione didicerunt, qui subdiualibus quotidie operibus desudantes, tota die sub aërea inanitate non solum corpore verum etiam mente peruo-*

Collat. 24. cap. 3. & 4.

litant & cogitationes suas cum mobilitate corporea passim in aperta diffundunt. Et idcirco multiuolam animi sui sentiunt vanitatem, nec eius lubricos possunt coërcere discursus, nec contritionem spiritus ferentes intolerabilem sibi ipsam silentij sui aestimant iugitatem ac laboriosis ruris operibus indefessi vincuntur otio, & quietis suae diuturnitate lassantur.

6. *Nec mirum si in cella quis residens, quasi intra arctissimum claustrum cogitationibus congregatis anxietatum multitudine suffocetur, quae de carceribus habitaculi cum homine prorumpentes, continuo velut equi effraenes in diuersa peruolitant, sed cum ad praesens de suis velut stabulis euagentur, capitur statim aliquod vel breue vel triste solatium. Cum vero corpore ad cellam propriam remeante rursus quasi ad sedem suam cuncta cogitationum caterua recurrerit, grauiores excitat stimulos ipsa inueterata licentiae consuetudo. Hi ergo qui necdum possunt vel nolunt voluntatum suarum instigationibus reluctari, cum acedia pectus insolitum vehementius impugnante intra cellam fuerint anxiati, si progrediendi saepius libertatem sibi remissa districtionis lege concesserint, acriorem aduersum se pestem hoc vt putant remedio suscitabunt sicut gelidissima aqua haustu vim internarum febrium quidam restinguere posse se credunt, cum vtique accendi ex hoc ignem illum constet potius, quam sedari, siquidem momentaneam illam releuationem multo grauior consequetur afflictio. Quamobrem ita Monachi omnis intentio in vnum semper est defigenda, cunctarumque cogitationum eius ortus ac circumitus in idipsum id est ad memoriam Dei strenuè reuocandi, velut si quis absidis cameram volens in sublimè concludere, subtilissimi illius centri lineam iugiter circumducat, ac secundum certissimam normam omnem rotunditatis parilitatem & structurae colligat disciplinam. Qui verò eam absque illius medietatis examine consummare quamuis summa artis aut ingenij praesumptione tentauerit impossibile est vt aequalitatem circumitus illius sine errore custodiat, aut quantum vera rotunditatis pulchritudini errando subtraxerit, solo deprehendat aspectu, nisi ad illum indicem veritatis semper recurrens, atque eius arbitrio interiorem operis sui ambitum exteriorémque castigans, tam excelsae magnitudinis molem vnius puncti lege concludat. Ita etiam mens nostra, nisi solam Domini charitatem velut centrum immobiliter fixum per vniuersa operum molitionúmque nostrarum momenta circumagens, probabili vt ita dixerim circino charitatis omnium cogitationum vel aptauerit vel repulerit qualitatem, nequaquam structuram illius artificij spiritalis cuius Paulus est architectus probabili arte molietur; nec pulchritudinem domus illius possidebit, quam B. Dauid in corde suo Domino cupiens exhibere, Domine, inquit, dilexi decorem domus tuae & locum habitationis gloriae tuae sed indecoram in corde suo atque indignam Spiritu Sancto domum continuóque lapsuram imprudenter attollet, non glorificandus beati cohabitatoris hospitio, sed ruina constructionis suae lugubriter opprimendus.* Haec in collocutionibus apud suos Cassianus coetu frequente.

7. Etenim hanc vnam & certam ianuam eámque latissimè patentem esse constat inter spiritualium rerum magistros, qua in religiosas familias prophani mores facili aditu ingrederentur, breuique fieret, vt quae prius esset

esset Monachorum sodalitas in olitorum contubernium nullo negotio transiret, & Schola virtutum in rusticana villicorum fructuariorum mancipia commutaretur. Hanc ob rem Dositheus sæpenumero cùm pulchrè & eleganter ægrotantium lectulos strauisset, forteque illac pertransiret B. Dorotheus vir piarum rerum bene peritus & orandi studio eximiè deditus, statim ille dicebat. Pater, Pater cogitatio mentis meæ mihi dicit Pulchrè & eleganter lectulos sternis. Cui B. aiebat Dorotheus. Papæ, fili, ecce bonus effectus es seruus, euasisti etiam aulicus minister & elegantulus, non tamen bonus ac probus effectus es Monachus. Quasi vera illa sanctitatis forma qua qui præditus est Monachi nomine dignus efficitur in animo eruditione ac seuera cupiditatum moderatione potius, quàm in laboribus & acerba corporis tractatione consistat.

CAPVT IX.

Vsus cognitionis exercendæ in conscientiam suam.

1. QVia tamen animus non solùm vitiis perpurgandus ad perfectam puritatem, sed etiam virtutibus exornandus, nec faciendum bonum duntaxat, sed æque declinandum à malo, sua etiam adminicula & propria instrumenta quæsiuit Cassianus ad hanc vtramque Christiani officij partem & in ea quidem quæ consistit in fuga vitiorum, ne quotidianæ suæ exercitationes hebescerent; excogitauit scilicet vir religiosissimus nouam præterea industriam tuendi seruandique earum sempiternum vigorem, qua constanter adhibita nullum aut inserendis virtutibus aut exscindendis vitiis præstantius præsentiusve esse remedium asseuerabat. Nimirum horis interdiu singulis animum assueuerat accurate colligere ac sepositis curis à seipso eccuius noxiæ sibi conscius esset, rationes exigere. Cùm enim in quouis fere homine vnum aut alterum vitium siue peccatum præcipuum esse contingat, quodque in eo sit quasi causa & radix aliorum, ac plura licet in aliquo præcipua essent, tamen fieret quod vtile sit quodque expediret, si vnum deligeretur dumtaxat, ad quod sigillatim extirpandum quisque incumberet & eo superato ad aliud & aliud deinceps hunc conatum & studium suum transferret.

2. Huic igitur rei adhibebat examen particulare & quotidianum, certa diei tempora complectens, ad dispositionem sui ac multiplicem discussionem accommoda. Vt primùm lecto eripuerat sese, proponebat diligentem sui custodiam sigillatim circa vitium, à quo emendari cuperet. Deinde rationem ab anima sua exigens, dieique singulas partes percurrens ab ea hora qua surrexerat vsque ad præsentem quoties id peccati seu delicti genus commisisset annotabat, manuque pectori admota dolebat de lapsu. Postremò enumeratis comparatisque vicibus considerabat, an à priori examine vsque ad secundum aliqua successisset emendatio, quin & hodiernæ atque hesternæ diei atque etiam hebdomadarum duarum collatis inter se examinibus, pari modo factæ vel omissæ emendationis.

dationis rationem habebat. Quem agendi modum cum in aliis tum verò in hominibus pie occupatis tanquam magis expeditum probabat, & ita singulis familiarem optabat esse, vt si negotium intercederet grauius, vel exercitatio aliqua tanta quæpiæ deuotionis illius cursus retardaret, proxima hora vel certè primo quoque tempore confestim factam iacturam sarcirent, tametsi nunquam ille externis laboribus adeo se impendebat, vt interioris gaudij sensa prorsus amitterentur.

3. Exemplum ab eo literis mandatum reperio in hæc verba, de hoc instituendo aduersum vitia certamine secundum ipsorum infestationem. *Quamobrem ita nobis aduersus hæc arripienda sunt prælia, vt vnusquisque vitium quo maximè infestatur explorans aduersus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem obseruationémque defigens aduersus illud quotidiana ieiuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria crebráque gemituum tela contorquens, aduersus illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinenter quoque orationum ad Deum fletus fundens, & impugnationis suæ extinctionem ab illo specialiter ac iugiter poscens. Impossibile namque est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse, cùm tamen vt valeat emundari necesse sit cum die noctuque in omni cura & sollicitudine permanere. Cumque se ab ea senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, & exploret, quàm sibi inter reliquas perspexerit diriorem, atque aduersus eam specialius omnia spiritus arma commoueat, & ita semper validioribus superatis celerem de residuis habebit facilémque victoriam, quia & mens triumphorum processu reddetur fortior, & infirmorum pugna succedens promptiorem ei prouentum faciet præliorum vt fieri solet ab his, qui coram regibus mundi huius omnigenis congredi bestiis præmiorum contemplatione consueuerunt, quod spectaculi genus vulgo pancarpum nuncupatur. Hi inquam feras quascumque fortiores robore vel feritatis rabie conspexerint diriores, aduersus eas prima congressionis certamen arripiunt, quibus extinctis, reliquas quæ minus terribiles minusque vehementes sunt, exitu faciliore prosternunt. Ita & vitiis semper robustioribus superatis atque infirmioribus succedentibus, parabitur nobis absque vllo discrimine perfecta victoria. Nec tamen putandum quod principaliter quis contra vnum dimicans vitium, & velut incautus aliorum tela prospiciens, inopinato ictu facilius valeat sauciari, quod nequaquam fiet. Impossibile namque est eum, qui pro cordis sui emundatione sollicitus erga impugnationem vitij cuiuslibet, intentionem suæ mentis armauerit, aduersus cætera quoque vitia, generalem quemdam horrorem & custodiam similem non habere. Quo enim modo vel de illa quæ absolui desiderat passione merebitur obtinere victoriam, qui se indignum purgationis præmio aliorum facit contagio vitiorum? sed cum principalis cordis nostri intentio velut specialem sibi pugnam aduersus vnam exceperit passionem, pro ipsa orabit attentius, peculiari studio ac sollicitudine supplicans, vt eam diligentius obseruare & per hæc celerem mereatur obtinere victoriam. Hunc namque nos ordinem præliorum exercere debère, nec tamen*

Collat. 5. cap. 14.

de

de nostra virtute confidere etiam legislator his docet verbis. Non timebis eos quia Dominus Deus tuus in medio tui est. Deus magnus & terribilis ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes. Non poteris delere eas pariter, ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo & interficiet illos donec penitus deleantur.

4. Ipse autem ad amussim præcepta regulasque omnes, quæ huic examini faciendo præscribit sequebatur, idque vt per quam accuratè perficeret, duabus se rebus excitabat, imprimis cogitando, quantum ex eo ad animi fructum atque lætitiam capturus esset emolumentum. Deinde etiam exemplo & authoritate S. Chrysostomi Magistri sui amantissimi, Antiochiæ operam piis concionibus nauantis, qui summa id cura iam aliàs inter dicendum populo commendauerat. *Quemque vestrum itaque rogo, vt si non antea deinceps, saltem quem se plus aliis vexare defectum cognouerit, hunc ex animo præcidere studeat & pia quadam cogitatione quasi spirituali vtens gladio semetipsum à vitio liberet. Idoneum enim Deus nobis contulit sensum, & si parum velimus respicere valentem, & quodcumque nascens in nobis vitium superare.* Tum aliàs super illud Ioannis cap. 18. Egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, &c. *Discamus igitur & vitia nostra recensentes & tempore corrigamus, & hoc mense vnum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur, & sic tanquam per gradus quosdam ascendentes per scalam Iacob ad cælum perueniemus. Etenim scala illa mihi per illam visionem paulatim per virtutes ascensum significare videntur, per quam à terra in cælum ascendere nobis, licet, non gradibus sensibilibus sed morum incremento & correctione.* De virtutibus quod subiicit, intelligere licet eodem ipso tempore, quo aggredimur examen istud adhibere vitio alicui aut prauæ propensioni exscindendæ, simul actus virtutis contrariæ exercendos esse, eadémque ratione præsentem diem cum hesterno conferendum, & cum profectu profectum, longiùs nos quoque progredi & ardentioribus inflammari studiis oportere.

Homi 73.

Homi. 81.

5. Hanc habuit à Cassiano descriptam viam hæc signata vestigia quibus ad præstantissimam sanctitatem profecerit sanctissimus Patriarcha noster Ignatius, authore Nicolao Orlandino in historia societatis, vbi de eo scribit in hunc modum. *Examinandæ conscientiæ seueram sibi legem prefixit. Quâ in cura ita processit vt interdiu pariter ac noctu præter breues quietis inducias singulis horis horologij sonitu admonitus, hanc secum accurate quæstionem exerceret; cogitata, dicta, facta in indicium vocans. Neque hoc satis fuit homini ad summa tendenti, sed inuenit alterum illud genus examinis, quod particulare nominauit; quo ad vitiorum non solum victoriam sed extinctionem excisionémque vtebatur; vno sibi è molestissimis & grauissimis assumpto, cum quo tanquam singulari certamine dimicaret. Aduersus quod, vbi primum è somno excitabatur, erectus, in sui custodiam in eaque toto die persistens, si fortè laberetur, statim animo dolens admotaque manu pectori vel alio edito signo, quod pro monitore sibi esset, ac si qui interessent falleret, sub meridiem ac vesperam implorata ad reminiscendum ope diuina, exacta die*

Tome 1 l. 16. n. 106.

singillatim excutiebat horas, numeróque inito lapsuum & notato ac proponens emendationem intentioremque vigiliam conferebat pomeridianum tempus cum matutino, diem instantem cum hesterno, hebdomadam cum hebdomada, mensem cum mense; attenti ritu negotiatoris, lucri momenta ad calculum identidem reuocantis. Ad hæc ne qua fortè subterfugeret sagacem virum alicubi latens labes, singillatim præcepta Domini atque Ecclesiæ & septem criminum capita scrutabatur, proprio quodam exercitationis genere considerationem semper cum precatione consocians. Eodémque modo, ne qua siue exterioris siue interioris hominis pars neglecta atque inculta maneret, vbi malæ pullularent germina, sese circumspectans totum, singulas animi facultates separatim recognoscebat, singulos excutiebat corporis sensus: in eorum vsu imitandum sibi Christum Dominum vel Reginam cœli proponens.

6. Alterum prætereà examen quod nos generale appellamus semel iterúmque per diem vnà cum cæteris ex instituto maiorum & sanctissima disciplina, horis constitutis habebat, eaque libertate qua non pateretur vel vnum aliquod ex hisce pietatis officiis, quouis humanitatis respectu, vllo abs se die fuisse suo tempore intermissum, affirmarétque his potissimum & haud certioribus aliis religiosæ vitæ præsidiis, ad egregiam puritatem perfectionémque posse perueniri.

7. Quamuis autem res ipse suas acriter admodum minutatimque discuteret, ea tamen animi contentione diligentiaque præueniebat minimas etiam cogitatiunculas, ac motus quoscumque primores & affectus, propensionésque, vt perpetuò in se intentus frustrà culparum næuos, quas certa apud se ipse pœna mulctaret, videretur exquirere. E contrario si curiosius inuestigares vix occurrisset virtus, quæ non in illo tanquem lumen aliquod elucerét magis, quò magis occultaretur. Nascebatur illi hæc tam insignis perfectio ex perpetua familiaritate cum Deo, qua consueuerat non in oratione tantum mentem suam ad cœlestia attollere, atque ad ea quæ à sensibus remota sunt penetrare, sed vniuersas res atque actiones singulas ad ipsum referre & quantulacumque ea essent quæ ad hanc Dei familiaritatem valebant, principe studio omnia prosequebatur, vt nihil nisi eo consulto aggrederetur; tum in negotiis exequendis crederes cum eo præsentissimo semper assistere.

CAPVT X.

In ieiuniis, vigiliis, & vestitu rigor.

Lib. 1. c. 10.

1. AD illam victus parsimoniam ac duritiam, quam aliàs vt supra memoraui, erat complexus. Neque vnquam deinde abiecerat, complura in singulas hebdomadas plena ieiunia adiunxit, sic vt quot hebdomadibus, minimum quinque seruaret stata ieiunia, nempe feria secunda, tertia, quarta, quinta, sexta. Nam ieiunij absolutio vti testatur ipse in die Dominica simul & Sabbathi statuta non immerito præsumebatur

tur per vniuersas Orientis Ecclesias, sic habent eius verba. *Absolutio ieiunij reputanda est, his præsertim qui ab omni Iudaica superstitione alieni monstrantur, sed ad refectionem quam diximus lassi corporis pertinere, quod per totas anni septimanas iugiter quinis diebus ieiunans, nisi duobus saltem interpositis refocillatum fuerit, facilè lassescit ac deficit.* Tum infrà *Differentia quædam vel remissio videatur fratribus indulgeri pro reuerentia Dominicæ resurrectionis præ cætero tempore, quæ & totius septimanæ videatur obseruantiam relaxare; & pro hac ipsa quæ intermiscetur quadam differentia, eumdem diem velut festiuum prouocet, rursum solemnius expectari, minusque faciat hebdomadis venturæ ieiunia huius expectatione sentiri. Semper enim æquanimius qualibet fatigatio sustinetur, & sine fastidio labor impenditur, si interiecta ei vicissitudo quædam vel operis immutatio qualiscumque succedat.* Similiter in diebus Quinquagesimæ constat ex Collat. 21. per omnia eamdem solemnitatem quam die Dominica custoditam fuisse, in qua maiores nostri, nec ieiunium, inquit, agendum nec genu esse flectendum ob reuerentiam resurrectionis Dominicæ tradiderunt. De Latinis verò & Occidentalibus quemadmodum Sabbathi ieiunium in morem perduxerunt notat, idque seuerius paulo animaduertit ibidem cap. 10. Et ita per familiaris hæc ei abstinentia fuit, vt in omni vita sua ne transuersum vnguem à quotidianis & canonicis ieiuniis discederet, eóque duntaxat indulgentiam remissionis progredi pateretur, vt cibus, qui hora diei nona fuerat capiendus, paulo citius id est sexta hora pro festiuitatis tempore caperetur. *Sed ea ratione*, inquit, *vt escarum solitus modus vel qualitas non mutetur ne puritas corporis vel integritas mentis, abstinentia quadragesimæ diligentius acquisita, quinquagesima remissione depereat, nihilque nobis prosit obtinuisse ieiuniis, quod mox amitti cogat incitata saturitas, præsertim cum etiam hostis nostri non ignota versutia, tunc præcipuè munitionem nostræ puritatis impugnet, cum eius custodiam senserit solemnitatis celebritate laxatam. Quamobrem vigilantissimè prouidendum est, ne vnquam mentis nostræ vigor blandis seductionibus eneruetur, ne veluti supra iam dictum est castimonia puritatem quadragesimæ labore quæsitam, quinquagesimæ requie ac securitate perdamus. Et idcirco nulla penitus in ciborum qualitate vel modo admittatur adiectio, sed ab escis quarum continentia diebus ieiunij pro integritate pudicitiæ vtebamur, etiam diebus celeberrimis similiter temperemus, ne lætitia festiuitatis perniciosissimam nobis carnalium incentiuorum suscitans pugnam, vertatur in luctum, illamque nobis excellentiorem quæ gaudio incorruptionis exultat festiuitatem mentis eripiat, & incipiamus post breuem carnalis lætitiæ vanitatem, amissam cordis pudicitiam longo pœnitentiæ mœrore deflere.*

Lib 3. Instit. cap 9.

Ibi. cap 11.

Cap. 10.

2. Esu carnium & quouis alio suaui aut delicato edulio ita constanter abstinebat, vt ne pane quidem ipso aut aqua famem & sitim expleret, atque herbis vt plurimum & leguminibus coctis tantum vtebatur. Vix vnquam surgebat à mensa quin eorum quæ sibi fuerant apposita reliquum quidquam fecisset. Si lautiúsculè conditum allubescere palato sentiret, perinde aspernabatur ac si refugiente stomacho fastidiret. Et

verò quandiu in Ægypto versatus est, adeo insulsis Monachorum cibis insolitaque frugalitate assueuit, vt in Palæstinam deinde reuersus pristinorum ciborum vix gustum haberet. Foris promiscue comedebat apud conuiuas hospitésque quodcumque occupati parassent, & interdum cum aliis assidens, eo ferculo quod deterrimum in mensam allatum putaret, velut epulis saliaribus vescebatur. Quo pacto de Abbate Sereno sic prædicat, quasi liberaliter eos tractasset, cùm pro muria, quæ superiecta olei gutta quotidianæ refectioni solebat apponi, modicum liquaminis miscuisset, & olei quiddam solito propensius superfudisset. *Nam illam*, inquit, *olei guttam ob hoc vnusquisque quotidie refecturus instillat, non vt eius ex hoc gutturis quamdam percipiat suauitatem, quippe cuius tantus est modus, vt vix ipsius gutturis fauciumque meatus non dicam linire sed pertransire sufficiat. Sed vt hoc vsu iactantiam cordis, quæ pro abstinentia districtiore blande solet ac latenter irrepere, & stimulos elationis obtundat, quia quanto abstinentia ipsa occultius exercetur, nulloque hominum teste perficitur, tanto subtilius occultatorem suum tentare non desinit. Deinde apposuit salem frictum, quod illi trogalia vocant, ex quibus quina tantum sumpsimus grana, mixaria bina, caricas singulas, hunc enim numerum in illa eremo quemquam excessisse culpabile est.*

Collat. 8. c. 1.

3. Fiebat pro more, vt vsque ad occasum solis ieiunium toleraret, ac semel duntaxat in die cibum & vnius fermè generis caperet, si totam excipiebas Quinquagesimam, in qua vt habetur ex eadem Collat. 21. abstinentiæ rigorem prandiis siue antemeridiano epulo relaxabat. Hæc morum ratio Abbati Pæsio constitit, apud quem in eremo vastissima commorantem, cum senex Ioannes magno Cœnobio ac multitudini fratrum præpositus aduenisset, & ab eodem velut antiquissimo sodale perquireret quidnam per omnes quadraginta annos, quibus ab eodem separatus in solitudine minimè à fratribus interpellatus egisset. Nunquam me ait sol reficientem vidit. Et ille nec me inquit iratum. Quæ accedebant extraordinaria ieiunia iuxta receptum ab Ægyptiis morem, vt hebdomadibus interdum vel triduana aut biduana inedia refectionem cibi differrent, sponte sibi imperabat, quoties vel tempus admoneret, vel ad ea diuini amoris & pietatis ardore traheretur. Cæteris quoque diebus peringeniosè modos alios ex aliis reperiebat, quibus clanculo suum genium defraudaret. Ac ne fortè quid temerè ac fortuitu aut inconsiderate negligentérque ageretur, hunc generatim atque vniuersè super qualitate ieiunij finiebat modum. *Si in eo, inquit, temporum ratio; si qualitas, si mensura seruetur, nec ita vt in ipso spei nostræ terminum defigamus, sed vt per ipsum ad puritatem cordis & Apostolicam charitatem peruenire possimus. Igitur ex hoc ipso ieiunium, cui non solum specialia præfixa sunt tempora, quibus vel exerceri debeat vel prætermitti, sed etiam qualitas modúsque propositus est, non principale bonum sed medium quiddam esse manifestum est.* Sed quæ hic fuse disputata & liberè, ea iterum articulatim distinctéque dicit in libris Institutionum. *Verissima est Patrum probatissimaque sententia ieiuniorum & continentiæ modum in mensura parcitatis tantum & castigatione consistere, & hunc esse perfectæ virtutis* in

Cap. 19.
Lib. 5. Instit. cap. 17.

Collat. 21. cap. 17.

Lib. 5. c. 8. & 9.

in commune omnibus finem, vt ab escis quas sumere sustentandi corporis necessitate compellimur, adhuc, in appetitu eorum positi temperamus. Quamuis enim quis corpore sit infirmus, perfectam virtutem æquamque robustis ac sanis in omnibus possidebit, si desideria quæ fragilitas carnis non exigit, mentis rigore castiget. Apostolus namque ait. Et carnis curam ne feceritis in desideriis. Nam ergo curam eius in omnimodis interdixit, sed vt in desideriis fieret, denigrauit, voluptuosam ademit diligentiam carnis, gubernationem vitæ necessariam non exclusit, illud, ne indulgentia carnis ad desideriorum occupationes noxias deuoluamur; hoc verò ne corruptum nostro vitio corpus spiritales ac necessarias functiones implere non possit. Summa igitur continentiæ non sola temporis ratione nec escarum qualitate tantummodo sed ante omnia conscientiæ iudicio colligenda est. Tantum enim debet vnusquisque sibi frugalitatis indicere quantum corporea oblectationis pugna deposcit. Vtilis quidem & omnimodis obseruanda est Canonica ieiuniorum custodia, sed nisi hanc frugi fuerit ciborum refectio subsecuta, ad integritatis calcem non poterit peruenire. Longorum namque ieiuniorum inedia, saturitate corporis subsequente, lassitudinem potius temporalem quam puritatem castitatis acquirit. Integritas quippe mentis ventris cohæret inuidiæ. Non habet perpetuam castimoniæ puritatem, quisquis non iugem temperantiæ æqualitatem tenere contentus est. Quamuis districta ieiunia succedente superflua remissione vacuantur & in gastrimargiæ vitium protinus collabuntur. Melior est rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quàm per interualla arduum longumque ieiunium. Nouit immoderata inedia, non modo mentis labefactare constantiam sed etiam orationum efficaciam reddere lassitudine corporis eneruatam.

4. *Cæterum ne labor, inquit, nobis impenderetur in cassum, si hunc quidem rigorem corporalis ieiunij contemplatione finis infatigabiliter sustinemus, finem verò propter quem tolerauimus afflictiones tantas, obtinere nequeamus, meliúsque fuit, interdictis escis animæ temperasse, quàm voluntariis minúsque noxiis corporaliter ieiunasse. In his enim simplex & innoxia creaturæ Dei perceptio est, nihil per semetipsum habens peccati, in illis verò primitus fratrum perniciosa deuoratio, de qua dicitur. Noli diligere detrahere ne eradiceris. Et de ira atque inuidia B. Iob dicit. Etenim stultum interficit iracundia & paruulum occidit inuidia. Quare ad integritatem mentis & corporis conseruandam abstinentia ciborum sola non sufficit, nisi fuerint cæteræ quoque virtutes animæ coniugatæ. Humilitas igitur primitus obedientiæ virtute & cordis contritione corporisque fatigatione discenda est. Pecuniarum non solùm vitanda est possessio, sed etiam desiderium earum radicitus extirpandum. Non enim eas sufficit non habere, quod plerumque solet etiam ex necessitate descendere, sed ne ipsam quidem si fortè oblata fuerint habendi recipere voluntatem. Ira conterendus est furor, tristitiæ superanda deiectio, cenodoxia id est vana gloria contemnenda, superbiæ calcandus est fastus, mentis quoque ipsius instabiles vagique discursus assidua Dei memoria refrænandi. Totiesque nobis est ad contemplationem*

Ibi. cap. 12. & 10.

Dei lubrica cordis nostri peruagatio reducendo, quoties subtilis hostis ad hoc intuitu mentem captiuare pertentans recessibus nostri cordis irrepserit. Bene igitur Moyses Abbas, qui similitudines adiungens, docet animi ieiunia in perfectis esse meliora. Ob hoc enim, inquit, quis ferramenta cuiuslibet artis instituere sibimet ac præparare festinat, non vt ea possideat otiosa, nec vt emolumenti illius fructum qui speratur ex ipsis, in nuda instrumentorum possessione constituat, sed vt eorum ministerio peritiam finémque illius disciplinæ, cuius hæc adiumenta sunt, efficaciter apprehendat. Igitur ieiunia, vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt quia non in ipsis consistit disciplina illius finis, sed per per illa peruenitur ad finem. In cassum igitur hec exercitia molietur, quisquis his velut summo bono contentus, intentionem sui cordis huc usque defixerit, & non ad capiendum finem propter quem hæc appetenda sunt, omne studium virtutis extenderit, habens quidem disciplinæ illius instrumenta, finem verò in quo omnis fructus consistit, ignorans.

Collat. 1. c. 7.

5. *Omnia igitur huius gratia gerenda appetendaque sunt nobis; pro hac solitudo sectanda est, pro hac ieiunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, ceterásque virtutes debere nos suscipere nouerimus, vt scilicet per illas ab vniuersis passionibus noxiis illæsum parare cor nostrum & conseruare possimus, & ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere, & non propter has obseruantias, si fortè honesta ac necessaria occupatione præuenti solemnitatem nostræ districtionis non potuerimus implere, incidamus in tristitiam, vel iram, siue indignationem ob quæ expugnando illud quod prætermissum est fueramus acturi. Non enim tantum est lucrum ieiunij, quantum iræ dispendium, nec tantus lectione capitur fructus, quantum contemptu fratris incurritur detrimentum. Ea igitur quæ sequentia sunt id est ieiunia, vigiliæ; Anachoresis, meditatio scripturarum propter principalem scopon id est puritatem cordis, quod est charitas, nos conuenit exercere, & non propter illa principalem hanc perturbare virtutem, qua in nobis integra illæsaque durante, nihil oberit si aliquid eorum quæ sequentia sunt, pro necessitate fuerit prætermissum. Siquidem nec proderit vniuersa fecisse, dempta hac quam diximus principali causa, cuius obtentu sunt omnia peragenda.*

Lib 5. Instit. cap. 5.

6. Par austeritas in vigiliis, quas apud Ægyptios, cùm ad nocturnam synaxim certis temporibus etiam ante gallorum cantum consurgeret, Missa canonica celebrata vsque ad lucem produci solitas fuisse affirmat, vt eos lux superueniens matutina, in hoc feruore reperiret constitutos, ac per totum diei tempus feruentiores solicitiorésque custodiret, præparatos eos suscipiens ad conflictum & contra diurnam diaboli colluctationem, nocturnarum exercitio vigiliarum ac spiritali meditatione firmatos. Istud idem cùm aliàs semper tum verò imprimis religiosè cautéque gerebat à vespera, illucescente Sabbatho, hoc est in nocte feriam sextam consequente, nam peculiarem in Oriente & ab aliis diuersam fuisse ceremoniam & obseruationem tam noctis quam diei sabbathinæ vigiliasque tum multo longiores traductas esse ita vt totam ferè noctem insomnem ac peruigilem extraherent Monachi sic in hæc verba scribit: *A tempore prædicationis*

Ibi. c. 8. & 9.

prædicationis Apostolicæ quo religio ac fides Christiana fundata est per vniuersum Orientem, idcirco statutum est illucescente Sabbatho debere vigilias celebrari, quod Domino & saluatore nostro sexta Sabbathi crucifixo, discipuli adhuc eius recenti passione perculsi peruigiles tota nocte manserunt, nullatenus quietis somnum oculis suis indulgentes. Quamobrem ex illo tempore huic nocti deputata vigiliarum solemnitas, vsque in hodiernum diem per vniuersum Orientem, similiter obseruatur, Ideoque & absolutio ieiunij post vigiliarum laborem totidem Apostolicis viris in die Sabbathi statuta non immerito præsumitur. Tamen vt suus cuique præscriberetur modus, ac ne quod satis est eo quisquam accederet aut nimium foret, idcirco seniores hyemali tempore quo noctes sunt longiores vsque ad quartum Gallorum cantum per Monasteria moderantur, vt post excubias totius noctis, reliquis duabus fermè horis reficientes corpora sua, nequaquam per totum diei spatium somni torpore marcescant, requie breui huius temporis pro totius noctis refectione contenti. *Quod nos quoque, ait, omni obseruatione custodire conuenit, vt scilicet contenti somno qui nobis post vigiliarum Missam vsque ad lucis indulgetur aduentum, id est vsque ad matutinos Psalmos totum deinceps diem in opere ac necessariis ducamus officiis ne somnum quem nocti subtraximus resumere per diem, Vigiliarum lassitudine & inanitate compulsi, non tam requiem corpori subtraxisse, quàm quietis tempus & refectionem nocturnam commutasse videamur. Nullatenus enim poterit fragilis caro ita totius noctis quiete fraudari, vt per consequentem diem sine dormitatione mentis animique torpore inconcussam possit seruare vigilantiam. Quæ impedietur ex hoc potius, quàm iuuabitur, nisi post vigiliarum Missam, somni quantulumcunque gustauerit. Et idcirco saltem vnius horæ sopor, quemadmodum diximus ante lucis aduentum si fuerit impartitus, lucrabimur omnes vigilarum horas, quas tota nocte in oratione consumpsimus, impartientes naturæ, quod suum est, nec habentes necessitatem resumendi per diem, quod nocti subtraximus. Totum enim carni huic procul dubio reddet, quisquis ei non rationabiliter partem subtrahere sed totum tentauerit, denegare, & vt verius dixerim, non superflua sed necessaria voluerit amputare. Propter quod maiore fœnore necesse est vigilias compensari, si fuerint vsque ad lucem inconsiderata atque irrationabili nimietate protracta.*

7. *Qua eadem cura duabus circiter horis ad breuem somnum & quietem captandam sub finem noctis semper aliàs concessis, vsque dum aurora aduentante ad matutinam siue prima hora solemnitatem vocarentur, studiosè atque attentè circumspectabant, ne quisquam eorum expletis his matutinis orationibus iterum reuerteretur ad somnum; in illam causam nihilominus incidens, ob quam compescendam hæc à senioribus prima hora solemnitas fuerat instituta. Illa namque hora eam, inquit, consummare festinant, qua negligentioribus minúsque solicitis rursum dormiendi reddatur occasio. Quod omnimodis fieri non oportet, sicut in libello superiori describentes Ægyptiorum synaxim plenius exposuimus, ne purificationem nostram confessione supplici & antelucanis orationibus acquisitam vel emergens quedam redundantia humorum naturalium polluat, vel illusio corrumpat inimici, vel certè intercedens*

Lib. 3. Instit. cap. 5.

cedens

cedens etiam puri ac simplicis somni refectio interrumpat spiritus nostri feruorem, ac tepefactos somni torpore per totum diei spatium inertes deinceps ignauosque traducat.

8. Vt autem modice & parum suauiter quiesceret, ac vigilaret potius quam dormiret, ad reponendum corpus duris rudibusque asseribus & psyathio vtebatur, stragulo vili & crasso sine linteis & ceruicali nisi dixeris informes ligni stipites aut papyri grossioris longos graciléſque fasciculos ad puluini modum capiti sufecisse, eo quidem positu vt incumbente haud multo plus quietis, quàm doloris gigneretur. In eam rem de Abbate Theodoro commemorat, *qui cum inopinatus*, inquit, *ad meam cellulam intempesta nocte venisset, quidnam rudis adhuc Anachoreta solus agerem paterna curiositate latenter explorans, neque illico finita vespertina solemnitate incipientem fessum corpus iam reficere & incubantem psiathio reperisset, protrahens imo corde suspiria, meoque me vocitans nomine. Quanti, inquit, ô Ioannes hora hac Deo colloquuntur, eumque in semetipsis amplectuntur ac retinent, & tu fraudaris tanto lumine, inerti sopore resolutus?* Tum alibi, aduentum senis atque instantem iam horam nocturnæ synaxeos paululum præstolati postquam eum solita salutatione suscepimus & legitimus orationum atque Psalmorum impletus est numerus, iisdem rursus quibus ad quietem compositi fueramus psiathiis ex more consedimus.

Lib. 5. Instit. cap. 35

Collat. 17. cap. 3.

9. De nuda humo, quod ei interdum cubile præberet, se nobis indicat. *Cùm Abbas Theonas diebus Quinquagesima nos in nostra cellula visitasset, vespertina orationum solemnitate transacta, humi paululum considentes cœpimus diligentius percunctari, cur apud eos tanta obseruantia-taneretur ne quis penitus totis quinquagesimæ diebus, vel genua in oratione curuaret, vel vsque ad horam nonam ieiunare præsumeret, eoque id diligentius scrutabamur, quod nequaquam hoc tanta cautione seruari in Syria Monasteriis videramus.* Fusius Collat. 18. psiathij quoque ipsius refugiens sessionem humi potius residebat, & Collat. 1. de Abbate Moyse. *Quem*, inquit, *sermonem, quia breuissimum istud quod superest noctis spatium non occurrit explere, indulgentes illud potius quieti corporeæ, cui necesse est totum persolui, si id quod modicum est fuerit denegatum, plenum narrationis ordinem integro futuri diei seu noctis examini reseruemus.* Tum infrà. *Adhuc nos auidos ac de suo ore pendentes degustare somnum paulisper hortatus est, iisdem ipsis quibus insidebamus psiathiis admonens incubare. Embrimiis pariter capiti nostro ceruicalium vice suppositis, grossioribus papyris in longos gracilesque fasciculos coaptatis. Quæ pedali interuallo pariter colligata, nunc quidem humillimum sedile ad scabelli vicem fratribus in sinaxi considentibus præstant, nunc verò subiecta ceruicibus dormientium præbent capiti, non nimiè durum sed tractabile aptumque fulcimentum. Ad quos Monachorum vsus hæc idcirco vel maximè opportuna habentur & congrua, quod non solùm sint aliquatenus mollia paruoque & opere præparentur & pretio, vt pote passim papyro emergente per Nili fluminis ripas, quam cuique volenti in vsum assumere nemo prohibeat desecare, sed etiam quod ad remouendum, seu cum necesse*

Collat. 21. cap. 11.

Cap. 11.
Cap. 23.

necesse fuerit ad mouendum habilis materia leuisque natura sint. Atque ita præcepto senis tandem sumus ad degustationem somni onerosa compositi quiete, tam digesta collationis inflammanti gaudio quam repromissa disputationis expectatione suspensi.

10. Iungebat his tam frequentibus excubiis & vigiliis alias etiam inflictas corpori acerbitates. Neque enim laneis vtebatur indumentis, sed lineis tantùm, & ne ipsis quidem duplicibus ad exemplum & regulam Ægyptiorum Monachorum, *quibus*, inquit, *vicaria præpositus vnusquisque sua decania subministrat, cum illa quibus vestiti erant, sorduisse conspiceret.* Accedebant præsentis huius habitus vilitati quotidiana nudipedalia, quæ perquam breuiter perstrinxit, atque attigit Collat.24. Latera nuda zonis pelliceis aut setosis cingulis constringere iam ludus erat, nisi aculeis & nodosis muricibus asperarentur quos in mollem suam carnem sic defigeret, vt acerbo eam cruciatu torquerent. Ne verò interdiu perpetuo dolore vacaret, præter flagellorum vsum & voluntariam sui verberationem, cilicia etiam vsque eo camelorum pilis horrida corpori proximè admota gestabat, vt vel spectanti terrorem incuterent. Quamquam in his solerter apprimè cauebat, ne sui ostentator magnis laboribus plus vani quam lucri colligeret, si in ore oculisque hominum gesta hæc vellet, vt ad verbum de seniorum Patrum sententia expressum habetur lib.4. Institut.cap.3.

Lib.4 Instit. cap. 10.

Cap. 10.

CAPVT XI.

Quibus cum vitiis religioso pugnandum?

1. A Primis confestim religiosæ vitæ vestigiis ingressúque, seriò cum animo suo statuit aduersus octo præcipuè vitia inire certamen, vt secundum Prophetam inquit transeuntes per ignem eorum dirissimè nostras exurentium mentes illico per aquas quoque virtutum extinguentium, scilicet ea, transire possimus illæso, ac spiritalibus remediis adrorati, ad refrigerium perfectionis puritate cordis mereamur educi.

Lib.5.Instit. cap.2.

2. Ac primùm dicebat aduersus spiritum Gastrimargiæ id est concupiscentiam gulæ dimicandum esse, & eò vsque extenuandam mentem non solum ieiuniis verùm etiam vigiliis, lectione quoque, & crebra compunctione cordis, donec eiusmodi curis ac meditationibus occupata pariter ac possessa, ipsius cibi refectionem, non tam iocunditati concessam, quàm oneris vice sibi impositam recognoscat, magisque eam necessariam corpori, quàm desiderabilem animæ sentiat attributam. Quo studio mentis & iugi compunctione detenti lasciuiam carnis, quæ fotu escarum vehementius insolescit, & aculeos eius noxios retundemus, atque ita fornacem corporis nostri, quæ rege Babyloniæ occasiones peccatorum & vitia nobis iugiter subministrante succenditur, quibus naphtæ & picis

Ibi.cap.14.

vice acrius exuramur, vbertate lachrymarum & fletu cordis poterimus extinguere donec Dei gratia spiritu roris sui in cordibus nostris insibilante, æstus carnalis concupiscentiæ penitus valeant consopiri. Quamquam mensura castigationum assumendarum remediumque ieiunij, non sola temporis ratione nec escarum qualitate tantummodo, sed ante omnia conscientiæ iudicio colligendum est. Tantum enim debet vnusquisque sibi frugalitatis indicere, quantum corporeæ obluctationis pugna deposcit. Vtilis quidem & omnimodis obseruanda est Canonica ieiuniorum custodia, sed nisi hanc frugi fuerit ciborum refectio subsecuta ad integritatis calcem non poterit peruenire Longorum namque ieiuniorum inedia, saturitate corporis subsequente lassitudinem potius temporalem quam puritatem castitatis acquirit. Integritas quippe mentis ventris cohæret inediæ. Non habet perpetuam castimoniæ puritatem, quisquis nón iugem temperantiæ æqualitatem tenere contentus est. Quamuis districta ieiunia succedente superflua remissione vacuantur & in gastrimargiæ vitium protinus collabuntur. Melior est rationabilis cum moderatione quotidiana refectio, quàm per interualla arduum longumque ieiunium. Nouit immoderata inedia nonmodo mentis labefactare constantiam sed etiam orationum efficaciam reddere lassitudine corporis eneruatam. Fertur B. Macharij districta sententia. *Ita*, inquit, *debere Monachum ieiuniis operam dare vt centum annis in corpore commoraturum, ita motus animi refrænare & iniuriarum obliuisci tristitiásque respuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturum.* In illo namque vtilis est prudensque discretio æquali Monachum districtione faciens semper incedere nec permittens sub occasione debilitati corporis de arduis ad perniciosissima prærupta deuolui: in hoc verò magnanimitas salutaris, quæ valeat non solum quæ videntur prospera mundi præsentis despicere, verùm etiam aduersis tristibusque non frangi & ea velut parua nullaque contemnere: illic habens iugiter defixum suæ mentis intuitum, quo quotidie singulisque momentis accersendum esse se credit.

Ibi. c. 9.

Ibi. cap. 41.

3. Alterum instituebat certamen aduersus spiritum fornicationis, longum præ cæteris ac diuturnum perpaucis ad purum deuictum immane bellum, & quod cum à primo tempore pubertatis impugnare incipiat hominum genus, non nisi prius cætera vitia superentur, extinguitur. Et seuera cum in omnibus virtutum profectibus & cunctorum expugnatione vitiorum Domini sit gratia atque victoria, in hoc præcipuè peculiare beneficium Dei ac speciale donum & Patrum sententia & experimento purgationis ipsius manifestissimè declaratur his, qui eam meruerint possidere. Quodammodo enim exire de carne est in corpore commorantem, & vltra naturam est fragili carne circumdatum carnis aculeos non sentire. Eò idcirco impossibile est hominem suis vt ita dixerim pennis ad tam præcelsum cælestéque præmium subuolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno, munere euexerit castitatis. Tum verò illud est primitus expiandum vnde fons vitæ & mortis manare cognoscitur, dicente Salomone,

Lib. 6. Instit. cap. 6. & 13.

mone. Omni custodia serua cor tuum. De corde, inquit, exeunt cogitationes malæ, homicidia adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, vt cum menti nostræ memoria sexus fœminei per subtilem suggestionem diabolicæ calliditatis obrepserit, primùm recordatione præmissa matris, sororum, parentum, seu certè fœminarum sanctarum, quantocyus eam de nostris recessibus extrudere festinemus, ne si fuerimus in ea diutius immorati occasione sexus semel indepti, illex malorum ad eas personas exinde subtiliter deuoluat ac præcipiter mentem, per quas noxias cogitationes possit inserere. Quamobrem illius præcepti iugiter meminisse debemus. Omni custodia serua cor tuum; & secundum Dei principale mandatum solicite serpentis obseruare noxium caput, id est cogitationum malorum principia, quibus serpere in animam nostram diabolus tentat, ne si caput eius per negligentiam penetrauerit cor nostrum, reliquum eius corpus id est oblectationis asse[n]sus illabatur. Qui procul dubio si fuerit intromissus morsu virulento mentem interimet captiuatam. Emergentes etiam peccatores terræ nostræ id est sensus carnales in matutinis sui ortus nos oportet extinguere, & dum adhuc paruuli sunt allidere filios Babylonis ad Petram. Qui nisi dum tenerrimi sunt, fuerint enecati, adulti per conniuentiam in perniciem nostram validiores insurgent, aut certè non sine magno gemitu ac labore vincentur. Dum enim fortis, scilicet spiritus noster domum suam custodit armatus, recessus cordis sui Dei timore communiens in pace erit omnis substantia eius, id est emolumenta laborum ac virtutes longo tempore conquisitæ. Si autem fortior superueniens vicerit eum, id est diabolus cogitationum consensu, arma eius diripiet in quibus confidebat, id est memoriam scripturarum vel timorem Dei & spolia eius diuidet, virtutum scilicet merita per contraria vitia quæque dispergens. Quod facilè assequemur si Deum non solum secretorum actuum nostrorum, verùm etiam cogitationum cunctarum diurnum pariter nocturnumque inspectorem esse & conscium cogitemus, ac pro omnibus quæ in nostro corde versantur, sicut pro factis & operibus nostris, rationem nos ei reddituros esse credamus. Præterea hic morbus cum corporis afflictione & contritione cordis, solitudine quoque ac remotione indiget, vt possit ad integrum sanitatis statum perniciosa æstuum febri deposita peruenire. Sicut plerumque certa ægritudine laborantibus vtile est, vt cibi noxij ne oculorum quidem ipsorum obtutibus offerantur, ne quod aspectus occasione desiderium eis lethale gignatur, ita plurimum confert ad depellendum hunc specialiter morbum quies ac solitudo, vt mens ægra minimè diuersis figuris interpellata ad puriorem perueniens contemplationis intuitum, facilius pestiferum concupiscentiæ fomitem radicitus possit eruere.

Ibi. cap. 5.

4. Tertium est aduersus phylargyriam peregrinum bellum & extra naturam, nec aliundè in monacho sumens principium quàm de corruptæ ac tepidæ mentis ignauia, & plerumque initio abrenuntiationis malè arrepto & erga Deum tepido amore fundato. Triplex est huius valetudinis morbus, qui ab vniuersis Patribus æquali detestatione damnatur. Vnus

Lib. 7. c. 14.

qui decipiens miserabiles quosque, ea quæ ne antea quidem cum in sæculo degerent possidebant, congregare persuadet. Alius, qui hæc quæ in primordiis suæ renunciationis abiecerat, postea resumere ac rursum desiderare compellit. Tertius qui initio malo vitiosoque contractus & ab imperfectione incipiens, eos quos semel hoc tempore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentiæ timore perterritos spoliare se cunctis mundi facultatibus non finit, eósque pecunias vel substantias, quas vtique renunciantes abiicere debuerant reseruantes, ad euangelicam perfectionem nunquam peruenire concedit. Quarum trium ruinarum exempla in scripturis sanctis etiam inuenimus non leui pœna fuisse damnata. Nam Giezi, ea quæ ne antea quidem possederat volens acquirere, non modo gratiam prophetiæ non meruit possidere, quam per successionem velut hæreditariam à suo habuit magistro suscipere: verum etiam è contrario æterna lepra sancti Elisæi maledictione perfunditur. Iudas autem volens resumere pecunias, quas antea Christum secutus abiecerat, non solùm ad proditionem Domini lapsus Apostolatus perdidit gradum, sed etiam vitam ipsam communi exitu finire non meruit, eamque biothanati morte conclusit. Ananias verò & Saphira reseruantes partem quamdam, ex his quæ possederant, Apostolico ore morte multantur. Nulli autem vilis despectúsque videatur hic morbus, qui sicut potest perfacile declinari, ita si quemquam possederit, ad sanitatis remedia vix peruenire concedit. Receptaculum namque & vitiorum malorúmque omnium radix, & inextricabilis malitiæ fomes efficitur, dicente Apostolo. Radix omnium malorum est philargyria, id est amor pecuniæ. De quo hæc erit summa victoria triumphusque perpetuus, vt quemadmodum dicitur, ne minuto quidem nummo conscientia Monachi polluatur. Impossibile namque est, eum qui victus in exigua stipe concupiscentiæ, semel in corde suo radicem susceperit non maioris desiderij protinus incendio conflagrari. Tandiu namque miles Christi, victor ac securus cunctaque cupiditatis pugnatione erit externus, donec initia concupiscentiæ huius hic nequissimus spiritus in eius corde non seuerit. Quapropter cùm in cunctis generibus vitiorum generaliter serpentis caput oporteat seruari, in hoc præcipuè diligentius conuenit præcaueri. Quod si fuerit intromissum, sua materia conualescens ipsum sibimet vehementiora suscitabit incendia. Ideoque non solum pecuniarum est cauenda possessio, verùm etiam voluntas ipsa ab animo penitus extrudenda. Non enim tam effectus philargyriæ vitandus est, quàm affectus ipsius radicitus amputandus. Nihil enim proderit pecunias non habere, si voluntas in nobis fuerit possidendi. Possibile namque etiam non habentem pecunias nequaquam philargyriæ morbo carere, nihilque ei prodesse beneficium nuditatis, quia cupiditatis vitium resecare non valuit, paupertatis bono non virtutis meritò delectatus, & necessitatis onere non sine cordis languore contentus. Quemadmodum enim corpore non pollutos, Euangelicus sermo pronuntiat corde mœchatos, ita pecuniæ quoque pondere minimè sarcinatos, affectu ac mente cum philargyris condemnari possibile est. Occasio enim eis habendi

Ibi. c. 6. & 21.

bendi

bendi defuit non voluntas, quæ semper apud Deum solet magis quàm necessitas coronari. Itaque festinandum nobis est, ne in vanum laborum nostrorum emolumenta depereant. Miserabile namque est paupertatis ac nuditatis exitus tolerasse, fructus verò earum cassæ voluntatis vitio perdidisse.

5. Quartò, Monachus ad perfectionem tendens & agonem spiritalem legitimè cupiens decertare debet vt ab omni iræ furorisque vitio alienus existat, & audiat quid sibi vas electionis præcipiat. *Omnis*, inquit, *ira & indignatio & clamor & blasphemia tollatur avobis cum omni malitia.* Cùm dicit omnis ira tollatur à vobis, nullam penitus velut necessariam & vtilem nobis excepit. Delinquentémque fratrem si necesse est ita curare festinet, vt dum medelam leuiori forsitan febricula laboranti procurat inferre, non semetipsum iratus deteriori morbo cæcitatis inuoluat. Oportet namque illum, qui alterius vulneri mederi cupit, omni languoris morbo alienum sanumque subsistere, ne illud Euangelicum dicatur ei *Medice prius cura te ipsum*, ac videns festucam in oculo fratris sui trabem in oculo suo non videat, vel quomodo videbit eiicere festucam de oculo fratris sui, qui trabem furoris gestat in oculo suo. Neque summa emendationis ac tranquillitatis nostræ in alterius arbitrio collocanda est, quod nequaquam nostræ subiaceat potestati sed in nostra potius conditione consistat. Itaque vt non irascamur non debet ex alterius perfectione sed ex nostra virtute descendere, quæ non aliena patientia sed propria longanimitate conquiritur. Et idcirco perfectos omnique vitio purgatos oportet eremum expetere, & excoctis ad purum in congregatione fratrum vitiis non pusillanimitatis profugio sed diuinæ contemplationis obtentu & desiderio intuitus sublimioris intrare, qui non nisi in solitudine à perfectis solummodo poterit apprehendi. Quæcumque enim vitia incurata in eremum detulerimus, operta in nobis non abolita sentientur. Solitudo namque sicut nouit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare, & intuitu sincerissimo spiritalium Sacramentorum scientiam reuelare, ita eorum qui minus emendati sunt vitia non solum seruare, verùm etiam exaggerare consueuit. Tandiuque sibi patiens quis videtur & humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio, ad naturam pristinam mox reuersurus, cùm interpellauerit cuiuslibet commotionis occasio: emergunt quippe ex eo confestim vitia quæ latebant, & velut equi infrænes certatim è suis repagulis otio longiore nutriti, acrius ad perniciem aurigæ proprij ferociusque prorumpunt. Magis enim exercitio vsuque humano cessante efferantur in nobis vitia, nisi fuerint ante purgata. Ipsamque vmbram patientiæ, quam possidere imaginariè permixti fratribus saltem pro eorum reuerentia & nota publica videbamur, desidia securitatis amittimus. Quasi verò vniuersa virulenta serpentium genera vel ferarum, cum in solitudine suisque cubilibus immorantur, non innoxia perseuerent, nec tamen ex eo pronunciari possint innoxia, quia nulli noceant. Hoc enim eis non affectus bonitatis sed necessitas solitudinis confert. Quæ cum lædendi nacta fuerint copiam,

L b.8.cap 5. & 16.

Cap.17.& 18

in semetipsis, reconditum virus & animæ feritatem protinus egerunt atque demonstrant. Ideóque perfectionem quærentibus non sufficit contra hominem non irasci. Meminimus enim in solitudine commorantibus nobis, contra Calamum, cùm aut grossitudo eius aut exilitas displiceret; contrave salpellum, cùm incidenda hebeti acie segniter execaret contraque silicem, si fortè ex ea festinantibus nobis ad lectionem tardius scintilla ignis emicuerit, ita indignationis irrepsisse motum, vt non alias perturbationem mentis quàm vel contra insensibiles materias vel certè aduersus diabolum maledictione prolata digerere atque euaporare possemus. Quamobrem ad perfectionis duntaxat rationem, non satis proderit abesse homines in quos ita moueatur, cùm si patientia prius non fuerit acquisita, etiam erga res mutas speciésque minutas exerceri similiter iracundiæ possit affectus, qui residens in corde nostro nec iugem nos possidere tranquillitatis statum, nec residuis vitiis carere permittet: nisi fortè in eo putemus commotionibus nostris lucrum aliquod vel remedium comparari, quod maledictionibus vel iracundiæ nostræ minimè res inanimatæ mutæque respondeant, & intemperantiam cordis nostri ad maiorem nequaquam prouocent exardescere furoris insaniam. Hæc esto medicina morbi perfecta, vt primitus credamus nullo modo siue iustis siue iniustis ex causis licere nobis irasci, scientes nos discretionis lumen rectique consilij firmitatem, ipsam quoque honestatem & iustitiæ moderamina protinus amissuros, si principale cordis nostri lumen eius fuerit tenebris obscuratum. Tum deinde puritatem mentis nostræ mox perturbandam, templumque eam sancti Spiritus effici omnino non posse, iracundiæ in nobis spiritu commorante. Postremo vt cogitemus nequaquam licere nobis orare nec iratos fundere preces ad Deum. Et præ omnibus incertum statum conditionis humanæ præ oculis habentes, quotidie nos credamus & corpore migraturos nihilque nobis continentia castitatis, nihil abrenunciatione omnium facultatum, nihil diuitiarum contemptu, nihil ieiuniorum vigiliarúmque laboribus conferendum, quibus propter iracundiam solam & odium ab vniuersitatis iudice supplicia promittuntur æterna.

Ibi. cap. 21.

Lib. 9. c. 1. 2. 3.

6. Quinto certamine edacis tristitiæ stimuli retundendi sunt. Quæ si passim per singulos incursus & incertos ac varios casus obtinendi animum nostrum habuerit facultatem, ab omni nos per momenta singula separat diuinæ contemplationis intuitu ipsamque mentem ab vniuerso puritatis statu deiectam funditus labefactat ac deprimit. Sicut enim tinea vestimento & vermis ligno ita tristitia viri nocet cordi. Vestimentum quippe tineatum esu attactum nullius pretij vel honesti vsus poterit vlterius habere commercium, itidémque lignum vermibus exaratum, non jam ad ornatum vel mediocris ædificij sed ad combustionem ignis merebitur deputari: Ita igitur & anima, quæ edacissimis tristitiæ morsibus deuoratur, inutilis erit vel vestimento illi Pontificali, quod vnguentum spiritus Sancti de cœlo descendens prius in barbam Aaron deinde in oram suam solere suscipere sancti Dauid vaticinio perhibetur, secundum

cundum illud. *Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Sed nec ad structuram templi illius spiritalis atque ornatum poterit pertinere cuius Paulus architectus sapiens posuit fundamenta dicens. Vos estis templum Dei & spiritus Dei habitat in vobis cuius qualia sint ligna sponsa describit in Cantico Canticorum. Trabes inquiens nostræ cupressus, tigna domorum nostrarum cedrina. Et idcirco huiuscemodi ad templum Dei lignorum genera eliguntur, quæ sunt & bonæ fragrantiæ & imputribilia quæque nec corruptelæ vetustatis nec esui vermium valeant subiacere. Hanc ergo perniciosissimam passionem ita de nobis expellere poterimus vt mentem nostram spiritali meditatione iugiter occupatam futura spe & contemplatione repromissæ beatitudinis erigamus. Hoc enim modo vniuersa tristitiarum genera, siue quæ ex præcedenti ira descendunt, siue quæ amissione lucri vel detrimenti illatione nobis adueniunt, siue de irrogata generantur iniuria, siue quæ de irrationabili mentis confusione procedunt, seu quæ lethalem desperationem nobis inducunt, valebimus superare, cùm æternarum rerum ac futurarum intuitu semper læti atque immobiles perdurantes nec casibus deiecti præsentibus, nec prosperis fuerimus elati, vtraque velut caduca & mox transeuntia contemplantes.

Cap. 13.

7. Sextò affinis tristitiæ acedia est vagis maximè ac solitariis magis experta & in eremo commorantibus infestior hostis ac frequens, maximè circa horam sextam monachum inquietans, vt quædam febris ingruens tempore præstituto, ardentissimos æstus accensionum suarum solitis ac statutis horis animæ inferens ægrotanti. Denique nonnulli senum hunc esse pronuntiant meridianum dæmonem, de quo in Psalmo nonagesimo nuncupatur. Itaque Christi verus athleta, qui agonem perfectionis cupit legitimè decertare, hunc quoque morbum de latebris animæ suæ festinet extrudere, & ita contra hunc quoque nequissimum acediæ spiritum vtrobique contendat, vt neque somni telo elisus concidat, neque de Monasterij claustris expulsus quamuis sub prætextu coloris pij fugitiuus abscedat. Quemcumque enim in qualibet parte cœperit superare aut tanquam inertem & desidiosum sibi patietur, absque vllo profectu spiritus in cellula commorari, aut excussum exinde instabilem de cætero reddet ac vagum, & ad omne opus desidem, cellas fratrum ac Monasteria iugiter faciet circum ire, nihilque aliud procurare quàm vbi quove colore occasionem refectionis futuræ valeat præparare. Mens enim otiosi nihil aliud cogitare nouit, quàm de escis ac ventre, donec inuenta quandoque sodalitate cuiusquam viri vel fœminæ æquali tepore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus inuoluatur, & ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, vt tanquam serpentinis spiris obstrictus nunquam deinceps ad perfectionem professionis antiquæ se valeat euodare. Huic vitiorum tantorum fomiti congruam emendationem conferre festinat Apostolus, & velut filiis susceptisque suis consilio salubri infert remedia sanitatis, dicens. His autem qui eiusmodi sunt denunciamus & obsecramus in Domino IESV vt cum silentio operantes,

Lib. 10. c. 1. 5. & 6.

panem suum manducent. Causas tantorum vlcerum quæ de radice otiositatis emergunt, vno operationis salutari præcepto curauit, vt peritissimus medicorum cæteras quoque valetudines malas eodem cespite pullulantes sciens protinus extinguendas, origine morbi principalis exempta. Hisque per Ægyptum documentis eruditi Patres, nullo modo otiosos esse Monachos ac præcipuè iuuenes sinunt, actum cordis ac profectum sapientiæ & humilitatis sedulitate operis metientes, & non solùm à nullo quicquam ad vsum victus sui accipere patiuntur, sed etiam de laboribus suis non tantum superuenientes ac peregrinos reficiunt fratres, verùm etiam per loca Lybiæ quæ sterilitate ac fame laborant, nec non etiam per ciuitates his qui squalore carcerum contabescunt, immanem conferentes dirigunt alimoniæ victusque substantiam de fructu manuum suarum, rationabile ac verum sacrificium Domino tali oblatione se offerre credentes.

Lib. 11. cap. 3. 13. & 5.

8. Septimus conflictus est contra spiritum Cenodoxie, qui solet etiam incipientium mentes & eorum qui minus adhuc vel virtute animi vel scientia profecerunt, aut propter sonum vocis extollere quod scilicet modulatius psallant, aut quod sint exesis carnibus vel corpore lautiores, aut quod parentes diuites ac nobiles habeant, vel quod militiam honorésque contempserint. Interdum etiam dignitates & opes, quæ fortè nec apprehendi quidem aliquando potuissent, persuadet quempiam perfacilè fuisse adepturum si perseuerasset in sæculo; vana spe etiam de incertis inflans eum, & de his quæ numquam possedit, velut qui ea contempserit gloria vanitatis extollens. Pulchrè, inquit, seniores nostri naturam morbi huius in modum cepæ bulborúmque describunt, quæ vno decorticata tegmine, alio rursum inueniuntur induta, totiésque reperiuntur obtecta, quoties fuerint expoliata. Cætera enim vitia superata marcescunt, & deuicta per singulos dies infirmiora redduntur, & vel loco vel tempore minuuntur atque deferuent, seu certè à contrariis virtutibus dissidentia vel cauentur facilius vel vitantur: hoc verò deiectum acrius resurgit ad luctam & cum putatur extinctum sua morte viuacius conualescit. Cætera genera vitiorum eos tantum impugnare solent, quos in certamine superarint, hoc verò suos victores acrius insectatur quantoque fuerit validius elisum, tantò vehementius victoriæ ipsius elatione congreditur. Et hæc est subtilis inimici versutia, vt militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis superare non potuit. Alia interdum vitia, sicut diximus, etiam locorum beneficio conquiescunt, & materia peccati vel opportunitate eius & occasione subtracta lentescere solent, & minui; hoc verò cum fugiente deserta penetrat, nec loco nouit excludi, nec extrinsecus materia subtracta marcescere. Non enim aliundè quàm virtutum eius, quem impetit, successibus animatur. Cætera etiam vitia processu temporis vt præfati sumus interdum molliuntur atque euanescunt, huic longæuitas nisi fuerit industria solerti ac prudenti discretione fundata, non solum non officit verùm etiam maiora nouit fomenta congerere vanitatis. Postremi cæteræ perturbationes à contrariis sibi virtutibus

Cap. 8. 9. 18.

tibus diffidentes, & ex aperto tanquam die claro bellantes & superantur facilius & cauentur, hæc autem virtutibus inserta & aciei permixta, velut in nocte cœca dimicans atrocius inopinatos decipit & incautos. Hanc nobis ex omni parte veluti multiplicem nequitiam occurrentem tali remedio poterimus euadere, vt cogitantes illud Dauidicum eloquium. Dominus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent, primitus nihil proposito vanitatis & inanis gloriæ capessendæ gratia nosmetipsos facere permittamus. Deinde ea quæ bono initio fecerimus, obseruatione simili custodire nitamur, ne omnes laborum nostrorum fructus post irrepens cenodoxiæ morbus euacuet. Quidquid etiam in conuersatione fratrum minimè communis vsus recipit vel exercet, omni studio vt iactantiæ deditum declinemus, & ea quæ nos possunt inter cæteros notabiles reddere, ac veluti solis facientibus laus apud homines sit conquirenda, vitemus. His enim vel maximè indiciis cenodoxiæ lethale contagium nobis inhærere monstrabitur. Quod facillimè poterimus effugere, si consideremus non solùm fructum laborum nostrorum nos penitus amissuros, quoscumque cenodoxiæ proposito fecerimus, sed etiam reos magni criminis factos æterna supplicia velut sacrilegos soluturos, vt pote qui ad iniuriam Dei opus quod eius obtentu nos oportuit agere, hominum gratia maluimus exercere, ab eo qui occultorum est conscius homines Deo, & gloriam mundi gloriæ Domini prætulisse conuicti.

9. Octauum quod & extremum aduersus spiritum superbiæ nobis certamen est. Qui morbus licet vltimus sit in conflictu vitiorum, atque in ordine ponatur extremus, origine tamen & tempore primus est sæuissima & superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maximè tentans & propemodum iam positos in consummatione virtutum, morsu diriore depascens. Nullum est aliud vitium, quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque iustitia & sanctitate hominem spoliet ac denudet vt superbiæ malum, tanquam generalis quidam ac pestifer morbus, non vnum membrum partémve eius debilitare contentus, sed solidum corpus lethali corrumpit exitio, & in virtutum iam fastigio collocatos grauissima ruina deiicere ac trucidare conatur. Omne namque vitium suis est terminis & fine contentum & licet contristet alias quoque virtutes, contra vnam tamen principaliter tendit, eamque specialiter opprimit & impugnat. Et vt hoc ipsum quod diximus clarius possit intelligi, gastrimargia id est appetitus ventris seu concupiscentia gulæ rigorem temperantiæ corrumpit, castitatem libido contaminat, ita patientiam vastat, vt nonnunquam vni quis deditus vitio, aliis virtutibus non penitus destituatur. Sed illa tantum virtute truncata quæ è diuerso æmulo sibi vitio repugnante succumbit, reliquas possit vel ex parte retinere, hæc verò cum infœlicem possederit mentem, vt quidam sæuissimus tyrannus sublissima capta arce virtutum vniuersam funditus ciuitatem diruit atque subuertit. Excelsa quondam sanctitatis mœnia vitiorum solo coæquans atque permiscens, nullam deinceps imaginem libertatis animæ sibi subditæ superesse concedit. Quantóque ceperit ditiorem, tanto grauiore seruitutis iugo subdi-

Lib. 12. c. 1.

tam, vniuersis virtutum facultatibus crudelissima deprædatione nudabit. Hunc tamen nequissimi spiritus laqueum taliter poterimus euadere, si in singulis quibus senserimus nos virtutibus profecisse illud Apostolicum dixerimus. *Non ego sed gratia Dei mecum & gratia Dei sum id quod sum* & Deum esse qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntatè dicente etiam ipso auctore salutis nostræ. *Qui manet in me & ego in eo hic fert fructum multum quia sine me nihil potestis facere. Et nisi dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat qui custodit eam. Et vanum est vobis ante lucem surgere. Quia non est volentis neque currentis sed miserentis Dei.* Nullius namque quamuis volentis & currentis tam idonea potest voluntas esse vel cursus, vt carne spiritui repugnante circumdatus valeat tantum perfectionis præmium & palmam integritatis ac puritatis attingere, nisi fuerit diuina miseratione protectus, vt ad illud quod magnopere vult & quo currit, peruenire mereatur. Omne enim datum bonum & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Quid enim habes quod non accepisti? quod si accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Ideoque si ad veram consummationem virtutum volumus effectu & opere peruenire, illis debemus acquiescere magistris ac ducibus, qui hanc non vaniloqua disputatione somniantes, sed re atque experimentis apprehendentes nos quoque docere atque ad eam certissimo tramite demonstrare, quique ad hanc fide se potius peruenisse quàm laborum merito testabantur quibus etiam hoc præcipuum sui cordis acquisita puritas conferebat, vt magis magisque se deprimi peccatis agnoscerent. Tanta namque in eis delictorum compunctio per dies singulos augebatur, quanta puritas animi profecisset, traherentque, iugiter intimo corde suspiria, eo quod semetipsos sentirent nequaquam posse delictorum næuos ac maculas deuitare, quæ eis per multiplices cogitationum minutias inurebantur. Et idcirco futuræ vitæ stipendia non operum sperare se merito sed misericordia Domini proclamabant, nihil sibi de tanta circumspectione cordis aliorum comparatione donantes: quippe qui hanc ipsam non suæ industriæ sed diuinæ gratiæ adscribebant, nec blandientes sibi de inferiorum ac tepidorum negligentia, sed contemplatione potius illorum, quos verè peccato carere atque in regno cœlorum iam æterna beatitudine perfrui nouerant, humilitatem perpetuam conquirebant, atque ita consideratione hoc, & elationis ruinam pariter declinabant, & quo tenderent vel quod dolerent semper inueniebant, intelligentes semetipsos ad illam puritatem cordis, quam cupiunt, obsistente carnis sarcina peruenire non posse.

Cap. 9. & 10.

Cap. 15.

10. Sed hæc hactenus quæ non tam verbo & scriptura quam re atque experimentis dedit, quæque diuinæ gratiæ auxilio & labore constantissimo iam inde à principio religiosæ vitæ ad summam perfectionem ad se addaxerat, vt qui actius ipsi inuigilarent superiores, aut alius quispiam eorum qui in Cœnobio degebant, eumque & videbant & familiariter vtebantur, vix vnquam audire possent aliquod eius verbum superuacaneum.

inacaneum aut minus præcogitatum, vel minimam imperfectionem aut culpam quantumuis leuem, aut etiam impetum aliquem affectus alicuius præcurrentis deprehendere: quæ res quam facilè narrantur tam difficile perficiuntur, nisi ab eo quem benignus Dei oculus perpetua vigilantia tueatur & singulari præsidio cœlestibusque donis extraordinariis diuinæ gratiæ suæ iuuet, cum id sit completum quoddam esse earum virtutum, quas Theologi appellant virtutes animi purgati, quæque non in homine passim terrestri ac peccatis miseriisque inuoluto, sed in cœlitibus duntaxat, aut certè in paucis aliquot hominum perfectissimis dum viuunt, ac positis in gradu stabilis gratiæ apud Deum reperiuntur.

CAPVT XII.

Sanctorum Patrum virorumque grauissimorum de eo iudicia.

1. VEra virtus nihil moratur hominum laudes. Sed magnum vtique est viris præsertim magnis, de quo disserit Seneca, magnum inquam est, nolle laudari & esse laudabilem, & ita viuere vt cum laudabiles sint mortui etiam beati iudicentur. Quæ quamuis ita sint non ipsis tamen sanctis inhonorum aut infructuosum est vulgo prædicari & existimatione ac laude extolli quæ à laudatis viris sine ptensandi studio proficiscitur. Sic ille apud Tullium Priami filius & Troiani nominis clarissimum decus, à patre laudatus ob singulares animi virtutes. *Lætus sum,* inquit, *laudari abs te, pater, laudato viro, à malis enim laudari non laus sed dedecus esse putatur.* Quanti enim apud cordatos & sapientes quoscumque ad authoris alicuius commendationem esse debeat Patrum illustriúmque virorum sensus & approbatio, quamque consultè temperandum sit censorio iudicio in improbandis iis, quantumuis non nihil asperum & iniucundè suaue saperent, quæ Theologorum suffragio ad eruditionis admittuntur gradum, pro comperto habetur & docent illa S. Chrysostomi. *Quemadmodum nemo obscurum diceret solem, ne si cæcus quidem fuerit; erubescit quippe opinionibus omnium aduersari. Ita & eum, qui nimio decore fuerit conspicuus atque morum honestate illustris, nullus profecto culpare præsumit.* Idcirco vt Cassiani virtus eiúsque ingenij præstantia magis prodatur, in hoc præsertim adeo abstrusæ & reconditæ doctrinæ lubrico vt omni sæculo sit ei reclamatum, iuuat ostendere quanti quanti sit in ore ac opinione Patrum grauissimorum, quam eximiis laudum ornamentis, quàm honorariis appellationibus, quàm illustribus sanctimoniæ titulis cohonestetur ab iis literatissimis, quorum elogiis sinceritas ambigua nemini homini esse possit.

Lib. de morib.

Homi. de diuersis.

2. Horum igitur grauissimorum hominum iudiciis quæ peruulgata de eius excellentiori virtute atque doctrina famæ fidem faciunt, annectam nunc sanctissimorum Pontificum Innocentij ac Leonis toties in hac historia laudatum à me testimonium. Hi enim qui diu Romæ viri reli-

giosissimi conscientiam explorassent, compertumque haberent quantis mens eius dotibus fuisset ditata diuinitus, satis honorifica illa & ad existimationis rationem affecta familiaritate, qua ipsum excipiebant, ac literis quas cum eius aliqua mentione & commendatione scripsit Innocentius ad Clerum & populum Constantinopolitanum, declarauere quo loco eius eruditionem prudentiámque haberent.

3. Gregorius eius nominis primus Cassiani lectione maximopere delectabatur, tantique faciebat præsertim in rebus ad institutum religiosum spectantibus, vt monachorum suorum actiones vitamque pene vniuersam ad eius nomen dirigeret. Quin etiam de eius sanctitate liquido commemorat lib. 6. Registri Indict. 15. Episto. 12. ad Respectam Abbatissam Massiliæ. *Proinde*, inquit, *Monasterio quod in honorem S. Cassiani est consecratum, in quo praesse dignosceris*, &c. de quibus infra cap. 13.

4. Insuper literis Benedicti 9. quæ in Archiuiis Monasterij S. Victoris Massiliensis asseruari dicuntur, disertis verbis Cassianus appellatur Sanctus.

5. Vrbanus V. argentea lipsanotheca caput eius inclusit cum hac epigraphe supra adscripta. *Caput S. Cassiani.*

6. Cælestinum I. quamuis ab eo non semel dissensisset Cassianus, & in controuersia pro initio salutis, de qua supra relatum est, apud ipsum causam obtinuissent Prosper & Hilarius, tamen verecundia tenuisse dicitur ne eum nominatim accerseret & obiurgaret, per eam quam scripsit Epistolam ad Episcopos Galliæ, contra eorum Presbyteros Augustini criminatores.

Quæ Honorij III. & Innocentij II. authoritate decorari in Cassiano contigerunt, ea fere sunt & historicorum literis celebrata, & posterius nos ipsi videbimus.

Mitto alios, Gregorium VII. Vrbanum II. Nicolaum III. qui priuilegiis ac iuris facultatibus amplissimis, quibus Cassiani familiam ornarunt, equidem testati sunt, quamuis, non fuerint suasores & impulsores tantæ huius authoritatis Cassiano conciliandæ, laudatores certè atque approbatores eius virtutum fuisse. Ac licet vel simplex testificatio summi Ecclesiæ apicis, quæ est eius dignitatis celsitudo, per se satis momenti & fidei apud probos bene moratos; & bonos viros habere debeat: veri tamen corroborandi, omnisque omnibus euellendi facilius, scrupuli causa, possumus ex purpura in hoc auro splendente dignitatem etiam non vulgarem accersere.

Tract. 107.

7. Ioannes à Turrecremata Cardinalis in regulam S. Benedicti, quæ præscribit Monachos omni tempore siue ieiunij siue prandij fuerit, mox vt surrexerint à cœna sedere omnes in vnum, & legere Collationes vel vitas Patrum. *Hoc*, inquit, *rectè & sanctissimè constitutum est, quia sic ex lectione illa Monachi materiam ædificationis & deuotionis haurire possunt. Vnde ad contemplationis altitudinem silentij tempore valeant promoueri, & ad hac rectè electi sunt libri Collationum & vitæ Patrum sanctorum, in quibus doctrina totius perfectionis & ædificationis & sanctimoniæ continetur.*

Petrus

Petrus Damianus Cardinalis Episcopus Ostiensis, prudentiæ, doctrinæ, ac pietatis egregiæ. *Legite*, inquit, *Collationes Patrum quas Eucherius Lugdunensis Episcopus elimato sermone abbreuiare studuit, & si nobis credere non vultis, illius literæ credite nam nos eo doctore hanc paginam exarauimus.* De abbreuiatione Cassiani per Eucherium Lugdunensem accuratius peruestigauimus superiori lib. I.

Lib. 5. Epist. 19.

Robertus Cardinalis Bellarminus vir ab iudicio bene paratus, facto Cassiani librario indiculo his vindiciis ipsum tuetur. *Hæc omnia extant & vtiliter legi possunt, excepta Collatione tertia decima & paucis aliis, quæ in editione Romana notata sunt.*

Lib. de script. Ecclesiasti.

Cæsar Cardinalis Baronius vir pariter animo, doctrina, & pietate magnus & acer, quamuis ad honoris & existimationis rationem erga Cassianum minus aliquantulum affectus, frequentibúsque in eius scripta censuris parum officiosus, tamen vbi rectè factorum præclara virtus eminet, & illustrata sinceræ veritatis sole doctrina collucet, non denegat laudis præmium æqua promerenti, vocat enim tum ipsum tum Germanum Presbyterum eius collegam, ex Theodoro quem citat anno 404. num. 78. *Viros magnæ religionis.* Item anno 433. *Cum enim*, inquit, *Ioannes Cassianus Presbyter Massiliensis Ecclesiæ, aduersus Nestorium disertum atque perutilem de Incarnatione Domini Commentarium edidisset, eodémque volumine Pelagium atque Pelagianos velut eius primos authores vehementer exagitasset.* Tum deinceps num. 28. *Collationes ipsæ quæ cum valde proficuæ esse cognoscerentur vitam Christianam excultiorem sectantibus*, &c. Neque accedentibus errorum suspicionibus quibus identidem in Cassianum commouetur Baronius, periclitari propterea debet iam bene instituta scientiæ commendatio, quoniam ea demum laus grata esse debet excelsæ potestati, vt præclarè dicit Ammianus Marcellinus, cùm interdum & vituperationi secus gestorum patet locus.

Lib. 15.

De Cardinali Toleto, an de Cassiano senserit aliter atque superiores diximus lib. I. cap. 63. Item Ioannem Dominici Cardinalem & Archiepiscopum Raghusæum dedimus ibidem, eiusque testimonia in commendationem doctrinæ Cassiani adduximus.

8. Non est necesse quid illustrissimi atque sanctissimi præsules S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, S. Gennadius Episcopus Massiliensis, Gregorius Episcopus Turonensis, Ado Archiepiscopus Viennensis, Vincentius Episcopus Bellouacensis, Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus, Aloysius Lippomanus Episcopus Veronensis, Cuychius Episcopus Ruremundensis, Photius Episcopus Constantinopolitanus aliique de Cassiano sentirent, tum à nobis passim tum ab aliis iam prodita literis inculcare.

Grego lib. 10. histo. Franc. cap. 29.

De S. Eucherio Episcopo Lugdunensi, S. Castore Aptensi, Venerio Massiliensi paulo ante narratum est, quemadmodum pene in omni vita, eius consiliis regerentur: Venerius quidem sanctitatem eius ac prudentiam præsertim in rebus ad Ecclesiæ administrationem spectantibus tanti faciebat, vt in iis pro firmissima ratione duceret Cassianum ita censere.

S. Fulgentius Episcopus Ruspensis ex notitia librorum Cassiani eiusque monitis & exemplis tantum profecit vt hisce præsidiis tanquam secundis ventis afflantibus bellissime nauigans ad sanctum otium ac religiosæ solitudinis, qualis veterum Patrum in Ægypto fuit, confugerit tranquillitatem.

S. Adelmus Balduinus Episcopus Occidentalium Saxonum ex Benedictino Abbate, quem Baronius Aldelmum, alij Ædelmum vel Anthelmum vel Athdelinum vocant, scripsit iubente gentis suæ Synodo aduersus errorem Britonum, insignè volumen de celebratione Paschæ. Aliud item de virginitate, ad Etelburgam & cæteras virgines in quo Cassianum authorem profert & laudat, his verbis. *Hæc inquam si vestra curiose sollicitudinis solertia plenius animaduerti, non modo decem Collationes Patrum à Cassiano Massiliensis Parochiæ Archimandrita peculiariter dictanti, facundia prædito digestæ patenter propalabunt, verum etiam Gregorius sedis Apostolicæ præsul, a quo rudimenta fidei & baptismi Sacramenta suscepimus, libris Moralium triginta per Allegoriam luce clarius elimauit.*

Tomo 8. Bibliothe. SS. Patrum lib. de laudibus virginitatis c. 7.

Burchardus Episcopus Vormatiensis iuris Pontificij Doctor & sacrorum Canonum collector, qui de sententiis sanctorum Patrum ac generalium Conciliorum summorumque Pontificum decretis, opus insigne, decretorum libros 20. de variis casibus & accidentibus summa cum laude in publicum Ecclesiæ commodum edidit. De Collationibus Cassiani recitat lib.8. cap.77. ex Concilio Moguntino cap.6. *Sanctimoniales in Monasterio constitutæ omnibus diebus ad capitulum & ad Collationes veniant & regulam à SS. Patribus, illis constitutam diligenter obseruent.*

Iuo Episcopus Carnotensis, quem Beatum appellant, opus item edidit siue volumen Decretorum, quod Pannomiam inscripsit, quasi omnes complectatur leges & in eius part.7. cap.95. profert Canonem 59. Concilij secundi Cabilonensis, quo præcipitur, vt Sanctimoniales omnibus diebus ad Collationem veniant.

Paulini Aquileiensis Episcopi luculentum testimonium dabimus infra cap. 13.

Thomas Braduuardinus Episcopus Cantuariensis lib.2. de causa Dei in Corollaria cap.31. *Magnus similiter Cassianus*, &c.

Rabanus Albini Anglici auditor, quartus olim Abbas Cœnobij Fuldensis ordinis S. Benedicti, ac tandem Ludouici Augusti suffragiis ad Archiepiscopatum Moguntinũ assumptus, quem merito Baronius post alios *fulgentissimum Ecclesiæ sydus* appellat, & Sixtus Senensis, Vir inquit omnium disciplinarum cognitione absolutissimus, Rhetor, Poëta, Astronomus, Philosophus, Theologus, cui nullum parem eo sæculo Germania habuit. Hic inquam ad cap.38. Regulæ S. Benedicti. *Sicut B. Cassianus ait reficientibus fratribus Sancta lectiones legantur*, &c. Quod indicat de S. Benedicto Abbate passim legitur in eius regula, primùm cap.24. Monachi omni tempore siue ieiunij siue prandij fuerit, mox vt surrexerint à cœna, sedeant omnes in vnum, & legat vnus Collationes vel vitas Patrum aut certè aliquid quod ædificet audientes. Et infra. Si autem ieiunij dies

dies fuerit, dicta vespera, paruo interuallo mox accedant ad lectionem Collationum vt diximus, & lectis quatuor aut quinque foliis vel quantum hora permittit, omnibus in vnum accurrentibus per hanc moram lectionis, &c. Et cap.73. Ad perfectionem conuersationis qui festinant, student doctrinæ sanctorum Patrum, quarũ obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis, quæ enim pagina aut quis sermo diuinæ authoritatis, veteris ac noui Testamenti non est rectissima norma vitæ humanæ? aut quis liber sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat vt recto cursu perueniamus ad creatorem nostrum: necnon & Collationes Patrum & instituta & vitæ illorum & regula S. Patris nostri Basilij quid aliud sunt, nisi bene viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum.

Non possum verò hic obliuisci Prosperi Rhegiensis Episcopi haud immemor illius quod Plutarchus in Laconicis de rege Agesilao dicente, sibi iucundum esse laudari ab his qui non vererentur & vituperarent, si quid displicuisset, tales enim si quid laudant, iudicio laudant non metu aut adulatione. Liquet Prosperum ab Augustini zelo incalescente commotiorem, præliari stilo velitatum esse aduersus Collatorem, & qua in deprehendendis confutandísque eius erroribus efficacissima præualebat sagacitate, non potuisse tantum ac tam sinceræ & integræ fidei virum, si quid laudi verterit, quàm pro eius meritis de Cassiano æstimare. Sic igitur in Chronico ad annum 436. *Ioannes Monachus cognomento Cassianus Massiliæ insignis & facundus scriptor habetur.* Insuper lib. contra Collatorem cap.1. *Ne ad obscurandam scientiam doctiorum ea exagitare videamur, quæ vulgus ignobile, & procax ineptorum loquacitas intemperanter effundit vnius (scilicet Cassiani) potissimum definitiones quem non dubium est illis omnibus in sanctarum Scripturarum studio præstare referemus.* Tum paucis interiectis. Igitur in libro cuius prænotatio est De protectione Dei, (librum vocat Collationem 13.) *Vir quidam sacerdotalis, qui disputandi vsu inter eos quibus cum degit excellit, Abbatem quemdam nempe Cheremonem introducit de gratia Dei & libero arbitrio.*

9. Iam aliorum inter primanos clarissimus æque atque religiosissimus Abbas Marcus Aurelius Cassiodorus, author inclyti Monasterij Viuariensis siue Castellensis in Calabria, iuxta ciuitatem Scyllitanam ex Gregorio lib.7. Registri, licet alij dicant in Rauennatè fuisse territorio, non modo Cassianum vt egregiè doctum & pium suspiciebat, consulebat, & ad eius instituta nouelli sui Monasterij speciem effingebat, verùm etiam impensè legi, & ad frequentem vsum duci volebat à suis tyronibus. *Cassianum Presbyterum, qui scripsit de institutione fidelium Monachorum sedulo legite, frequenter audite, qui inter ipsa sancti propositi initia octo principalia vitia dicit esse fugienda. Hic noxios motus animorum, ita competenter insinuat, vt excessus suos hominem prius videre faciat & vitare compellat, quos antea confusione caliginis ignorabat.* Et in expositione Psalm. 69. de hoc versiculo Deus in adiutorium meum intende. *Hunc locum*, inquit, *facundissimus Cassianus in decima Collatione cap.10. plurima de eius vtilitate differens,*

Lib.7. Regist. indict.1. Epist. 31. & 33.

Cassiodorus lib. diuin. instit.c.29.

differens, tanto honore concelebrat, vt quidquid monachi assumpserint fine huius versiculi trina iteratione non inchoarent.

Idem breuiter sed egregiè S. Ioannes Climachus Abbas montis Sinai in his sermonibus, quibus tanquam gradibus triginta, ad similitudinem triginta annorum vitæ Christi Domini, discere quisque potest ascensionem ad perfectionem vitæ & Christianæ & Monasticæ atque religiosæ, scribit in hunc modum de Cassiano. *Ex obedientia humilitas nascitur, ex humilitate discretio, vt à magno quoque Cassiano in eo sermone quem de discretione conscripsit venustissimè atque altissimè disputatum est.*

Climachus grad. 4.

Honorius Augustodunensis Abbas in Epitome quam ex Catalogis Hieronymi, Gennadij, Isidori de viris illustribus contraxit, paucis quibusdam aliundè adiectis scriptoribus, qui intermedio tempore floruerunt Cassianum compellat his verbis. *Cassianus natione Afer, Constantinopoli à Ioanne Magno Episcopo Diaconus ordinatus, apud Massiliam Presbyter condidit duo Monasteria id est virorum & mulierum quæ vsque hodie extant. Scripsit experientia magistrante, librato sermone & vt apertius dicam sensu verba inueniens, & actione linguam mouens res omnium Monachorum necessarias professioni.* Sed in hoc errat maximè vno, quod natione Afrum dixerit, quem vt sæpè inter historicos omnes constare vidimus, perspicuum sit fuisse Scytham.

Ioannes Trithemius Abbas Cœnobij Bursfeldensis, cui cum tres & viginti plus minus annos præfuisset, nescio qua æmulorum tempestate iactans, siue Deo melius prouidente, ad Abbatiam S. Iacobi Herbipolensis sub extremam deinceps ætatem secessit, confirmat præter cætera de natione Cassiani sigillatim quod asseruimus contra Honorium. *Cassianus,* inquit, *natione Scytha Beati Ioannis Chrysostomi Constantinopolitani Episcopi quondam auditor atque discipulus, & ab eo Diaconus ordinatus, post aliquot annos ab eodem nescio propter quam causam expulsus, apud Massiliam Presbyter consecratus, duo Monasteria virorum scilicet ac mulierum condidit, in quibus regularis disciplina feruor magnus pluribus annis permansit. Scripsit experientia magistra plura opuscula, in quibus etiam apud interpretem eloquij venustas conspicitur, è quorum numero feruntur. De Incarnatione Domini aduersus Nestorium hæreticum lib. septem quos scripsit rogatus à Leone Archidiacono postea Romanæ vrbis Episcopo. De Institutis Monachorum libri quatuor. De octo capitalibus vitiis libri octo. Collationes SS. Patrum viginti quatuor. In his Collationibus SS. Patrum vtilis & necessaria Monachorum institutio est, sed quia per B. Prosperum de arbitrij libertate in certis reprehenditur, opuscula eius inter apocrypha numerantur. Moritur tandem post multorum editionem librorum apud Massiliam, non sine opinione sanctitatis Theodosio & Valentiniano regnantibus Anno Domini* 435.

Sigebertus Monachus Gemblacensis ordinis S. Benedicti qui eosdem fere tempore quo vixit Honorius Augustodunensis de quo supra continuata serie Gennadium est prosequutus, etiam attingens quos ipse non attigerat, complexus est omnes vsque ad annum, quo cessit è vita, millesimum centesimum decimum, Cassiani laudem breuiter perstringit, quamquam

quamquam emendandus in eo quod ipsum Constantinopoli à S. Ioanne Chrysostomo eiectum cum Trithemio hallucinatur. *Cassianus*, inquit, *de Ecclesia Constantinopolitana à Ioanne Chrysostomo eiectus & in Massilia Gallia Presbyter ordinatus multa scripsit, inter quæ etiam compertas in Ægypto vitas Patrum doctrinásque & regulas datis ad plurimos libris exponit.*

Philippus Bergomensis in supplemento Chronicorum. *Cassianus Monachus Constantinopolitanus seu vt Helimando placet Scytha, ipsius Ioannis Chrysostomi magnus Diaconus per hæc quoque tempora floruit, & multa ac multa edidit. Hunc namque Massiliam Presbyterum ex Constantinop. mittens duo ibidem Monasteria condidit, vbi multos vtriusque sexus congregans Monachos hæc quæ subiecta sunt pro maiori parte conscripsit. Opuscula scilicet de Monachorum habitu, De Canonica oratione*, &c.

Registrum de Mundi temporibus. folio 135. Cassianus Monachus Constantinopolitanus vel Scytha S. Ioannis Chrysostomi Diaconus. Hunc namque Massiliam de Constantinopoli mittens duo ibidem Monasteria condidit vbi multos vtriusque sexus congregans Monachos inde multa edidit opuscula, sex de Monachorum habitu. Collationes Patrum Ægypti cum eis quinque habitas digessit, de distinctione Monachi ac fine, de pugna carnis aduersus spiritum, de tribus antiquis Monachorum generibus & quarto nunc exorto; pleraque alia.

Ado Viennensis in Chronico, ætate 6. anno Christi 425. Cassianus quoque Scytha natione, Constantinopoli à Ioanne Diaconus ordinatus apud Massiliam Presbyter moritur qui inter alia Institutionum librum scripsit. Opera illius à Catholicis cautissimè legenda maximè de gratia & libero arbitrio, &c.

Raphael Volaterranus vir doctus & diligens librum inscripsit Iulio II. Pontifici Maximo, quem in Præfatione ad ipsum nominat Pandochæum, quasi omnia complectens. In secunda parte de Anthropologia nouem libris distincta, primis octo scriptores indicantur veteres, nono autem recentiores qui proximis sæculis claruere, imprimis autem ordinum & familiarum religiosarum primos institutores, viros etiam doctos & sanctos, quique in disciplinis variis emicuerunt. His Cassianum nostrum annumerat & plurium eiusdem Cassiani nominis virorum inter se facta contentione & comparatione tertium Massiliensem de quo agimus ad cœlum laudibus extollit. *Cassianus Martyr apud forum Cornelium, vbi & iacet, & quo venerat peregrinationis gratia è Brixina vrbe Germaniæ cuius erat ciuis & præsul, cumque Forocornelij præciperet, iussu Iuliani Imperatoris qui prohibuerat Christianos docere, stylis discipulorum confossus est. Alius Alexandrinus sub Iouiano in Italiam veniens, apud Ortanum, templum construxit, cuius & Præsul electus, inde peregrinando Augustodunum venit, eiusque vrbis Simplicio viro sancto in Præsulatu successit. Alius Monachus Honorij tempore ab Hierosolymitana Ecclesia ab hæreticis eiectus Massiliam venit vbi duo condidit Cœnobia Ioannes Eremita prius vocatus. Scripsit & de Monachorum institutis vbi dicit abstinentiam cibi omnium virtutum esse fundamentum.*

Mm

Didacus Couarruuias Episcopus Legobiensis libro 4. Variarum Resolutionum cap. 17. De libris Apocryphis & an hi legi publicè vel priuatim possint ex Gelasio Papa. *In primo*, inquit, *Conciliorum tomo apud Gelasium ante opera Cassiani ita legitur. Opuscula Tatij Cypriani Apocrypha. Opuscula Arnobij Apocrypha. Opuscula Tyconij Apocrypha. Opuscula Cassiani Galliarum Presbyteri Apocrypha. Ipsum verò,inquit, legendum esse censeo.*

Tum infra. *Aliquod edidit opuscula quæ Gelasio non satis placuere atque ideo ea inter Apocrypha connumerat, fuit natione Scytha, apud Massiliam Presbyter, vbi viuendi finem fecit Theodosio & Valentiniano regnantibus.*

Renatus Choppinus vir iuris consultissimus in Monastico. *Initio*, inquit, *Cassianus apud Massiliam Presbyter condidit duo, vnum virorum & alterum mulierum, Monasteria & tribus libris tradidit Monasticas Institutiones, quæ in Monasteriis Ægypti die noctéque tenerentur.*

10. Cæterorum præter Ecclesiæ optimates de Cassiani virtutibus iudicia æstimaturi, circumferant per probatissimos omnium retro sæculorum viros cogitationem, iisque & Institutionum Monasticarum & Collationum libros ac sigillatim Cassiani rara vitæ exempla summo in pretio fuisse intelligent. Mihi vti longum facere consilium non est, ita religio esset non famulari etiam in hac parte Deo sanctum suum, qui tam se humiliter abiecit, extollenti.

Dionysius Richelius Carthusianus multis nominibus æterna dignus luce memoriæ, tum sæpe quantum Cassiani scriptis tribueret in sua paraphrasi declarauit, tum maximè in præfationibus ad eamdem paraphrasim dum illum subinde *Venerabilem, deuotissimum & æterna memoria dignum Patrem*; subinde. *Illustrissimum ac præcipuum omnium religiosorum Doctorem* indigitat.

Sixtus Senensis lib. 4. Bibliothecæ sanctæ. *Ioannes Cassianus natione Scytha Ioannis Chrysostomi auditor & ab eo Diaconus ordinatus, post aliquot annos ob incertam causam ab eo recedens, apud Massiliam Presbyter, consecratus est, vbi & duo condidit Monasteria, virorum ac mulierum, scripsit plano, & librato sermone de eo quod dicit Apostolus. Non enim quod volo facio bonum sed quod nolo malum, librum doctum & elegantem quem postmodum Collationibus SS. Patrum à se editis inseruit & vigesimum tertium Collationum librum prænotauit. Moritur Massiliæ non sine opinione sanctitatis Theodosio & Valentiniano regnantibus anno Domini 435.*

Istum eumdem locum Iosias Simlerus in Epitome Bibliothecæ Gesneri totidem verbis à Sixto transtulit.

Lib. 4. cap. 31. Ioannes Driedo Louaniensis Academiæ professor in libris de dogmatibus. *Item Cassianus Monachus qui multa scripsit de Collationibus Patrum*, &c.

Lib. 1. cap. 25. Hieronymus Platus Societatis nostræ clarissimus Theologus, in iis quos edidit de bono status religiosi libros tres vtilissimos, viris sanctitate simul & doctrina insignibus, qui religiosi fuere, Cassianum accenset. *Eisdem quoque temporibus viguit Ioannes Cassianus genere Scytha, stylo cum*

primis

primis Latinis, qui prius Chrysostomi discipulus Massiliæ deinde Monasterium ædificauit, in quo instituendo ac regendo non est dubitandum quin re ipsa explicarit quæcumque ex sanctorum Patrum congressu ac sermone scriptis mandauerat, quæ scripta quantam perfectionem complectantur notum est omnibus.

Antonius Posseuinus in Apparatu sacro. *Ioannes*, inquit, *Cassianus Eremita scripsit de institutis Renuntiantium libros 12. & Collationum SS. Patrum libros 24. idque lingua Latina quidquid secus aliqui existimauerint siue Tritemius, siue Dionysius Carthusianus. Obseruationes autem ad calcem libri adiectæ prælegendæ sunt iis, qui librum hunc alioqui vtilissimum & à SS. Benedicto & Thoma Aquinate teri solitum versare voluerint ac debuerint. Præsertim cum Cassianus iis de gratia & libero arbitrio locis adeo pugnantia secum proferat vt ex Pelagianorum potius disputationibus, quorum sententias refert, quàm ex suo sensu deprompta esse videantur. Quod ipse alicubi admonere videtur. Porro ipsius laudes Prosper Aquitanicus in Opusculo contra Collatorem, S. Benedictus in Regulis cap. 42. & 73. Cassiodorus ad Fratres sui Monasterij & in expositione Psalmi 69. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus part. 2. histo. tit. 10. cap. 10. §. 2. prosequuntur.*

Suarez in opere tripartito Prolegom. 5. cap. 5. num. 7. etsi doctrinæ Cassiani vitium aliquod exprobret, eius tamen eximiam approbat & laudat virtutem. *Negari*, inquit, *non potest Cassianum fuisse vnum ex præcipuis illius erroris defensoribus, per quod non intendimus eius damnare vel onerare personam, nondum enim erat illa sententia hæresis vel erroris damnata ab Ecclesia, vt Prosper in fine libri contra Collatorem apertè docet Cassianumque inter Catholicos numerat.*

Neque ab hac eximiæ virtutis & sanctitatis opinione longè abfuit Vasquez, cùm inter æmulos Augustini nominat Semipelagianos, *viros insignes & eximiæ sanctitatis. Mirabile*, inquit, *sanè fuit ingenium Augustini in probanda gratiæ necessitate contra Pelagium contra Semipelagianos verò vt pote viros alioquin insignes & eximiæ sanctitatis nec tam apertè à veritate aberrantes multo mirabilius.* Cassianum autem imprimis intelligi nomine Semipelagianorum, quorum dux & Magister censebatur esse facilè colligitur ex disputatione sequenti, vbi de Cassiano multa in controuersiam & disceptationem vocat sigillatim.

1 par. disp. 88. cap. 3. n. 7.

Posa in Elucidario rem propius & copiosius attingit interpretatus censuram Gelasij, quæ habetur in cap. sancta Romana Dist. 15. sæpè, inquit, reprobatur ab Apostolica sede alicuius doctrina, quin reprobetur persona. Sic in hoc cap. sancta Romana, repelluntur opuscula S. Victorini Episcopi & Martyris, quin condemnetur persona. De summa Trinitate & fide Catholica C. Damnamus, damnatur libellus Abbatis Ioachimi, editus contra Petrum Lombardum de essentia Trinitatis, nec piissimus & religiosissimus Abbas ab Ecclesia taxatur, secundò in Concilio Romano & cap. sancta Romana reprobantur Opuscula Cassiani Presbyteri Galliarum, nec illius persona damnatur, quam sanctam appellat Castor Episcopus Aptensis, Gennadius in Catalogo Illustrium vi-

Lib 4. Tract. 4. cap. 9. conclus. 2.

rorum. Cassiodorus lib. diuinarum lectionum cap. 29. & in Psalm. 69. S. Climachus Gradu 4. Vincentius Bellouacensis lib. 20. specu. §. 18. S. Antoninus part. 2. histo. tit. 10. Petrus Damianus lib. 5. Epist. 19. Photius in Bibliotheca. Petrus Equilinus vulgo de Natalibus nuncupatus, Cassianum tanctum nominat. Maldonatus in 24. Lucæ authorem Catholicum & bonum appellat. Neque obstat huius viri integritati dissidium illud, cuius occasione expulsus est à S. Chrysostomo, cuius fuerat auditor, Diaconus, & discipulus vt meminit Tritemius in Catalogo Nullum enim est tam pulchrum corpus quod næuo careat.

Sed de his hactenus è plurimis, quæ de scriptoris nostri elogiis atque existimatione libasse sit satis. Reliqua quibus te ex satiaueris supplebunt, si lubet, Sozomenus, Euagrius, Nicephorus, Palladius in Dialogo, Ciaconius, Aluares De Pas, Rosuueydus, Theophilus Raynaudus in Valeriano, & alij passim grauissimi authores.

CAPVT XIII.

Cassianum dignè ac meretur sancti prænomine decorari.

1. ABsque vera fide nullum esse sanctitati locum extra controuersiam est, vt non sit opus in locum communem excurrere, quo planum fiat solam Catholicam Ecclesiam esse, quæ verum religionis cultum eiusdemque cum Apostolis *doctrinæ consanguinitatem* retineat vt loquitur Tertullianus. Hæreticos verò non nisi per sanctitatis vmbram simplicibus fucum facere, nec posse aliud, quàm virtutum laruas deformissimæ omnibusque modis fœdissimæ vitæ obtendere. Vnde etiam ab æmulis aut criticis subinfertur, Cassiani de *Sancti* gradu deiectio, cùm enim sine fide recta impossibile sit placere Deo, temerarium omnino censent, homini cuius fides ambigua sit vel potius apertè oblæsa, *Sancti* prænomen arrogare. Sed quàm vana hæc suspicio tetram ipsi erroris labem affricuerit, ostendimus aliàs, tractatis iis omnibus accuratissimè quæ in eius defensionem proponi possunt. Et vt cum aduersariis liberalius agam, demus sanè conuictum fuisse Semipelagianismi, ita vt labis illius indeclinabiliter & inexcusabiliter compertus habeatur. Quid ni quod de aliis plerisque sanctissimis Patribus, de Cassiano quoque dici queat, errasse nimirum materialiter tantùm & absque pertinacia, nondum re tunc apertè per Ecclesiam definita, cùm tamen hæreticum non faciat assertio falsa, sed contumacia & obsirmatio aduersus Conciliorum & Pontificum Canones & fidei decreta, de quibus omnibus fusissimè aliàs disputatum est à nobis.

Lib. de præscript.

2. Quare hac depulsa calumnia, ad Cassiani Sanctitatem, euertendam tanquam machina comparata, recoli velim ex superioribus, quàm non vanis argumentis ostenderimus ipsum religiosimæ ac cœlestis vitæ genus iam à puero paruulo in terris colere instituisse, ac sub disciplina

sanctissimorum

sanctissimorum Patrum Hieronymi, Chrysostomi, Leonis, Innocentij, & Abbarum Ægyptiorum, breui tantum diuina gratia profecisse, vt omnibus admirationi fuerit, sibique illum quisquis æstimator esse velit, tanquam regularis obseruantiæ ac virtutum omnium specimen proponere possit ad imitandum. Nec enim proditur vel per coniecturam, qui ab omni retrò æuo loquutus sit de summa eius vitæ integritate & innocentia verbum malum, quin etiam inter erecti ac minimè perturbati animi indicia excessisse, fœlicissimamque obiisse mortem, iis supra monumentis historiarum adstruximus, quibus potiora & clariora non sunt, quæ veterum plerisque seruant possessionem tituli ac prænominis, quod Cassiano nostro saluum & summo iure vindicatum volumus.

3. Sed quid perantiqua longéque firmissima pro Cassiani sanctitate suffragia diutius premo? Theophilus noster in Valeriano in sanctitatis Cassiani laudem & commendationem paululum digreditur de orationis cursu. Quanta autem sanctitatis laude claruerit Cassianus docent non tantum eius scripta quæ *Christianæ perfectionis medullam* iure dixeris, sed etiam memoria, qua in benedictione est Massiliæ, vbi à tam multis sæculis *Sancti* titulum retinet & cœlestium honoribus colitur. Eius enim caput argentea theca inclusum inter sacras reliquias Abbatiæ S. Victoris, vbi Cassianus olim vixit, exhibetur venerandum. Sacrum de eo & quidem peculiare ac proprium celebratur, die festo honoratur, omni denique cultu qui cœlitibus impendi solet religiosè afficitur. Cap. 3. n. 2.

4. Paulinus Aquileiensis Episcopus scripsit aduersus Felicem Vrgelitanum & Eliphandum Toletanum Episcopos de sanctissima Trinitate libellum, cuius initium est. *Sancto incitante spiritu ac Zelo fidei Catholicæ.* Extat in Bibliotheca SS. Patrum per Marguerinum De la Bigne editione 4. Parisiis ann. 1624. vbi sæpius Cassianus testis citatur honorificentissimè in Catholicæ veritatis confirmationem. Audi etiam quomodo Patres nostri viri verè Catholici responderent antecessoribus tuis, qui Christum nec Dei filium nec Deum verum voluerunt credere, vt eadem verba ponamus quæ leguntur in libro Beati Cassiani. *Vel sic diuino*, inquit, *credas testimonio à signis cœlestibus quæ super baptismum Christi apparuere.* Tum alibi. Sed & Beatus Cassianus contra hæreticas prauitates eiusdem Prophetiæ ita exposuit sensum. *Preuidens absque dubio diuinus spiritus hanc blasphemantium hereticorum peruersitatem his omni mundo Deum qui nascebatur rerum ipsarum vocabulis demonstrauit, Filius inquit natus est nobis paruulus datus est nobis*, &c. Rursus. De quo etiam nomine Beatus Cassianus Pater ait in disputatione eadem de qua supra. *Nunquid causari aliquid quasi de nominum ambiguitate potest? vt dicas aliud esse Christum aliud Deum, vt saluatorem à Maiestate nominis sui distrahas, & Deum à diuinitate secernas.* Item. Consentanea quoque Euangelicis testimoniis. Apostolicisque doctrinis & SS. Patrum sensibus Beatus Cassianus profert in illo libro quem contra hæreticæ prauitatis sectam scripsit. *Testamentum*, inquit, *vetus concinnit nouo, Dauid Ioanni concedat.* Et paulo post. *Quem verum hominem dicit Dauid, quia mater Sion*

Bigne part. 2. tom. 4. pag. 4. Lib. 1.

Lib. 2.

Eodem lib. 2.

Lib. 4.

dicit Homo & homo natus est in ea eumdem verum Deum credit & prædicat, &c.

5. Rabani testimonium habes capite superiori proximo. *Sicut B. Cassianus ait reficientibus fratribus sanctæ lectiones legantur.*

6. Author Fasciculi temporum Vvalterus Rolleuinch. Cartusianus Cassianum sanctis pluribus Eremitis qui Theodosio & Valentiniano regnantibus floruerunt accenset. *Ioannes Cassianus Eremita eiectus à Chrysostomo de Constantinopoli venit Marsiliam, Collationes scripsit & alia. Et fuerunt infiniti sancti Eremitæ & Monachi*, &c. Verùm in eo quod dicit eiectum à Chrysostomo Cassianum, merito reiicitur & hîc quidem singularem ob causam cùm author ille Marianum Scotum sit sequutus, qui secum ipse & cum veritate interdum pugnat manifestissimè. Ait enim idem Marianus Scotus in suo Chronico, Petrum ann.4. Claudij Romam venisse, postremo anno Neronis obiisse, ac tamen sedisse in Romano Episcopatu annis 25. & mensibus duobus quæ nullo modo inter se cohærent. Vide Bellarminum Tom.1. Controuersia 3. lib.2. de Romano Pontifice cap.5.

7. Thomas Valdensis Anglus Carmelita & sui Ordinis Prior Generalis in Anglia, Confessarius autem Henrici Quinti Anglorum Regis, qui & sui temporis hæreseon expugnator ac deinceps exortarum euersor fuit, à Martino V. Pontifice Maximo commendatus cui opus suum dicauerat, librum edidit inscriptum. *Doctrinale antiquitatum fidei & Ecclesiæ Catholicæ*, distinctum tribus tomis, in quorum tertio sancti nomine compellat Cassianum his verbis. *Hæc ecce erant genera vestium solis Religiosis tunc temporis congruentia, & quibus etiam inuariabiliter vti oportuerit, quas lucidè satis descripsit Sanctus Ioannes Cassianus & quæ causæ erant illarum & quid figurabant in moribus non omisit. Quod si extra palatium authoritatis Ecclesiasticæ tam egregium virum infideles expellunt Catholici non multum curant cum videant eos omnes famatos Doctores Ecclesiæ cum eis occurrant, pellere pari passu sed teneat apud vos ò Catholici non minus authoritatem suam Doctor tam egregius ad minimum autem habere eum in tanta reuerentia in quanta eum habere magnus Cassiodorus dignum duxit. Ipse enim magna cum reuerentia allegat Cassianum nostrum in prædicto Codice 5. scilicet libro de Collationibus Patrum etiam eum præferens egregio Augustino. Nec me præterit, inquit, eloquentissimum Cassianum in quinto Collationum dixisse volumine, &c. Hæc agit Magnus Cassiodorus in prologo libri sui qui inscribitur. De institutionibus diuinarum literarum.*

Tom.3.art.3. cap.28.

8. Elisæus à sancto Bernardo clarissimæ D. Bernardi familiæ filius quoque clarissimus, in Epistola Christianissimo Galliarum Regi dedicata, quam D.Theresiæ A I E S V operibus ex Hispano idiomate in Gallicum ipsius opera traductis præposuit, expresse Cassianum Beatum appellat sic enim loquitur. *Dabunt veniam silentij recentis Ecclesiæ Gallicanæ Monasteria, quæ cum diuersis institutionibus cordi tamen potius quàm chartæ infixis viuerent, mole quidem minus sed spiritu longè magis valebant. Tale fuit Monasterium à B. Martino cui tot egregia facta magni nomen fecerunt*

apud

apud Turones conditum: tale S. Honorati Lerinensis è quo numerus prope infinitus sanctorum extitit; tale & illud S. Victoris Massiliensis à sancto Cassiano D. Chrysostomi discipulo institutum. Et bene multa eius generis.

9. Godefridus Tilmannus Cartusiæ Parisiensis Monachus antiquitatis Patrum diligens inuestigator edidit Parisiis ann. 1550. librum Allegoriarum & Tropologiarum in locos vtriusque testamenti selectiores, è monumentis vnius & triginta authorum similiter Theodori Presbyteri Isagogem & alia non pauca è Græca lingua in Latinam transtulit. In his, ad Ioannem Gropperum Archidiaconum S. Gereonis apud Coloniam Agrippinam scholasticum, scribens de Cassiano, ait. His subtexui Medicam sed & festiuam Dosim à corporis morbis ad exinaniendos animæ affectus, Græcè scriptam per Ioannem Cassianum prius Diaconum Chrysostomi vel teste Palladio Helenopolitano Episcopo in suis Dialogismis de vita B. Ioannis Chrysostomi. Ascetica enim Græcè primum scripsit quæ & extare audio in vaticana Bibliotheca.

Ex Asceticis Sancti Patris nostri Cassiani.
Metaphora à Medicorum quidem Dosibus deprompta ad rationem verò Monastica vita seu ad scopum intendens ac relata Godefrido Tilmanno Cartusiano interprete.

Textum ad verbum de interpretaione eiusdem Godefridi expressum retuli aliàs lib. 1. cap. 58.

10. Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus in Catalogo SS. hunc titulum capiti 59. libri septimi præfigit. *De S. Cassiano. Cassianus*, inquit, *Presbyter de quo frater Vincentius & Gennadius, claruit tempore Honory Imperatoris vir illustris & facundus. Alio nomine dictus Ioannes Eremita, qui de Ecclesia Constantinopolitana per Hæreticos eiectus, in Massilia Galliæ Presbyter ordinatus duo condidit Monasteria virorum ac mulierum quæ hodie extant. Scripsit multa opuscula ad fidei nostræ exhortationem, scripsit enim vitas Patrum & regulas, quæ multarum animarum ædificationem continent & luculento sermone nitescunt. Scripsit & res omnium Monachorum necessarias, id est debitum, & de canonica oratione atque Psalmodia quæ in Ægypti Monasteriis die noctuque tenetur libros 4. Institutionum, libros 8. de origine & qualitate ac remediis octo principalium vitiorum, singula singulis explicans. Digessit & Collationes cum Patribus. Ad extremum rogatus à Leone Archidiacono postmodum Romano Episcopo aduersus Nestorium de Incarnatione Domini septem condidit libros, in quibus apud Massiliam scribendi & vitæ terminum dedit, imperantibus Theodosio & Valentiniano.*

11. In vitis Patrum Occidentis authore Gonono Monacho Cœlestino habetur similiter vita S. Ioannis Cassiani Eremitæ vbi paucis quæ superiores omisisse potuerunt interiectis. *Beatus*, inquit, *Cassianus natione Scytha, honestis parentibus natus*, &c. *pergens ad partes Syriæ in quodam Monasterio habitum sanctæ conuersationis suscepit, & breui in tantum profecit*

Lib. 3.

profecit vt cæteris Monachis & senioribus admirationi esset. Mox infrà. *Successu temporis maioris perfectionis acquirendæ desiderio tactus vnà cum collega Germano sanctos Patres qui in Ægypti & Palæstinæ regionibus morabantur visitauit: quorum etiam Collationes & res gestas descripsit. Cum autem in Oriente hæretici valde multiplicarentur & sæuirent contra Catholicos B. Ioannes ad Patres Occidentales transiens tandem prosperis ventis Massiliam appulit, vbi tuguriolum extruens non longe ab ipsa vrbe per multos annos solitarius vixit, ob eximiam sanctitatem postmodum Presbyter ordinatus est. Cumque multi illius se subderent Magisterio duo Monasteria construxit virorum alterum & alterum mulierum. Vt autem Monachos suos ad viam perfectionis inflammaret scripsit eis Latino sermone libros doctissimos de Institutis Renuntiantium de octo capitalibus vitiis, atque Collationes Patrum ; ac demum à Leone rogatus scripsit aduersus Nestorium de Incarnatione Domini libros 7. quos eidem dedicauit & scribendi apud Maßiliam & viuendi finem fecit Theodosio & Valentiniano regnantibus.*

12. Ioannes Lauardinus authoris ipsius Gallicus interpres semel atque iterum ac sæpius Cassianum suum *Sanctum* appellat.

13. Prætermitto hic de industria testimonia domestica ex Monasterij S. Victoris Massiliensis tabulariis, etiam si fortè & numero & genere maiora ea sint, quàm aliquis opinetur, vt constet famam sanctitatis Cassiani & hominum animos & temporum ætates late peruagatam esse. Quæ in Fulconis Vicecomitis Massiliensis, Eldeberti Episcopi Mimatensis, & Abbatis cuiusdam Rutenensis donationum instrumentis comperta habuimus, breuiter attingam deinceps capite 20.

CAPVT XIV.

Quid sit vindicatio Sanctorum quam Canonisationem appellant.

1. CVm igitur ad vitæ sanctitatem accedit publicum Ecclesiæ testimonium & insuper iudicium ac sententia qua decernuntur honores qui debentur iis qui cum Deo fœliciter regnant tunc dicitur Sanctus canonisari. Et quamuis honos sit naturale præmium virtutis ita vt primò & per se sit laudabilis & non consequenter tantum, & ex vi solius testimonij extrinseci aut approbationis Ecclesiæ infallibilis. Verum id quidem est de priuato honore ac cultu, quem potest quilibet deferre viro sancto, pro singulari affectu & opinione quam habet de eius sanctitate vt Doctores communiter affirmant in cap.1. & 2. De reliquiis & veneratione sanctorum, vbi Pontificem excludere voluisse publicum illum cultum quem Ecclesia consueuit sanctis probatis deferre, non autem priuatum tradit Baronius ann. 1181. num.2. siquidem & ipsius Alexandri tempore ipsoque non solum non prohibente, sed & gaudente priuatum exhibitum constat S.Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi antequam canonisaretur, cui postea ab eodem Pontifice solemni ritu sancitus est publicus

publicus ille qui non nisi post canonisationem impendi consueuit. Licet ergo vnicuique, viros quorum probata virtus habetur, credere & appellare sanctos, imo etiam inuocare aliis audientibus exemplo Hieronymi in vita Paulæ, & Gregorij Nazianzeni in vita Athanasij ac Basilij, quorum vterque inuocat quos laudat ante canonisationem. Item pingere ipsorum imagines, reliquias habere ac venerari peculiariter, lætari in die natali, & Deo vacare in memoriam ipsorum. Quod olim fecisse veteres constat ex authore nostro Collatione 19. cap. 1. vbi ait, quod in honorem solennitatis quæ id temporis agebatur infinitam quoque de aliis Cœnobiis Monachorum turbam ad Abbatis Pauli Cœnobium confluxisse, si quidem prioris Abbatis qui eidem Cœnobio præfuerat anniuersaria depositio solemniter celebrabatur. De quibus itidem anniuersariis Tertullianus, Damascenus, & Nazianzenus Oratione 10. in Cæsarium fratrem Anniuersarios honores & commemorationes offerentes. Et Beda. *Memorias, inquit, defunctorum anniuersariis, orationibus, vigiliis, Psalmorum laude, Missis celebrarent.*

Tertullia lib. de co una c. 3 & 10. Damasc. serm. de defunctis. Beda lib. 5. histo. 3.

6. Sed alius certior & eminentior exhiberi solet cultus, quem publicum & solemnem appellant eum scilicet qui non tantùm coram aliis, sed qui nomine totius Ecclesiæ & tanquam ab Ecclesia institutus decernitur. Non est ciuilis ac purè humanus propter excellentiam duntaxat humanam ac naturalem. Neque est latria, quæ soli Deo tanquam primò principio & vltimo fini debetur. Est veluti mixtus quem Doctores apud D. Thomam Duliam vocant, & ratione humanitatis Christi ac B. Virginis hyperduliam, propter excellentiam quamdam mediam inter diuinam & humanam, quales sunt virtutes ac dona omnia supernaturalia tum gratiæ tum gloriæ Sanctorum. Eius vero quatuor quasi gradus constituit Bosius, septem alij vel octo, primò enim canonisatus asseritur cœlitum ordini ac numero, & statuitur ac iubetur vt ab vniuersis habeatur ac dicatur *Sanctus* 2. inuocatur in publicis Ecclesiæ precibus. 3. templa, sacella, aræ monumenta in eorum memoriam consecrantur Deo. 4. sacrificia tum Eucharistiæ, tum laudum & precum, quod vulgo officium siue horæ Canonicæ nuncupatur, in honorem eorum Deo publicè offeruntur. 5. Dies festi in eorum memoriam celebrantur. 6. Effinguntur ipsorum imagines siue coloribus depictæ siue fusiles aut fictiles additis radiorum splendoribus, in signum gloriæ qua fruuntur in cœlis, thuris suffitu ac prælucentibus funalibus cohonestantur. 7. Venerandæ reliquiæ pretiosis thecis ac ferculis includuntur, & publicè coluntur. 8. religiosè ipsis nuncupantur vota & per longioris temporis iter ineundæ peregrinationes. Porrò id genus latriæ & honoris publici circumstantias absque Ecclesiæ suffragio & approbatione, cuiquam attribuere Pontificiis legibus seuere cautum est. Alexander III. cap. cum ex eo, & capite citato, Audiuimus, Extra, de reliquiis & veneratione Sanctorum statuit quod etiam si per aliquem miracula fierent, non liceat nihilominus ipsum pro sancto absque authoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. Vetat præterea Innocentius III. can. Venerabili Extra de testibus & attestationibus

2. 2. quæst. 103. art 3.

Tom. 1. lib 9. cap. 5.

& plerique alij recentiores Pontifices in suis Extrauagantibus, ita vt ne illi ipsi quidem quos Ecclesia cœlestibus honoribus cum aliqua restrictione prosequitur *Sancti* nominentur sed *Beati* duntaxat, quandiu ea restrictio non amouetur.

---

§. VNICVS.

Cuinam iusta & legitima inest authoritas canonisandi.

7. FIdei normam & regulam practicam in iis quæ sunt religionis exquirendam esse tum à scriptura diuina, tum à summo Ecclesiæ capite nemo tam hospes est in Patrum libris aut in Orthodoxis canonibus vt ignoret. Ioannes Driedo rem totam explicat & canonisationis leges exponit diligenter enodatas libro de Dogmatibus. Ne per Angelum Satanæ qui nonnunquam transfigurat se in Angelum lucis populus illuderetur, aut falsis testimoniis, aut confictis miraculis, Ecclesiæ censura moderamen canonisationis adhibuit. Antiquitus ex certissima vitæ sanctitate præsertim attestantibus plerumque miraculis publicis, incepit, populus colere & venerari Sanctos ac celebrare diem gloriosi exitus eorum, quemadmodum patet ex diuersis Cypriani Epistolis & aliorum antiquorum Patrum scriptis. Quidam ergo sunt sancti in cœlo, de quibus quod sint Sancti iam in cœlo regnantes oportet credere ex fide Christiana: reuelatione desuper facta ex scripturis Sacris, Abel, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, cæterosque multos Patriarchas & Prophetas, Ioannem Baptistam, Stephanum, & duodecim Apostolos, latronem in cruce morientem, Paulum & alios multos iam Sanctos in cœlo viuere & regnare credimus eadem fide, qua credimus articulis cæteris in scriptura sacra expressis. Alij autem Sancti sunt in cœlo, de quibus quod Sancti sunt oportet credere sed non sic ex reuelatione desuper facta in sacra Scriptura, quorum laudabilis vita & gloriosus exitus illustrauit iam olim totam Ecclesiam in vniuerso mundo. Idcirco de illis quod *Sancti* sunt rationabiliter aut negare aut dubitare non possumus. Alij sunt Sancti qui in diuersis regnis & Prouinciis claruerunt mirabili vitæ sanctimonia quorum vita laudabilis & gloriosus exitus innotuit toti aut Regno aut Prouinciæ, super quibus & Ecclesia ex fidelium hominum testimoniis aliisque iudiciis censuram suæ canonisationis adhibuit.

Cap. 1.

8. Propterea state omnino oporttebit diuinæ scripturæ testimonio vel Ecclesiæ iudicio atque sententiæ in Canonisatione Sanctorum, ne quam aduersus veræ pietatis cultum incurramus erroris notam, vel noxam admittamus eamque grauem. Primas & quasi lineares Canonisationis tabellas expressit in vetere Testamento Ecclesiasticus cap. 44. pleniori euulgans cum laude sanctitatem Henochi, Noëmi, Abrahæ, Mosis, Aaronis, Phinees, Iosue, Samuelis, Dauidis, Eliæ, Elisæi; Sanctus verò Lucas in Actis ad eumdem Sanctorum ordinem refert Stephanum, Iacobum

cobum maiorem, Petrum, Paulum, Matthiam, Barnabam, Silam, & alios. E quibus locis colligitur potestatem Ecclesiæ fuisse traditam de vitæ instituto ac moribus hominum deinceps diiudicandi, eosdémque pro meritis cœlitum cœtibus atque honoribus asserendi. Eadem enim ratio quæ certam nobis facit sanctitatem eorum, quos scriptura dilaudat, valet etiam pro infallibilitate testimonij quo Ecclesia de aliorum Sanctorum cultu ac veneratione decernit.

9. Quoad vsum spectat iam ab ipsis Ecclesiæ cunabulis duplex cœpit esse canonisandi modus alius est particularis ita vt in vna Prouincia vel Diœcesi duntaxat habeatur Sanctus & colatur pro Sancto: alius generalis, qui ad sui decreti fidem & ad alicuius Sancti venerationem Ecclesiam vniuersam obstringit. Priori modo vindicatur Sanctus vel per expressam canonisationem factam ab Episcopo, nam quilibet Episcopus poterat pro sua Diœcesi vti venia & iure Canonisandi vt docet Thomas Valdensis libro de Sacramentalibus. Idcirco D. Cyprianus de Martyribus qui ipsi erant ætate suppares ita scribit. *Dies eorum quibus excedunt annotate vt commemorationem eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus quamquam Tertullus fidelissimus & deuotissimus frater pro cætera sollicitudine scripserit, & scribat ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, vt celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia, ob commemorationes eorum quæ cito vobis cum Domino prosequente celebrabimus.* Atque ex Concilio Florentino constat Simeonis Metaphrastis canonisationem esse particularem, cùm in Ecclesiis Græcorum habeatur & colatur pro Sancto, nulla tamen in sacris Latinorum Diptychis & ritibus eius memoriæ extent monumenta. Sed hoc iure antiquo & nudis moribus constituto interdictum est ab Alexandro III. & Innocentio III. citatis in superiori §. 2. ita vt iam nemini Episcoporum liceat priuatas canonisationes pro suis Diœcesibus celebrare. Alio modo fit talis canonisatio particularis, per traditionem de sanctitate personæ, & per consuetudinem totius Diœcesis aut Prouinciæ, & per approbationem totius populi cum tacita vel expressa approbatione Episcoporum & Pontificum, Nam hæc canonisationi æquipollent vt notauit Sanchez vbi ait cum Hostiensi, posse Episcopum diem festum Sancti instituere inconsulto Pontifice, modo antiquitus Sanctus ille approbatus esset. Et hoc modo S. Petrus de Luxemburgo, S. Bruchardus Viennensis hac etiam ætate, plurimique alij Sancti recipiunt publicos cultus in Ecclesiis, ita vt vix sit vlla Diœcesis aut Abbatia alicuius nominis, quæ non habeat multos Sanctos particulares hoc modo canonisatos, quibus publici cultus in eiusmodi Diœcesibus aut Abbatiis deferuntur. Atque hæc canonisatio particularis hoc modo facta non fuit abrogata, sed adhuc post vsum solennis canonisationis introductum, viget vt patet ex decreto Vrbani VIII. quod in Generali Congregatione Cardinalium & vniuersalis Inquisitionis editum fuit 13. Martij anno 1625. in quo cum prohibeat publicos cultus Ecclesiæ deferri Sanctis non canonisatis, tam sæcularibus quam regularibus antequam ab Apostolica sede

Tit. 14. c. 121.

Lib. 3. Epist. 6. vel 17.

Sess. 7.

Tom. 1. moral. lib. 2. cap. 43. num 11.

canonisentur aut Beati declarentur, excipit tamen ab hac prohibitione, dum præfati publici cultus fiunt erga illos viros, qui coluntur communi Ecclesiæ consensu, vel immemoriali tempore, aut Patrum & Sanctorum virorum scriptis, vel longissimi temporis spatio, cum scientia ac tolerantia sedis Apostolicæ vel ordinarij. Longissimum autem tempus videtur esse spatium quadraginta annorum Cap. De longi temporis præscriptione. Ita Placius in suo Lexico, V. Longissimum & alij, quamquam nonnulli putant longissimum tempus vocari spatium 100. annorum.

Quæ generalis dicitur ac pro tota Ecclesia, certum est pertinere ac semper olim pertinuisse ad solum summum Pontificem, vt communiter sentiunt omnes Doctores, quippe cuius effata velut ex oraculi adyto, regula nobis esse debeant in rebus tam fidei quam religionis veri falsique discernendi. Porro iste Pontificis sensus & consensus dupliciter contingit; alius enim est tacitus, alius expressus. Tacitum appello, quo per superiores, ad quos pertinet multitudini legem imponere, permittitur aut toleratur aliquis actus vel consuetudo ab ipsa multitudine introducta; ex hoc enim quod non se opponunt ac pro iure suo minimè resistunt consuetudini, videntur illam approbare. Atque hæc est tacita approbatio, vt author est D. Thomas, qui docet fore expressam, si verbo vel opere aliquo externo manifestetur, & ita vnusquisque expresse dicitur eligere & iudicare vt bonum, quod verbo edicit vel opere implet.

1. 2. quæst. 97. art. 3. ad 3.

10. Si ab anno Christi octingentesimo antegressi temporis canonisationes expendantur certum est veteres omnes Sanctos cœpisse coli in Ecclesia vniuersali non tam lege aliqua, quàm ex consuetudine Christianorum generaliter introducta, atque adeo ex approbatione saltem tacita summi Pontificis. Primus qui expressa sententia & diplomatè legatu Sanctos canonisasse dicitur Leo III. de quo testatur Baronius anno Christi octingentesimo quarto cum Vueidam in Germania appulisset rogatu Caroli Magni Imperatoris B. Suibertum, post lectam ipsius Sanctissimam vitam innumeraque miracula, postque actas preces celebrataque ieiunia de consensu Cardinalium cæterorumque Prælatorum solenni ritu inter sacratissimæ Missæ officium Sanctorum Confessorum Catalogo adscripsisse pridie nonas Septembres, & instituisse illum diem ab incolis festiuè celebrandum, atque ad diuina confluentibus Indulgentias concessisse denique multa ab omnibus adstantibus oblata fuisse ad conficiendam pretiosam capsulam, in qua Sancti reliquiæ collocarentur. Quo eodem ritu Innocentius II. S. Hugonem Episcopum Gratianopolitanum, & Alexander III. S. Bernardum cæterique Pontifices Sanctorum omnium posteras canonisationes deinceps celebrarunt & celebrandas indixerunt. Quamquam de S. Romualdo tradit idem Baronius ann. 1027. num. 4. quinquennio post obitum à Ioanne 20. in Sanctorum ordinem fuisse relatum, sed alia canonisandi formula instituto que minus solemni, quod tunc frequentius erat in vsu, nempe vt petentibus concederet Apostolica sedes super corpus defuncti altaria construere. Quod & Petrus Damianus Epistola ad Henricum Archiepiscopum Rauennatem refert

refert de aliis sanctis miraculis coruscantibus, qui hoc eodem tempore vixere, supra quorum corpora ex Concilij authoritate altaria sunt erecta, atque desuper sacrosancta Christiani sacrificij mysteria celebrata.

11. Quodnam autem sit firmamentum ac robur stabilitatis eius, quam in canonisatione quærimus, Driedo prosequitur longius fortè quàm tua fides postulabit. *Et quamuis nos omnium horum*, inquit, *sanctitatem tam firma tamque immobili fide credere oporteat, quàm credimus sanctitatem eorum, qui in Canonicis scripturis describuntur, super istis enim credere aut dubitare Ecclesiam potuisse esse delusam, hæresis est. Nam hoc est dubitare de authoritate scripturæ Canonicæ, ne fortè ipsa possit nos fallere; super illis autem credere aut dubitare Ecclesiam potuisse deludi & decipi, non est hæresis. Neque tamen possumus aut contemnere aut nihili facere obseruationes Ecclesiæ, quasi olim ipsa fuisset aut delusa aut leuitate vsa, instituens celebrandam huius aut illius Sancti memoriam. Verum quidem est Ecclesiam in his quæ sunt facti errare posse, & Angelum Satanæ sese interdum transferre in Angelum lucis aut simulatione sanctitatis, aut miraculis falsis signisque mendacibus, qualia prænuntiat Christus per Antichristum futura; Ecclesiæ autem instituenti Sanctum aliquem colendum aut ex necessariis aut ex verisimilibus argumentis iam olim persuasum erat, Sanctos canonisandos nihil tale fecisse, sed vsque ad exitum permansisse in confessione fidei & charitatis in pace & vnione totius Ecclesiæ. Proinde nostri iudicij non est secundum humanas nostras phantasias contra piam fidem quam habuit Ecclesia de sanctimonia vitæ Sanctorum canonisandorum præsumere, aut quod latenter verum est irridere. Verum Ecclesiam Christi sic honorare debemus, vt sentiamus eam hactenus neque cito, hoc est absque prouida circumspectione, neque omni spiritui credidisse, sed vigilem fuisse contra Angelum Satanæ transfigurantem se in Angelum lucis. Proinde omnibus modis est præsumendum eosdem Patres in celebrandis quorumlibet Sanctorum memoriis, nihil temere aut instituisse aut admiscuisse, sed matura delibratione præhabita & diligenti examinatione sufficienter præmissa, confisos diuino adiutorio quod videbatur pro deuotione fidelis populi amplianda statuisse. Qui hunc in modum de prouidentia & circumspectione Ecclesiæ, in qua & habitat Spiritus Sanctus, tum piè sentit, perniciosè non sinitur errare, etiam si quem forsitam Sanctum esse credat qui non Sanctus foret.*

Lib. 4. de dogmat. c. 1.

CAPVT XV.

Cassianus Ecclesiæ authoritate in numerum Sanctorum relatus, eiusque memoria religiosæ celebritatis officio frequentata.

1. PRæcipuum illum ac proprium religionis cultum Sanctis ab Ecclesia perfectè vindicatis aut canonisatis delatum, qui sanctitatem Cassiani æstimare vult, norit. Nam in eius variis generibus descriptæ sunt

viæ ac signata vestigia, per quæ ad celsissimum honoris ac dignitatis culmen ascendit, quæ indicare hoc loco esse arbitror meum.

Primus gradus Canonisationis, Ecclesiæ oraculo Sanctum renunciari, publicisque tabulis designari.

2. Hoc igitur primum eximiè habuit Cassianus vt ipsi Romani Pontifices oraculis, quæ instinctu diuino afflatúque funduntur, de eius sanctitate promulgarint & ad nos sæpenumero detulerint.

3. Gregorius, Magnus merito appellatus, Felicis Papæ quarti pronepos ac Monachus ordinis S. Equitij, deinde Pontifex Maximus eius nominis primus, vir semper sanctissimus ac vt pietate ita & miraculis clarus floruit anno Christi sexcentesimo, & ab obitu Cassiani circiter ducentesimo. Is ad Respectam Abbatissam Massiliæ scribens de priuilegiis Monasterij in honorem S. Cassiani consecrati & Sanctum agnoscit Cassianum in actu signato, & Monasterij consecrationem ratam habens firmat quoque in actu exercito eiusdem sanctitatem & beatitudinem. Dabimus concepta Pontificis verba mox infra cap. 17.

4. Benedictus IX. in Bulla *Supernæ diuinitatis potentia*, de dedicatione huius Ecclesiæ vel potius restauratione vniuersi Monasterij, post stragem horribilem cædemque Vandalorum, data Massiliæ in eodem Monasterio S. Victoris Idibus Octobris die eiusdem loci consecrationis, anno Dominicæ Incarnationis 1040. Indictione 8. nunquam nisi honorificentissimè ac *Beati* nomine Cassianum appellat eiusque virtutes ac doctrinam summis laudibus effert ad cœlum.

5. Pascalis 2. ann. 1114. in Bulla cuius initium. Pascalis 2. seruus seruorum Dei dilecto in Christo filio Ottoni Abbati Massiliensis Monasterij eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum, &c. de consilij sententia & quasi de tribunali iudex, sanctum Cassianum pronuntiat, eiusque nomini dicatas Ecclesias mirum quantum auxit ac communiuit priuilegiis. Apostolicæ, inquit, sedis authoritate debitóque compellimur pro vniuersarum Ecclesiarum statu satagere, & earum quieti auxiliante Domino prouidere. Ea propter petitionibus tuis, fili in Christo charissimè Otto, non immerito annuentes censuimus vt Massiliense Monasterium cui Deo authore præsides ad prædecessorum nostrorum Gregorij VII. & Vrbani II. exemplar. Apostolicæ sedis priuilegio muniremus. Per præsentes igitur priuilegij paginam tibi tuisque successoribus quæ à prædictis Pontificibus sunt firmata firmamus. Videlicet in Arelatensi Parochia Monasterium SS. Genesij & Honorati, Ecclesiam S. Petri, & S. Trinitatis de Fauobriculo, SS. Sergij & Bachi, &c. In Episcopatu Foroiuliensi Ecclesiam Parochialem S. Mariæ de Cabasa, S. Pontij, S. Petri, Cellam S. Mariæ de Luc, S. Petri de Atqs, Parochialem Ecclesiam ipsius castri cum cappellis suis, Ecclesiam S. Iuliani de Ailla, Cellam S. Cassiani de Sata Laudemia, S. Victoris de Mota. In Episcopatu Regensi Cellam S. Ioannis de Langinas, S. Ioannis de Castro, Monasterium

nasterium S. Quiricij, S. Martini de Bromede, S. Trophimi, S. Crucis, S. Cassiani de Tabernis. In Episcopatu Massiliensi S. Mariæ de Balma, S. Cassiani, Cellam S. Saturnini.

6. Innocentius 2. de eodem argumento alteram authoritate & dignitate ac pene ætate supparem edidit ann. 1136. Pontificatus anno 6. in qua similiter Cassiani nomini titulum *Sancti* præfigit.

Innocentius Episcopus seruus seruorum Dei.

DIlecto in Christo filio Petro Massiliensi Abbati eiusque successoribus regulariter substituendis. Cum vniuersis per orbem Ecclesiis debitores ex iniuncto nobis à Deo Apostolatus officio ac beneuolentia existamus, illis tamen propensiori cura nos conuenienter imminere, quæ B. Petro & S. Romanæ Ecclesiæ specialius pertineret, eique familiariter adhærere noscũtur. Eapropter dilecte in Domino fili Petre Abbas tuis petitionibus clementer annuimus, in S. Dei genitricis semperque Virginis Mariæ & Beatorum Apostolorũ Petri & Pauli Monasterium secus Massiliam, vbi sacratissimum corpus B. Victoris Martyris requiescere creditur, ad exemplum prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ Gregorij septimi & Vrbani secundi Romanorum Pontificum Apostolicæ sedis priuilegio communimus statuentes vt quæcumque bona, quascumque possessiones in præsentiarum iustè & canonicè idem Monasterium possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus in perpetuum & illibata seruentur, in quibus hæc propriis nominibus annotanda subiunximus. In Toletano Archiepiscopatu Monasterium S. Seruandi cum suis appendiciis, scilicet Penna fidelis, & Villa Moretel, & Morel de Tarantona, &c. In Foroiuliensi Episcopatu S. Mariæ de Luc, S. Petri de Arqs Parochialem Ecclesiam ipsius Castri cum capellis suis, S. Iuliani de Ailla. S. Cassiani de Lata Ladigaria, S. Victoris de Mota. In Episcopatu Regensi S. Ioannis de Castro, S. Martini de Bromede, S. Trophini, S. Crucis, S. Cassiani de Tabernis. In Diœcesi Massiliensi S. Mariæ de Balma, S. Cassiani, S. Saturnini. In Glandatensi S. Pontij Adanor S. Cassiani, S. Sepulchri ad Mugelos.

7. Gregorium VII. ann. 1080. & Vrbanum II. ann. 1095. vtrique præluxisse exemplo simul & documento, ad illustrandam & publicis literis consignandam Cassiani nominis sanctitatem, eiúsque Monasterio Massiliensi priuilegia irroganda liquet ex dictis, quod vterque eam speciem ad imitandum, quæ in Bullis Gregorij & Vrbani semper est, eadem se intuitum esse atque eas sibi proposuisse exemplar, vterque affirmet.

8. Honorius III. in Bulla quam edidit Romæ Pontificatus ann. 2. Incarnationis Dominicæ 1218. 4. Calendas Iulij, Indictione sexta, Vrbani, Innocentij, aliorúmque prædecessorum suorum suffragiis, pro sanctitate

sanctitate Cassiani velut facta conspiratione consentit, & verbum è verbo quasi imaginem exprimit.

Honorius Episcopus seruus seruorum Dei.

Dilectis filiis Abbati S. Victoris Massiliensis tam præsentibus quam futuris. Regularem vitam professis I. N. P. P. M. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne fortè cuiuslibet temeritatis incursus, aut eos à proposito reuocet, aut robur quod absit sacræ religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium S. Victoris Massiliensis, quod specialiter Beati Petri iuris existit, in quo diuino estis obsequio mancipati sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuimus vt ordo Monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Præterea quæcumque bona idem Monasterium in præsentiarum iustè ac canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum Monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis. In Toletano Archepiscopatu Monasterium S. Seruandi cum appendiciis suis, &c. In Foroiuliensi Episcopatu S. Mariæ de Cabasa, S. Petri de Castro cum capellis suis, S. Ioannis de Ailla, S. Cassiani de Sata Ladigaria. In Episcopatu Regensi S. Martini de Bromede, S. Trophimi, S. Crucis, S. Cassiani de Tabernis, Ecclesias, In Diœcesi Massiliensi S. Mariæ de Balma, S. Cassiani, S. Saturnini. In Glandatensi, S. Pontij Adanot, S. Cassiani, S. Sepulchri ad Mugelos.

9. Vrbanus V. Caput Cassiani argentea theca inclusum inter sacras Reliquias Abbatiæ Massiliensis S. Victoris venerandum exhibuit adscripta hac Epigraphe. *Caput S. Cassiani.* Nec modo Sanctum renuntiauit in Bulla particulari aut epigraphe duntaxat sed omni etiam cultu qui cœlitibus impendi solet religiose affecit. Cum enim authore Bosqueto Narbonensi in eius vita iam inde ab adolescentia sua sub habitu Monastico voluisset famulari, fuissetque cooptatus in Monachum ordinis S. Cassiani in Prioratu seu Monasterio S. Saluatoris de Chiriaco Diœcesis Mimatensis, à Generali ac principe totius ordinis Monasterio S. Victoris Massiliensi dependente; vbi vita magnam partem exacta sacris ordinibus initiatus, tandem verò suis suffragantibus meritis, eiusque industria, doctrina, & pietate cognita ab Innocentio VI. ad Abbatis munus in Monasterio S. Germani Altiziodorensis ac deinceps in Monasterio prædicto S. Victoris Massiliensi, sub quo primitus ordinem S. Cassiani professus extiterat, promotus fuisset, certò affirmare possumus ipsum ex instituto ac legibus

bus ordinis, quem ſequebatur, ſtato die feſto anniuerſario S. Caſſianum honoraſſe, ſacrum de eo & quidem peculiare ac proprium celebraſſe, ſolemnium precum ſacerdotale munus exoluiſſe cæteriſque omnibus coluiſſe cœleſtium honoribus ac ritibus, quem morem ſimul atque Monaſticum S. Caſſiani habitum vſque ad mortem etiam Pontifex continuò ſeruauit, vt Ciaconius teſtatur in eius vita & geſtis. Nec ſatis habuit hoc apud ſe officium præſtari, niſi eius amplitudinem ac gloriam nouis religioſarum familiarum fundationibus & Eccleſiarum conſtructionibus augeret. Placuit Pontifici explantatam S. Caſſiani propaginem è Cœnobij ſui Maſſilienſis ſurculario ad alienas areas tranſuehere, & ob eam cauſam Monſpelij Cœnobium inſtituit, de quo Boſquetus ibidem. *Poſtea verò circa principium anni 67. init. ad Montempeſſulanum cauſa videndi ac viſitandi Monaſterium, quod in honorem SS. Benedicti & Germani à ſolo ſuis magnis ſumptibus ædificauerat & ſolemniter dotauerat pro ſuſtentatione certi numeri Monachorum, iam per eum ibidem inſtituti & ordinati, partim vt diuinis inſiſtant officiis & partim in literarum ſtudiis vacent pariter & & intendant. Ipſe enim pro tunc in propria, altare maius Eccleſiæ huiuſmodi Monaſterio conſecrauit, magnis priuilegiis decorauit, & multis reliquiis, ornamentis, & iocalibus pretioſis adornauit.* Ibi autem omnia ſolemnia ac iuſta officiorum diuinorum in laudem S. Caſſiani ſumma cum ceremonia ſeruata olim fuiſſe conuincunt facilè pauca illa, quæ ex M M. SS. Calendariis indicibus ac Breuiariis antiquis in vſum eiuſdem Monaſterij excerpſimus de quibus infrà. Bulla vero quoad rem præſentem ſic habet.

Vrbanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Dilectis filiis Conuentui Monaſterij ſancti Victoris Maſſilienſis ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, ac proprij Abbatis regimine nunc carentis, Ordinis ſancti Benedicti, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Romanus Pontifex Chriſti Vicarius tenens ſuper orbis Eccleſias & Monaſteria vniuersè, volente Domino, principatum, frequenter Eccleſiis & Monaſteriis ipſis pro tempore exemptionis & aliarum diuerſarum gratiarum priuilegia concedere conſueuit, ſed profectò Eccleſiis & Monaſteriis ipſis in quibus Diuini cultus ſacræque religionis obſeruantiam, fragrantiam fidei, deuotionis conſtantiam ac alia laudanda opera virtutum reflorère, aliaſque cauſas iuſtas & rationabiles concurrere conſpicit, non indignè ſe reddit, in huiuſmodi gratiarum exhibitione munificum, & pariter in cunctis eorum opportunitatibus liberalem. Sanè licet Monaſterium veſtrum vna cùm omnibus membris ſuis & perſonis degentibus in eiſdem communiter reputatum fuerit hactenus & etiam reputetur ad præſens, ab omni Iuriſdictione quorumlibet Ordinariorum iudicum liberum & exemptum, & præfatæ Apoſtolicæ ſedi immediatè ſubiectum: tamen nonnulli locorum Ordinarij vobis dictis Monaſterio & præcipuè membris ac perſonis degentibus in eiſdem ſuper exemptione huiuſmodi & contra eam, ſicut ab olim nobis inno-

tuit, graues iniurias & molestias intulerunt. Ex quibus nobis ipsisque Monasterio & membris ac personis impedimenta & dispendia grauia sunt sequuta. Nos itaque qui ab olim in ipso vestro Monasterio expressam professionem fecimus, & imbuti fuimus Regularibus disciplinis, eligendo nobis in eo perpetuum vt sperabamus contra mundi naufragia portum salutis, si placuisset Altissimo, iuxta celebrem alium ibi contiguum portum maris, quique tunc etiam postea dum eius præsideremus regimini, exemplaria laudabilium actionum quæ persanctæ conuersationis studium, innocentis vitæ meritum cùm religionis fragrantia, feruore fidej, & abundantia Charitatis in Monasterio ipso fiunt, oculatè cognouimus & indeficienter fierj authore Domino confidimus & speramus, nunc quamquam immeriti Diuinâ fauente Clementia ad apicem summi Apostolatus assumpti, præmissa omnia paterna meditatione pensantes, ac ipsius vestri sacri & antiqui Cœnobij in quo illius Beatissimi Victoris Martyris, qui pro Catholica fide pugnando ex Martyrio reportauit Victoriam & gloriam sempiternam, aliorumque multorum Sanctorum corpora requiescunt, cuique etiam præfuit Sanctus Cassianus præclarus (sicut antiquarum scripturarum habet fide relatio) pater quinque millium Monachorum, nobilitatem & celebritatem eximiam, nec non multitudinem membrorum ipsi Monasterio subiectorum diligentius attendentes, dignum reputamus & decens, vt vos quos singulari affectu prosequimur, dictumque Monasterium elegans membrum Ecclesiæ Sanctæ Dei opportunis tueamur præsidiis, attollamus fauoribus, honoremus gratiis, talibusque priuilegiis muniamur, per quæ semoris impedimentis quibuslibet seruire Domino quietius & liberius valeatis, crescat in vobis religionis feruor, contemplationis vigor, ac bonorum operum exercitium fructuosum, & erga sanctam Romanam Ecclesiam sedemque prædictam deuotionis & fidei plenitudo: Ea propter Dilecti in Domino filij Abbatem Dicti Monasterij qui erit pro tempore ac vos & ipsum Monasterium, quod ex certis rationabilibus & eidem Monasterio vtilibus causis ad manum nostram præsentialiter retinemus & illud facimus per prouidum Vicarium gubernari, ac omnia & singula Monasterij, Prioratus, officia, beneficia, & alia membra & loca quocumque regularia, tam virorum quàm mulierum vbilibet constituta, Ipsi Monasterio nostro immediatè vel mediatè subiecta, quæ in præsentiarum habetis & præstante Domino habebitis, in futurum cum omnibus personis degentibus in eisdem etiam conuersis & perpetuo oblatis præsentibus & futuris, à quorumcumque Patriarcharum, Archiepiscoporum, ac Episcoporum ac aliorum quorumcumque Iudicum Ordinariorum omnimoda Iurisdictione, authoritate, & potestate, Dominio, Visitatione, ac Charitatiuo subsidio, & subuentionum & exemptionum quarumlibet præstatione, necnon à Synodalis & alterius cuiuslibet Congregationis euocatione, de speciali dono gratiæ, authoritate Apostolicâ eximimus, & de nouo totaliter liberamus, illaque in Ius & proprietatem Beati Petri & sedis eiusdem & sub eorum speciali protectione suscipimus, atque nostra decernentes Monasterium ipsum

ipsum vnà cùm omnibus & singulis Monasterij prioratibus, officiis, aliisque membris, locis, & personis prædictis, fore soli eidem sedi subiecta, quodque locorum Diœcesani aut alij Ordinarij quicumque, vel alia queuis persona; in eundem Abbatem ac vos seu Monasteria, prioratus, officia, & beneficia, aliaque membra & loca regularia, & personas præfatas, prefataque, vtpote prorsus exemptas non possint authoritate ordinaria excommunicationis suspensionis aut interdicti sententias specialiter vel generaliter quomodolibet promulgare, vel alia etiam ratione cuiuscumque delati, seu contractus, vel rei de quâ agitur, vbicumque committatur delatum, seu contractus, vel res ipsa consistat, publicam Iurisdictionem, dominium, aut ordinationem aliquam quomodolibet exercêre; Felicis recordationis Innocentij Papæ quarti prædecessoris nostri circa exemptiones, quæ incipit, Volentes, & aliis constitutionibus Apostolicis in contrarium editis, non obstantibus quibuscumque. Nos enim quaslibet excommunicationum suspensionum, & interdicti sententias, & quoscumque processus, quasuis pœnas & sententias generales vel speciales continentes, quas & quos contra eundem Abbatem ac vos, & Monasteria, prioratus, officia, & beneficia & alia membra, loca & personas prædictas contra tenorem & formam præsentium quomodolibet promulgari vel haberi contigerit, irritas decernimus & inanes. Volumus autem quod idem Abbas ac vos in signum perceptæ ab eâdem Romana Ecclesiâ libertatis & exemptionis huiusmodi, vnum bizantium auri dictæ Romanæ Ecclesiæ in festo Apostolorum Beatorum Petri & Pauli perpetuò annis singulis persoluatis, quodque per præsentem exemptionem & alia supra dicta, libertatibus, priuilegiis, & immunitatibus aliis eiusdem Abbatis, ac vestris, & Ordinis nostri nullum præiudicium generetur. Quin immò volumus quod illa in sua plenariâ remaneant firmitate. Cæterùm non intendimus alicui vel aliquibus per exemptionem & libertatem præfatas, in eiusdem Abbatis ac nostrorum Monasteriorum, prioratuum, officiorum, & beneficiorum, ac membrorum aliarum prædictarum Ecclesiarum Parochialium visitationibus nec non in perceptionibus, tam earum quæ ratione visitationis prædictæ debentur, quàm aliarum solitarum procurationum, seu alias absque visitatione ab antiquo debitas aliquatenus derogare. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis; libertatum, susceptionis, constitutionis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Auenione 5. nonas Ianuarij, Pontificatus nostri Anno primo Nico. B. de mandato Domini nostri Papæ. BARTHOLOMÆVS.

10. Tum in alia quæ dicitur Bulla Exemptionis data similiter Auenione 5. nonas Aprilis ann. Christi 1368. Pontificatus anno 5.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei.

Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij S. Victoris Massiliensis ordinis S. Benedicti ad Romanam Ecclesiam immediatè spectantis salutem & Apostolicam Benedictionem.

In eminenti specula sedis Apostolicæ licet insufficientibus meritis constituti, pro singularum præsertim Religiosarum personarum quiete ac statu salubriter dirigendo partes nostræ sollicitudinis adhibemus, & vt earum quies eò sit ab omni perturbatione securior, quò ipsæ personæ maiorem in suis locis & bonis habuerint potestatem, personas easdem interdum Apostolicæ gratiæ prærogatiua eximimus. Sanè cum dudum nos quieti & honori vestro paterna sollicitudine prouidentes Monasterium vestrum, cuius regimini dudum in minoribus constituti præfuimus, & de quo faciente altissimo fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, quódque propterea brachiis sincerioris charitatis complectimur; à Iurisdictione quorumlibet ordinariorum duxerimus eximendum. Nos volentes vos gratiâ ampliori prosequi, ipsumque Monasterium specialis priuilegij titulo insignire, vt tu fili Abba, tuique successores, & vos filij Conuentus Monastetio ipsi vacantes, per vos vel alium, seu alios Clericos vel etiam Monachos dicti Monasterij in territorio & locis infra scriptis, videlicet in Ecclesia sancti Nicolai sita supra littus maris, in introitu portus Ciuitatis Massiliensis; quæ Ecclesia ad prædictum Monasterium dignoscitur pertinere, eundo per littus dicti portus versus Monasterium supra dictum vsque ad turrem quæ est in principio muri & dicitur turris Plani Formiguerij, & deinde vsque ad dictæ Ciuitatis portale quod dicitur de Callata, & deinde sequendo murum Ciuitatis eiusdem vsque ad portale, quod dicitur portale Laureti, & à dicto portali eundo directè per carreriam, quæ dicitur de Sion vsque ad planum sancti Michaëlis eundo per iter rectum vsque ad Iarretum, qui dicitur Iarretus de Albanea: & à dicto Iarreto sequendo aquam, aqua ipse Iarretus deriuatur vsque ad pontem qui dicitur Pons Iarreti, quo itur ad terras Vireäridorum incedendo directè vsque ad molendina Grifenorum: & de ipsis molendinis veniendo rectè vsque ad aquam Ibelini, & sequendo dictam aquam vsque ad pontem sanctæ Margaretæ: & à prædicto ponte veniendo directè vsque ad Ecclesiam sanctæ Margaretæ prædictæ per rectum iter, dictam Ecclesiam, quæ est eiusdem Monasterij includendo: & ab ipsa Ecclesia veniendo per iter quo itur ad dictum locum Feraris, & post per iter Tras in saccum, quod dicitur de Trullar eundo directè per iter bonæ Auenæ, & eundo per montem, qui dicitur mons Rotundus paruus, veniendo directè vsque ad turrem quæ dicitur Paibs & veniendo directè à dicta turri per littus maris vsque ad Ecclesiam sancti Nicolai prædictam, includendo in dictis terminis totum illud territorium, & quidquid est in eo quod remanet ad partem dexteram, & circuit Monasterium prælibatum: quod quidem, terminos, & loca, territorium,

ritorium, Ecclesias, & personas intra ipsos existentes tam Clericorum quam laicorum ab omni potestate ac Iurisdictione diæcesana & ordinaria Episcopi Ecclesiæ Massiliensis & earum exercitio in ciuilibus & conuentualibus authoritate Apostolica prorsus eximimus, & tantumliber liberamus personas Ecclesiasticas, sæculares, & Religiosas, ac laicos qui intra terminos supradictos pro tempore habitabunt, aut delinquent vel contrahent aut ratione rei sitæ infra eosdem terminos litigabunt; seu litigare voluerint siue ciuiliter aut de crimine conuentualiter agatur, Iurisdictionem Ecclesiasticam pleno iure in perpetuum exercere libere valeatis, de speciali gratia motu proprio, authoritate prædicta tenore præcedentium indulgemus, decernentes quod idem Episcopus & etiam quæcumque alia persona Ecclesiastica, tam diæcesana seu ordinaria, quàm qualibet alia potestate aut iurisdictione suffulta, præter vos & successores vestros non possint de cætero iuirsdictionem quamcumque diæcesanam & ordinariam vt præmittitur infra terminos, loca, & in personas huiusmodi quomodolibet exercere; ac irritum & inane quidquid contra tenorem Concessionis huiusmodi contigerit acceptari. Insuper tibi fili & Abba & eius successoribus vestimenta Sacerdotalia & cruces, ac imagines, & consimilia benedicendi, ac Monachis dicti Monasterij & aliis scholaribus idoneis infra eosdem terminos constitutis, primam Clericalem tonsuram conferendi; nec non tam tibi quam vobis filij Conuentus, vacantes dicto Monasterio huiusmodi Monachos & scholares infra præfatos terminos, vt præmittitur constitutos ad dictam primam tonsuram, & eam habentes, ad quoslibet alios ordines promouendi cuicumque Antistiti gratiam & communionem dictæ sedis habenti præstandi & ipsi Antistiti eos ad eamdem tonsuram, & ordines huiusmodi, statutis temporibus iuxta ritum Romanæ Ecclesiæ promouendi: ac vobis omnibus Chrisma & oleum Sanctum à quocumque Antistite gratiam prædictam & communionem habente recipiendi, & eidem Antistiti dandi, nec non vobis per quemcumque Antistitem dictam gratiam habentem, Basilicas constructas & construendas infra terminos supradictos & altaria earumdem consecrari; nec non ipsas Ecclesias & Cemeteria earumdem, dum erit necesse reconciliari faciendi: ac insuper Clericis & Laicis dicti territorij superius limitati Confirmationes in fronte, & reliqua Ecclesiastica Sacramenta per diæcesanum Episcoporum adultis danda de iure, ex quolibet Antistite dictam gratiam & Communionem vt præfertur habente; de Abbatis & eorum Monasterio vacantium de Conuentus prædictorum, qui erunt pro tempore, licentiâ, liberè recipiendi super iis & quolibet eorum, licentia Episcopi Massiliensis existentis pro tempore minimè requisitâ, facultatem & licentiam de dono specialis gratiæ, authoritate Apostolica supra dictâ tenore præcedentium impertimur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptioni liberationis, Concessionis & constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hæc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Auenione tertio Nonas Aprilis Pontificatus nostri anno quinto.

GRADVS II.

In eorum memoriam atque honorem rei diuinæ operam dare, eosque in preces vocare.

11. PVblici præterea cultus est sacrificia tam Eucharistiæ, quàm laudum & precum quod vulgo Officium siue horæ Canonicæ nuncupatur, in memoriam atque honorem alicuius sancti Deo publicè offerre, vt breuiter totum explicat & excutit Augustinus. *Habet Ecclesiastica disciplina, cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, vbi non pro ipsis oretur, pro cæteris autem commemoratis defunctis oretur. Iniuria enim est pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari*, &c. *Et ibi eos non sic commemoramus vt etiam pro iis oremus sed magis vt ipsi pro nobis orent.* Quod autem longè aliter Deo cultus adhibeatur, disertè copioséque dicit in Commentariis de ciuitate Dei. *Non enim*, inquit, *erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus sed vni Deo & Martyrum & nostro sacrificium immolamus, ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote qui sacrificat inuocantur. Deo quippe non ipsis sacrificat quamuis in memoria sacrificat eorum quia Dei sacerdos est non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis quia hoc sunt & ipsi.* Tum alibi. *Quis autem audiuit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare etiam super Sanctum corpus Martyris, ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus. Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo qui eos & homines & Martyres fecit & sanctis suis Angelis cœlesti honore sociauit.*

Serm. 17. de verbis Apost. & Tract. 84. in Ioan.

Lib 22. c. 10.

Lib 8. c. 27.

12. Hos cœlestium honores impendi S. Cassiano & ad preces ac vota in Litaniis & supplicationibus vocari, Missæ solemnia de eo celebrari, pro Odeo sacros Psalmos in templis cantari, docent id genus varia officij diuini exemplaria, quæ ad verbum de antiquis Breuiariis ac Propriis Sanctorum deprompsimus. Indices præterea Calendarij ex Ecclesiarum Metropolitanarum aliisque Cœnobiorum illustribus tabulariis excerpti, quos vndequaque amicorum opera & studio diligentissimo conquisitos in manibus habui, & euolui, Cassianum Abbatem Massiliensem *Sanctum* disertè indigetant.

M. S. Breuiarij Massiliensis membranaceum, in quarto, vetustissima manu, initium hoc habet. *Ad honorem Domini nostri Iesu Christi & Beatissimæ Virginis Mariæ & B. Lazari huius sanctæ Massiliensis Ecclesiæ*

primi

primi Episcopi omniumque Sanctorum ciuium supernorum incipit Breuiarium secundum consuetudinem prædictæ sanctæ Massiliensis Cathedralis Ecclesiæ. Inter festos mensis quintilis anniuersarios dies Visitationis Virginis Mariæ, Alexij Confessoris, Margaretæ Virginis & Martyris, Mariæ Magdalenæ, Iacobi Apostoli: similiter ad 10. Calendas sextiles S. Cassiani ferias designat his Conceptis verbis.

Cassiani Abbatis totum officium fol. CCC. LXVIII. Apollinaris Martyris commemoratio fol. CCC. LXIX.

In vulgari verò nunc ac recentiori secundum vsum Diœcesis Massiliensis 10. Calend. Augustin. *Cassiani Abbatis duplex. Apollinaris Episcopi & Martyris Commemoratio.*

Ibidem M. S. ex Cœnobio Massiliensi S. Victoris, Charactere bono, & vetere, in indice Calendario inscribit Cassiani nomen 10. Calend. Augusti.

Cassiani Abbatis nostri. Duplex in omnibus cum octaua & Apollinaris Commemoratio.

13. M. S. Martyrologium sanctæ Ecclesiæ Arelatensis eodem die scilicet.

10. Calend. Augusti. Apud Massiliam natalis S. Cassiani Abbatis, qui fuit pater quinque millia Monachorum.

Et in indice Calendario Breuiarij secundum vsum maioris & Cathedralis eiusdem Ecclesiæ nouiter impressum & emendatum.

10. Calend. Augusti. Apollinaris Episcopi & Martyris. Cassiani Abbatis Commemoratio.

14. M. S. in quarto membrana, vetustissimus Breuiarij secundum vsum Abbatiæ S. Ægidij in Arecomica regione Volcarum ita habet.

10. Calend. Augusti Apollinaris Episcopi & Martyris 8. Lectiones Cassiani Abbatis IIII. Lect. Atque hæ Cassiani postremæ ex Euangelio Marci cap. 13. num. 33. Videte Vigilate & orate, Nescitis enim quando tempus sit. Et ex Homilia Venerabilis Bedæ deprompta leguntur.

15. M. S. Foroiuliense in folio, membrana, valde vetustum. *Incipiunt institutiones per annum de historiis & Sanctis*, continet Litanias maiores, quibus inseritur Cassiani nomen in ordine SS. Monachorum & Eremitarum.

S. Paule, ora pro nobis. S. Macari, ora pro nobis. S. Antoni, ora pro nobis. S. Benedicte, ora pro pro nobis. S. Columbane, ora pro nobis. S. Ægidi, ora pro nobis, S. Cassiane, ora pro nobis.

Omnes sancti Monachi & Eremitæ, orate pro nobis.

Alius item codex M. S. Membranaceus, à vetusta manu, qui Libellus precum inscribitur, in Calendario mensis Iulij, cæteris quibus statos diuini Officij ritus adscribit S. Cassianum annumerat.

11. Calend. Augusti Mariæ Magdalenæ. 10. Cassiani Abbatis. 9. Vigilia. 8. Iacobi Apostoli. Christophori Martyris.

Ex libro Officiorum propriorum SS. Sanctæ Regiensis Ecclesiæ Rubrica 23. Iulij.

In festo S. Cassiani Abbatis Patroni Ecclesiæ Parochialis de Tabernis Regiensis Diœcesis. In dicta Ecclesia festum S. Apollinaris transfertur in sequentem diem nisi impediatur Officio Dominicæ, vel in primam non impeditam. Omnia de communi Confessorum non Pontificum. Oratio, Intercessio, &c.

Eadem die ad Pontem Turnonium supra Siagnam fluuium in confiniis Episcopatus Foroiuliensis & Grassensis, Ecclesia in honorem S. Cassiani Abbatis dedicata magno accolarum concursu frequentatur & eius festum ibidem deuotè colitur inter Gallianenses.

16. Breuiarium secundum vsum maioris & Cathedralis Ecclesiæ Aptensis nouiter impressum & emendatum ann. 1532. ad 10. Calend. Sextiles sic habet.

Apollinaris Episcopi & Martyris. Cassiani Abbatis Commemoratio.

Et ibidem 11. Calendas Octobris in Officij nocturni Lectionibus de S. Castore. *In quodam sui ruris agello S. Faustini summo studio Ecclesiam construxit vbi deputatis Monachis sub regularibus disciplinis se libere Domino seruiturum arctius constituit implicandum. Ibique Epistolam hortatoriam fingens clarissimo Abbati Cassiano Massiliensis Cœnobij Patri direxit, in qua ipsius regulam sibi deposcens ad futurum auxilium suis videlicet rudibus Monachis profuturum, quod & promeruit. Igitur praeclarissimus dictus Abbas, qui ferme vt vere reperimus quinque millium Pater extitit Monachorum, huius precibus libenter annuens scripsit ei regulam decenter luculentérque compositam, quàm speculum Monachorum vocauit in qua normam & totius vitæ cœlestis censuram diligenter exprimens distinxit eámque transmisit, quam ille non parui pendens se suosque his subegit disciplinis.*

17. M. S. Martyrologium è celeberrimo PP. Benedictinorum Cœnobio S. Sabini seu Sauini de Leuitania in montibus Pyrenæis, in agro Tarbiensi, ab hinc circiter quingentis annis exaratum in pergameno, sic habet.

Die 23. Iulij apud Massiliam ciuitatem natale S. Cassiani Abbatis.

In Breuiarij Calendario ad vsum eiusdem cœnobij ad 10. Calend. Augusti. Cassiani Abbatis & S. Apollinaris. Tum in Litaniis ibidem legitur inter Abbates.

S. Benedicte Pater, ora pro nobis. S. Maure, ora pro nobis.
S. Placide, ora pro nobis. S. Ægidi, ora pro nobis.
S. Columbane, ora pro nobis. S. Cassiane, ora pro nobis.

18. In Monasterio Lerinensi plura reperiuntur M M. SS. Martyrologia quæ hinc dicendi capiunt exordium. *In Christi nomine liber de gestis Sanctorum.*

Codice præ modico te præsule Christe sub isto
Plurima Sanctorum retinentur gesta tuorum.
Quorum nos meritis muniri iure precamur,
Nobis vt regnum faciant retinere supernum.

In his ergo censetur Cassianus cui ritu aliorum Sanctorum diuini Officij iusta persoluantur, ad 10. Calend. Augusti. Verba concepta dedimus supra cap. 3. num. 4.

Legitur

Legitur ibidem codex M.S. vetus & maximè perfectus qui ad recognoscenda Cassiani scripta maximo adiumento esse potest. Continet enim eius opera hoc initio. *Incipiunt libri S. Cassiani numero duodecim.* Tum infra.

Incipit prologus. Veteris instrumenti narrat historia, &c. Demum hoc fine ac sententiarum terminatur extremo.

Explicit liber B. Cassiani Monachi, qui dormit apud Massiliam Galliarum qui habuit sub ordinatione sua quinque millia Monachorum. Hic liber Speculum Monachorum vel omnium studiosorum appellari potest.

M.S. ex insigni PP. Benedictinorum Abbatia S. Andreæ Auenionem proximè in indice Calendario Breuiarij ad 10. Calend. Augusti.

Eodem die S.Cassiani Abbatis.

M.S. codex Gallicus Mappæ mundi spiritualis à Ioanne Germano siue Primo Cabilonensi Episcopo editus, in numero sanctorum Metropolitaniæ Arelatensis Ecclesiæ sic habet.

Hic iacet S.Trophimus Episcopus. Hic S. Maximinus. Hic S. Victor. Hic S. Cassianus Archidiaconus S. Chrysostomi gloriosus Confessor migrauit ad Dominum.

20. Inscriptum vniuersum opus habetur Philippo Bono Burgundiæ Duci.

Plura refert Menardus, ex quibus suam concinnauit Concordiam regularum vbi sapienter monet Cassianum sæpe in iis appellari Sanctum. Quam appellationem, inquit, reliqui prout inueni in codice M.S. neque eam in locis vbi non erat adieci. Nec mirum videri debet hunc appellari Sanctum fuit enim Sanctus ille vir & admiratione dignus, vt satis ex eius scriptis constat, quæ etsi quibusdam in locis Pelagiana fuligine aspergi quodammodo videantur maximè Collat.13. in qua disputat quosdam sine gratia Dei præueniente, solos liberi arbitrij viribus, nonnullos non sine ea ad Deum conuerti, & eo nomine à Prospero Aquitanico impugnatus sit, & à Gelasio Papa inter scriptores Apocryphos relatus; nunquam tamen quoad vixit ab Ecclesiæ communione separatus est, errore eius multis post annis in Concilio Arausicano 2. quod anno Christi 529. habitum est tantum condemnato, nempe can.8. qui sane errorem emendasset, si illum ab Ecclesia reprobari vidisset. Vnde Prosper in suæ disputationis Epilogo dixit. Quorum tamen dum adhuc non sunt à fraterna societate diuisi, toleranda est magis intentio quam desperanda correctio. Accedit quod in Ecclesia Massiliensi hic Cassianus tanquam Sanctus solemni officio colitur 23. Iulij, vt videre est in proprio Sanctorum Diœcesis Massiliensis, vbi eius officium est duplex minus per annum. Colitur etiam in Parochia de Tabernis Diœcesis Reiensis vt videre est in proprio Sanctorum eiusdem Diœcesis, Annotaturque eius solennitas in veteri Martyrologio M.S. Cœnobij S. Sabini in valle Lauitania Diœcesis Tarbensis nuper edito à doctissimo viro Andrea de Saussay pastore Ecclesiæ SS. Lupi & Ægidij, Lutetiæ Parisiorum, ad calcem eruditissimi sui Martyrologij Gallicani. Eius caput Vrbanus V. Pontifex

Maximus S. Victoris Cœnobij Massiliensis quondam Abbas, thecis argenteis iussit includi, & venerari inquit idem proprium Sanctorum Ecclesiæ Massiliensis. Collocatum est ad sinistrum latus altaris, caput S. Victoris ad dextrum in crypta eiusdem Monasterij. Corpus vero eiusdem Cassiani conditum est in eadem crypta in tumulo marmoreo.

21. Quod verò citat Martyrologium Gallicanum, alibi etiam de Cassiano sic legitur in supplemento die 23. Iulij.

Apud Massiliam depositio Venerabilis Ioannis Cassiani multorum Monachorum Patris, & insigniorum opusculorum Doctoris doctrina & sanctimonia præclari. Hic apud Athenas natus Hierosolymam veniens ex deuotione, ibi prope Domini præsepè instituto Monasterio mansit, ac post in Ægyptum ad mores Sanctorum ibi latentium sublimémque vitæ rationem perdiscendam profectus, tum Constantinopolim se contulit vbi à Ioanne Magno, qui à mira facundia Chrysostomi tulit cognomentum, Diaconus ordinatus ei aliquandiu hæsit, postea Romam petiit, demumque ad Gallias accedens, lustrata Phocensi Prouincia Massiliam ingressus sedem ibi fixit. Constructoque illic nobili Monasterio sub titulo sancti Petri Apostoli & beati Victoris Martyris, quinque mille Monachos sub regulari disciplina congregauit. Quorum ipse cùm esset pater, Presbyter ordinatus, & spiritu sapientiæ impletus præclaras lucubrationes concinnauit; vt non modo Monachis suis vtilia præcepta præscriberet, sed & documento populi Christiani inseruiret. Igitur libros tres de habitu Monachorum, & de Canonico orationum & Psalmorum modo, & vnum institutionum conscripsit, quorum ad Castorem Aprensem Episcopum apographa misit. Quo mortuo commentarium texuit de Origine & remedio peccatorum, & insignem illam collectionem ascetis traditam, quam Collationes Patrum inscripsit. Demumque ad petitionem Leonis Romanæ Ecclesiæ Archidiaconi, (postea Papæ cognomento Magni) pereruditum exarauit tractatum de Incarnatione Verbi, & hoc opere expleto finem scribendi viuendique fecit, anno ætatis suæ 97. Inque Monasterio suo prælibato quod primus rexit (nam & erexit) multis clarus virtutibus & sapientia, sepultus est temporibus Theodosij iunioris & Valentiniani Tertij, Colitur hic pater multis in locis pleno honore sanctitatis & passim quidem in Massiliensi tractu. Maximè autem in percelebri Monasterio sancti Victoris Sacris fastis adscriptus hodie natalem Anniuersarium habet.

22. Philippus Ferrarius Mathematicarum disciplinarum in Ticinensi Academia professor Generalis sui ordinis Seruorum epitomen edidit Geographicam in 4. libros distinctam, quorum primus continet vrbium nomenclaturam, longitudinem, latitudinem & res memorabiles ad illarum dignitatem spectantes. Vbi ergo de sanctis quos memorabiles habet Ecclesia Massiliensis Cassianum nostrum laudat his verbis.

14. *Calendas Augusti. Ioannes Cassianus Eremita qui Collationes Patrum scripsit sub Theodosio Imp. Idem Gennadius.*

GRADVS

GRADVS III.

Ecclesiam & aras Deo consecrare.

23. PRæterea sacras ædes non solùm Deo sed etiam Sanctis rectè ædificari & dedicari plus nimium probant Concilia & Patres. Concilium Calcedonense in templo S. Euphemiæ Martyris celebratum fuisse constat Actione 6. eiusdem Concilij, & ex Euagrio qui etiam comme-minit templi S. Theclæ amplissimè à Zenone Imperatore constructi. Gangrense in Epistola ad Episcopos Armeniæ, Canonæ 20. damnat Eustachium tanquam contemptorem Basilicarum SS. Martyrum. Cabilonense Canone vltimo Martyrum Basilicas appellat, cuius nominis causam affert Bellarminus ex quadruplici fine propter quem eriguntur sacræ ædes. Vnde, inquit, quatuor nomina sortiuntur 1. ad sacrificandum Deo & hinc dicuntur templa. 2. ad adorandum & hinc dicuntur oratoria. 3. ad Martyrum reliquias honorifice conseruandas & hinc dicuntur Basilicæ seu Memoriæ seu Martyria. 4. ad populum verbo Dei & Sacramentis pascendum & hinc dicuntur Ecclesiæ. Quamuis Patres in eorum vocabulorum delectu medios se habeant. Nam Cyrillus Basilicam Apostolorum erectam Hierosolymis, vbi Spiritus Sanctus descenderat, vocat Ecclesiam. Et Eusebius dicit templum pulcherrimum Constantinopoli in honorem etiam Apostolorum, Constantini sumptibus exædificatum. Sozomenus meminit templi S. Thomæ quod erat Edessæ. Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes, nominat templum S. Quirini. Basilius vocat sacrum Martyrum templum. Chrysostomus *ad veras*, inquit, *regias, Ecclesias dico, & Oratorias ædes & Martyrum templa.* Et alibi, dicit Constantinum post mortem factum ianitorem piscatoris; quia sepultus erat pro foribus Basilicæ S. Petri Constantinopoli. Augustinus meminit Basilicæ S. Felicis & Apostolorum. Et contra Faustum. *Populus*, inquit, *Chrystianus Memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat.* Tum alibi. *Sed hoc videntur dolere* scilicet Gentiles, *quod Memoriæ Martyrum nostrorum templis eorum delubrisque succederent.* Idque fusius indicat Theodoretus ad Græcos scribens. *Suos*, inquit, *mortuos Dominus Deus noster in templa pro Diis vestris induxit, ac illos quidem cassos gloria vanosque reddidit, suis autem Martyribus honorem illorum dedit. Pro Pandiis enim Diasiisque ac Dionysiis, hoc est Iouis Liberique Patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio aliisque SS. Martyribus solemnitates populari epulo peraguntur.*

24. Fuisse olim Massiliæ templum Parthenonis, cui præesset Respecta Abbatissa in honorem S. Cassiani consecratum, ac priuilegiis amplissimis à Gregorio Papa irrogatis cohonestatum testatur ipse Gregorius ad eamdem Abbatissam, cuius Epistolam sequenti capite 17. adiecimus. Concidit verò vnà cum Republica frequentibus Barbarorum

L. b. 2. c. 2. & L. b. 3. c. 8.

Tom. 1. Contros. 7. l. 3. de cultu SS. cap. 4.

Cathe. 16.

Lib. 4. de vita Constantini c. 58. & 59.

Sozom. l. 6. cap. 18.

Basil. in Ps. 114.

Chrysost. ho. 28. ad popu. & hom 66.

August. l. de cura pro mortuis cap. 1. & lib. 1. ciu. c. 1. Item. lib. 8. cap. 26

Theodor. l. 8.

labefactata depopulationibus, ardoribusque flammarum ita conflagrauit vt vestigium vix vllum sit reliquum nobis tantæ dignitatis.

25. In pago S. Zachariæ Diœcesis Massiliensis extat virginum Monasterium Ordinis S. Cassiani sub Abbatis & primarij Cœnobij Massiliensis S. Victoris iurisdictione, cuius templum recens instauratum, & in noua sede collocatum maioribus pietatis insignibus & ornamentis gloriæ iam lucet. Vidi ego veteris ac diruti ædes admodum antiquas, quæ sub aram principem depressum sacellum continebant S. Cassiano dicatum, eiusque lignea imago pene vetustate consumpta & exhausta in cuius extrema basi legitur insculpta epigraphe. *S. Cassianus*, & ad cuius aram solemni ritu fiebat, etiamnum sub signo habetur seruaturque diligentissimè.

26. In Bullis Pontificum Honorij, Innocentij, Pascalis de quibus aliàs inter Beneficia Diœcesis Massiliensis à Cœnobio S. Victoris dependentia censetur Prioratus ruralis siue Ecclesia S. Cassiani, cum aliis S. Mariæ de Balma, S. Saturnini, S. Andreæ in Castro, S. Cannati annexis. Neque potest Massiliæ latere aut abditum esse sed in oculis clarissimæ Prouinciæ atque in auribus omnium gentium & nationum positum est, quemadmodum apud aras S. Cassiani in templo S. Victoris suppliciter ac demisse frequentes ciues & aduenæ conueniant & quotidiana sacrificia diuturnasque preces ac vota persoluant.

27. In Diœcesi Glandatensi ab iisdem Pontificibus Honorio & Innocentio annumeratur censibus Ecclesiasticis eiusdem Monasterij Massiliensis, Prioratus & Ecclesia S. Cassiani, S. Sepulchri ad Mugelos, vt aiunt, quæ etiam nunc extat.

28. Tabernæ oppidum Regiensis Diœcesis vix leucarum quatuor ab vrbe Regio dissitum ad occasum, Beneficium seu Prioratum habet sub titulo S. Maximi, at eius sacerdotium sub inuocatione S. Cassiani possidetur, ibique non modo cœlitum honoribus illustratur S. Cassianus, sed Missarum solennibus atque omnis etiam rei diuinæ opera religiosissimè colitur, ac die festo honoratur.

29. Pagus est Diœcesis Foroiuliensis des Arcs siue de Arcubus vt vocant, Prioratus Curatus sub titulo S. Petri cuius Collationis prærogatiuam habet Monasterium Massiliense S. Victoris. Toparchia Marchionis est non solùm nobilis sed etiam nota, Ibidem in oppidano territorio vidi prioratum ruralem S. Cassiani de Sata Laudimia vel Sata Ladigaria vt dicitur, ad cuius sacellum supplicationes decerni & ad aram S. Cassiani pro odeo sacra cani, ac solenni ritu fieri solet.

30. Teneronum pagus tenuis Diœcesis Grassensis in cuius territorio Prioratus ruralis ac sacellum S. Cassiani erectum est religione ac concursu peregrinationum priuatarum & incredibilis multitudinis frequentia celeberrimum. Non est annexum Monasterij S. Victoris Massiliensis beneficiis aut censibus Ecclesiasticis, sed Grassensi Episcopio subiacet, eiusque institutio ex vno habetur Pontificio diplomate. Centum aureorum sunt annui reditus qui quidem non ab agro Taneronensi duntaxat

sed

ſed ab eo etiam quem Turnonenſem vocant percipiuntur. Hic quàm anguſtè quam ſanctè colant, precentur, venerenturque omnes S. Caſſianum dicam poſtea aliquanto, ſed illud non prætermitto quod ſacerdotes non pauci, qui ad hanc aram longè tenuioribus indiciis imo apertis hallucinationibus nixi, Caſſianum huius Eccleſiæ patronum planè alium eſſe ſuſpicantur, quàm prout à nobis expreſſus eſt, ideoque in eius memoriam & honorem non de communi Abbatis ſed de Communi Confeſſoris Pontificis Miſſæ diuinique officij ſolemnia celebrant, totaque vis argumenti quo nituntur eo reuoluitur vniuersè; quod Sancti effigies cui ſubiacet ſacelli altare, ſub habitu Pontificio, vt aiunt, hoc eſt ſacra infula ac paſtorali pedo repræſentetur. Verùm hæc exiſtimatio tam inſulſa eſt, vt ineptire videar ipſe quoque, ſi falſitatem aut ſuperſtitionem pene anilem demonſtrare contendo.

Quare obiter tantùm dico, non ſi vna aliqua effigies pedum paſtorale ac ſacram infulam præferat, fas illico Pontificis & Epiſcopi perſonam in ea eſſe agnoſcendam. Periclitabitur ſanè per hanc inferendi licentiam Vrbanus V. argui inſulſitatis, quod Maſſiliæ lipſanothecam argenteam S. Caſſiani Abbatis cum pedo & infula expreſſerit ſimilitudine, quæ aut collationem cum Epiſcopo habeat aut imaginem. Suum etiam & infulæ & litui certum ſibi genus vendicant Abbates. Colligo id præterea loci ac temporis ratione certiſſima & euidentiſſima. Hic enim, die 10. Calend. Auguſti tanquam Feſto colitur S. Caſſianus, qui dies Maſſiliæ & alibi tanquam natalis indicitur ac celebratur S. Caſſiani noſtri Abbatis, neque de cœlitibus alium eius nominis inſcribunt his iiſdem feriis Calendarij codices Eccleſiaſtici. Sed ſi qui alij S. Caſſiani, variis planè ac diuerſis menſibus & diebus deſignantur. Adde quod quia ſacellum vicinum ac finitimum eſt Diœceſibus Foroiulienſi, Maſſilienſi, Rhegienſi, Arelatenſi, & Inſulæ Lerinenſi, in quibus vix de alio S. Caſſiano quàm de Abbate Maſſilienſi auditum, non potuit ſacellum Taronenſe alterius quàm ibidem noti ac nobilis Caſſiani auſpiciis conſecrari. De abuſu autem cauendo non neminem ex illis ſacerdotibus monui iam pridem accuratè ac denuntiaui per literas.

31. Ticini Baſilicam nobiliſſimam D. Ioanni Baptiſtæ ac S. Antonio Monacho Lirinenſi, ac B. Caſſiano conſecratam fuiſſe teſtantur tabulæ Ticinenſes, de cuius dedicatione dixit Ennodius Oratione miſſa Maximo eiuſdem vrbis Epiſcopo, qui Synodo abſolutionis Symmachi cum cæteris interfuit & ſubſcripſit. *Nunquam pauper vena timeatur ingenij, vbi diues eſt cauſa dicendi tranſit hominem quoties caleſtibus militat mens noſtra culturis: nec in anguſtum redigitur narrationis exilitas, ſi opifici ſuo obſequium referat narraturus. Poteſt enim linguam facundia dotibus ornare, qui contulit, & dare verbis genium, quem fatemur dediſſe ſermonem. Nam Prophetici dudum aciem iuuit Eloquij; dum ad perfectam Magiſtri eloquentiam & fortiſſimi Monitoris tubam imbecilla Moyſi erigeretur infantia: qui nullis gradibus, dum peritiam meditatur, effloruit nec per ætates alicuius ſcientiæ ad meſſem perfectionis aſcendit, qui diu militem in fabricato portauit*

ingenio, officium ducis iussus arripere, quia verecundè renuit, constantèr impleuit. Sic nos dedicationis festa celebrantes inter spiritualis lætitiæ bona, præstolamur gratiam dum paremus. Absit formido debilis: remoueatur fiducia inaniter concepta per studium. Nos de humanæ perfectionis schemate nec præsumimus aliquid nec timemus; deinde quis in beati Ioannis Prophetæ cuius templum hoc sanctificauit ingressus, vel muta dubitet ora laxari; cuius senior gratia quàm natura dum ante lucis ingressum pij vatis impleßet officium, limen vitæ huius virtute signauit. Nam vno eodémque tempore & Matrem fecunditate nobilem fecit, & in officiosa genitoris labia in loquelam pristinam vsu remeante commouit. Nemo Ioannem nominans post exempli præcedentis miracula, pristinam linguæ habiturum se suspicetur imperitiam. Post sacratissimum Zachariam, Cuius faucibus eliminata per istud vocabulum remeauit humanitas ab vniuersis, iure creditur Ioannes Apostolus clauis esse verborum. In huius Comitatu Antonius Vetusti heros sæculi & Beatissimi Cassiani iuncta claritudo faciunt de æde Sacramentum, de terrena habitatione Cæleste Collegium, de Manufactis quod nulla possit senectute violari. Occasum enim Deo oblata non sentiunt nec ad vetustatem tremulam pietate fulta mittuntur. Stat soliditas machinæ quam Christus ingreditur & originariæ oblita fragilitatis adipiscitur de possessore virtutem. Tecta vilia de consecratis nobilitate decorantur, dum rei caducæ pretium tribuitur habere de domino. Tu autem frater Sanctissimè huius oblator ædificij de mercedis retributione gratulare. Nescit spes titubare cui bonæ fructus promittitur actionis. Ab exercitio descendit retributionum fiducia nec vllo nutat incerto, qui laudanda meditatur.

32. Quod etsi propter viciniam loci de S. Cassiano Imolensi Martyre & Episcopo Brixiensi non leuibus suspicionibus & coniectura intelligi possit mihi tamen probabilius & prope verum videtur sacra illa religionis ac ceremoniæ spectasse ad S. Cassianum Abbatem Massiliensem. Claros enim fuisse Prouinciæ nostræ sanctissimos Monachos & Abbates, totaque pene Italia celeberrimos atque notissimos docent eiusdem Ennodij viri eruditissimi præclarissima scriptorum monumenta, in quibus Acta S. Antonij Monachi huius Lerinensis, cuius nominis dicata illa Ticinensis Ecclesia dicitur, conscripta leguntur & est eorum exordium. *Vt præliantes assurgunt buccinis. Vt equorum celeritas ad potiorem cursum ferrata calce prouocatur. Ita dum maiorum virtus sollicitat, ingenia nouella, confirtat qui cana exercitia & veterum gesta relegit, ad disciplinarum frugem propositis laudum præmiis inardescit.* Quid ni etiam credere liceat S. Cassianum Abbatem Massiliensem eidem Antonio non sanctitate modo, sed fama etiam atque apud omnes authoritate supparem, venisse in eius honoris partem, præsertim cùm aliæ passim in Italia ordinis sancti Cassiani Massiliensis Ecclesiarum, & familiarum institutiones propagatæ reperiantur in Bulla Honorij, *Religiosam vitam,* &c. *In suburbio,* inquit, *Ianuensis ciuitatis Ecclesiam S. Victoris. In suburbio Pisanæ ciuitatis Ecclesias S. Andreæ. In Callaris Sardiniæ Monasterium. S. Saturnini cum aliis sibi subditis Ecclesiis. In Iudicatu Turcensi Ecclesiam S. Nicolai*

de

de Goselin cum pertinentiis suis. In Iudicatu Gallurensi S. Stephani de Posata, S. Mariæ de Larusan, S. Andreæ de Lata, & S. Mariæ de Surrachia. Accedit quod Ennodius promouisse præsumitur Ticinensium singularem illam venerationem & pietatem erga S. Antonium Lerinensem, quod ipsum paucis post obitum annis primus omnium ceperit laudibus celebrare. Nec verò minori erga Cassianum Massiliensem flagrasse studio temere affirmarim, quod de librorum ipsius eruditione ac vitæ sanctitate multa inaudisse poterat, tum in Italia quod iam eius nominis fama peruaserat, tum Constantinopoli vbi legatum Hormisdæ Papæ ad Anastasium Imperatorem cum Peregrino Antistite Ecclesiæ Misenatis in Campania spirarat post annos circiter octoginta, S. Ioannis Chrysostomi ac discipulorum eius fragrantem adhuc virtutum odorem ac recordationem amplissimis rerum gestarum monumentis posteritati consecratam.

GRADVS IV.

Reliquias pretiosis ferculis inclusas transferri ac venerandas publicari.

33. Cantum est certis quibusdam ac definitis in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Ecclesiæ sanctionibus, ne propter periculum fraudum nouas reliquias vllus publice venerari incipiat sine authoritate summi Pontificis. Vnde lex illa Canonica *cap. cum ex eo De reliquiis & veneratione Sanctorum*, cui similis etiam est lex ciuilis *cap. De Episco. & Clericis L. Decernimus:* Quod in hac parte merito & optimo iure S. Cassiano contingit diximus iterum & sæpius Vrbanum V. inter sacras reliquias Abbatiæ S. Victoris Massiliensis, caput eius argentea theca sumptibus suis fabricata inclusum exhibuisse venerandum. Plura in M. S. priuato eruditi cuiusdam Monachi eiusdem Abbatiæ S. Victoris cuius exemplar ad me transmissum, sic habet.

Cap. 62.

Corpus autem sancti Cassiani nostri Monasterij diuersis in locis seruatur totum, & integrum magno equidem honore & cultu. Caput enim eius auro & argento elaboratum & adornatum ac forma & structura percelebri. Subtus eius collum videtur & legitur huiusmodi inscriptio magno charactere. Caput S. Cassiani. Super illius caput reperitur mitra auro argento ac lapidibus pretiosis in magna quantitate honestata & ditata. Extat etiam brachium eius dextrum oblongum & magnum, longitudine circiter trium palmorum, eodem planè modo quo caput elaboratum & honestatum. Obserua autem quod tam caput quam bhachium erecta sunt ac in tali honore posita labore, studio, pietate, atque sumptibus Vrbani V. Summi Pontificis huiusce Monasterij Abbatis. Hac de causa insignia eius multis in partibus deprehenduntur & in Capite & in brachio. Quoad reliquum eius corpus iacet in sepulchro marmoreo super quatuor columnas posito in Ecclesia inferiori. Sed ante huiusmodi

sepulchrum

si vera sint non aliis suffragari laudibus possunt, quàm veritatis, tum quia fieri ab alio nequeunt quàm à Deo veritatis authore.

3. Quæ fortè vberius ac fusius aliquantulum dixerim, vt prudens lector intelligat rem totam Deo committendam qui dona sua vnicuique distribuit pro vt vult, ac proinde sanctitatem cuiusque, non signis sed charitate æstimandam esse. Cùm certum sit neque omnes Sanctos viros miraculis excelluisse, neque qui illorum aut magnitudine præstiterunt aut copia, idcirco reliquos sanctitate superare. Ne tamen vllius generis approbatio huic nostro Dei seruo ab esset, nunc operæ pretium me facturum arbitror, si aliqua de eius miraculis breuiter attigero ne prolixi esse nimio studeremus. Plura quidem olim certis authoribus comperta fuerant, qua in eius vita, qua post mortem vel salubriter gesta vel patrata diuinitus, atque in tabulas publicas relata, & instrumento testibusque firmata conscripserunt Massilienses eius Monachi ad posteritatis memoriam sempiternam, atque haberentur nisi barbarorum incursiones ac seditionum incendio frequentes Monasterij conflagrationes piis consiliis interuenissent vt assequi valui testimoniis hominum fide dignorum, quorum ad me priuatæ literæ sic habent. De miraculis eiusdem S. Cassiani nulla nobis viget memoria, quia cùm hoc Monasterium à Vvandalis & Barbaris multoties captum & euersum fuerit consequenter scripta nostra & documenta vetera Monasterij erepta & subrepta fuere. Protinus verò vbi ab Vrbano V. in superioris templi peculiarem & ornatam apothecam translatæ ac solenniter publicatæ reliquiæ fuerunt, mirificè creuit cùm Massiliæ in eum religio, tum apud exteros, cœpitque visitantium honorantiúmque concursu maiori tumulus frequentari, & plurimorum pietas ad inuocandam in rebus aduersis opem, supplicationibus, precibus, conceptisque votis perfugere. Fuere initio, atque hoc ipso tempore, quo hæc scribo, viri sunt illustrissimi matronæque religiosissimæ qui super conditorio eius genibus nixi orent clathrósque ferreos exosculati partem reliquiarum eius exposcant. Alij pro exoratis beneficiis sacra faciant, nec raro cereos honori illius accendant, & imponant sepulchro.

4. Cæteris locis vbi Cassiani sanctitatem religioni esse diximus haud dubia etiam nunc alia mirabilia elucent, si per idoneos homines intentius inquirantur. Extat apud me literarum exemplum ritè obsignatum subscriptúmque manu Parochi Grassensis D. Crespe, viri ornatissimi, vnde sunt ea quæ de Taueronensi sacello S. Cassiani adhuc exposuimus, quæque deinceps exposituri sumus de miraculis ex parte deprompta. Magna, inquit, vndequaque quot annis, eò loci (nempè ad prædictum Taueronense sacellum) coit populi frequentia, sed eorum præcipuè qui aut claudi sunt aut arthritico morbo malè affecti. Accepi ego ad sacelli parietes appensa aliàs fuisse septingenta circiter subalaria fulcra, ab iis quos aut podagra laborantes, aut membris mutilos, aut eorum vsu, planè destitutos integræ saluti ac primæ incolumitati restituerat Deus; adeóque accepi ex hoc Gratiæ pago accolas fuisse nonnullos, quos ita grauiter exerceret articularis morbus, vix equi patientes,

qui vbi territorium, in quo stat sacra ædes, attingebant leuamenti sentirent, & à suis cruciatibus laxamenti non parum. Vnde fiebat vt ex equo exscensionem tentarent, & sæpe numero sanitati pristinæ redderentur necdum sacrum sancto Cassiano sacellum ingressi. Ac licet nulla restent ad hanc vsque diem tot insignium miraculorum vestigia, eò credo factum quod à paucissimis eiusmodi locus habitetur, planéque desertus sit, non desunt tamen qui eo loci recurrentibus quot annis, magno & intimo cum pietatis sensu bonaque morborum suorum parte subleuentur.

5. Quanquam apud me nihilo magis miracula qualiacumque valere possunt ad probandum mihi cœlestis huius viri sanctimoniam, atque ingentes illi animi motus & cordis excessus, ac tam ineffabilia vt vocat quam inaudita solatia gaudiorum, quibus ad orationem duci mentes hominum & quasi voluptate quadam perfundi ex proprio sensu & experimento testatur his verbis. *Magna enim verè atque mirifica sunt nec vlli hominum penitus nisi his tantum qui experti sunt nota, quæ Dominus fidelibus suis adhuc in ipso corruptionis vasculo constitutis, ineffabili largitur liberalitate. Quæ Propheta mentis puritate perlustrans, tam ex sua quàm ex illorum persona, qui in hunc statum affectúmque perueniunt exclamauit. Mira opera tua Domine & anima mea cognoscet nimis. Alioqui nihil noui nec magni intelligitur Propheta dixisse, si alio cordis affectu vel de aliis operibus Dei hæc pronuntiasse credatur. Nullus etenim est hominum, qui mira esse opera Dei etiam ex ipsius creaturæ magnitudine non agnoscat. Cæterum illa quæ in Sanctis suis quotidiana operatione dispensat, ac speciali munificentia affluenter effundit, nullus alius nisi anima perfruentis agnoscit, quæ in secreto conscientiæ suæ ita est beneficiorum eius arbitra singularis, vt ea non solùm nullo valeat sermone differere sed ne sensu quidem & cogitatione complecti, cùm ab illo ignito feruore discedens ad istos materiales ac terrenos intuitus fuerit deuoluta.* Mox infrà. *Et vt prætermittam illas secretas atque absconditas dispensationes Dei, quas intra se peculiariter exerceri mens Sanctorum omnium momentis singulis intuetur, illam cælestem infusionem lætitiæ spiritalis, qua deiectus animus insperati gaudij alacritate sustollitur, ad illos ignitos cordis excessus & tam ineffabilia quàm inaudita solatia gaudiorum, quibus nonnumquam ignauissimo stupore torpentes ad orationem feruentissimam velut de somno profundissimo suscitamur. Hoc inquam est gaudium de quo Apostolus. Quod oculus inquit non vidit nec auris audiuit nec in cor hominis ascendit, eius scilicet qui terrenis vitiis hebetatus adhuc homo est, & humanis inhæret affectibus, nihilque de istis Dei muneribus intuetur. Denique idem Apostolus tam de se quam de similibus sibi qui iam de humana conuersatione discesserant, subiecit dicens nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.*

Collat. 12. cap 11.

6. Taceo quæ narrata supra à nobis sunt, asperrimam vitam victumque, & in ieiuniis assiduos rigores, humi cubationes, vigilias, quibus non rarò contingeret vt à somno expergefactus solidas noctis horas perseueraret, setosos aut nodosos funes ac rigentes catenas nuda latera constringentes, voluntarias sui verberationes & lanienas, ne à quæsitis cruciatibus

ciatibus corpus vnquam integrè vacaret, effusiones sanguinis, animi curas & contentiones, quas ingentis atque intempestiuæ pietatis feruor idemtidem sufficiebat, cursus & peregrinationes diuturnas viribus nihil omnino debilitatis, & alia id genus plurima quæ vim naturæ modumque exuperant:

7. Illud præterea nouum & mirum planè videatur necesse est, qui intellexerit quantum Cassianus virtutum suarum exemplo valuerit, ad iuuentutem religiosæ disciplinæ legibus erudiendam, quot homines ingenio, studio, ætate florentes eò pietatis adduxerit, institutum vt vitæ cursum abrumperent, spes suas prodigerent, votorum nexu arctissimo ad Euangelicæ paupertatis studium sese obstringerent. Quantus eorum fuerit numerus qui illius imitatione statuerint desertis sæculi vanitatibus ad religiosas familias conuolare, vt primùm ab Italiæ digressu Massiliam venit factus ibi in gentem magnam duo instituit Monasteria, alterum virorum, mulierum alterum, tantámque fuisse aiunt, vt in vno virorum aut variis in domibus interuallo modico disiunctis, ad quinque millia discipulorum habuerit qui succedentibus sibi vicissim choris diuinorum solemnia continuarent. Quodque Athanasius de Antonio ipsiusque discipulis scribit in eius vita. *Erant*, inquit, *in monte Monasteria tanquam tabernacula plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium qui infinitam regionem quamdam, & oppidum à mundana conuersatione seiunctum videbantur incolere.*

8. Quid illa quæ ad singularem ac penè diuinam eruditionem, hoc est ad libros eius pertinent, & exteriora quidem magis sunt, non minus tamen certa diuinæ virtutis sunt signa. Atque vtinam quanti est ille thesaurus tanti æstimare possemus, etenim cum vniuersum opus referatur ad inserendas virtutes in animis & vitia extirpanda, propter rationem ac viam quæ commodissima ibi traditur, multi per illud plus breui consequi possint quàm longo alij tempore ac labore eo præsidio destituti. Neque in obscuro sunt ingentes pietatis profectus & vtilitates, quas Catholici integræque religiosorum familiæ inde perceperunt. Quàm multi scriptis exemplis & documentis permoti atque in se conuersi laxiorem viuendi rationem correxerint, resectisque vitiis quibus à vitæ perfectioris cursu retardabantur, tota se animi contentione ad orandi studium, ad voluntariarum afflictionum vsum, ad solitudinis amorem & acrem sui custodiam, ad rerum Monasticarum accuratam obseruationem, ad assiduam cœlestium rerum contemplationem, & in colloquiis tractationem, ad flagrantissimam denique animorum Deo lucrandorum occupationem contulerint. Addo supra laudatos à me doctissimos iuxta atque sanctissimos viros non paucos, qui Cassiani institutiones illas susceperint, cæterisque cùm religiosis tum sæcularibus imprimis persuasum voluerint, vt susciperent. Nec tamen auditum quempiam, qui non magnos inde fructus retulisse profiteretur, & ad sui profectum nihil omnino & mortalibus rebus apud se duceret illis anteferendum, vt inde appareat negotium esse diuinum quod neque subtilitate excogitari, neque literarum scientia vel

sermonis elegantia & copia humana constitui tam sapienter vnquam potuisset, nisi ille qui sapientiæ fons est, Cassiani mentem imbuisset afflatu suo instinctuque diuino & ad institutiones tam salutares conscribendas impulisset. Hæc sæpè magna miracula & certissima sunt quæ cum attentius consideraret in summa Theologica S. Thomæ Ioannes Papa 22. neque plura neque maiora ad declarandam eius virtutem, cœlitumque honoribus condecorandam requirere se aiebat, cùm tam multa iis scriptis mirabilia & planè singularia inesse deprehendamus, per quæ Deus & suum opus esse, & radicis naturam ex trunco ostendat & fructu.

9. Gregorius latè prosequitur hoc argumentum, & Petro Diacono atque aliis, qui præ cunctis hoc potius existimant esse miraculum quo ad vitam mortui suscitantur, ac corporalia duntaxat stupentes miracula, maiora intueri non norunt, respondet. *Quod si visibilia attendimus ita necesse sit vt credamus. Si verò inuisibilia pensamus nimirum constat, quia maius est miraculum prædicationis verbo atque orationis solatio peccatorem conuertere, quàm carne mortuum resuscitare. In isto enim resuscitatur caro iterum moritura, in illo verò anima in æternum victura. Cum enim propono duos in quo horum existimas maiori factum virtute miraculum, Lazarum quippe, quem iam fidelem credimus fuisse, carne Dominus suscitauit, Saulum verò resuscitauit in mente. Minus est ergo quempiam in carne suscitare, nisi fortè per viuificationem carnis ad vitam reducatur mentis, vt ei hoc agatur per exterius miraculum, quatenus conuersus interius viuificetur.* Et alibi tractans illa Domini verba, Signa autem eos qui crediderint hæc sequētur. *Quæ*, inquit, *miracula, scilicet spiritualia tanto maiora sunt quanto per hæc non corpora sed animæ suscitantur. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem non autem faciunt. Hæc verò spiritualia quæ aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt sed faciunt. Illa habere & mali possunt Istis autem perfrui nisi boni non possunt. Nolite ergo fratres Charissimi amare signa, quæ sunt cum reprobis hominibus communia, sed hæc quæ modo diximus charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto securiora sunt quantò & occulta & de quibus apud Dominum eò maior fiet retributio quæ apud homines minor est gloria.*

Lib. 3. Dialogo. cap. 17.

Homi. 29. in dic Ascen. o.

CAPVT XVII.

Quomodo deinceps Cassiani ordo propagatus sit vsque ad nostra tempora.

1. QVæ de vita & morte Cassiani comperta sunt hactenus tradidimus eiusque familiæ religiosæ ortum ac deinde quamdam veluti adolescentiam spectauimus, perfectionem deinceps & virilis ætatis quasi robur & incrementum persequemur. Sed in rerum optimarum copia incredibile sibi negotium capiat, qui singula stylo complecti velit. Nobis sat erit pauca quædam ex multis excerpere, quæ ad continuationem hystoriæ seriemque

eriemque contexendam, vel illustriora vel ad exemplum commodiora videbuntur.

2. Cassiano demortuo cum amantissimi filij tanti parentis obitu mœrerent vitæque sanctissimæ vestigia studiosè persequeretentur, toti in gloriam intenti Deus eorum gerebat curam, & cœpti ordinis vberrimam lætissimámque sobolem propagabat, mouebatque hominum animos Monachorum integritate ac studio excitatos, vt eos aut expeterent beneuole, aut accersitos diligenter soliciteque retinerent & apud se certis in sedibus collocarent. Nam præter Cœnobium Nemausense in quo suasu Castoris, Monasticam rem amplificauit Cassianus ipse, sed multo magis institutis ac regulis; cùm enim ante nullis ibi fere legibus nullisque certis formulis Monachi astricti essent nisi quas vel interior vnctio vnicuique suppetebat, vel Abbatum viua vox præscriberet, primus ipse vt supra dictum est Institutiones condidit sanctissimas, quibus totam hanc vitæ rationem saluberrimè conformarent. Præter Aptense quod idem Castor Aptæ Iuliæ creatus Episcopus, cùm ad animi quietem & relaxationem suis sumptibus ibidem extructum annuis vectigalibus reditibusque locupletare, ac non solum se, quantum ab officio vacare licuisset, quod multo antea fecerat, sed sua etiam omnia religioni consecrare statuisset. Cassianus viros prudentissimos electissimósque sui ordinis destinauit, vt Ecclesiæ cœnobiique titulo sancti Bachi, fundamenta ponerent. Quod illi quidem fideliter præstiterunt nec infœlici successu, qui & ipsorum ciuium fructu & rei domesticæ copioso prouentu multis retrò sæculis Dei benignitate semper floruit. Nunc Xenone in eius locum suffecto iacet in cinere atque ossibus, prioris Monasterij barbarorum ruina & tempestate oppressi.

3. Monasterium, *Yuelinæ aquæ* vt dicitur à piis quibusdam mulieribus Massiliensibus inchoatum in agro suburbano & in ea Rotundi montis regione vbi Iuelinus amnis Mediterraneo immiscetur quæque Monasterio S. Victoris auersa in occasum pertinet, tenue quidem principium habuit vt reliqua fere, sed firmos & constantes progressus vbi enim Sanctimoniales quæ pietatis opera ex instituto S. Cassiani administrari solent in iis se exercere ac ciuium virginumque imprimis religiosarum animos, ad omnem virtutem tum factis tum dictis commouere ceperunt, nonnulli eximia tam sanctæ familiæ opinione ac beneuolentia incitati, angustas ædes amplificarunt & amplificatas vberioribus fructibus stabilierunt, temploque laxiori ad populi commoditatem & frequentiam exornarunt, quod Virgini Deiparæ dicatum Cœnobio peramœnæ Yuelini fluminis ripæ adiacenti, *Nostra Dominæ de Yuelino*, proprium ac certum nomen imposuit. Hoc perscriptum in monumentis publicis & tabulis veteribus Massiliæ reperies editi instrumenti anno 710. Generales ordinis Abbates & Præsules Monasterij S. Victoris in eo habuisse iurisdictionem, plures eiusdem Monasterij tabulæ & antiquitatis monumenta loquuntur, & in iis censentur Yuelini Abbates prædicto Generali obedientes & subiecti. Sed Abbatis nomine Priorem intellige qualem hodie

de Monachis S. Victoris sibi Præfectum habent sanctimoniales de Arta cella, & aliæ passim aliorum ordinum in Gallia. Nunc ædibus ac templo planè dirutis atque incensis ab anno circiter 1080. aliæ non supersunt quàm prædiorum & frustilli ædificiorum exuuiæ ac sacræ alicuius supellectilis spolia, quibus Iolanda Regina vxor Ludouici II. Siciliæ Regis Monasterum titulo S. Paulæ à se fundatum Massiliæ anno 1403. copiosè auxit & ornauit, additis de conuenientia consensuque mariti florenis centum, quos indigenæ Iudæi & vectigales penderent, vt ex instrumento donationis ac regio confirmationis diplomatè perspicuum est, citanturque pro testimonio Pontificiæ Bullæ, Benedicti 12. dicti 13. Antipapæ altera fundationis æquissimas leges & ex pacto transactas conditiones instituentis & approbantis data Massiliæ in Monasterio S. Victoris Pontificatus prætensi anno 10. humanæ salutis 1404. Clementis VII. altera facultatem indulgentis cum generatim atque vniuersè ordini S. Augustini, tum sigillatim Parthenonis Abbatiæ Massiliensi S. Paulæ eiusdem ordinis, data Viterbij 10. Calend. Septem. Pontificatus anno 4. humanæ salutis 1527. Extat eiusdem Antipapæ rescriptum ad Archiepiscopum Narbonensem, quo cauetur imprimis collectoribus seu exactoribus Decimæ ex Concilio Lugdunensi in subsidium Terræ sanctæ vniuersis regnis impositæ, vel in subsidium Papæ, Cœnobiis duntaxat & Prioratibus Pontificiæ ditioni subiectis, vt Monasterium Nostræ Dominæ de Iuelino, alteri S. Paulæ recens adiunctum ærario solutionis dimidio eximerent. Syngraphæ Chyrographum, Trilhac. Anno Christi 1407.

4. Ex eodem genere est etiam Parthenia Abbatia Massiliensis titulo S. Saluatoris authore quidem incerto, sed impulsoribus ac suasoribus vt præsumere fas est discipulis S. Cassiani, qui sedem pœnitentiæ ac religionis quæ nunc Massiliæ visitur sub regula eiusdem sancti Cassiani piis aliquot virginibus delegerunt, in ea trans portum ciuitatis, regione Orientali, vbi iam sacellum cum magna veneratione intra summi collis subterraneos specus à maioribus traditum, perantiquum celebrabatur. Nam quod ante hoc Monasterium etiam ibi S. Lazarus apud Massilienses summa religione coleretur, satis id declarat, quod in eius vita maiorum verbis consignata traditione vulgatur, olim ad reorum pœnam in iis quas dixi specubus, carceris publici ergastula & hypogæa constructa fuisse quorum custodia conclusus Lazarus cum ab vrbis præfecto accersitus perseueraret in confessione diuini nominis, palo alligatus telis primùm configitur, tum è stipite abstractus securique percussus, locum omnibus diris atque omni dedecore infamem pretioso sanguine consecrauit. Tumulum habuit in crypta recondita & penitus abstrusa, in qua pluribus annis latuit. At demum ne debito fraudaretur honore diuina bonitas effecit, vt sedatis persequutionum fluctibus & tempestate commutata, dum humo tradita effoderentur Sanctorum corpora, qui superstites fuerunt fideles, sanctissimas Lazari exuuias in maioris Ecclesiæ argenteam Lipsanothecam maximo cum apparatu transtulerunt. Habetur hodie religioni istud ipsum sacellum, & eius sacris, ceremoniisque retinendis

retinendis maiorum instituta tuentur sanctimoniales, ex quo existit & illud quod in supplicationibus solennibus, haud procul à valuis Templi S. Saluatoris, sisti solent reliquiæ S. Lazari cum deferuntur, & à Cleto gratulatione ac prece aliqua honorari, vt esset indicium oppetitæ à Lazaro ibidem gloriosæ mortis ad triumphi memoriam sempiternam. Contigit verò iactantibus se Galliæ factionibus inconstanter ac turbidè Massiliam obsessam esse ab ipso perduelli Borbonio maxima multitudine & oppugnatam validissime anno 1527. quam Franciscus Rex summis obsidionis periculis liberauit. Cúmque libratæ hostium machinæ potentissima murorum verberatione magis in ea parte feruerent quà S.I-aulæ Cœnobium de quo supra eminebat foras, & proiectum extabat maximè à cæteris omnibus ædificiis ita funditus interiit, vt inter seditiosos bellorum tumultus ac tempestates extinctis Sanctimonialibus, aut fortè in inopiam rerum omnium atque indigentiam summam redactis, quæ fundationis quasi patrimonio, naufraga superenant aliqua bona, Monasterio S. Saluatoris iam tum præstanti florentique gratia atque hospitiis nobilissimarum Virginum adiudicata fuerint, atque ita refluerent in suos Cassiani ordinis quasi primigenios fontes, à quibus ipsa Iolandæ Reginæ studio incensus Benedictus Antipapa spoliato Iuelinæ aquæ Monasterio in alienos riuulos deduxerat. Occurrent si scrutari allubet in tabulariis Massiliensibus, instrumenta vetera scriptionis anno quædam notata 1070. alia 1080. quibus Monasterio S. Saluatoris variæ censentur à variis bonorum donationes aut agrorum assignationes constitutæ.

5. Similis propemodum ortus ac progressus fuit eius Parthenij Cœnobij quod S. Cassiani appellabatur. Huic initium aut potius incrementum dedere Dinamius Patritius & Aurelianus quos inter & Episcopum Massiliensem cum multæ & magnæ de priuilegiis Monasterij contentiones haberentur & ad Romanum Pontificem vtrimque appellatum esset, causam cognouit S. Gregorius & composuit edicto cuius exemplum rescripsit ad Respectam eius Cœnobij Abbatissam mense Nouembri Indictione 15. Epistola sic habet.

Lib. 6. Registri indict. 15. Epist. 42.

Gregorius Respectæ Abbatissæ de Galliis Massiliæ. De priuilegiis Monasterij sui.

Piæ postulatio voluntatis, effectu debet prosequente compleri: quatenus & deuotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & vtilitas postulata vires indubitanter assumat. Proinde Monasterio, quod in honorem sancti Cassiani est consecratum, in quo præesse dignosceris, iuxta petitionem filiorum nostrorum Dinamij, atque Aureliani, qui id religiosa deuotione donauit sui iuris in cunctis vniisse ædificiis comprobantur, hæc priuilegia præuidimus indulgeri. 1. Constituentes vt obeunte antedicti Monasterij Abbatissa non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegerit ordinetur, quam tamen si digna huic Monasterio iudicata fuerit eiusdem

eiusdem loci Episcopus ordinet. 2. In rebus autem vel dispositione Monasterij eiusdem nec Episcopum neque Ecclesiasticorum quempiam, aliquam habere decernimus potestatem, sed hæc ad sollicitudinis suæ, vel quæ post te in eodem loco fuerit Abbatissa, curam statuimus per omnia pertinere. 3. Die siquidem natalis, vel dedicationis supradicti Monasterij Episcopo illic Missarum sacra conueniat solemnia celebrare, à quo tamen ita est hoc officium exoluendum, vt Cathedra eius nisi prædictis diebus, dum illic Missarum solemnia celebrat, non ponatur. Quo descedente similiter etiam Cathedra illius de eodem oratorio auferatur. Cæteris vero diebus per Presbyterum qui ab eodem Episcopo fuerit deputatus, Missarum officia peragantur. 4. Præterea erga vitam actusque ancillarum Dei sine Abbatissæ qua in supra scripto fuerit Monasterio constituta, Episcopo secundum Dei timorem, sollicitudinem statuimus adhibere, vt si aliquam de illic habitantibus, exigente culpâ, oportuerit vltioni submitti, ipse iuxta sacrorum Canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare. Iis ergo à nobis statutis, atque concessis ita in congregationis tuæ dispositione, custodiam stude solicitiorem enixius in omnibus exhibere, vt iniqui hostis malitia nihil ibi, quod maculari possit, inueniat. Hæc igitur omnia quæ huius pagina præceptionis amplectitur, Monasterio tuo in omnibus, & ab omnibus in perpetuum seruari Christo protegente censemus; quatenus indultorum priuilegium beneficia in sua semper inuiolabiliter firmitate permaneant.

Lib. 6. cap. 11. 6. Episcopus verò ille Massiliensis quem tacito nomine appellat, S. Theodorus fuit quem Dynamius cum Clericis Massiliensibus sceleratissimè insidiosissiméque tractasse testis est Gregorius Turonensis in historia Francorum.

7. Sancti quoque Zachariæ Cœnobium eodem fermè tempore simul exordium sumpsit atque institutum S. Cassiani, piæ enim aliquot virgines sibi dumtaxat suoque profectui accuratius studere volentes, consultóque ciuitatis frequentiam & multitudinem fugere vt inimicam otio ac quieti spirituali, consilio cum aliquot ex Monachis perfectioribus communicato in solitudinem haud procul à Magdalenæ celebri & sacra spelunca se contulerunt. Hic in remoto à virorum frequentatione secessu & præcelsi montis radicibus domicilium fixere humili quidem & obscuro ad id tempus loco, sed qui breui Monialium sanctissimarum virtute nobilitatus sit. Multis verò post annis cum disciplina Cassiani quod natura fert in omnibus fere rebus, ita consenuisset, magnáque ex parte laxata esset, vt pene ad nihilum ventura domus videretur. Dei nutu non ita pridem virgo quædam nobilis præfecturæ curam & honorem adepta, non solum eam conseruauit, sed etiam ad pristinam quamdam religionis formam reduxit atque illustrauit mirificè. Nam paulò post erumpens ex illis diuturnis quasi tenebris eius fama, virgines non paucas ad sui imitationem exciuit. Magna omnino ea mutatio fuisse dicitur, quam vt authoritate æque ac liberalitate promoueret Eminentissimus Cardinalis Alphonsus de Richelieu Abbas Monasterij S. Victoris Massiliensis fundationis reditus

reditus tenues & exiguos de suis auxit & centum aureorum fructibus stabiliuit.

8. Ima sede mulieres hæserunt, ad summum verticem vbi sanctæ Balmæ vt aiunt sinus gremiumque aperitur, Monachi peruenerunt. Cùm enim nulla ibi quam nunc videmus haberetur religionis forma, sed quidam esset hominum cœtus ad recipiendos Christianos institutus, inopes præsertim, qui peregrè aduenirent, placuit viris primariis qui & ipsi optimè erga Massiliensem Cassiani familiam animati, & bona ducti existimatione coloniam ex eo corpore illuc deducere bonosque operarios qui præsenti sæculo paucissimi erant & vbique locorum desiderabantur, in messem tam copiosam mittere, & quidem diuinare visi sunt initij eius fœlicia incrementa. Hic enim noui hospites celeberrimis vt interdum solet virorum mulierúmque peregrinantium conuentibus, doctrinæ Christianæ rudimenta tradere auresque ritè confitentibus dare, cæteraque pietatis officia tam diligenter exequi ceperunt, vt in immensum creuerit loci religio, & ad vetera sacelli decora & ornamenta magnam attulerit accessionem frequens & eximia Principum liberalitas, splendidéque à multis adhuc bonis viris dotetur. De hoc sacello meminit Paschalis 2. anno 1114. in Bulla. Dilecto in Christo filio Ottoni, &c. Nec obliuisci potuit Innocentius II. an. 1136 Pontificatus an. 6. cum cæteris censibus & prioratibus Monasterij S. Victoris Massiliensis Ecclesiam S. Mariæ de Balma annumerant. Itaque in tanta diuini honoris & gloriæ amplificatione tantóque animorum lucro non frustra suscepta hæc solitarij secessus institutio est.

9. Atque his longè posteriores fuere Moniales Attacellæ institutæ à Monachis S. Cassiani, qui enim præficitur illis etiam hodie Prior Claustralis & Magister spiritus, ab alio non eligitur numero & ordine Monachorum quam Massiliensium S. Victoris. Mihi quidem signatis tabulis constat Euolongum virum amplissimum eiusque vxorem nobilissimam Teuceniam studio gratificandi prædictis Monachis Massiliensibus templum quod nunc extat titulo SS. Perpetuæ & Felicitatis donasse in vsus perpetuos Sanctimonialibus Attacellæ, multóque instrumento ac supellectili sacra exornasse, scriptionis editæ anno 1016. Generalis ordinis Capituli Massiliæ coacti in Monasterio principe S. Victoris ann. 1062. recitantur Canones quibus Moniales Attacellæ & S. Zachariæ, tempore diuini officij familiari congressu ac colloquio Laicorum, ignara nec opinante Antistita interdicuntur.

CAPVT XVIII.

Cœnobia item in aliis extra Massiliensem, Prouinciæ Diœcesibus excitata.

1. FOrtunati etiam fuere his & posterioribus aliquot sæculis Episcopatus alij Prouinciæ, quamplurimorum eiusdem familiæ domici-

liorum origine. Nam in Aquensi Diœcesi iacta Cœnobij S. Maximini fundamenta, incolis exemplo Monachorum excitatis, qui Massiliensi proximo Conuentu digressi ad sacram specum propagandæ studio religionis accesserant, agrúmque omnem vicinum omnibus officiorum pietatis generibus famaque compleuerant. Quamquam alia fundationis non modo suscipiendæ ipsis Monachis fuit, celebritas famæ ac pietatis, quam locus à veneratione reliquiarum & tumuli S. Magdalenæ iam habebat acceptam, ac breui futurum opinio erat, vt sanctissimorum Monachorum virtute perficeretur quod summa amplitudine ac singulari gloria & commendatione dignum putarent. De huius fundi ac census translatione à iustis dominis ad alienos, dicendi locus fuit, cùm in Magdalena nostra Massiliensi aduena, gesta Caroli 2. Regis Siciliæ & Comitis Prouinciæ, in Inuentione & iterata earumdem reliquiarum exhumatione recensuimus cap.23. & sequentibus.

2. Sub annum 1284. quo idem ipse Carolus II. Patre Carolo rebus humanis exempto regni duxit exordium, aula demum Aquas sextias translata, Rege atque vxore Maria, Regis Stephani Pannoniæ filia instantibus, vt eò sequerentur Fratres Prædicatores, quorum potissimum vtebantur industria, placuit instituere Parthenium eiusdem cum Sammaximinensi Ordinis Cœnobium. Sacellum erat cum ædibus ac prædiis sub antiquo nomine B. Mariæ Virginis Nazaretanæ, vectigalis portio Monasterij S. Victoris Massiliensis. Ibi quod olim Cassianitarum Monachorum optimum circumquaque pretium laborum constitisset, de fundatione à piis quibusdam mulieribus agi cœptum, subsidiis ad domus & templi apparatum liberaliter suppeditatis. Missi igitur Massilia qui rem diuinam procurarent Cassianitæ, tam præclarè functi sunt omni religiosorum munere, alij in externis quibus cum versabantur, alij in domesticis tirunculis excolendis opportunissimè desudantes, vt quod exigui municipij & coloniæ semen fuerat, & ad illam diem maiestatis vrbis, neque censum neque molem parem haberet, paulatim ad instam quasi staturam adoleuerit, ad eam denique amplitudinem, qua iam Caroli ætate florebat, peruenturum. Rex qui iam satis horum Monachorum à quibus fundi fructus & possessio haberetur, vrbanitatem Sammaximini expertus erat in vectigalibus prædiis permutandis, Dominicanæ familiæ propagandæ sedem hanc præoptauit, vt quoniam administratio regia frequentius ibi tenebat, simul supellectilem sacram commodius coram proueheret. Non vulgare verò illud aut commune officium sed aliquod singulare beneficium fuit, quod vnam ex filiabus non in hanc modo religiosam familiam adscribi, sed & Antistitam præfici consenserit, cúmque Monasteria alia duodecim vel plura ordinis eiusdem fabricasset ac dotasset, in quibus de Magdalena vsque hodie memoria agitur ac tandem moriens Neapoli cor suum ordini eidem legasset, quod vsque hodie in Conuentu S. Dominici de Neapoli in eburnea pixide seruatur, corpus tamen in Prouinciam deferri ad Monasterium (non Arelatense vt insigniter hallucinatur Spondanus) sed ad istud Aquense Monialium nunc recens S. Bartholomæi

tholomæi nomine dedicatum testamenti tabulis edixit vbi non sine virtutum commendatione & sanctimoniæ fama visitur integrum, & strumis affectos, solo dicitur sanare attactu.

§. I.

Arelatas Cassiani familia propagatur.

3. Rerum scilicet quæ Massiliæ quæque Aquis Sextiis circaque gerebantur fama reliquam Prouinciam peruagata incendebat vbique bonos vt suis quique oppidis eadem præsidia peroptarét. In delectu eorum quibus laus desponsa iam & destinata fuerat, indefessa vt solet charitas & sanctitatis studium, consueto se extulit more prouentuque. Incensi enim tum collationibus mutuis tum ciuium beneuolentia, & eo quidem magis quod hi qui aduocarant desiderari ad omnem cultum & victum nihil sinebant. Assidui in Conuentu, vt confluentes qui multi erant piis sermonibus exciperent, expediti ac celeres ad accurrendum quocumque exoluendarum solennium precum sacerdotale munus vocabat.

4. In hunc ergo numerum & primum ordinem adduco celeberrimum illud Monasterium, cuius fundamenta Hilario Episcopo authore, vt eius vita testatur, circiter annum Christi 445. in Arelatensi suburbio iacta sunt. Sed eius hodie ne vlla quidem non dicam vestigia imo monimenta extant, à Gothis vt opinor, quod in suburbio esset excisum & à Childeberto Rege, dum ex Hispaniis rediret victor, de nouo instauratum & alio in loco, vt infra mox demonstrabimus. Illi primus S. Florentinus præfuit Abbas, quod ex inscriptione veteri probatur apud Pontificium Arelatense in Aureliano. Transuecta fuere sacra Florentini lipsana in Ecclesiam S. Crucis, permissumque à sede Apostolica, quod frequens esset in edendis miraculis, vt à populo coleretur ideoque illius cineres marmore quod hodie in Ecclesia S. Crucis visitur inclusi, & Acrosticho carmine quod nomen munus & obitum signat, inscripti. Ex Pontificio Aralarensi cognosces omnia, si allubet, loco citato. *Deinceps in marmore post versus ista sequuntur. Primus itaque præfuit S. Florentinus Abbas Monasterio nostro per annos quinque qui vixit annis P L. M. L. obiit pridie Idus Aprilis duodecies P. C. Basilij V. C. Iunioris Indict. prima. Post hunc secundus fuit Dominus Redemptus Abbas.* Vtrum verò Cæsarius his annumerandus? cum ex eius annalibus liquido constet, Eonio Episcopo procurante Diaconum & Presbyterum ordinatum, defuncto in insula suburbana Abbate, in illius locum suffectum, bene qui coniiciet, vatem hunc perhibeto optimum. Porro conuenienter ad mentem nostram congruentérque Cassiani potius quam aliorum Monachorum fontibus Hilarium hortulos suos irrigasse tantummodo coniectura ducimur ad suspicandum, quod temporibus illis vix aliud Monachi nomen illustrius quam Cassianitæ audiretur in tota Prouincia, quod Massiliæ Hilarius vsu ipso

& consuetudine notam atque insignem habuisset sibi amicissimi Cassiani virtutem, quod ad idem Cæsarius aliique deinceps Arelatenses Archiepiscopi in delectu atque existimatione Cassianitarum, non aliud quam Hilarij decessoris sui exemplar sibi proposuerint.

5. Ex hac autem quasi vna radice aliæ factæ sunt accessiones variarum familiarum, quæ idem Cassiani institutum complexæ, nonnulla reformando vel addendo aut leuiter immutando ab ipso discreparunt, in quibus vix vlla nobilior quam Cœnobium S. Petri haud procul ab eiusdem ciuitatis mœnibus, quod dicitur De Monte Maiori, eius enim Monachos Abbati S. Victoris Massiliensi fuisse aliàs obedientes ac subiectos, id testibus planum faciam, qui & scire debuerunt & causam cur mentirentur non habebant. Extant in literis Apostolicis Gregorij VII. Vrbani II. & Nicolai III. opinionis nostræ expressa exempla, quibus hoc quasi perspicuum sit constétque inter omnes. Sic enim de sententia vtriusque prædecessoris sui, scribit Nicolaus Pontifex Abbati & Conuentui S. Victoris Massiliensi.

Nicolaus seruus seruorum Dei.

Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij S. Victoris Massiliensi ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis S. Benedicti salutem & Apostolicam benedictionem. Prouisionis nostræ debet prouenire subsidio vt ius suum cuilibet conseruetur, sanè quoddam priuilegium fœlicis recordationis Vrbani Papæ II. prædecessoris nostri Monasterio vestro concessum, plumbea ipsius prædecessoris Bulla munitum, per te fili Abbas exhibitum, coram nobis quia præ nimia vetustate incipit iam consumi, de verbo ad verbum nihil addito, nihil mutato quod mutare posset substantiæ veritatem vestris precibus inclinati transcribi & annotari fecimus ad cautelam & transcriptum ipsius Bullæ nostræ appensione muniri ad perpetuam memoriam futurorum, &c.

Tum infra quod ad rem nostram singulatim attinet. Cœnobium S. Petri quod dicitur de Monte Maiori in Archiepiscopatu Arelatensi, & Cœnobium S. Mariæ de Crassa in Episcopatu Carcassonensi ita tibi tuisque successoribus per præsentem paginam committimus, sicut prædecessoris nostri sanctissimi viri Gregorij VII. priuilegio constat esse commissum, &c. Id verò sigillatim perscripsisse Gregorium VII. liquet ex eius literis ad Richardum S. R. E. Cardinalem Presbyterum & Abbatem Massiliensem eiusque successores datis Romæ 14. Calend. Maij Pontificatus anno 8. Quia ergo quædam Monasteria, alterum in Prouincia, videlicet Monasterium S. Petri quod dicitur ad Montem Maiorem, & alterum in Carcassonensi Episcopatu Monasterium S. Mariæ de Crassa, quæ ad huius sedis defensionem propriaque iuris eius esse dignoscuntur, iam dudum sæcularium Monachorum culpa à religionis tramite deuiasse intelleximus, ea reformare & ad lapsi decoris speciem reducere valde esse necessarium duximus, satis enim decentius & conuenientius esse dicimus

destructa

destructa restituere & ad gradum suum collapsa reducere, quàm in dilatandis vel nouiter ædificandis operam dare. Quapropter ad prædictorum locorum restaurationem religionis tuæ prudentiam perutilem arbitrantes, licet tu quorumdam proborum virorum adhortatus precibus, absque licentia nostra de eorum cura te nolueris intromittere. Nos tamen censuimus per tuam successorúmque tuorum solertiam fratribus in eisdem Cœnobiis deinde mansuris perpetuam regularis vitæ circumspectionem prouidere. Proinde circa præfata Monasteria solicitudinis nostræ vices dilectioni tuæ committentes, volumus atque præcipimus, vt in eis quæ amputanda sunt amputetis quæque corrigenda corrigatis, & quæ illis de disciplinæ tenore defuerint vestra vigilantia & labore confirmentur, &c. Quare hic etiam ordo iisdem Cassianitarum præceptis atque in vna institutione confirmatus, in eum qui nunc lucet virtutis & potestatis splendorem, mirificè auctus est.

6. Cæterum de Monasterij huius origine & conditu variant historici, certum puto ex Hilariani à Gothis diruti, de quo supra ossibus ac cinere Childeberti Regis studio emersisse primúmque se eiecisse in lucem atque extulisse anno circiter 540. sic enim de Childeberto legimus in Pontificio Arelatensi vbi de Cæsario. Diuisis pro imperij cuiusque portione vrbibus inter Clodouæi magni filios, Arelate Childeberto cessit anno salutis DXXXVIII. quod petentibus Francis à Iustiniano confirmatum est diplomatè. Verùm igitur est quod Cyprianus tradit, hodiéque, Arelate scilicet, in Christi nomine paret clarissimo Regi Childeberto Clodouei filio, vt possit de ea quoque dici, transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, & non permisit Deus sub illo (Cæsario scilicet) hominem nocere Arelatensibus suis. Noui Principis pietatem testatur Monasterium virorum celeberrimum, quod in Monte Maiori extra muros ædificari iussit; quodque absolutum à Vigilio Papa voluit Apostolica authoritate firmari cuius rei testem habeo D. Gregorium ad Virgilium Episcopum Arelatensem scribentem in hæc verba. Cùm piæ desiderium voluntatis & laudandæ deuotionis intentio sacerdotalibus sit semper studiis adiuuanda, cura est sollicitudinis adhibenda vt ea, quæ pro quiete Monachorum religiosæque conuersationis fuerint disposita vel ordinata, nec dissimulatio negligere nec quædam valeat præsumptio perturbare. Sed sicut hoc quod ratio exigebat vtilitatis oportuit definiri, ita quod definitum est, nisi fortè vbi maior est authoritas, non debet violari. Igitur gloriosæ memoriæ Childebertus Francorum Rex Catholicæ religionis amore succensus, intra muros Arelatensis ciuitatis Monasterium virorum, vt scripto reperimus, pro sua mercede constituens quædam ibidem pro habitantium sustentatione concessit, cuius ne voluntas vnquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum disposita fuerant turbarentur, quæque contulit in iure Monasterij Epistolis suis, Apostolica petiit authoritate firmari, hoc quoque suæ petitioni subiungens vt eidem Monasterio tam in dispositione rerum quàm in ordinatione Abbatis quædam pariter priuilegia largirentur. Sciens quippe eam

Grego. lib. 7. Indict. 11. Epist. 115.

Apostolicæ sedi reuerentiam à fidelibus exhiberi, vt quæ eius fuissent decreto disposita, nullius deinceps illicitæ vsurpationis molestia quatetentur. Vnde quia effectum & regia voluntas & res valde desiderata poscebat, à prædecessore nostro Vigilio Romanæ sedis antistite ad prædecessorem vestrum Aurelium scripta transmissa sunt, vbi omnia quæ amplectendæ voluntatis studium deposcebat Apostolicæ authoritatis libenter annisu firmata sunt, quia difficultatem pati non potuit huiusmodi res petita. Sed vt fraternitas vestra quæ fuerant tempore illo decreta cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta his præuidimus scriptis adiungi. Quibus lectione percursis hortamur, vt omnia sacerdotali sicut decet studio inuiolata conserues, nihilque illi de indebitis nihil permittas de illicitis irrogari nec ea quadam patiaris vsurpatione conuelli. Nam licet ea quæ semel Apostolicæ sedis authoritate sancita sunt nihil egeant firmitatis, ex abundantia tamen nostra cuncta quæ pro huius rei quiete à prædecessore nostro statuta sunt, nostra iterum authoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat, quatenus & omnem occasionem inquietudinis excludat, & aliis hæc operari studeat, dum se in custodienda defuncti piissima voluntate sollicitam, vt decet, exhibuerit & deuotam.

7. Plura citatum Pontificium in Aureliano. Vidit tandem Aurelianus antequam decederet anno 555. consummatum perfectumque Monasterium virorum, quod Arelate construendum mandauerat Childebertus viuente Cæsario, vulgò Monasterium Montis Maioris appellatur. Eximiis illud donauit priuilegiis Vigilius Papa quorum mentionem habes in Gregorio. Hic verò quod scribit intra muros vrbis Monasterium à Childeberto constitutum, inde non leui coniectura ducimur ad suspicandum, primum Abbatem, Paulum nomine, initia quidem & tanquam semina Monasterij posuisse intra muros vrbis, vnde sint omnia orta, generata, & propagata deinceps incrementa in Monte Maiori. Prosperæ res multæ consequutæ sunt posterioribus proximis sæculis penè duobus, secundo vitæ sine vlla offensione cursu; cum ingentem Saracenorum manum ex Hispania in Aquitaniam Eudonis Ducis accersitu transgressam, Carolus Martellus Pipini Magistri aulæ filiis incredibili cæde prostrauit. Fama est vno prœlio ad trecenta septuaginta hominum millia cæsa. Sed huius tantæ cladis haud immemores Saraceni anno 738. vires repararunt. Nouosque cogentes exercitus maiori impetu Galliam Narbonensem inuadentes Arelatem obsidione vallarunt: eaque capta, munitissima circumquaque loca euerterunt ne hostibus vsui esse possent, inter quæ fuit nobilissimum Montis Maioris Monasterium, quod ædificari iusserat Childebertus. Atque his demum vix bene sopitis motibus, Saraceni furore sqlito Piraticam exercentes, graue damnum Septimaniæ & Gothiæ intulerunt, & oppugnarunt expugnaueruntque iterum Arelatem, quam consumptam repleuit & ereptam recuperauit Carolus Magnus Rex Francorum & Imperator, vt habent Pontificij Arelatensis annales in Lupo Archiepiscopo anno 793. Victi enim à Carolo Saraceni se in tutiora loca recepere,

recepere, cuniculos miro opere fabricatos in diuersas agrorum partes erumpentes fecerant, quos annis præteritis vidimus, dum vallo muniretur porta Militaris, licet fluentibus disiectisque temporum iniuria fornicibus, quos etiam insequutus ad internecionem pene deleuit, ædemque cruci ob inimicos crucis Christi deuictos, in ipso victoriæ loco dicauit. Hac de obsidione quamuis taceant scriptores, loquuntur lapides, vetus enim est in Ecclesia sanctæ Crucis ad radices Montis Maioris, quam subiicimus, inscriptio, quæ rem gestam continet.

Nouerint vniuersi quod cum Serenissimus Princeps Carolus Magnus Francorum Rex ciuitatem Arelatem, quæ ab infidelibus detinebatur, obsedisset & ipsam vi armorum cepisset, & Saraceni in eadem existentes pro maiori parte aufugissent in montana Montis Maioris, & ibidem se retraxissent & in eodem se muniissent, & idem Rex ibidem cum exercitu suo venisset pro ipsis debellandis, triumphum de ipsis obtinuisset, & de ipso gratias Deo agendo in signum huiusmodi victoriæ præsentem Ecclesiam in honorem sanctæ Crucis dedicari fecit, & præsens Monasterium in honorem sancti Petri Apostolorum Principis dedicatum quod ab ipsis infidelibus penitus destructum fuerat & inhabitabile redactum, idem Rex ipsum reparauit & reædificauit, & Monachos ibidem pro seruiendo Deo venire fecit, & ipsum dotauit, & plura bona eidem contulit: in quo quidem Monasterio plures de Francia ibidem debellantes sepulti sunt. Ideo fratres orate pro eis.

Vacuæ quidem & desertæ S. Petri insulæ Monasterium à Childeberto fundatum, à Carolo Magno restitutum & muneribus auctum historiæ Arelatenses testantur in Yterio, verùm de reportata in Saracenos victoria silent. Quibus cum assentiar, fidem tamen non nego affirmantibus, quod eadem in insula secundo ab hoc sæculo Pontius Ecclesiam sanctæ Crucis olim à Caro Magno constructam, fortè collapsam & restauratam dedicauit, Ramberto Abbate. Venit etiam in huius rei confirmationem Ecclesia quæ Arelate extat, quam Carolus Magnus Diui Luciani cineribus celebrem fecit Tilpino Rhemensium Episcopo Missarum solennia celebrante, quam tamen non à fundamentis construxisse sed tantum restaurasse certos nos reddunt fornices subterranei, quibus innititur templum, prima enim Reipublicæ Christianæ sæcula redolent, cùm in subterraneis locis non autem in publico religionis suæ cultum fideles profitebantur.

8. Anno 977. Yterius Arelatensis Archiepiscopus castrum S. Hippoliti Theucindæ concessit in fundum vectigalem, ea lege vt redhibitorium esset ea defuncta, quæ cum ab eius antecessore Manasse prius insulam Montis Maioris accepisset, vt à rerum perturbatione immunis degeret, eam Moringio Abbati habitandam dedit, Conrado Rege regnante, & Guillelmo Comite rem gestam probante hoc eodem anno 977. Rursus furore improborum violatis atque imminutis copiis Monasterij, eius tamen non renouatas modo atque instauratas reliquias, sed priorem quoque amplitudinem & gloriam ædibus longè capacioribus & reditibus pinguioribus amplificatam fuisse memoriæ proditum est. Sic enim in Thesauro Monasterij loquuntur Annales. *Anno ab Incarnatione Christi* 1016. *fuit*

inchoata

inchoata Basilica B. Mariæ. S. Petri sanctorumque Apostolorum in honorem Dei, Indictione 14. tertio Calend. Iunij feria quarta sub regno Roberti Francorum Regis, in tertio anno fundationis huius Basilicæ obiit Guillelmus, nomine secundus, inclytus Comes Adelaydis & honorificè sepultus est in fundamento huius Ecclesiæ Montis Maioris. In Guillelmi nomine quem secundum appellant, numeri notam interpretatur Pontificium Arelatense in Pontio. Porro, inquit, Vuillelmus, Adelaide vxore seu Adalaixia vel Adelide, Vuillelmum, Constantiam, Hermengardem, & Adelmodiam suscepit: illa Roberto Francorum Regi nupsit, Hermengardes Aruernorum Comiti, Adelmodia binas nuptias celebrauit, primas cum Bosone Comite de la Marche, secundas cum Guillelmo Pictauiensi. Florentibus in dies rebus Monasticam vitam professus est. Id Maioli celebris sanctitate Abbatis suasionibus factum indicat Odilus. *Qua*, inquit, *ille Maiolum Veneratione prosequutus sit Vuillelmus Prouinciæ Gubernator, & vita & exitus illius ostendit quippe qui per Sancti viri merita & fida obsequia Beati Benedicti habitum induere meruit. Hic ille est Maiolus qui testamento Vuillelmi subscripsit Cluniacensis Abbas vir admirandæ sanctitatis.* Egregia vero Vuillelmi nostri sanctitas innotescit in Manuscripto codice Chesnij, qui narrat crebra miracula ad sepulchrum eius fieri solita, quæ reuera illum ad cœlum migrasse demonstrant. Vuillelmus ergo ille filius, ideo secundus in Epigraphe, dictus, quia Patri Vuillelmo successit. Gerbergam Landrici Niuerni Comitis filiam duxit vxorem, vt indicant literæ Pontificiæ Benedicti VIII. ad Pontium Archiepiscopum Arelatensem & alios Regni Burgundici Præsules, confirmatque instrumentum quo Eldebertus municipium Longodinicum in agro San-Remigiano situm Monachis Montis Maioris condonat, cui subscripsere Vuillelmus Comes & vxor eius Girberga. Existimat Chesnius Vuillelmum secundum è vestigio Patrem insequutum & sanctitate insignem imo miraculis celebrem, eodem manuscripto Codice teste, animam inter Monachos Monachum exalasse.

Apud Surium tom. 1. die 2. Maij.

Chesnius l. 4. histo. Regum Ducum & Comitum Burgun.

9. Postremò vel accessisse priori splendori aliquod incrementum, vel accidisse nouam aliquam conuersionem status & inclinationem communium temporum iidem subindicant ibidem Annales. *Anno 1153. ingressi sunt Monachi in Ecclesiam ad Deo seruiendum.* Quo tempore præerat Cœnobio Ioannes Abbas, sedente Arelatis Raymondo De Bolena Archiepiscopo. Pontius De Vlmo post promotionem Petri de Banhaco ad Cardinalatum donatus Abbatia Montis Maioris ab Vrbano V. cuius erat Vicarius Generalis in regimine Monasterij Massiliensis, ædificauit præcelsam illam, quæ hodie visitur Montis Maioris turrim anno 1369.

10. De bonorum donationibus & agrorum assignationibus, quæ ibidem referuntur quod paulo longius esset omnes commemorare, præcipuas tamen duas ex omni ætate delibabimus priorem à laicis, posteriorem à Clericis, viris primariis constitutam. Prior igitur sic habet. Reibaldus, vel Rubaldus, vel etiam Rotbaldus cum sua vxore Hermendarda dederunt Monasterio Montis Maioris Archinrico Abbate, iure perpetuo villam

villam quæ vocatur Pertusus, quæ sita est in Regno Prouinciæ, in pago Aquensi. Hæc donatio facta fuit ab illis Anno Incarnationis Dominicæ 1002. & signum ad fidem seruandam apposuerunt in charta cum illius nepote, Guillelmi vel Vvillelmi nomine. Indictione X I I.

Raynaldus, Guillelmus, & Leutofredus siue Lanfredus fratres, ipsum castrum quod vulgo dicitur Pertusus cum suis appendiciis Monasterio Montis Maioris dederunt, promittentes inter se vt qui primus moreretur dimitteret suam partem dicto Monasterio. Ita secundus & tertius pariter. Acta est hæc donatio 2. Nonas Augusti in Comitatu Aquensi anno 1019. Indictione 1. regnante Rodulpho Alamannorum Rege, qui omnes tres hanc chartam signo suo firmarunt.

Guillelmus vel Vuillelmus Comes Forcalqueriensis & nepos Reibaldi Comitis, cum sua vxore & coniuge confirmarunt donationem dicti Comitis & etiam villam quæ dicitur Pertusus Monasterio Montis Maioris dederunt anno 1042. regnante Conrado Patre Henrici I I I. Qui Henricus I I I. filius dicti Conradi sibi assumpsit regnum Arelatense, propter regni Burgundiæ donationem sibi factam à Rodulpho vltimo Rege huius Comitatus; & tunc regnum Arelatense fuit dispertitum, & in prædam missum, & tunc Comes Prouinciæ erat Guillelmus I I I. in ordine Comitum & secundus nomine anno 1039. cui dicto Guillelmo in eodem anno successit filius eius scilicet Odo, qui obiit anno salutis 1090. relinquens filium suum Gilberbum Comitem Prouinciæ.

11. De lite ante Calistum I I. Viennæ contestata inter Guillelmum Abbatem Montis Maioris & Guillelmum Comitem Forcalqueriensem, qui Pertusi dominium temerè atque iniuriosè vsurpasset dicemus infra cap. 24. num. 7.

12. Paucis post annis circiter annum 1090. Prioratum *S. Mariæ de Ratis* ab Aycardo Archiepiscopo & vniuerso Canonicorum Arelatensium Collegio acceptum referunt Monachi Montis Maioris, huius enim donationis monumenta hæc extant. Sancta Ecclesia vtriusque testamenti authoritate, sancta loca (Sanctorum beneficia augere volens muneribus) donat, quatenus famulatus ab ibidem inhabitantibus Deo exhibeatur, & exhibendo cœlestia regna conscendere mereantur. Quid enim fœlicius? quid laude dignius? quàm pro terrenis cœlestia, pro mortalibus immortalia, pro transitoriis sempiterna acquirere, & acquirendo supernorum ciuium societatem promereri. Decet itaque Ecclesiasticæ religionis Monasteria, beneficiis Matris Ecclesiæ hæreditari, & hæreditata charitatiua dilectione consolari Apostolo dicente. Nemini quicquam debeatis nisi vt inuicem diligatis. Vnde sanctæ Arelatensis matris Ecclesiæ filij donamus, & donando perpetuo iure tradimus B. Mariæ & B. Petro Montis Maioris & Monachis tam præsentibus quam futuris sub Abbate Vvillelmo, vel sub eius successoribus, Ecclesiam S. Mariæ De Ratis cum omnibus quæ ad eam pertinent tali conditione, vt vnoquoque anno in festiuitate omnium Sanctorum triginta solidos Melgarenses seu monetæ æque valentis, Canonicis tam præsentibus quàm futuris persoluant, & duas

candelas in consecratione ipsius Ecclesiæ B. Mariæ, & alias duas in eius Assumptione, videlicet meliores. Nomina autem filiorum Ecclesiæ Arelatensis qui hanc donationem fecerunt, sunt hæc. Aycardus Archiepiscopus, Raimhaldus præpositus, Bertranus Sacrista, Pontius Decanus, Gerardus Caput scholæ, Astasius Carbonellus, Ansaldus Dono, Romualdus Astatius, Pontius Palerius, Bertrandus Gaufredus, Aycardus Boso, Pontius Autardus, Bligerius Lærus, Gaufridus Ausaldus, Christophorus Geruasius, Raymondus, Gerardus, Sibaldus, Goneiolinus, Vvillelmus, Bernardus, & Rodulphus. Hi omnes huius donationis chartam firmant & firmando vna voce laudant. Illius donationis & firmationis fuerunt testes laici, Vvillelmus Vgo, Bertrannus Guidus, & Guibertus frater eius, Raymondus filius Vvillelmi Vgonis, Bernardus Aymo & filius eius Petrus, Aycardus Aymo, Vvillelmus Deadrenis, Aldebertus Astelius, Vvillelmus Malaherba, Raynandus Rostanus, Romaldus Calueria, & Vvillelmus, Bernardus Rapina, Vgo de Rapitorio, Bernardus Aldebertus, Vvillelmus Bonifilius, & Fulco Decanus. Erat dum Caput scholæ hanc cartham iubentibus cæteris Canonicis dictaret, & Pontius Paulus Notarius, qui eisdem præcipientibus scripsit.

13. Quare appelletur Ecclesia S. Mariæ De Ratis pluribus verbis exposui in Magdalena nostra Massiliensi aduena cap. 17. num. 2. *De Ratis* dicitur à rate seu naui, qua delecti è Iudæa viri, recti vnà cum Magdalena & Maximino, primum ad ostia secundi ac interioris aluei Rhodauini in territorio Arelatensi ac deinceps Massiliam penetrarunt. Quo loco atque aliis similibus Prioratum istum semel atque iterum & sæpius de manu vt aiunt in manum traductum ac traditum fuisse testantur historici. Primò enim S. Cæsarium anno 540. legasse sorori suæ Cæsariæ ac Monasterio Virginum cui præerat, *Agellum Syluanum* atque adeo Ecclesiam S. Mariæ De Ratis quæ in eo sita est, facilè colligitur ex eius Testamento, quod luce palam in omnibus Bibliothecis ad omnium oculos diuulgatum habetur. Exinde Raiambaldum & eius fratrem Fulconem tenuisse illam in sua potestate & ditione anno 1060. constat similiter ex Instrumento donationis, qua traditur eadem Ecclesia Canonicis Arelatensibus à Raimbaldo vel Raiambaldo, ex libro viridi fol. 86. Priscorum decreta Patrum declarant Sanctam Dei Ecclesiam à fidelibus sanctissimisque viris olim, per vniuersum mundum pullulante religione Christiana fundatam, & in omnibus vt eam decebat, ornatam atque repletam, scilicet in innumerabilibus turmis Clericorum, in amplissimis prædiis terrarum, in copia sui seruorum, atque in opulentia frugum quæ & incuria maiorum principum & pigritia suorum pastorum tam præsentium quam etiam præteritorum taliter est destructa & dilacerata, in amissione suarum rerum, quatenus relicta in tristitia atque in egestate posita, nec Rex, nec Dux, Marchioue est, ei porrigens manum. Quapropter ego Raibaldus Archiepiscopus & Fulco frater meus prospeximus molem nostrorum peccaminum, & prospeximus peccata nostri patris & matris vt Dominus Iesus Christus illis dignetur dimittere omnia eorum delicta, nobisque dignatur

dignetur dare vitam in hoc sæculo & sanctitatem, & in futuro sempiterna præmia. Donamus Deo & sanctæ Ecclesiæ pretiosissimi Prothomartyris Stephani, in qua requiescit Trophimus Apostolus almus, & eius Canonicis inibi seruientibus, in præsentia illustrium virorum aliquid de nostris beneficiis, quæ iacent in Comitatu Arelatense, in insula Camaria, hoc est Ecclesiam Sanctæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ De Ratis & Ecclesiam S.Martini; has Ecclesias & quantum ad eas pertinet vel pertinere debet in terris cultis, & incultis, pascuis & pratis, aquis, & palustribus, Stagnis, & Salmariis, Rubinis, & piscatoriis, syluis, & raccegiis, mare, & Rhodano, simul, & vineis totum & ad integrum donamus atque in perpetuum tradimus Deo & S. Stephano atque Apostolo Trophimo & Canonicis eiusdem Ecclesiæ seruientibus. Facta est charta istius donationis Mense Feb. Regnante Henrico Rege anno Incarnationis 1061. in tali tenore vt si Archiepiscopus aut aliqua tam Clericorum quam Laïcorum persona esset, quæ hanc chartam donationis irrumpere voluerit aut supra prælibatos Sanctos, vel ad forum. Canonicorum hoc quod eis damus tollere tentauerit, computet in vinculo auri libras decem, & insuper iram Dei omnipotentis incurrat, & sit maledictus omnibus maledictionibus veteris & noui testamenti demergaturque cum Dathan & Abyron in profundum inferni, ibique particeps sit Iudæ traditoris. Ad postremum firma sit donatio ista & stabilis permaneat omni tempore. Rursus ereptam de manibus Canonicorum restituisse Aycardo Archiepiscopo Bertrannum Prouinciæ Comitem anno 1090. testatur Autenticum Capitulare fol.126. his verbis.

Testamentum Bertranni Comitis super restitutionem B. Mariæ, S.Trophimo.

14. AB antiquis veterum Patrum traditionibus habemus, quod si quis rem quamlibet reddere vel vendere vel commutare voluerit per paginæ testamentum, ne friuolum aut infirmum remaneat, memoriæ commendetur. Vnde ego Bertrannus Comes & mater mea Stephania simulque coniux mea Mathildis pro remissione peccatorum nostrorum reddimus liberè & absolutè Ecclesiam S. Dei genitricis Virginis Mariæ de Ratis, cum omnibus suis appenditiis S. Stephano & S. Trophimo nec non Canonicis sedis eorumdem Deo seruientibus vt post hac ab integro possideant & in nullo eorum quod facere voluerint resistamus, propterea accipimus de rebus Canonicorum trecentos videlicet solidos, quatenus si quilibet rem à nobis redditam impedire vel inquietare tentauerit, nos Canonicis supra iam prænotatis adiutores existamus. Sanè si quis nos aut vlla apposita persona frangere aut irrumpere voluerit, non valeat vendicare quod tentauerit, sed omnibus quæ in nouo vel veteri Testamento scriptæ sunt, maledictionibus subiaceat. Sit socius in pœna Iudæ perdito, qui Dei filium Iudæis ad perdendum tradidit, & cum Datham & Abiron; quos viros terra absorbuit, in æterno periturus incendio de-

putetur, & neque in hoc sæculo neque in futuro remissionem suorum peccatorum apud Dominum impetret. Bertranus Comes qui hanc chartam scribere iussit manu propria firmat, & testes firmare rogauit. Stephania mater eius firmat, Mathildis coniux eius firmat, &c.

Sub idem tempus eiusdem Aycardi Archiepiscopi & Canonicorum dono ac munere, Vvillelmo Abbati & Conuentui Montis Maioris commissam fuisse mox supra diximus, & quidem tanta cum firmitate iuris atque constantia vt ad hanc vsque diem, addicti Prioratus possessionem sartam tutamque sibi semper Monachi asseruerint, quem recenti nomine appellant Prioratum S. Mariæ De Mari.

15. Atque illud non queo præterire de reliquiis S. Antonij Abbatis quæ disputationibus huc & illuc trahuntur, quod eas sibi vendicent Monachi Montis Maioris, iisque rationibus vt aiunt, & argumentis quæ omnem adhibent persuadendi dignitatem sed tamen hæc est summa conclusionis.

De translationibus Corporis B. Antonij Magni Ægyptij Eremitæ.

BEatissimus Antonius Ægyptius anno salutis humanæ 254. Imperante Decio natus est, per annos circiter viginti vnum domi versatus deinde in solitudine & Eremo quatuor & octoginta circiter annorum spatio Angelicam prope duxit vitam, qui quintum & centesimum annum agens ab humanis demigrauit à duobus suis discipulis in abdito Eremi loco sepultus anno 359. Constantio Constantini Magni filio imperante, Imperij eiusdem ann. 19. vbi centum septuaginta annis ignotum permansit corpus. Deo autem qui serui sui memoriam vniuerso orbe celebrandam proposuerat aliter disponente, ipsius corpus Iustiniano iuniore imperante apud Thebaidem diuinitus inuentum est anno 529. & Alexandriam translatum. Dein post Ægyptiorum ab Imperio Constantinopolitano defectionem, Saracenis Arabiam occupantibus, Christiani incolæ diuersas Sanctorum reliquias, ne in manus infidelium peruenirent, ab Alexandria asportantes B. Antonij Corpus, Constantinopolim circa annum septingentesimum quattum detulerunt, & in vetusto templo non procul ab vrbe benigne ab Imperatore suscepti condidere. Et hæc quidem fuit sancti Corporis secunda translatio. Anno autem 1070. Lothario II. imperante, cùm Comes Ioncelinus Viennensis, vir pietate & militia clarus Hierosolymam persoluendi voti causa cum nobilibus adiisset, nec non reliquias B. Antonij Constantinopolim translatas ibidemque asseruari intellexisset, properandi auidus Constantinopolim suo cum vniuerso Comitatu incolumis peruenit, quem Imperator ob generis nobilitatem honorificè suscepit. Certior interea factus Ioncelinus B. Antonij reliquias, quatum gratia hoc iter arduum aggressus erat, in quadam Ecclesia penè desolata minus decenter ob ministrorum inopiam & paucitatem

paucitatem asseruari, Imperatorem supplex adiit & petiit vt eas in Viennensem Galliæ Prouinciam sibi deferre liceret, quod facile impetrauit, diuina sibi tanti muneris obtinendi suffragante gratia. Lætus igitur votique sacro donatus munere, prospera vsus nauigatione in patriam remeauit. Defuncto Ioncelino sine liberis, hæreditas illius ad Guigonem Desiderium nobilitate insignem virum propinquitatis iure delata est, cui Vrbanus II. per Viennensem Prouinciam transeundo sub anathematis censura præcepit, vt corpus B. Antonij quod passim indecenter deferebat, in loco religioso honorificè reponeretur. Guigo autem Comes mandatis Apostolicis obtemperans accersitis Benedictini Ordinis Monasterij S. Petri Montis Maioris Monachis, oratorium in B. Mariæ honore dedicari curauit in oppido S. Desiderij Mota nuncupato & ibi sub eorum, potestate & protectione corpus Beatissimi Antonij remisit anno 1095. quod quidem corpus postea à Monachis ad eorum Monasterij Montis Maioris anno 1291. asportatum fuit. Hinc quod annis in eorum Conuentu 3. Idus Iunij eius translationis memoria fit. Tandem ex dicto Monasterio propter crebram deuotionem populique frequentiam anno 1491. 5. Idus Ianuarij in hanc ciuitatem Arelatem delatum est & in Ecclesia Parochiali S. Iuliani ab eodem Monasterio dependente collocatum fuit, vbi summo honore & magna populorum frequentia colitur, conuenientibus eò religionis & voti gratia ex toto terrarum orbe peregrinis. Hæc extracta ex Archiuiis & variis authoribus, &c.

16. Quid ego Parthenonis, cui à S. Cæsario nomen, factos ibidem Monasticos status, ortus, incrementa comemorem? Iam ipsa fama Cassianitæ Massilienses, quæ de eorum sanctitate percrebuerat, magnam erant apud viros primarios laudem consecuti; omnia tum in illos studia Clericorum ardebant desiderio imitationis ac disciplinæ, cum fortè Cæsarius in Arelatensibus Ecclesiæ suæ areolis religiosum descripturus atque compositurus hortum, non alios quàm è Cassiani arbore excerptos voluit, quos sereret surculos. Cæsariæ sorori suæ virgunculæ, in nobilissimo Orbis terrarum gymnasio Massiliæ locum delegit, in quo primùm apud Moniales Institutionum Cassiani coloribus tincta, ipse deinceps quasi quamdam palæstram & extrema lineamenta virtute eius afferret. Fusè ista lateque dicuntur in vita S. Cæsarij, quam duobus libris complexus est Tolonensis Episcopus & eiusdem Cæsarij discipulus Cyprianus, & ab authore Pontificij Arelatensis citantur his verbis. Arelate celeberrimi Monasterij fundamenta iecit S. Cæsarius, cui Cæsariam sororem Massiliæ edoctam religiosum institutum, postea Magistram S. Radegundis præfecit, neque virginum tantùm multitudine illud amplificauit, sed disciplina quoque adhuc extat & viget tanta sapientia, vt in eius laudem verè eam dixerim, quod de alia S. Benedicti Gregorius, discretione præcipuam, sermone luculentam. Meminit Fortunatus passim:

Greg. 1. Dial. cap. 36. Fortuna. l. 8.

Has inter comites coniuncta Cesaria fulget
Temporibus nostris Arelatense decus.

Cæsarij monitis luci sociata perenni
Si non Martyrij virginitatis ope.

Et infrà.

Dulce decus vbi sit veneranda Cesaria præsens
Præsule Cæsario non caritura tuo.

Magistram fuisse S. Radegundis declarat sæpe Fortunatus, vt cùm ait de eadem S. Radegunde Monasticam vitam profitente.

Regula Cæsarij linea nota tibi est.

Et alibi

Concipiente fidem Christi Radegundis amore
Cæsarij lambit regula quidquid habet.

Fortuna lib 5. Carm. 2. Et ad Martinum Galliciæ Episcopum

Atque adscita sibi seruetur in vrbe Genesi
Regula Cæsarij præsulis alma sui
Qui fuit antistes Arelas de sorte Lerini.

Grego. lib. 9. hist. c. 41. Mentio fit apud Gregorium Turonensem in Epistola Episcoporum ad S. Radegundem. *Tamen specialiter definiuimus, si quæ sicut dictum est de locis sacerdotaliter nostræ gubernationis commissis in Pictauiensi ciuitate, vestro Monasterio meruerit sociari, secundum Beatæ memoriæ Domini Cæsarij Arelatensis Episcopi constituta, nulla sit vlterius discedendi licentia.* Et cap. sequenti. *Arelatem vrbem expetunt de qua regula S. Cæsarij atque Cæsariæ Beatæ suscepta Regis se tuitione munierunt.* Et cap. sequenti in Epistola S. Radegundis. *Insuper Congregationi per me Deo præstante collectæ, regulam sub qua S. Cæsaria degit, quam sollicitudo B. Cæsarij Antistitis Arelatensis ex institutione sanctorum Patrum conuenienter collegit, adsciui.* Scripsit etiam S. Cæsarius eiusdem regulæ recapitulationem, in qua addit nouas Constitutiones, sed nihil de illa citant recensiores historici. Adiecit tanquam prioris auctarium posteriorem aliam regulam S. Aurelianus Archiepiscopus Arelatensis mediante Auxanio proximus successor, si tamen alia dicenda sit, quæ maiori ex parte sumpta est ex regula S. Cæsarij etiam iisdem verbis sæpè transcriptis, quemadmodum in Concordia regularum suis locis ab interpretibus obseruatum est. Duas autem edidit regulas S. Aurelianus alteram Sanctimonialibus nostris Cæsarianis, vt videre est apud Trithemium libro de proprietate Monachorum. *Aurelianus Episcopus in regula ad Moniales capitulo 3. sic dicit. Nihil occultè accipiatis, sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut in auro vel alind quodcumque dederit aut transmiserit, in potestate sit Abbatissæ.* Quæ verba ita citantur in dicta Concordia mutato fœminino genere personarum in masculinum, pro more authoris cap. 60. Nihil occultè accipiatis sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut auro vel aliud quodcumque dederit aut transmiserit, in potestate sit Abbatis, &c. Alteram Monachis vt planum est ex cap. 69. Concordiæ vbi hæc habentur, ex regula S. Aureliani Episcopi. *Nullus honorem Presbyterij aut Diaconatus accipiat præter Abbatem. Si voluerit ordinare Presbyterum aut Diaconum & Subdiaconum quos ipse voluerit ordinandi habeat potestatem.*

Trithe. c. 5.

potestatem. Si verò Deo propitio ita profeceritis, vt aliquis ex vobis ad Episcopatum petatur ipse solus egrediatur. Quæ quidem verba nullatenus Monialibus Conuenire possunt. Porro extitisse hos Monachos, non ex aliis quam ex Cœnobij Montis Maioris sacris officinis & Academiæ Cæsarianæ spatiis, qui eodem authore & dante Cæsario, explantatam Massiliæ Cassiani sobolem Arelatensibus areis iterato conseuerint, quemadmodum de S. Cæsaria dictum est; fuit enim S. Cæsariæ Monasterium Cœnobio Montis Maioris gemellum, eodémque partu eadémque obstetricante S. Cæsarij manu, iisdem incunabulis editum. Colligere licet ex Chronologia Pontificij Arelatensis, vbi de Aureliano quemadmodum antequam decederet anno 555. viderit consummatum perfectúmque Monasterium virorum, quod Arelatè construendum mandauerat Childebertus supra commemorauimus.

17. Cæsariæ verò defunctæ successit alia Cæsaria Mater illa ducentarum Virginum, quas inibi Deo seruientes vidit Cæsarius antequam vita discederet. Tricesimo enim anno post sui Monasterij institutionem, tam paruis initiis ortum diuina fauente gratia in tantum culmen illud suspexit euectum. Quod non censibus tantum aut prædiis, sed rectè pieque viuendi norma & exemplis fœliciter locupletauit. Tanta ei de hac Congregatione cura fuit, vt die tertio ante obitum in Monasterium famulantium manibus gestari voluerit, quo Cæsariam matrem cæterásque virgines inuiseret, consolaretur illis benediceret atque ad æternæ vitæ præmia, vt vetus pastor & pater plenus dierum hortaretur. Illas commouens vt regulam quam ante aliquot annos ipsis constituerat fideliter custodirent. Testamento illas successoribus suis Episcopis commendat & subiicit. Ac ne quis existimet in tanto numero, vt fieri solet, & in incondita turba aliquid tumultus aut perturbationis extitisse, nemo erat, qui tum virginum illud agmen aspiceret, nemo diuinum illum religiosæ concordiæ cœtum cerneret, in quo nullæ simultates, nulla detractio, sed multitudo abstinentium & certamen officiorum videbatur, qui non admiraretur & obstupesceret. Certè in earum summa subducenda, quæ nobilitatis simul atque sanctitatis gloria floruere, præter quatuor Abbatissas, quarum natalis dies vt sanctarum in factis Monasterij commemoratur, ex reginis Galliæ item quatuor hic Monasticam humilitatem professæ ex annalibus & antiquitate iactari solent, quarum exempla virgines alias & quidem primarias non paucas ad mundum fugiendum, ad solitudinem colendam adduxere.

18. In Ecclesia Monasterij S. Genesij & S. Honorati de Alis campis à B. Trophimo constructa & à Carolo Magno ampliata & dotata, quam cum fortè vastitatis aut pestilentiæ vis, vel proscriptio Monachorum aliqua ex parte vacuam fecerat, euocati Massilia Monachi Cassianitæ expleuere sacrorum ministrorum vices. Ad religionis munia feruidi omnes, ad opera manuum impigri, ingenio lenes & placidi, ea morum & oris modestia, quæ pietatem intuentibus quamdam ingenerarent cum enim S. Virgilius ex Abbate Lerinensi substitutus Paschasio Arelatensi.

Archiepiscopo, eamdem illam Ecclesiam in Diui Honorati Lerinæ insulæ fundatoris honorem, auxisset Monasterij ædibus amplissimis, in suorum vt opinor Lerinensium Monachorum tutelam, quorum virtuti, fidei, fœlicitati curam pensi officiique Canonici commendauerat, anno circiter 591. quo sedem iniit Virgilius, sustinuitque ad annum vsque 640. Casus incidit, vt continenter labuntur & fluunt omnia, qui perimeret superiora, ac ne quid pietati & religioni ab iniuria temporum detrahi posset, quod non facilè restitueret opportunitas, placuit recenti Monachorum Cassianitarum virtute memoriam Lerinensium propè intermortuam renouare. Prima vsucapionis & tutelæ istius iura, quæ quidem scriptis monumentis constent, recensentur in M M. SS. Tabularum Ecclesiæ Arelatensis, tempore Isarni celebris sanctitate Abbatis Massiliensis anno Christi 1013. cum bona Monasteriorum ab omnibus publicè diriperentur, miserandoque essent in statu Ecclesiæ & Galliarum Cœnobia, quibus reficiendis admirationem singulatem tunc maximè habebat eiusdem Abbatis non modo industria in agendo, sed & in conficiendo celeritas, & consilium in prouidendo. Extant publica instrumenta non pauca, quibus firmatur ius istud, quod asserimus, Abbatis S. Victoris Massiliensis in Cœnobiarcham & in res Cœnobij Arelatensis S. Honorati potestas, inscripta editionis anno 1070. & 1074. In Bullis à Gregorio V I I. Abbati & Monachis Massiliensibus S. Victoris irrogaris, singulari diplomate conceditur in eorum gratiam Priori & Monachis S. Honorati, vt ciuitate Pontificio licet interdicto mulctata, possent ipsi religiosè adire sacra & diuinis operari. Datum Romæ in Palatio Lateranensi 8. Calend. Iunij anno salutis 1080. Pontificatus anno 12. & vltimo. Præterea in Autentico Ecclesiæ Arelatensis fol. 110. ad annum Christi 1141. Mense Nouembri Pontificatus Innocentij I I. anno 12. Conrado I I. Cæsare Burgundiæ & Atelates Rege, Guillelmus I. Archiepiscopus Atelatensis & S. sedis Apostolicæ legatus litem bene longam ab Abbate Massiliensi S. Victoris damni iniuria contestatam cum Arelatensi Collegio Canonicorum diremit, quod Canonici Ecclesiam S. Honorati, S. Romani, S. Petri De Fabregol, S. Cæsarij De Villanoua S. Hermetis, S. Cæsarij de Bosarene, & partem nonam decimarum de Papia, fictis priuilegiis, aut falsis de possessionis iure actionibus vsurparenr ibidem fol. 115. ad annum Christi 1146. Conrado itidem Cæsare & Raymondo Archipiscopo Arelatensi, Guillelmi de Moreriis & Iordanæ vxoris ac filiorum literas interpretes legimus in hæc verba.

Notum sit omnibus hominibus tam præsentibus quàm futuris, quod ego Vvillermus de Moreriis & vxor mea Iordana & filij mei Petrus Dino, Guillelmus de Moreriis, & Augias Dino, & ego Hugo de Moreriis & vxor mea Aibelina pro remedio animarum nostrarum & omnium parentum nostrorum soluimus & in perpetuum, desemparamus Domino Deo & S. Victori Monasterij Massiliensis & tibi Abbati Petro & tibi Priori S. Honorati Petro quidquid in toto territorio de Moreriis querimoniæ aduersum vos habebamus, videlicet quidquid est inter Lauron Longareth vsque ad

ad Montana de Almis, & vsque ad Rippas altas, & vsque ad Crauem cum omnibus montibus & vallibus. Et ne hanc solutionem & desemperationem aliquo modo reuocare possemus hoc tibi Petro Priori S. Honorati firmamus iure iurando ne in toto prædicto territorio aliquid iniuriæ vel calumniæ tibi aut successoribus tuis deinceps inferamus. Et si cum aliis hæredibus nostris de præfata solutione aliquid causæ vel quæstionis haberes, à te vel à successoribus tuis commoniti veritatem super his secundum scientiam nostram nullo modo taceremus. Hoc autem factum est in præsentia Arelatensis Archiepiscopi, præsentibus omnibus qui subscripti sunt testibus, Guillelmo Bosone, Paulo De Baucio, Vuillelmo De Cordina, Petro Detellano Matthæo Berengario De Gigiano, Arnulpho, Petro De Cabannis, Pontio Abondancio, Pagono De Mercato, Petro Guillelmo de S. Remigio. Hanc chartam laudauerunt & firmauerunt prædicti Vuillelmus & Vgo De Moreriis, & Vgodino in præsentia supradicti Raymondi I. De Monte rotundo Arelatensis Archiepiscopi, &c. Regnante Imperatore Conrado II. facta est hæc charta in ciuitate Arelatis anno 1146. ex Authentico Archiepiscopij Arelatensis fol. 115.

19. Cætera series deinde sequitur maiora nectens. In nomine cunctipotentis & indiuiduæ Trinitatis. Ego Rostaguus & frater meus Guiranus & vxores nostræ Mathildis & Fides, ac filij nostri Guirannus, Vuillelmus, Berttannus Raimbaldus, Rostagnus & ego Adebertus De Auinione & vxor mea & filij mei Vilbernus & Guiranus donamus siue vendimus pro salute animarum nostrarum & parentum nostrorum Deo & S. Mariæ semper Virgini & S. Victori pretioso Martyri in præsentia Bernardi Abbatis & Vuillelmi Prioris Monasterij S. Genesij, qui hæc fieri petiit, aliquid de Alodio nostro in ciuitate Arelatensi, in territorio de Moreriis tam terram inter Lauron Longarech vsque ad montana de Almis, & vsque ad rippas altas cum montibus sicut aqua vergit, & omnes valles quas inter ipsos montes Monachi S. Victoris tam per se quam per alios laborare potuerint vsque ad Crauem, & omnem terram quæ modo est sicca vel siccabitur de palude, vsque ad medium paludis, cum riuis & fontibus & pratis rupibus & vallibus & aquis aquarumque decursibus, arboribus pomiferis & infructuosis & pascuis. Donamus etiam aquam postquam exiit de molendino Rigofredi, vt faciant inde molendina vel aliud quod placuerit vbicumque voluerint siue in palude siue vbi melius visum fuerit. Donamus ergo hic Monachis in stagnio & in palude ad vnum nauigium quidquid piscari potuerint, & vbicumque infra illos terminos villam siue mercatum siue de pane siue de vino vel de qualibet, reædificare aliquid voluerint & quidquid vænari infra istos terminos tam ipsi quam illi qui pro ipsis habitauerunt, siue omni vsu & siue incommodo faciant. Ex eo quo homines qui non fuerint de eorum dominio & potestate, si pro illorum securitate oues suas pascentes conseruauerint, debitum vsum de pascherio nobis reddant. Volumus autem nos venditores vel donatores post futuris hæredibus nostris vt locum sine omni vsu & seruitio dimittant, si autem inquietare pro aliqua occasione præsump-

ferint quæcumque fuerit persona non valeat assequi quæ malè petit, & triginta auri libras pro hac appetitione persoluat, & nisi satisfecerit perpetuo excommunicationis gladio subiaceat. Accepimus ergo nos Guiranus & ego Rostagnus per hoc equum vnum & mulum, Adelbertus De Auinione solidos octo, Vuillelmus Quiqueramus solidos quinque, Guicheranus de Cabilione solidos quatuor, Isnardus Christophori & Petrus & Vgo frater quatuor solidos. Nos similes donatores præscripti chartam istam firmamus, facta autem est hæc charta anno 1173. Indictione 10. Bartholomæus Vgo Costarosa, Vgo Bartholomæus, Petrus Garanco, Pontius Presbyter, Petrus Calandria Vvillelmus Vgo firmant. Vvillelmus Presbyter rogatus scripsit. Stipulationes aut pacti & Conuenti formulas inter Raymondum Archiepiscopum Arelatensem & Abbatem S. Victoris pro Ecclesiæ S. Gabrielis cum Honore de Vaqueriis permutatione subiiciam in posteriori Indice de Abbatibus.

20. Repetebat ab eodem Abbate & à Priore S. Honorati sacer Canonicorum Conuentus Arelatensis, & persequebatur liti ac iudicio redituum partem, quos frequentes & non modicos in tanta demortuorum varietate & humandorum multitudine & funerariis precationibus Monachi colligerent, plurimos enim circumquaque Christiani ob loci Sanctitatem & reuerentiam ad Aliscampos religionis causa transmittebant, lectus tandem in arbitrarium iudicem Raymondus Archiepiscopus Arelatensis rem controuersam & plenam dissensionis hac lege diremit, qua libram thuris duntaxat quotannis pédere Canonicis, festo S. Trophimi die teneretur Abbas S. Victoris. Hæc in foro transacta vtrinque ex pacto & conuentu 17. Calend. Augusti ann. 1163. Friderico I. huius nominis Imperatore cognomento Barbarossâ, Raymondo Berengario Comite Prouinciæ. Porro Raymondus ille Archiepiscopus Arelatensis fuit eius nominis 2. à Bolena dictus, qui priorem Raymondum de Monte Rotundo excepit proximè. Abbas verò fuit Dominus Fredolus de quo mox similiter in indice Generalium Abbatum.

21. Hinc quadraginta post annorum exacto curriculo consumpta æde superioribus bellorum tumultibus & exhausta, deficere aliquatenus prior ille religionis splendor extinguique visus est. Qua de re credo satis idoneum, satis grauem testem Michaëlem De Moresio Archiepiscopum Arelatensem scripsisse audistis ex monumentis Annalium in Pontificio Arelatensi, ad Comprouinciales Episcopos vt eos certiores faceret desolatam esse penitúsque destructam ædem S. Honorati, extra muros, in qua præter Trophimi sepulchrum, cuius reliquias Raymondus de monte rotundo intulit in Ecclesiam D. Stephano sacram, quamplurimi asseruabantur Sanctorum cineres. Mausoleum & Ossuarium erat Archipræsulum, Procerum, Regumque Burgundiæ & Arelates ideoque liberius impertiendas ab ipsis eleemosynas esse vt antiquum illud reuerendumque templum exsurgeret. Reperitur autem hæc Epistola in Autographo Episcopali tabularij Arelatensis cuius exemplar integrum habes in Pontificio Arelatensi, sub titulo. Michaël de Moresiis.

22. Anno

22. Anno 1221. redintegrata litis controuersia inter Abbatissam S. Cæsarij & Hugonem Boardy Arelatensem Archiepiscopum eiusque Canonicos, de quæstu qui humandis corporibus in Ecclesia nostræ Dominæ Bellocensis, ex sacris funerariis fieret, sublata similiter per iudices arbitrarios Raymondum Fulconem Præpositum Ecclesiæ Arelatensis, & virum perillustrem Geruasium sub Imperatoris ac regis Arelatensis, stipendio Castrorum Præfectum, fiducia assensus Conradi Cardinalis titulo S. Ruffinæ, Legati Apostolici & Episcopi Portuensis. In quibus actis firmatur ditio Abbatis Massiliensis S. Victoris in Cœnobium S. Honorati iurisdictionem habentis.

23. Quadringentorum tandem ac plurium annorum possessionem mouere placuit Cassianitis ac Prioratum Prioratu cum Monialibus ordinis S. Benedicti Tarasconensibus permutare. Quo iure dominium Ecclesiæ S. Honorati legitimè adierunt Moniales anno 1424. subrogato in locum Monachorum, authoritate Pontificis, Vicario perpetuo, cuius legendi nominandique prærogatiuam sibi pleno iure vindicabat Abbatissa, vt constat ex collati Vicariatus diplomate quod nobilis Ioannes De Parade à Pontifice excepit anno 1499. 25. Iulij. Nec tamen de sua priori possessione abierunt Cassianitæ, quin minora Prioratus eiusdem beneficia quas capellanias vocant, attribuendi facultatem sibi reliquam fecerint. Nam de Capellania B. Virginis Salutatæ à Guidone De Fods ibidem fundata 2. Iulij anno 1415. extat diploma, quo Raymondus Boisseri Monachus S. Victoris ipsam ab Abbate suo excepit. Similiter ab eodem postmodum excepere Monachi S. Victoris Georgius Berardi 31. Maij anno 1443. Guillelmus Raymondi anno 1446. At deinceps inter Abbatem S. Victoris & Archiepiscopum Arelatensem de attributionis iure disceptatum, donec Collegij Canonicorum Ecclesiæ Maioris Arelatensis reditibus, authoritas Pontificia eam adscripsit 1. Octo. anno 1617. Bertrandus Lebrata ciuis nobilitate clarus Arelatensis, filiæ Catharinæ Lebratæ è Monialium S. Cæsarij religioso cœtu, legatos ad vitam centenos Francos annuos, deinceps ab eius obitu ad Ecclesiam S. Honorati in vsum ædium vestigaliumque Cellæ S. Catharinæ transferri voluit anno 1396. cuius sacerdotium Roubino Espineti Monacho S. Victoris Bertrandus Ioannes Monachus & ipse S. Victoris ac Cœnobiarcha S. Honorati solo iure nominationis attribuit ann. 1569. Melchior Paris Monachus à Bartholomæo Gardano similiter Monacho Cassianita illud idem beneficium abdicationis ope nactus est anno 1632. 1. Septem. Stephano Gondarde Monacho deinceps concessa est eiusdem possessio, non alio iure quam rescripto Vicarij Generalis Abbatis S. Victoris Massiliensis.

24. Postremùm de toto Prioratu iterum authoritate Apostolica inter Abbatissam Tarasconensem eiusque Moniales & PP. Minimos certis conditionibus transactum anno 1616. vt Vicarij loco Patres quidem Minimi Ecclesiam S. Honorati cum ædibus claustralibus proximis commissam haberent, reditus verò incolumes & saluos retinerent Moniales, diuinæ vt arbitror sapientiæ consilio ita sanctissimè ac prouidentissime consti-

tuente, nam de S. Honorato dixit Eucherius. Quod si arbitrio charitas, quæ PP. Minimorum quasi scutaria tessera circumferrur, humana forma exprimenda esset, Honorati vultu depingi debere videretur. Tum in Hilarij eius successoris, affinis, conciuis, & in Christo filij Epitaphio habetur, quod seruile officium non dedignatur adire, *officio vixit minimus sed culmine summus.* Profecto charitatis & humilitatis exemplo quas non modo nomine ipso sed & vita atque instituto profitentur PP. Minimi, ardentes faces præferebant religiosæ posteritati, quæ tandem sacros eorum tumulos & cineres veneraretur & religiosè asseruaret, templumque collapsum & Monasterij frequentes ruinas restituerent. Sancti Trophimi corpus cùm ibi centum circiter supra mille annis quieuisset, intra vrbis mœnia tutius mansurum in Basilicam S. Martyris Stephani illatum est, in cuius tumulo inuentæ sunt multæ Sanctorum reliquiæ, quas vnà cum corpore B. Trophimi Gasbertus De Valle Archiepiscopus in arca argentea reponi curauit. Sic enim habes in Pontificio Arelatensi. *Arcam porrò curauit argenteam, in qua D. Trophimi & aliorum Sanctorum cineres collocati sunt ea siquidem est arca inscriptio*

Hoc opus factum fuit tempore venerabilis Domini Gasberti
Archiepiscopi Arelatensis & Domini nostri Papæ Camerarij
sub anno Domini M CCC I L I.

25. Ritus dedicationis sacelli S. Trophimi, de quo supra, in diem Augusti 15. qui gloriosæ Virginis Assumptioni sacer est, vt antiquæ testantur imagines, anno Christi 61. creditur incidisse qua causa id factum est motibus, vt recurrente Assumptionis die, omnibus intra vrbem cessantibus processionibus, pœnitentium atrati coloris ad eamdem capellam & Cœmeterium religiose præeunte, ad imitationem primæ processionis Christi, & discipulorum eius vestigiis insistendo procedant fideles & sacram Cœmeterij aream circumeant. In qua supplicatione tanta fuisse dicitur hoc anno 1633. populi assiduitas & frequentia vt in templum omnes confitendi, sacrum audiendi, & communicandi causa ingredi non potuerint. Quibus verò licuit septingenti supra mille ad Eucharistiæ diuinum epulum accesserunt, numerúsque confratrum maximè auctus, & legitima quædam facta est pietatis accessio nec ea vulgaris, Cœmeterij longitudo & latitudo sicut in gestis Caroli legitur vno milliario constat. De D. Trophimo dicitur quod oratorium ad ortum solis iuxta paludes situm B. Virgini & sepulturæ fidelium dedicarat ibique Cœmeterium toto orbe exinde celeberrimum statuerat. Quod etiam Honoratus Trophimi successor decursis aliquot sæculis milliario, circumductum auxit, & illustrauit, deque suo nomine posteris appellandum reliquit & quam celebre toto orbe Christiano semper fuerit, non tam lapis in æde S. Seuerini Burdegalis incisus, de illo præferens elogium, aut innumera sepulchra adhuc ibi visenda, quàm B. Trophimi Arelatensis Ecclesiæ fundatoris tumulus indicat. Totus ille ager quem ipse dum viueret fidelibus inhumandis deuouerat sacer effectus, magnam venerationem habuit, in quo S. Virgilius, S. Honorati successor Ecclesiam quæ adhuc
superest

superest condidit, eamque Christo saluatori & B. Virgini dicauit. Inualescente demum in locum religione octo aliæ Ecclesiæ inibi constructæ fuere variis titulis insignitæ, variis itidem bellorum incendiis ac temporum iniuria solo prostratæ, S. Mariæ, S. Petri, S. Lazari, S. Eulaliæ, S. Cæsarij, S. Desiderij, S. Bertulphi, S. Vrsulæ nomina prætulere.

26. Mitto alia quæ audio non pauca in Arelatensi Diœcesi vel fundata olim Monasteria, vel in eius ditionem & potestatem redacta. Boso Prouinciæ Rex ann. 877. Rostagno Archiepiscopo Arelatensi possessionem Cœnobij Crudatensis ad Rhodanum, Diœcesis Viuariensis firmauit, quod aliàs Lotharius Augustus eiusque filius confecto diplomate dederant Rotlando eiusdem Rostagni præcessori, vt patet ex Autentico Capituli Arelatensis folio 2. Nec multo post Manasses Archiepiscopus Arelatensis anno 914. à Ludouico Bosone Rege Arelates & Burgundiæ Romanorumque Imperatore diploma obtinuit, quo antiqua Ecclesiæ iura renouantur, & inter alia. Abbatias, inquit Ludouicus, Anianam, S. Mariæ de Gordianicis, atque de Crudatis cum omnibus appendititiis earum, portum etiam Arelatensem, &c. Insuper & omnes res quas antecessor suus ab antecessore meo obtinuit, scilicet Iudæos præfata Ecclesia perpetuo iure obtineat. His subscripsit Viennæ 20. Imperij anno Ludouicus serenissimus Augustus, Legiturque in autographo Capitulari folio 60. concessio prædij clientelaris in vtilitatem Rotbaldi, quæ annum Imperij eiusdem notat 33. Demum anno 1139. inter Canonicos Arelatenses & Abbatem ac Monachos Crudatenses, pacta, conuenta stipulationes habitæ quibus tenerentur Monachi, in annuos census pendere Canonicis decem Iusticias, vt aiunt, & alia id genus Vectigalia ex Autentico folio 121. verso.

27. Annonus siue Anno Arelatensis Archiepiscopus Ecclesiam S. Geruasij in pago Phocensi, Pacconi Presbytero attribuit, vt conuocatis religiosæ vitæ sociis & consortibus gloriosi laboris Abbatiam ibidem institueret, quam Monachis S. Benedicti ex Cassianitarum Massiliensium communitate, qui continentis agri regione vicini & confines erant, administrandam commisit, Paccone siue Paccione Canonicis approbantibus primo renuntiato Abbate. Cœpit destinatum rei gerendæ consilium anno 989. cuius perfectio atque absolutio non nisi biennio post, exitum suum habuit sane fœlicem. Deinceps quemadmodum ab Archiepiscopo Arelatensi ex pacto atque Conuentu adigeretur hic Abbas obedientiæ Sacramento, ac nominatim quod in verba Petri cognomẽto Eynardi Archiepiscopi iurauerit Abbas S. Geruasij De Phos an. 1185. testantur Annales in viridi, folio 266. & in Rubeo fol. 266. & in Rubeo fol. 315. Paucis inde post annis cum disciplina Monastica, quod natura fert in omnibus fere rebus, ita consenuisset magnaque ex parte laxata esset vt penè ad nihilum venisse Abbatia Phocensis videretur, Hugonis Boardy Arelatensis Archiepiscopi grauis apud Gregorium IX. intercessit appellatio qua religiosi nominis & Conuentus iura omnia & priuilegia non sine ignominia vitiosis atque insolentibus Monachis abrogarentur, quod & factum est, vt

dicitur in Autentico Archiepiscopali Rubeo folio 351. vbi de Hugone Boardy. Monachorum, inquit, S. Geruasij Phocensis municipij in scandala proruentium Abbatiam supprimi à Pontifice summo per Conradum Portuensem Episcopum & S. R. Ecclesiæ Legatum Hugo obtinuit, assignatis Archidiacono quem instituerat illorum redditibus.

28. Similiter suppressam, quamquam alia ex causa, Abbatiam S. Mariæ de Vlmete Ordinis Cistertiensis, in Insulæ Camariæ loco dicto Syluæ Regalis Diœcesis Arelatensis habemus in tabulis eiusdem Autentici, cùm de lite agitur inter Procuratorem Generalem Ordinis, & Galliardum Sommatem Archiepiscopum Arelatensem.

In nomine Domini Amen. Anno Natiuitatis Domini 1320. die Mercurij 26. Mensis Martij Indict. 3. Pontificatus Sanctiss. Patris & Domini nostri. D. Ioannis diuina prouidentia Papæ 22. anno 4. Nouerint vniuersi hoc præsens publicum instrumentum inspecturi ac etiam audituri, quod in mei Notarij publici & testium infra scriptorum ad hoc vocatorum specialiter, & rogatorum præsentia. Quod cum ab olim in Ecclesia B. Mariæ de Vlmeto Diœcesis Arelatensis, fuisset Abbatia siue Monasterium Religiosorum Cisterciensis Ordinis, & iustis ex causis fuisset dicta Abbatia seu Monasterium ruinatum de licẽtia & consensu Archiepiscopi Arelatensis in loco dicto Syluæ Regalis dictusque locus Syluæ Regalis non haberet sufficientes redditus seu prouentus competentes pro sustentatione idonea seu congrua honoris & oneris Abbatiæ, & Conuentus eiusdem, potissimè iuxta necesse seu consuetudinem aliarum Abbatiarum ordinis prædicti. Tandem per Capitulum Generale prædicti ordinis apud Cistertium celebratum, dictus locus dictæ Abbatiæ Syluæ Regalis cum omnibus suis iuribus & pertinentiis fuerit vnitus seu coniunctus, suppositus seu summissus Monasterio seu Abbatiæ Vallis Magnæ Ordinis prædicti Diœcesis Agathensis. Demum cum dicta vnio & summissio facta asseratur non valere per R. Patrem D. Galhardum Dei gratia Arelatensem Archiepiscopum, tum quia facta sine sua & suorum prædecessorum authoritate, licentia, consensu, & ipso suisque prædecessoribus penitus inconsultis; Tum etiam quia facta in præiudicium & grauamen & detractionem seu diminutionem honoris & iuris sui & dictæ suæ Ecclesiæ Arelatensis, cùm ad ipsum vnio vel summissio facienda de Ecclesiis & Monasteriis suæ Diœcesis aliis Ecclesiis vel Monasteriis, de iure communi pertinere noscatur, & quia etiam non modicus imo magnus honor suis & dictæ suæ Ecclesiæ Arelatensi vertitur seu versatur, in habendo infra suam Arelatensem locum Abbatialem & Conuentualem, Volens idem Dominus Archiepiscopus ius & honorem prædictum pro posse suo defendere & tueri, ipsumque volens in aliquo negligere, locum prædictum Syluæ Regalis ob præmissa in sui & dictæ suæ Ecclesiæ præiudicium ne quid attentare ad manum suam possint, captum sub manu sua tenuit medium annum & vltra. Verum volens se plenarie informare an causæ prædictæ veræ forent, ob quas per dictum Generale Capitulum vnio & summissio de dicto loco Syluæ Regalis, Monasterio prædicto Vallis magnæ dicitur

dicitur fore facta. Misit discretos viros Dominum Gerardum De Vallis Vicarium suum Generalem & D. Guillelmum De Auriaco Archidiaconum Arelatis ad inquirendum ac se plenariè informandum, eidémque D. Archiepiscopo fidelem relationem faciendi de valore & æstimatione redditituum & prouentuum dicti loci Syluæ Regalis, & quorumcumque aliorum iurium tam spiritualium quam temporalium ad dictum locum spectantium. Qui quidem dicti D. Geraldus & D. Guillelmus supradicti diligenter & curiosè informati ac plenariè instructi de valore & æstimatione redditituum & prouentuum prædictorum, retulerunt dicto D. Archiepiscopo in præsentia sui Capituli, quod dictus locus Syluæ Regalis nec per se nec cum Ecclesia de Vlmeto nec etiam cum aliis omnibus suis iuribus ad dictum locum spectantibus coadunatis, & simul computatis non habebat sufficientes redditus siue prouentus pro sustentatione honoris & oneris dignitatis Abbatialis nec etiam pro sustentatione victus quotidiani Conuentus, &c.

29. Porro hanc Abbatiam ex Parthemone S. Cæsarij Arelatensi fundationis suæ riuulos deriuasse memorant ibidem in libro Rubeo fol. 129. Acta Imberti Archiepiscopi Arelatensis anno 1200. die 1. Nouembris. Imbertus Dei gratia Archiepiscopus Arelatensis omnibus ad quos literæ præsentes peruenerint salutem Pastoralis officij. Cùm his, inquit, agitaretur inter Abbatem & Monachos Vlmeti ex vno latere, & Abbatissam & Moniales S.Cæsarij super Ecclesia Vlmeti & causa nobis commissa esset ab Apostolica sede audienda & terminanda volentes Pastoralis sollicitudinis debitum exsoluere ab vtraque parte compositionis modum tandem obtinuimus. Cùm enim proposuisset Abbatissa chartam in qua continebatur ipsam & Conuentum suum dedisse sub annuo censu L X. Sól Melgoriensium Abbati & Conuentui Vlmeti Ecclesiam de Vlmeto, cum suis pertinentiis in perpetuum, ea lege vt singulis annis Abbas Vlmeti Missam celebraret solemnem in Monasterio Sanctimonialium die S. Cæsarij, & quoties nouus Abbas induceretur præsentibus fratribus promissionem faceret in Ecclesia Sanctimonialium de non alienando possessiones Ecclesiæ Vlmeti, & si per duos annos censum prætaxatum non redderent Monachi qui Ecclesiæ iure commissi ad Moniales redirent. Volentes plantare pacem necessariam & eradicare superflua, post multas altercationes & appellationes hinc inde factas, voluntates partium sic statuimus cum vtrorumque consensu proloquutoriè. Imprimis necessitatem veniendi & diuina celebrandi in Monasterio Sanctimonialium Abbati Vlmeti in perpetuum remisimus, arbitrati illos indique ad consortia mulierum trahi, quos ordo & regula fœminas videre prohibuit nisi cum peregrinandi ducuntur aut hospitandi necessitate sed & promissionem indemnitatis omnino reiecimus, quam solis Abbatibus suis maioribus exhibere tenentur, Commissum quoque Canonis non soluti per biennium amputauimus, cum non soluentis mora vel minus curiosi Abbates in curia tantum Monasterio generare non debeat damni perpetuitatem, &c. Remissis hinc inde omnibus quæstionibus & mutuis motis vel

vel quæ moueri poterant petitionibus, volumus & firmiter statuimus authoritate Domini Papæ ex ordinaria iurisdictione nostra, vt Abbas & Monachi Vlmeti in perpetuum prænominatam Ecclesiam cum omnibus acquisitis & in posterum iustè acquirendis habeant, soluendo Monasterio S. Cæsarij Marcam & dimidiam argenti fini singulis annis, ita quod medietatem census illius soluant ad festum Natiuitatis Domini, &c. Ad hoc si Abbas Vlmeti locum Abbatiæ mutauerit poterit Abbas per sacerdotem Monachum sui ordinis suæque professionis in Ecclesia diuina celebrare competenter, aut per sæcularem sacerdotem virum tamen honestum qui nobis & Ecclesiæ nostræ respondeat in spiritualibus, & Abbati & Monachis in temporalibus. Et nos pensionis huius incrementum & statuti nostri modum firmiter præcipimus pro bono pacis & vtilitate vtriusque Monasterij, prout prænotauimus ab omnibus inuiolabiter obseruari, vt sit violatoribus iudicium & obseruatoribus æternæ retributionis meritum.

30. Anno 1208. Mense Nouem. sedente Arelatis Michaële de Moresio Dona Sacristana, Domina Burgi Arelatensis & Condomina loci de Molegesio donauit & concessit Monialibus S. Pauli dominationem dicti loci de Moligesio, vt ibi ædificaretur Monasterium Monialium, quæ donatio fuit confirmata per Honorium Papam III. & concessit multas Indulgentias, & Michaël Archiepiscopus Arelatensis dedit dictis Monialibus Ecclesiam Parochialem S. Petri dicti loci & Ecclesiam S. Thomæ in territoriis dicti loci constructam, retenta sibi & successoribus Archiepiscopis pensione annua sexdecim sextariorum annonæ Arelatensis, persoluendæ in festo S. Ægidij, & quinque solidorum in qualibet Synodo.

§. II.

Quæ in alia subinde loca colonias deduxit?

31. Aptensis Monasterij occasio, Abbatis Castoris ad Episcopatum promotio & Clericorum in Cassiani memoriam certa quædam ac plena suauissimi studij fuere officia. Hic natione Volcarum Arecomicus, quem superioribus annis inter Cassiani discipulos adscriptum memorauimus libro 1. cap.84. cum virtutum laude floreret è Nemausensi Cœnobio suo ad infulas Aptenses vocatus vbi Prouinciam appulit, suscepto pastorali munere in eam maximè curam incubuit vt deprauatos populi mores & nobiliorum hominum præcideret immoderatam, licentiam libertatémque viuendi, ac Clericorum præsertim qui maioris perfectionis desiderio tenerentur vitam instrueret Monasticæ Philosophiæ disciplinis, Commodùm in ea ciuitate percrebuerat Cassianum in suburbano Massiliæ agro Monasterium instituisse, eiusque imitatione non pauca virginum Cœnobia & Monachorum plurimam multitudinem esse cepisse,

cepisse, tametsi nullis dum ferè legibus nullis certis formulis astricta esset, nisi quas vel interior vnctio vnicuique suggereret vel ipse in institutionum suarum libris iam olim eidem Castori nuncupatis præscriberet, quæ totam hanc vitæ rationem saluberrimè conformarent. Itaque præ ardenti studio videndi alloquendique hominis cum nihilominus ipsum vel adire vel ad sese deduci per locorum interualla & publici muneris operosa negotia non possent, ad eius se discipulos sociosque conuertunt, pro se quisque ad omnia beneuolentiam suam exhibere parati & ad constituendam in municipio suo coloniam de suis etiam proferre copiis. Innuit Castor Episcopus auxilio laboris & sanctitatis ac sapientiæ authoritate destinatum Monasterij ædificium, quod eo viuo ac deinde mortuo magnopere auctum ac per alia deinceps vicina loca propagatum aliquot annis postea barbarorum irruptione disiectum est, vt habes capite libri primi mox supra citato.

32. Pascalis 2. dato Laterani diplomate, per manum Ioannis S. R. E. Cardinalis ac Bibliothecarij 9. Calen. Maij Indict. 6. Dominicæ Incarnationis anno 1114. inter multa primoris iuris beneficiaria prædia, Massiliensi S. Victoris Abbatiæ Clientelaria, censet nonnulla id genus Monasteria.

In Episcopatu Caualicensi Monasterium S. Mariæ. S. Verani de Valleclusa.
In Carpentoractensi S. Felicis de Venasca.
In Vasionensi S. Mariæ. S. Victoris de Gransello.
In Foroiuliensi Monasterium S. Mariæ de Villacrosa.
In Regiensi S. Quiricij.
In Barcinonensi S. Michaëlis, quod vocatur ad Fallio, & S. Sebastiani in Penedes.
In Vrgelensi Monasterium S. Mariæ de Gerra.
In Rutenensi Monasteria S. Petri, Item S. Leoncij, Tum Vabrense, S. Amantij, postremò S. Mariæ de Castro nouo.
In Gabalitano Monasterium De Chirac.
In Pisano Monasterium SS. Apostolorum.
In Ausonensi S. Ioannis Rimpolensis, cui excitando Vrbani Papæ II. hortatu atque consilio, Enardus Comes Bisuldinensis vir generis amplitudine, prudentia, & aliis populo miris ornamentis præstans, ædes opibus firmas, copiis locupletes, gloria amplas, pietate religiosas destinauit.

33. Atque his annumeranda sunt quæ pro lege palam vniuersis recitat idem Vrbanus II. scriptis literis ad Richardum Cardinalem & Abbatem Massiliensem Romæ 10. Calend. Martij anno Domini 1088. Pontificatus anno 1. Cæterùm cum vniuersis sanctæ Ecclesiæ filiis ex Apostolicæ sedis authoritate ac beneuolentia debitores existamus, Venerabilibus tamen locis atque personis, quæ speciali ac familiari deuotione Romanæ adhærent Ecclesiæ, quæque excellentiori religionis gloria eminent propensiori nos conuenit charitatis studio imminere. Pro amore igitur beatæ & gloriosæ semperque Virginis Dei genitricis Mariæ, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli in quorum honore vestrum est Cœno-

Vu

bium ædificatum, Beati quoque Victoris Martyris, cuius Corpus in eo requiescere creditur. Tibi frater dilectissime R. tuisque successoribus regulariter substituendis huiusmodi priuilegia per præsentem decreti nostri paginam indulgemus, constituentes vt quæque hactenus Cœnobium vestrum legitimè Canoniceque possedit, quæque in crastinum eodem tenore acquirere poterit, integra tibi & illibata tuisque successoribus maneant eorum vsibus, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt omnimodo profutura. Portum igitur Massiliensem, & piscarias, & salinas & omnia vobis confirmantes in perpetuum possidenda, quæ nostrorum priuilegiis prædecessorum videntur nunc vestro Cœnobio attributa. Confirmamus præterea vobis

In Episcopatu Tarbiensi Monasterium S. Sauini & Monasterium. S. Seuerij. In Iusta.
In Narbonensi suburbio Monasterium S. Mariæ super fluuium Azde.
In Tolosano Monasterium S. Mariæ de Castelione,
In Magalonensi Cellam S. Michaëlis in Brugeres.
In Aquensi S. Mariæ De Brusa & Ecclesiam S. Mariæ Parochialem de Briniola.
In Foroiuliensi Ecclesiam S. Mariæ de Bariolis cum Ecclesiis & omnibus pertinentiis earum.
In Toletano Cœnobium S. Seruandi, quod Rex Ildefonsus Romanæ Ecclesiæ specialiter tradidit, tibi tuisque successoribus nostra vice ordinandum regendúmque committimus, decernentes vt omnia eiusdem Cœnobij bona ab omni hominum iugo libera sint & immunia, siue quæ nunc habet, siue quæ in futurum iustè habere poterit. Toletanus autem Episcopus, si Catholicus fuerit & gratiam atque communionem huius Apostolicæ sedis habuerit, & si gratis ac sine prauitate facere voluerit, consecrationem Clericorum Oratoriúmque ipsius Cœnobij faciet nullum præter hoc in eo ditionis ius habiturus. Sin autem aliquid horum obstiterit, liceat fratribus quem voluerint Catholicum Episcopum expetere, & quæque agenda sunt nostra fultus authoritate perficiat. Vestræ itaque erit industriæ, fratres, in eodem loco regulariter ordinare & religionis disciplinam fratribus inculcare, & Romanæ Ecclesiæ censum ex eodem Cœnobio exoluere. Cœnobium S. Petri quod dicitur de Monte Maiori. In Archiepiscopatu Arelatensi, & Cœnobium S. Mariæ de Crassa in Episcopatu Carcassonensi ita tibi tuisque successoribus per præsentem paginam Committimus sicut prædecessoris nostri sanctissimi viri Gregorij 7. priuilegio constat esse commissum.

34. Tum aliis ad eumdem datis Placentiæ per manum Ioannis S.R.E. Diaconi Cardinalis, pridie nonas Aprilis anno Christi 1096. Pontificatus anno 8. Iustis votis assensum præberi iustisque petitionibus aures accommodare nos conuenit, qui licet indigni iustitiæ custodes atque præcones in excelsa Apostolorum Principum Petri & Pauli specula Domino disponente videmur existere. Quia igitur & antecessorum tuorum & tua strenuitas in reparando quorumdam Cœnobiorum statu strenuè ac sollicitè

citè vigilauit, petitioni tuæ duximus annuendum non immeritò, vt in eisdem Monasteriis disponendis Abbatum scilicet ordinationibus atque correctionibus nostras tibi tuisque legitimis successoribus vices committere debeamus, sicut prædecessori tuo venerabili Bernardo ab Apostolicæ memoriæ Gregorio prædecessore nostro commissæ sunt, & à religiosis Episcopis ac Principibus confirmatæ in quorum Parochis ipsa habentur Monasteria, videlicet

Monasterium S. Mariæ de Riupol in Episcopatu Ausonensi.

In Gerondensi Monasterium S. Stephani de Balneolis, & S. Petri de Bisalduno.

In Elnensi Monasterium S. Michaëlis de Coxiano.

In Bigorritano Monasteria S. Sauini & S. Seueri.

In Albiensi Monasterium S. Benedicti de Castris, vbi B. Vincentius Leuita & Martyr requiescit. In Carcassonensi S. Mariæ de Crassa.

In Tolosano Monasterium S. Mariæ de Sericino.

In Rutenensi Monasterium S. Amantij & Vabrense.

In Nemansensi Monasterium S. Petri de Psalmodio.

In Arelatensi S. Petri de Monte Maiori.

In quibus omnibus defuncto Abbate, tibi tuisque successoribus cura sit communi religiosorum fratrum consilio de ipsorum Congregatione regulariter eligere successorem. Quod si inter ipsos huic regimini nequiuerit idoneus reperiri de vestra id est Massiliensi Congregatione sibi Abbatem assumant, vnde restitutionis suæ ac religionis videntur sumpsisse principia. Si verò quod absit ordinatus Abbas, à sui Ordinis rectitudine deuiauerit, vestra intererit cum Parochiani Episcopi consilio Abbatis ipsius delicta regulari austeritate corrigere, in quo iure Episcopis ipsis non liceat vobis aliqua prauitate resistere. Porrò ea quæ per Episcoporum concessionem, per Principum liberalitatem, vel per oblationem fidelium tua strenuitas acquisiuit, nos tibi tuisque successoribus ad vsum fratrum vestrorum perpetuo possidenda præsenti decreti authoritate firmamus, salua Episcoporum Canonica reuerentia, videlicet.

Iuxta Auenionem ciuitatem Cellam S. Saturnini.

In Episcopatu Vzetico S. Mammetis cellam Lure.

In Aquensi Parochialem Ecclesiam de Tretis, & Parochiam de Asfuel, Parochiam de Boch & de Candalonga cum eodem castro, Parochiam de Rosech, Ecclesiam Parochialem de Sparon & de Artiga, Castrum de Papia iuxta Mariniana cum portu de Bagueras. Parochiam de Coforts.

In Foroiuliensi Ecclesiam Parochialem de Grimal. Parochiam de Flayesco & de Aiix Ecclesiam S. Petri cum Parochiali Ecclesia de Salernis. Ecclesiam S. Mariæ cum alia contigua, Ecclesiam de Cabaza, Parochiam De Luch.

In Carpentoractensi Ecclesiam S. Felicis.

In Ebredunensi Parochiam de Turricias.

In Vapincensi Ecclesiam S. Eregij.

Apud Genuam in Castro de Medoilo Cellam S. Victoris in proprio Mas-

filiensis Cœnobij iure constructam.
In Sardinia in Gallurensi Episcopatu Ecclesiam S. Stephani de Pausada cum cæteris Ecclesiis, quas tam Episcopus quàm Iudex Massiliensi Monasterio contulerunt. In Calaritano Iudicatu, Ecclesiam S. Luciferi cum subiectis Ecclesiis Ecclesiam S. Catellinæ.
In Semelia Monasterium S. Saturnini & S. Antiochi à Calaritano Episcopo vobis traditum, in perpetuum vestro Cœnobio confirmamus, ita videlicet vt pro decreto quod à nobis venerabilis idem frater noster & Episcopus Hugo promeruit, supra Episcopalis obedientiæ ius nihil sibi in eis Caralitani Episcopi debeant vindicare. Episcopis autem interdictum volumus ne inconsultis vobis & locorum Præpositis loca vestra vel Ecclesias excommunicent aut interdicant. Portò in Ecclesiis interdictis vobis licentiam indulgemus, cùm ad ea loca veneritis seorsum diuina Officia celebrare. Sanè si quis in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus Imperator aut Rex, &c.

35. Ex Actorum tabulis Innocentij II. rescriptum hoc habes ad Petrum Abbatem Massiliensem, die, loco, & adscriptoris Chirographo consignatum, Pisis per manum Aimerici S. R. E. Cardinalis & Cancellarij 14. Calend. Iulij Indictione 13. anno Christi 1136. Pontificatus anno 6. Ad exemplum prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ Gregorij VII. & Vrbani II. Romanorum Pontificum, Apostolicæ sedis priuilegio communimus statuentes, vt quæcumque bona, quascumque possessiones in præsentiarum iustè & Canonicè idem Monasterium possideant, vel in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis præstante domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus in perpetuum & illibata seruentur, in quibus hæc propriis nominibus annotanda subiunximus.
In Toletano videlicet Archiepiscopatu Monasterium S. Seruandi cum suis appendiciis scilicet Penna fidelis, & Villa Moreti, & Morel de Tarantona.
In Barchinonensi Monasterium S. Michaëlis, quod vocatur ad Falli. Et in Penedes Monasterium S. Sebastiani.
In Ausonensi Monasterium S. Mariæ de Ruipelo.
In Gerundensi Monasterium S. Stephani de Balneolis, & Monasterium S. Petri de Biselduno.
In Eluensi Monasterium S. Michaëlis de Alxeano.
In Gabalitano Monasterium S. Saluatoris de Chiriaco. S. Martini de Canonica.
In Agathensi Monasterium S. Andreæ Apostoli.
In Vasionensi Monasterium S. Mariæ, & S. Victoris & S. Petri de Granzelo.
In Aquensi Monasterium S. Maximini. Monasterium S. Perpetuæ & S. Petri.

36. Innocentium excipit Honorius III. simillimè vt mihi videtur in literis ad Dei dilectos filios, Abbatem S. Victoris Massiliensis & Monachos

chos tam præsentes quàm futuros regularem vitam professos, datis Romæ apud S. Petrum per manum Rauerij S. R. E. Vicecancellarij 14. Calend. Iulij Indictione 6. anno Christi 1218. Pontificatus anno 2. Nisi quod ad priora Monasterium S. Honorati adiicit cum capellis suis in Episcopatu Arelatensi, & in Massiliensi Monasterium S. Zachariæ In Aquensi S. Maximini, S. Perpetuæ, & S. Petri de Brinolia.

Qui cætera indice recentiori describunt, pauca quædam adiiciunt quæ habent ordinem Monasteriorum.

In Diœcesi Lodeuensi Monasterium S. Saluatoris infra ciuitatem Lodeues cum suis membris & annexis.

In Claremontensi Monasterium S. Illidij cum suis membris & prioratibus & Ecclesiis annexis.

In Vabrensi, Monasterium S. Petri de Naulo cum suis membris, Prioratibus, Ecclesiis, & annexis.

In Diœcesi S. Pontij Thometiarum Monasterium S. Mariæ cum suis membris, Prioratibus, annexis.

In Tarbiensi siue Bigorritana Monasterium S. Sauini de Leuedano cum suis membris, prioratibus, annexis, Ecclesiis & Connexis. Monasterium Seuerij de Rostang cum suis membris, prioratibus, Ecclesiis, & annexis.

In Monspeliensi Monasterium Collegium nuncupatum SS. Benedicti & Germani nuperrimè regulare, situm intra castrum quod nunc est ciuitas, ex dispositione, Apostolica & regia authoritate, bonæ memoriæ Cardinalis Triuultij Abbatis, non tamen sui Monasterij consensu erectum, cum S. Petri tunc regulari Ecclesia Magalonensi in sæcularem Ecclesiam Cathedralem Montispessulani, suppresso primo titulo SS. Benedicti & Germani, & sic nunc tam nobile membrum quod nuperrimè erat dicti Monasterij, non amplius est illi subditum, nec ab eo dependens.

In Agathensi Monasterium siue Ecclesiam de Tremoleto, vnitam capitulo iam dictæ Ecclesiæ Montispessulani.

In Ellectensi Monasterium S. Iacobi Iocundensis cum suis membris, & annexis.

In Narbonensi Monasterium S. Petri de Cannis cum suis Ecclesiis, & membris.

In Biterrensi Monasterium S. Petri de Iontellis cum suis membris & annexis.

CAPVT XIX.

Recensio Dignitatum, Officiorum, Prioratuum, Ecclesiarum Primarij Monasterij S. Victoris Massiliensis.

§. I. *Dignitates.*

1. PRima Abbatis cuius præfecturæ modos tres hactenus expertum est hoc Monasterium. Primus solennis & Canonicus, quo per viam

Spiritu Sancti Monachorum suffragiis & institutione, non alij quàm digniori ex Monachorum numero deferebatur. Vrbanus II. ad Richardum Cardinalem & Abbatem Massiliensem. *Vrbanus*, inquit, *Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto in Christo fratri & Compresbytero Richardo S. R. E. Cardinali & Massiliensi Abbati eiusque successoribus regulariter substituendis.* Et alibi ad Eundem. *Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Clarissimo fratri Ricardo S. R. E. Presbytero Cardinali & Cœnobij Massiliensis Abbati, eiusque successoribus legitimè promouendis in perpetuum.* Et infrà. *Porrò Cœnobium vestrum hac libertate donamus vt te obtinente vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quacumque subreptione substituatur, nisi quem fratres cum timore Dei regulariter elegerint, ad quem consecrandum Episcopum Catholicum aduocent, quem voluerint.* Modus iste locum habuit absque controuersia in omnibus Abbatibus, à conditu Monasterij ad annum 1404. Alter, sola designatione summi Pontificis, aditum habuit tempore schismatis per Benedictum 13. Pseudopapam Auenione sedentem, à quo adeptæ Abbatiæ rescriptum primus accepit Petrus Flamichi anno 1405. tum cæteri deinceps ad annum 1496. Postremus certò intercessit in Roberto Abbate eiusque successoribus, nunc enim authoritate quidem Pontificis, concessa beneficij fiducia, nacti tamen Reges Christianissimi prærogatiuam lectionis & nuncupationis, Monasterij administrationem & possessionem facultatum aliis pro libito etiam extra ordinem genere ac nobilitate Clericorum facilè primis committunt.

2. Prioris siue Antistitis familiæ ac religiosæ disciplinæ præfecti, quem pro iure nominationis quod habet, suoque arbitratu & ad certum tempus legit & designat Abbas, eumque Monachi velut Magistri spiritus ac præpositi loco habent, cuius postea authoritate nutuque, religiosa disciplina seu statuendis legitimis pœnis, si quis eam infringeret, sanciatur, seu dubiis obscurisque rebus si quæ incidant interpretandis definiendisque.

3. Gerentis vicem Prioris quem in pleno Monachorum concursu fratrum suffragiis creari, est in more positum institutoque maiorum.

§. II.

Officia claustralia.

1. MOnachorum claustralium in hoc Cœnobio censentur capita omnino quadraginta si Abbatem annumeres. Tredecim publicis rebus atque officiis præfecti, alij priuati ac singuli. Gradum quisque suum ea lege possidet, ac fruitur beneficio, vt in amici gratiam & commodum abdicare se possit apud Pontificem. Quæ ab possessore vacare improuiso contigerit, ab Abbate æque atque à capitulo, alternante trimestri, prærogatiua Collationis traduntur.

Primum

Primum in Officiis claustralibus ac præcipuum est Generalis Vicarij in Abbatis munere ac totius ordinis curatione & administratione. Cuius Officij collatio est Abbatis pleno iure. 2. Præfecti rerum sacrarum seu Sacristæ. 3. Præfecti Eleemosynarum. 4. Præfecti Choro. 5. Præfecti infirmorum. 6. Præfecti refectorio. 7. Præfecti Cantorum. 8. Præfecti hospitalitati. 9. Præfecti cubicularij. 10. Cartophylacis seu Chartularij. 11. Præfecti ianitoribus. 12. Vestiarij. 13. Præfecti cellæ vinariæ, quod munus suppressere maiores, nec passi sunt manare longius, vt ferunt indices tabularum, item Bulla vnionis Officij Cellerariæ, factæ mensæ Conuentuali Monasterij S. Victoris extra muros Massiliæ, concessæ ad perpetuam rei memoriam per bonæ memoriæ Leonem decimum, sub datum Romæ apud S. Petrum, anno Christi 1504. 10. Calen. Aprilis Pontificatus anno 3.

§. III.

Prioratus & Ecclesiæ.

3. IN Diœcesi Massiliensi & in territorio eiusdem Prioratus claustrales quatuor. 1. S. Genesij. 2. Alter S. Petri de Paradiso. 3. S. Nicolai. 4. Nostræ Dominæ de Gardia. Prioratus rurales septem. 1. Nostræ Dominæ de Roillo. 2. S. Michaëlis de Plano. 3. S. Iusti. 4. S. Suffredi. 5. S. Margaritæ. 6. S. Cæciliæ. 7. S. Ferreoli cui cura imminet animarum, nunc vnitus Officio Armariæ.

Prioratus S. Petri de Auriolo curatus.

Prioratus ruralis de Alpibus, contiguus territorio eiusdem loci de Auriolo.

Parochialis Ecclesia de Nantis.

Prioratus Burgi Ciuitatis, habens inibi Vicarium perpetuum.

Prioratus Curatus S. Mariæ de Cæsarista.

Parochialis Ecclesia loci de Caderia, cum Prioratu rurali S. Damiani sito in territorio eiusdem loci. Qui Prioratus cum Ecclesiis huiusmodi, computando à dicto Prioratu de Auriolo inclusiuè, nunc sunt vniti mensæ Abbatiali præfati Monasterij.

Prioratus curatus S. Zachariæ, loci de S. Zacharia.

Prioratus S. Saturnini.

Prioratus S. Victoris De Sala, Castri de Penis.

Ecclesia S. Ioannis de Roquaforti.

Prioratus Ruralis de Gemius, nunc vnitus Monasterio Monialium de Areis.

Ecclesia S. Andreæ in Castro S. Cannati.

4. In Diœcesi Aquensi.

Prioratus S. Ioannis de Surgo Ruralis.

Prioratus S. Petri de Fanario ruralis.

S. Petri

S. Petri de Gardana. S. Pontij de Podio Luperio Prioratus cum eorumdem locorum Parochialibus Ecclesiis.
Prioratus Curatus loci de Oleriis cum eiusdem membris, & annexis, nempe S. Mariæ de Brusa siue de Brua, & S. Stephani de la Foux, nunc perpetuo vniti mensæ Conuentuali prædicti Monasterij.
Prioratus ruralis S. Bauzilij situs in territorio de Gardana.
Prioratus ruralis B. Mariæ de Nazareth, & S. Trinitatis in Valle de Tritis perpetuo nunc vnitus fabricæ Monasterij, inter Abbatem & Conuentum.
Prioratus B. Mariæ de Sosqueriis, & S. Petri de Greascia nunc Eleemosynariæ perpetuo vniti & rurales. S. Mitrij, & S. Crucis de Reilhana. sancti Hippoliti de Venelis. S. Antonij loci de S. Anthonino. S. Serui & Castri noui rubei Prioratus sine cura, nunc perpetuo vniti Infirmariæ.
Prioratus Curatus S. Iuliani de Podio nigro, nunc vnitus perpetuò Camerariæ.
Prioratus S. Mariæ de Colleto cui cura imminet animarum, perpetuo vnitus Pitansariæ.
Prioratus ruralis S. Petri de Assaua, vnitus perpetuo Armarariæ.
Prioratus Curatus S. Mariæ de Porcilis dictæ de Nazareth, vnitus Portariæ.
Prioratus ruralis S. Germani de Venul.
Prioratus Curatus S. Michaëlis de Fuuello, cum eius membro Prioratu rurali S. Saturnini. Prioratus Curatus de Roquafolio.
Prioratus S. Petri, Pancratij, & S. Mariæ de Sale cum Parochiali Ecclesia de Porreriis.
Prioratus S. Mitrij & S. Simeonis de Auriac, nunc exempti cum Monasterio S. Maximini, vnde subducti Monasterio S. Victoris, nec ab eo dependentes sed redacti authoritate Apostolica, postulante bonæ memoriæ Rege Renato ac proceribus, in Conuentum religiosorum ordinis S. Dominici.
Prioratus ruralis S. Michaëlis de Castellar.
Prioratus Curatus S. Fidei de Artiga.
Prioratus ruralis S. Stephani de Fresde, S. Victoris de Gauteriis, S. Victoris de Adana, Parochialis Ecclesia de la Barben.
Prioratus ruralis S. Leodegarij & S. Raphaëlis. Ecclesia Parochialis de Rogerio.
Prioratus Curatus S. Mariæ de Sparrono.
Prioratus S. Stephani, & Ecclesia Parochialis de Turribus, cum eius membro & annexo Prioratu de Soissono.
Prioratus ruralis de Gallet, qui nunc est vnitus Præpositura de Buriolis.
Prioratus Curatus S. Perpetuæ & Felicitatis de Artacella, cum Prioratu S. Petri de Brignonia, & Nostræ Dominæ de Roccabrussaua, habentes inibi Vicarium perpetuum, cum Prioratu etiam Nostræ Dominæ de Campis,

pis, & ruralibus Ecclesiis S. Iuliani de Gaisola, & Nostræ Dominæ de la Garola, membris & annexis dicti.
Prioratus de Artacella.
Prioratus curatus S. Ioannis, & S. Mariæ de Garindo, membrum Monasterij eiusdem Artacellæ.
Prioratus ruralis Ecclesiæ SS. Medardi & Eucherij De Bras Parochialis Ecclesia S. Mariæ de Belmont.
Prioratus S. Petri de Sillone.
Prioratus ruralis S. Mariæ Ioners, & S. Mariæ de Gontardo.
Prioratus rurales S. Petri de Cucurouo, & sancti Petri de Ronchis, & Curatus Prioratus de Cadeneto.

5. In Diœcesi Tolonensi.

Ecclesia Parochialis S. Mariæ de Sex furnis, membrum Abbatialis dignitatis S. Victoris.
Ecclesiæ rurales SS. Nazarij & Victoris de Insula.
Prioratus S. Ioannis de Ferleda. Ecclesia curalis S. Michaëlis de Yeres.
Prioratus Curatus S. Trinitatis siue S. Michaëlis de Soleriis.
Prioratus curarus S. Trinitatis siue S. Michaëlis de Soleriis.
Prioratus Curatus S. Bartholomæi de Belgensono.
Ecclesia ruralis S. Martini de Cuers.
Prioratus ruralis S. Martini, & S. Mariæ cum Ecclesia Parochiali S. Pontij de Alobreria.
Ecclesia S. Laurentij De Pugeto.
Ecclesia S. Victoris & Michaëlis de Carnoliis.
Prioratus S. Ioannis de Penaforo.

6. In Diœcesi Foroiuliensi.

Prioratus Curatus S. Mariæ de Cabassia membrum Monasterij Artacellæ.
Prioratus Curatus S. Mariæ de Luco, nunc perpetuo vnitus Pitansariæ.
Prioratus ruralis S. Cassiani de Sala Landimia aliter de Motta.
Prioratus Curatus S. Petri de Arcubus.
Prioratus Curatus S. Victoris de Motta.
Prioratus Curatus S. Mariæ de Palaisono, ac Prioratus S. Mariæ de Villecrosa cum eius membro & annexo Prioratus S. Petri de Salernis inibi Vicarium perpetuum habentis, qui ad præsens sunt vniti mensæ communi & Conuentuale Monasterij.
Prioratus ruralis S. Mariæ de Bargemono.
Prioratus Curatus S. Auxilij de Calassio.
Prioratus Curatus S. Dompuini aliter Dionysij de Tortorio.
Prioratus Curatus S. Mariæ de Questa, de Primaldo
Prioratus Curatus S. Tropetis, loci de S. Tropeto.
Prioratus ruralis de Villahalta vnitus Infirmariæ
Prioratus Curatus S. Mariæ de Seilhons
Prioratus rurales S. Iuliani de Ailha, S. Romani de Seilhans, S. Victoris Rochetallaide, S. Anthonini de Intercaptellis, S. Martini de Roccabruna,

S. Saluatoris de Buenis, ac S. Pontij ac S. Mariæ de Questa.
Prioratus ruralis S. Hermentarij seu Hermetis, prope villam Draguignaui.

7. In Diœcesi Regensi
Prioratus ruralis S. Ioannis de Mosteriis nunc perpetuo vnitus Prioratui claustrali S. Petri.
Prioratus Curatus de Saletis vnitus Sacristiæ.
Prioratus Curatus S. Trophimi, loci de sancta Cruce
Prioratus S. Iuliani de Languenet. S. Mariæ & S. Ioannis de Aigimia. S. Mauritij de Meresta. SS. Quiricij & Stephani de Regenia. S. Petri de Artinhose. S. Martini de Bronede. S. Cassiani de Tabernis.

8. In Diœcesi Apteusi.
Prioratus S. Simphoriani de Bouilis.
Prioratus Curatus S. Mariæ de Cesarista
Prioratus S. Ioannis de Campanis

9. In Diœcesi Sistaricensi
Prioratus Curatus Nostræ Dominæ de Romigerio, Villæ Manosque vnitus Hostalariæ
Prioratus ruralis SS. Martini & Marcellini de Neudelis vel Muazellis vnitus Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ de Forcalquerio.
Prioratus S. Mariæ de Petra Viridi.
Prioratus ruralis S. Pontij prope & extra muros villæ Forcalquerij.

In Diœcesi Dignonsi
Prioratus Curatus de Clocherio
Prioratus Curatus S. Clementis de Vernel, nunc membrum Abbatialis dignitatis.
Prioratus S. Michaëlis in Cursone, & Prioratus S. Martini de Sollia.

In Diœcesi Senescensi.
Prioratus Curatus S. Mariæ de Castellana, cum Prioratu etiam Curato S. Mariæ de la Mura, nunc membro eiusdem Prioratus de Castellana.
Prioratus de Alonsio.
Prioratus de Bagarris.

In Diœcesi Glandatensi.
Prioratus ruralis sancti Petri de Bouonillari, nunc vnitus perpetuo Drapariæ.
Prioratus Curatus nostræ Dominæ de Penna, vnitus nunc Subprioratui Claustrali.
Prioratus Curatus S. Pontij de Fogereto, cum sua annexa nostræ Dominæ de Sarretto in Toramina Superiori, vnito nunc Prioratui de Fogerreto.
Prioratus S. Pontij Adanor.
Prioratus S. Cassiani & S. Sepulchri ad Mugelos

In Diœcesi Venciensi
Prioratus de Crotonis, vnitus. Capitulo Ecclesiæ Venciensis.
Prioratus S. Stephani de Gatieres.
Prioratus S. Petri de Gilleta.

Prioratus S. Martini de Mongins.
Prioratus de Granleriis
In Diœcesi Niciensi
Ecclesia S. Saluatoris de Obbazar.
In Diœcesi Arelatensi
Ecclesia B. Mariæ de Plano Medenorum. S. Bartolomæi loci Medenorum & S. Sepulchri de Clansono nunc vnita Capitulo Ecclesiæ Montis pessulani.
Ecclesia S. Petri, & S. Trinitatis de Funebriculo
Prioratus SS. Georgij & Bacchi in Camargiis. Ecclesia S. Cæsarij de Villanoua.
Prioratus S. Michaëlis de Barzanoges.
Prioratus S. Hermetis.
Prioratus ruralis S. Victoreti de Marignano nunc vnitus Eleemosynariæ.
Prioratus S. Cæsarij de Bodenens.
10. In Diœcesi Auenionensi
Prioratus S. Mariæ de Roquamartina
Prioratus S. Mariæ de Metans, vnitus Ecclesiæ S. Agricoli Auenionensi Collegiatæ.
Prioratus S. Nicolaï de Tarascone & Ecclesia S. Saturnini.
In Diœcesi Cauallienſi
Prioratus S. Mariæ & S. Verani de Valleclusa
Prioratus Curatus Castri Agoldi siue de Agouls
Prioratus SS. Iuliani & Michaëlis de Belma, cum Ecclesia S. Fidei.
In Diœcesi Carpentoractensi
Ecclesia Parochialis de Rocha
Prioratus S. Romani & S. Mariæ de Velleno.
Prioratus S. Felicis de Venasca.
In Diœcesi Vasionensi
Prioratus S. Mariæ & Sancti Petri ac Victoris de Gransello, cum Ecclesia Parochiali da Malocena, vnita Prioratui S. Genesij de Bromeno Vapincensis Diœcesis.
Prioratus SS. Michaëlis, Desiderij, Martini, Sepulchi, & S. Mariæ de Alberusso.
Ecclesia S. Mariæ de Vellis & de Mirabel.
Ecclesia sancti Blasij & S. Mariæ de Villanoua.
Medietas omnium Ecclesiarum Parochialium Vallis Pladiani.
11. In Diœcesi Vapincensi
Prioratus Curatus de Escalla cum Prioratu rurali de Mandanoys inuicem vniti.
Prioratus sancti Christophori de Stradis siue de Malitais
Prioratus Curatus sancti Genesij de Dromono ac de Authono ad inuicem vniti.
Prioratus Curatus B. Mariæ Magdalenæ de Faissala.
Prioratus sancti Egregij de Valerra, cum Ecclesia Parochiali

Prioratus Conuentualis sancti Petri de Rometa.
Prioratus sancti Clementis & Parochialis Ecclesia de Freselens, cum aliis Ecclesiis eiusdem Castri.
Prioratus S. Martini de Cornellio & S. Dompuini in valle de Toars.
Prioratus S. Mariæ de Vlmebel, & S. Petri de Valledoira
Prioratus sancti Petri de Roma & S. Eregij de Medullono.

In Diœcesi Ebredunensi.

Prioratus Curatus de Cathernis, & in eadem villa Ecclesiæ S. Mariæ & SS. Christophori, Sepulchri Victoris, & Galli.
Prioratus S. Mariæ cum Ecclesia Parochiali de Bredulla
Prioratus Curatus S. Mariæ & sancti Petri de Gigortiis cum Ecclesia Parochiali de Bellattaire, ac Ecclesiis S. Mariæ & S. Genesij de Torries, ac S. Mariæ & sancti Pontij de Falcone, membris & annexis eiusdem Priorttus de Gigortiis.

12. In Diœcesi Nemausensi.

Monasterium B. Mariæ de Sandracio cum membris & dependentiis suis.
Prioratus B. Mariæ de Saumana & S. Martini de Areis vniti Capitulo Ecclesiæ Monspeliensis.
Prioratus Curatus S. Martini de Allone
Prioratus Curatus Sancti de Vicano, cum Ecclesia B. Mariæ de Mandegolo
Parochialis Ecclesia S. Stephani de Calhario cum sua annexa. S. Ægidij veteris. S. Laurentij de Naillio S. Genesij de Arigario. S. Michaëlis de Barsaniguis Ecclesiæ vnitæ Capitulo Ecclesiæ Monspeliensis.
Prioratus S. Victoris de Armatargues, & S. Petri de Arigas.

In Diœcesi Vticensi

Prioratus S. Mammetis & Sancti Petri de Blannamiers, vnitus Capitulo Monspeliensis Ecclesiæ.
Prioratus S. Petri de Vulperibus, Ecclesia S. Amantij.

In Diœcesi Monspeliensi, antea Magalonensi.

Ecclesia sancti Petri de monte Albeduno cum sua annexa SS. Nazarij ac Celsi de Medullio, vnita Maiori Archidiaconatui Ecclesiæ Monspeliensis.
Ecclesiæ B. Mariæ & sancti Ioannis De Perono, S. Michaëlis de Brugetiis, & sancti Petri de Climeto aliter sancti Blasij prope flumen Laui, vnitæ & annexæ Ecclesiæ Monspeliensi.

In Diœcesi Narbonensi

Prioratus S. Mariæ qui est in suburbio ciuitatis Narbonæ, vocatus la Morgnie, cum membris, Ecclesiis, & dependentiis suis
Ecclesia B. Mariæ de la Serra, & sancti Germani de Casserano vnitæ Capitulo Monspeliensi.

In Diœcesi Mimatensi.

Ecclesia sancti Iuliani de Tornello. S. Iuliani de Portis, & S. Laurentij de Truno vnitæ Capitulo Ecclsiæ Monspeliensis.

In Diœcesi Vrgellensi.

Prioratus

Prioratus Curatus Sancti Petri de Spagnaco cum suis membris, & annexis.

Prioratus Sancti Martini de Colenheto, aliter S. Mariæ de Carare, de Natinats, & Sancti Petri & sancti Christophori de Labriol.

In Diœcesi Tolosana

Ecclesia de Castilione de Maderiis.

In Diœcesi Albiensi

Prioratus B. Mariæ de Ambilleto ad Voltam.

Ecclesia Sancti Ægidij de Ambilleto, Sancti Petri de Condomina, B.Mariæ de Auinioneto S.Ioannis de Begos, Sancti Petri de Romenono, Sancti Amantij de Camportio, B. Mariæ de Valencia.

Prioratus Vicarius ac Ecclesiæ tam Parochialis quàm ruralis, cum Ecclesia B. Proiecti Castrensis Diœcesis, vniti respectiuè Subprioratui de Ambilleto, Capitulo, & Archidiacono Maiori Ecclesiæ Monspeliensis.

Ecclesiæ S. Mariæ de Auinione.

In Diœcesi Ruthenensi

Prioratus Curatus sancti Amantij qui est in suburbio Ruthenensis ciuitatis, cum Ecclesia sancti Astremonij, & aliis suis membris, & annexis.

Prioratus S. Mariæ & sancti Martini de Lespinalla villa Auriliani, cum suis membris, & annexis.

Prioratus Castri noui de Lenesono, cum suis membris, & annexis.

Prioratus Conuentualis sancti Leontij cum suis membris, & annexis.

Prioratus sancti Genesij de Rupeola, situs super flumen Oech.

Prioratus S. Ioannis de Eluos. Ecclesia de Mostriol, & de Clara Faicha

Prioratus S. Saluatoris ad grande folium. Cella quæ vocatur Fuget.

In Diœcesi Gerundensi Ecclesia S. Ioannis de Fontibus.

In Aluernia Colla de Roma.

In suburbio Ianuensis ciuitatis. Ecclesia S. Victoris.

In suburbio Pisanensis ciuitatis. Ecclesia S. Andreæ Apostoli.

In Calaris Sardinia Monasterium S.Saturnini cum Ecclesiis, Prioratibus, & annexis suis.

In Iudicatu Turrensi Ecclesia S. Nicolai de Gazolis cum Prioratibus, & Ecclesiis annexis.

In Iudicatu Callarensi Ecclesia S. Stephani de Posata. S. Mariæ de Larassana. S. Andreæ de Lata, & S. Mariæ de Sarrachin.

CAPVT XX.

Dynastarum eximia liberalitate & oblatione fidelium luculentis prædiis donatur.

1. HAbent religiosi qui omnia pro Christi amore reliquerunt, diuinam prouidentiam & proximorum subsidia tum charitatis tum iustitiæ etiam cuiusdam nomine debita, fundos quasi suos ita opimos ac

feraces, vt qui dubitet an religiosæ paupertati necessaria deesse possint, eum non modo mentem ac consilium non habere necesse sit, sed ne oculos quidem quibus videat quam multa millia virorum & fœminarum Deo consecrata & hoc ipso Cassiani æuo & omni semper tempore, illius cura & benignitate sint sustentata, & quidem tam certè, & abundanter etiam vt nulli sæculares suis patrimoniis certius ali & sustineri possint.

2. De Paulo Episcopo cæterisque Massiliæ primatibus, vt erant Cassiani doctrinæ pariter ac virtuti eximiè dediti, quemadmodum ab ipsis Monasterij incunabulis nascentem familiam omni ope fouere atque augere statuerint, res hoc exploratior esse debet, quod tam ingens quotidie proselytorum omnis generis & ætatis multitudo, seu vota reddendi gratia ad aras Magdalenæ & S. Victoris, seu religiosi status ineundi studio confluebat ad Cassianum, vt breui variis in domibus circumquaque modico interuallo disiunctis, ad quinque millia discipulorum habuerit, quibus Massilienses benigne pro facultatibus subreniebant largam omnibus stipem impertientes. Atque hunc benignitatis fontem, ne quando deficeret certis prædiorum fructibus augendum existimarunt. Paulum excepere alij deinceps Episcopi, quorum maximis beneficiis honoribusque sunt ornati Cassianitæ. Dicunt pro testimonio Pascalis II. & Innocentius II. in Bullis suprà laudatis in hæc verba. Ecclesias sanè quas cum decimis & oblationibus suis earum Episcopi vestro Monasterio concesserunt saluo nimirum redditu, quem in eis habere consueuerant nos vobis vestrisque successoribus sic habendas & quieti ac sine calumnia possidendas sancimus sicut à vestris prædecessoribus possessæ sunt. In veteris instrumenti tabulis publicis à Fulcone Massiliensi Procomite ac Vvillelmo eius fratre tunc temporis Massiliensis Ecclesiæ Episcopo confectis anno 1040. (has etiam num in Chartulario Monasterij S. Victoris Massiliensis reperire est) qui sacellum Monasterio pene contiguum in loco, *Paradisi* nomen etiam nunc obtinente instaurauit, memini me legisse. Idcirco verò idem locus ad portam Monasterij situs, vocatus est Paradisus, sicut & nos comperimus, quia multorum Corporum scilicet Sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum eodem loco quiescentium decoratur auxiliis, & suffragatur meritis. Imo etiam vocatur Paradisus & porta Paradisi quia diebus Cassiani Sanctissimi Patris & Doctoris eximij institutoris eiusmodi S. Victoris Cœnobij tanta celebritate viguit, & sanctitate floruit Apostolicæ & regularis disciplinæ ab eis SS. Patribus traditæ, in qua continenter infinitæ SS. animarum omnes deliciæ, vt merito & actu & nomine vocetur Paradisus.

3. Complura item habebat hic Fulco luculenta sanè ac frugifera prædia & dominia non pauca & clientelares iurisdictiones sacræ domui propinquas. Ea similiter cum Odilla coniuge S. Victori donauit dicauitque anno salutis 1020. vt ex iisdem tabulis, quas hic damus, accipio. Verùm quod pertinet ad Vicecomites Massilienses, à quibus reparatum fuit Monasterium, nihil prorsus reperi vnde & tam munifici benefactoris nomen aut tempus, quo tantum Monasterio collatum fuerit beneficium,

cium, possim colligere. Facilè tamen ex Bulla Benedicti IX. cognoscens non ita pridem constructum fuisse cum id factum asserat, dum adhuc viueret Vuifredus Abbas, in cuius locum Isarnus Ecclesiæ eiusdem Monasterij, consecrationis ab eodem Benedicto factæ testis proximè suffectus est. Et memini me legere aliquando in quibusdam commentariis exædificatum fuisse à Vicecomitibus Massiliensibus Fulcone & Vvillelmo eius fratre, tunc temporis Massiliensis Ecclesiæ Episcopo. Me tamen ancipitem tenet multorum prædiorum ab Fulcone Vicecomite & Odilla eius coniuge eidem Monasterio quædam donatio facta anno 1020. quam donationem idem Fulco, eius coniux & eorum liberi, necnon & Pontius Massiliensis Episcopus aliique prælati non pauci ratam habuerunt, iterumque comprobarunt anno 1044. Rem leuiter tractat Benedictus IX. in Bulla *Superna diuinitatis potentia*, cuius caput visum est hoc loco interponere, vt appareat simul quam eximia tanti Pontificis erga S. Victorem pietas extiterit, simul quantum facultatis & commodi vel illis temporibus cum decursionibus Vandalorum in vastatione omnium Massilia deserta, inculta ac pene relicta iaceret, Fulconis liberalitas restituendo Monasterio erogarit. Id est eiusmodi. *Post nempè multorum annorum curricula, temporibus Romæ sedis Antistitis Ioannis 19. claruit sacris virtutibus Vuifredus Abbas loci director, qui se mundo crucifixit, & mundum sibi. Hic ergo has ædes condens miris doctrinis dilatauit velle nec non posse Vicecomitum seu egregij Præsulis Massiliensis, post cuius verò obitum Isarnus sumpsit ad regendum Cœnobium, vt eius merito floreret in sæculum, per quod Cœnobiale studium nostris in partibus accepit initium.* Nomine Vicecomitum ac Præsulis Massiliensis non alios quam Fulconem ac Guillelmum Vuifredi coënos appellat.

4. Alia quoque extat donatio anno 1062. ab Adelberto vel Alberto Episcopo Mimatensi eidem Abbatiæ addicta. Is cum fratre Barone De Petra (De Peyre) Monasterium Chiriacum à Monasterio S. Victoris dependens excitauit anno prædicto 1062. vt Robertus affirmat in Gallia Christiana, titulo *Mimatenses Episcopi.* Habetur hoc publico scripto consignata authoritas. Ego igitur Adelbertus sanctæ Ecclesiæ Mimatensis gratia Dei Episcopus, in cuius Episcopatu præfatus locus videtur esse, & ego Berengarius Richardi Vicecomes, cum consilio Domini Deusdedit eiusdem Ecclesiæ Decani, &c. Donamus omnipotenti Deo & Cœnobio B. Mariæ ac Victoris Martyris Massiliensis Abbati vel Abbatibus seu congregationi in eo iure perpetuo habitantium, cum omni honore quem hodie habet vel in antea acceptare potuerit, sicut mos est nostræ patriæ ad totos honores. Nam sicut audiuimus & ex parte didicimus Cœnobium illud cum tantæ antiquitati nobilitatis esset, vt quinque millium Monachorum inibi habitantium Abbas Beatus Cassianus Doctor præclarissimus in eo nunc corpore requiescens existeret, sicut in libris reperitur, quos ipse composuit, cæterorum Monasteriorum in tota Gallia positorum potiores riuuli sapientiæ & regularis disciplinæ ordo processit, & nunc etiam omni sæculo iam pene lapso, si non sicut antiquitus, tamen in

in tantum viget, & de quacumque patria in eo causa religionis venientes & actu in eo habitantium cognoscere volentes accesserint. Dicant cum recesserint hoc potius regulariter degere, quàm cætera Monasteria totius Galliæ. Quapropter ego quoque Deusdedit Decanus, & ego Astrebaldus Præpositus cum filiis meis Gerardo Vuillelmo, &c. Acta est charta anno ab Incarnatione, 1060. die Mensis Iulij 4. in Cemeterio S. Fredaldi, Regnante in sæcula sæculorum Domino Deo Indict. 13. Epacta 15. Concurrente sexto. Ab eodem Edelberto Cassianitas habuisse duo accepta Monasteria primum S. Martini, alterum De Chiriaco nuncupatum liquet monumentis earumdem tabularum scriptionis anno 1060.

5. Nec Edelberto Deodatus de Canilhaco Gentilis eius & coænus, vir non ex genere modo sed ex virtute clarissimus & nobilissimus, studio ditandi nostri Monasterij cessit. Testatam rem obiiciunt grauissima æque certissimaque tabularum monumenta his verbis.

Donatio Deodati de Canilhaco, de Ecclesia S. Mariæ de Canonica cum turre.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ego Deodatus de Canilhaco & mater mea Bellisendis, & fratres mei Goscelinus & Bernardus & Petrus, dono Domino & sancto Victori & Monachis Massiliensibus tam præsentibus quàm futuris, in manibus Domini Petri Abbatis Ecclesiam S. Mariæ quæ est in villa Canonica, cum tota Parochia & cum omnibus quæ ad ipsam Ecclesiam S. Mariæ pertinent, & turrem meam quæ est iuxta ipsam Ecclesiam, ita vt in perpetuum habeant & possideant Monachi tam Ecclesiam quam ipsam turrim. Dono & villam meam quæ votur...... totum alodium & ad fœnum, sine vllo retinemento, cum pratis & pascuis, cum terris cultis & incultis, arboribus omnibus tam promiferis quam infructuosis, & omnia quæ ibi habui vel habeo. Dono & illud totum, quod Monachi S. Victoris acaptare potuerunt ab omnibus hominibus, qui aliquid ibi habent vel tenent per me. Hanc donationem faciam ego Deusdedit pro redemptione animæ meæ, & omnium parentum meorum, vt meritis supra dicti Martyris misereatur Deus omnipotens omnibus nobis. Signum Geraldus Letgerius, Gerardus Godefrè. Signum. Vuillelmus Estirad. Isti firmauerunt in manu Abbatis Petri, per mandatum Deusdedit de Canilhac. Acta charta in Arelatensi ciuitate, regnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, pro restauratione ipsius Ecclesiæ, quia destructa erat vt reædificarent eam. Dedit Abbas Petrus Geraldo Letgerio, & Geraldo Godefredo duos agnos valdè optimos, & duos boues similiter optimos. Quæ omnia fuerunt de Archerio de Roueireta, & mulum vnum bouum. Hanc Ecclesiam accepit Geraldus Letgerius, per manum Petri Abbatis, mandante Deusdedit de Canilhaco. Sanè si quis homo vel fœmina hanc donationem erumpere vel inquietare voluerit, nisi digna pœnitentia pœnituerit, sit cum omnibus damnatis condemnatus. Amen.

6. Nec

6. Nec omittendum puto quod non leuibus tantùm id genus incrementis, S. Victoris Abbatia auctior facta est, sed tota etiam simul ac semel sexta parte eiusdem Vicecomitatus Massiliensis, & rerum omnium ab eo pendentium seu ad eum pertinentium, dono Rosselini Vicecomitis qui vitam religiosam ibidem professus est anno 1212. Quæ donatio approbata est à Raymundo Berengario Prouinciæ Comite anno 1218. solennique ritu in eorum omnium possessionem inductus est Abbas ab Episcopis Regiensi & Antipolitano, & Abbate..... ad id muneris ab Honorio Papa III. delegatis vt fusius patet ex Actis de re tota conscriptis, quæ in volumen hoc titulo inscriptum *Liber Chartarum*, compacta in publicis monumentis asseruantur. Fuit hic Berengarius huius nominis 4. Ildefonsi II. filius. In Comitatu & Marchionatu Prouinciæ patri pupillus successit, anno 1207. qui in patrui Tarasconensium Regis tutela & administratione fuit. Beatricem Thomæ Sabaudiæ Comitis sororem in vxorem duxit anno 1219. ex qua Raymondum patrio dictum nomine habuit, qui patre adhuc superstite prædecessit anno 1241. Tum ex eadem quatuor suscepit filias miræ pulchritudinis, quæ omnes in reginas deuenere, Margaritam primogenitam, quam D. Ludouico Galliarum Regi, Helionoram secundò genitam Anglorum Regi, Sanxiam tertiogenitam Richardo Cordubæ Duci, qui Augustus postea salutatus est in vxorem dedit, ac Beatricem quam hæredem testamento instituit, & Patre defuncto nupsit Carolo Audegauensi eiusdem D. Ludouici fratri, qui vtriusque Siciliæ beneficiarius & Rex à Clemente IV. coronatus est. Fuit hic Berengarius Comes vltimus, ex Illustrissima Regum Taraconensium familia. Moritur anno 1244. ætatis anno 45. post viginti nouem annorum regnum. Carolo igitur cum Beatrice imperante Siculus vesper parricidio immani clade funesta in parœmiam nobilitatus est. Dominicæ enim resurrectionis die sacra, id est sanctissimo totius anni tempore, tota illa Insula cæde Francorum inermium fœdata celebratur anno 1282.

7. Quod verò ad res nostras attinet breui Monasterio erepta est Rosselini iurisdictio ab eodem Carolo Andegauensi, qui permutatione dedit non exiguam pecuniæ summam in redditus annuos, quæ tamen summa procedentibus annis alio distracta est. Tandem petente Vrbano Papa V. Ioanna Siciliæ Regina & Comitissa Prouinciæ anno 1364. dedit omnem iurisdictionem Sifurnij, Cathedræ, Nantis, Sanzachariæ & aliorum oppidorum Abbatis ditioni annexorum, in Exemplo ex Archiuo Curiæ Regiarum Rationum descripto, & ab Actorum publicorum Præposito itemque Conciliario ad primoris exempli rationem diligenter exacto legitur. Si verò Vicecomitum illorum dignitatem spectes. Plenissimo iure principes habiti sunt in eo Vicecomitatu, qui multa prædia complectebatur, puta Tauroenrum siue Tolonum, Yeram, Brigantium, & alia non infimæ notæ oppida maritima mediterraneaque quamplurima quamuis Prouinciæ Comites clientelare munus & officium aliquod ex illis semper sibi vendicarunt. Quod ius ex parte ademptum primò fuit à Raymondo Berengario Prouinciæ Comite anno 1237. & post quatuordecim annos Ca-

rolus Audeganensis non solum Tauroëntum & Yeram suæ ditionis fecit, sed vitæ ac necis leuiumque multarum omne omnino ius ab eius Vicecomitis potestate diuulsit. Atque adeo eodem tempore supremam in superioris vrbis partem sibi ab Episcopo tradi potestatem voluit, quam iniustè ab eo vsurpatam asserebat, cum tamen eam penes Episcopos semper fuisse constaret. Coactus est itaque Carolo cedere Episcopus, & Neolium, Signum, Merindolam aliaque multa oppida in suum dominium quasi permutationis iure accepit, & etiamnum possidet, vt refert Nostradamus in 3. parte historiæ, & Raymondus Solierus lib. 3. de Antiquitatibus Massiliæ.

8. Cæterum vbi fundationis huius celebritas ac tantæ largitatis fama religioni iuncta longe lateque per vrbes atque exteras etiam nationes iucundissimum ædis à S. Cassiano excitatæ nomen diuulgauit, parua dictu res magnam per idem tempus, virorum principum, circumquaque beneuolentiam conciliauit. Pipinus Zachariæ Pontificis authoritate ac Francorum consensu procerum, regiam potestatem ac nouum Francici titulum Regis adeptus, cúm postrema in Aquitaniam & vicinas Prouincias expeditione Vaipharium Aquitaniæ Ducem res sacras deprædantem ac rebellantem deuicisset, Massiliam fortè transgressus, ædium religiosarum studio flagrans Monasterij S. Victoris opulentiam cumulauit. Patris exemplum sequutus Carolus Magnus existimans non armis & bellis gerendis solùm summos Monarchas claros esse oportere, sed Respublicas quoque honestis legibus & doctrina religionis instituere, Concilia aliquot Romæ celebrari curauit, & Franco-fordiæ, & in Gallia aliquoties; quinque colliguntur ab Æmilio nempe Moguntinum, Rhemense, Turonense, Cabilonense, Arelatense. Quin & tria publica gyninasia instituit ad propagandam & conseruandam doctrinam Christianæ religionis, Bononiæ, Lutetiæ Parisiorum in Galliis, & Papiæ. In Germania similiter multa Monasteria erexit in vsum iuuentutis instituendæ scholarum loco. Huius itaque virtutis studio Massiliæ non omnia modo quæ à Patre Pipino S. Victoris Monasterio donata erant, rata esse voluit, sed alia etiam adiecit quamplurima ex iure quodam prærogatiuo, quo cæteris omnibus eo exclusis prohibitisque Victoriani Monachi portoriis & vectigalibus eximerentur. Quæ sit priuilegij formula & quibus ex verbis concepta habeatur, legere licet in Librario instrumentorum, quæ in Tablino Monasterij asseruantur. Ludouicus inde ab insigni vel in diuinas res vel in suos pietate, cognomen adeptus, & Lotharius eius filius, haud minora liberalitatis quam religionis signà tribuere. Autor est Benedictus I X. in Bulla quam rerum ædis huius mirabilium appendicem esse voluit, his verbis. *In quo maiorem constituentes Ecclesiam in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli & omnium Apostolorum, aliamque in honorem S. Dei genitricis Mariæ sanctique Ioannis Baptistæ multorum Sanctorum collatis pignoribus conseruatur, quod multis ditatum honoribus & præceptis decoratum Imperialibus, videlicet Pipini, Caroli, Ludouici, & Lotharij Regum Francorum, nec non passionibus SS. Martyrum Victoris & sociorum eius,* &c. Tum infra,

infra de Prouinciæ viris principibus, qui hoc Monasterium præsentia sua & muneribus coluerint. *Ad eius, inquit, thalamum reparandum venimus & impenetrabili munitione firmamus, & sanctificatum testamur precibus iam dicti Pastoris Isarni, necnon Vicecomitum Vuillelmi & Fulconis, in idipsum assensum præbentibus, principibus Gaufredo & Bertranno, cum totius Prouinciæ nobilibus credentes Saluatoris dictum dicentis. Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo*, &c.

9. Hæc generatim atque vniuersè annotata sectionibus, describunt totidem pene verbis Honorius III. & Innocentius II. in Bullis citatis: sic enim Innocentius. Confirmamus etiam eiusdem (scilicet Petri Abbatis) venerabili Monasterio, quidquid in salinis Massiliensi ciuitati adiacentibus simulque in portu, siue de nauibus siue de piscatione ad ius ipsius Massiliensis Monasterij pertinet, & Reuestum iuxta portum, & cellas, & ea etiam castella quæ de antiqua Monasterij ipsius possessione sunt reddita, quàm ea quæ à fidelibus sunt proprio iure collata, scilicet ea quæ subscripta sunt, & villas cum Ecclesiis, prædiis, & pertinenriis suis videlicet Cathedram, Cytharistam, Orguono, Nantis, Caza, Madalgas, Cuia, Molna, Signa, Bolgentiaco, Soleris, Oliuolas, Sexfurnis, Cuers, Castellum Rogerij. Item Pennas de Garzola, Nonulas, Rognas, Olcitas Porcils, Castellaro, Podio nigro, Bonida, Cabacia, Caruolas, Mota, Siliano Cesalio, Grimaldo, Cugulino, Mota, & Mota Papia, Betra, Bisaldunum, & Scalam, Castellum nouum de Gigortiis, & quidquid ad ius præfati Monasterij pertinet in Pennis & in Auriolo. Hæc ergo omnia & præterea sicut supra diximus quæcumque nunc habet atque in futurum habere contigerit, in quibuslibet rebus mobilibus & immobilibus per hoc Apostolicæ authoritatis priuilegium præfato Massiliensi Monasterio confirmamus & corroboramus. In prædictis itaque Monasteriis tam tibi quam successoribus tuis curæ erit, vt Monachos ad seruiendum pro vt necesse fuerit deputetis, qui & in illis diligenter Dei seruitium peragant, & in eisdem se tales satagant exhibere, vt non illos de neglectu, nec Abbatem de minori solicitudine culpa confundat. Quidquid verò ad eadem Monasteria rationabiliter pertinere cognoscis, si ab aliquibus contra iustitiam detinetur, ex hac nostra authoritate repetendi, atque Massiliensi Monasterio vindicandi per omnia licentiam habeas. Dignum est enim vt quorum curam geris rebus nulla ratione priueris. *Honorius verò quæ adiicit sunt huiusmodi.* Præterea ius quod habetis in salinis, portu, nauibus, & piscatione Massiliensi ciuitati adiacentibus, villam quæ dicitur Rouestum iuxta portum ciuitatis eiusdem, Cathedram, Cesaristem, & de Sex furnis, Almes, Orguon, Nantis, Casa, Madalgas, Cuia, Signa, Bolgenciac, Solariat, Oliuolas, Pennas de Gaiola, Nonulas, Rognas, Porcils, Castellarum, Podium nigrum, Bendam, Cabaciam, Carnolas, Motam, Silianum Cesalinum, Grimaldum, Motam Pabiam, Berram, Bisaldunum, Scalam, Castellum nouum, & de Gigortiis Castra, & Castrum Rogerij, Ius quod habetis in Pennis & in Auriolo, Ecclesias quoque ad Ecclesiastica iura & possessiones quas in valle de Tretis ad vos

pleno iure spectantes habere noscimini, sicut ea iustè, ac pacificè obtinetis, vobis & per vos Monasterio vestro authoritate Apostolica confirmamus, scilicet in Castro Tretis S.Trinitatis, S.Mariæ, S. Andreæ Ecclesias, S. Cæciliæ, S. Michaëlis de Castelar, de Rocafolio, S. Andeoli de Porcils, S. Antonini de Bauida, S. Serui priuati de Rossèto, S. Mariæ de Castro nouo, S.Pontij de Podio Lupario, S.Pancratij, S.Mariæ de Saltu de Porteriis, S. Michaëlis de Afuel, S. Petri de Fanario, S. Iuliani S. Petri & S.Victoris de Podio nigro Ecclesias cum pratis vnitis, terris, nemoribu, svsagiis, & pascuis in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis. Decimas insuper & possessiones ad ius Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur redimendo, & legitimè liberando de manibus eorum & ad Ecclesias ad quas pertinent reuocando libera sit vobis de nostra authoritate libertas.

10. Nec verò tot deinceps tantorumque aliorum principum ac præsulum fœcunda posteritas donorum sterilis fuit. Raymondus Vicecomes Castrensis Abbatiam S. Benedicti quam futuris temporibus Ioannes 22. in Ecclesiam Cathedralem, erexit & alteram S.Vincentij Cassianitis subiecit. Alphonsus Castellæ rex Monasterium S. Seruandi Toletanæ Diœcesis, Raymondus Comes S.Ægidij partem dominij alteram, in frequentissimum oppidum Beritæ & Tripolis finibus coniunctum & continens, Guillelmus Sardinij Comes Monasterium de Coxano in ditione Rossilionensi. Bernardus Comes Bisuldinensis Monasterium Dominæ nostræ de Riuo populo, & S. Stephani de Balneolis Diœcesis Gerundensis Constantinus Rex Calaritanus Prioratus & Sacella quamplurima in Insula Sardinia, Artaudus Gymnasiarum siue Balearium Comes Cœnobia nigrorum Monachorum vniuersa quæ in sua teneret potestate & ditione. Centulus Bigerrorum Comes Abbatiam S. Sauini de Lodonauo Pyrenem propter, Ildefonsus Aragonum Rex Cassianitarum religiosis familiis quotquot regni sui tutelæ ac iurisdictionis essent, vectigalium ac censuum omnium vacationem & immunitatem, Rossèlinus Vicecomes Toparchiæ suæ Massiliensis diuisam ex æquo portionem, alij porro minus nobiles alia minora S. Victori detulerunt, quæ persequi operæ non est. Nec ignobilis pietas illustrium Clericorum. Pauli Rutenensis Episcopi donum fuit, Cœnobia duo S. Petri & S. Amantij, in hoc Rutenorum suburbij parœcia est, quod eodem mœnium quo tota ciuitas ambitu cinctum est, pro cultoribus & administris religiosos habet ordinis S. Victoris, & sæculares Sacerdotes. Est etiam S. Amantij Prior, qui tamen Commendatarius est, Clementis Episcopi Caualicensis S. Mariæ & S. Verani Ecclesiæ de Vallecluſa, Pontij Arelatensis Archiepiscopi ex nobili prosapia Dominorum de Marignana, ad Stagnum Marticense Prioratus S. Victoreti de Marignana, & super idem castrum quarta dominij portio, Petri Archiepiscopi Aquensis Prioratus S. Mitrij & S. Simeonis & iurisdictionis pars aliqua super oppidum S. Maximini, Hugonis Episcopi Diniensis dominium loci de Chandol, Durandi Episcopi Vintiensis pagus qui dicitur

tur de Croton, Eldeberti Episcopi Antipolitani villa de Clausons, Odilonis Abbatis S. Ægidij non paucæ rerum suarum condonationes siue cessiones in iure, ac prædiorum traditiones, Gibelini Archiepiscopi Arelatensis duodecim Prioratus seu Ecclesiæ, quos Psalmodiensi in Occitania Abbati Ordinis S. Cassiani vt Mox supra cap. 18. num. 34. demonstratum est, ea lege concessit vt pro Abbate non se gereret, sed tantum Prioris titulo vteretur.

11. Nec facilè alias insigniora tam paucis annis Laicorum Clericorumque Principum dona extitere. Habetur in Actis publicis exemplum donationis factæ à Gaufredo Comite Prouinciæ Petro Abbati S. Victoris Massiliensi, quod est huiusmodi. Agitur nunc more legis Romanæ, vt si quis quippiam vult transfundere donando, per paginam literarum corroborare, antiquitus enim sine literarum corroboratione nihil agebatur. Nos autem sequuti potiorem vsum donamus vel cedimus his literis roboratum aliquid de nostro iure. Ego quippe Gaufredus Comes Prouinciæ & vxor mea nomine Stephania & filius meus Bertrannus propter Dominum & remedium animarum parentúmque nostrorum, donamus Domino S. Victori, & Petro Abbati ac sociis eius Abbatibus & Monachis ibidem Domino seruientibus tam præsentibus quàm futuris Alodium nostrum, vel duas pecias de terris in Triponcio. Maior pecia habet consortes, à parte Orientis viam publicam, à Meridie terram S. Cæsarij, à parte Occidentis fluuium Rhodani, à parte Aquilonis Ecclesiam S. Iuliani. Pecia minor in medio habet vnum Vasum & ab eodem consortes à parte Orientis & à parte Aquilonis vineas de feaudo Communali, à Meridie terram Archiepiscopalem, ab Occidente viam publicam. Propter donationem istam donat Abbas S. Victoris & Monachi eiusdem loci mulam optimam valentem centum solidos, & duos denarios Melgorienses, solidos centum optimos. Hæc donatio legitima dictæ terræ facta in manu Abbatis, Domino Priori conciliante & præsente Raiambaldo Archiepiscopo, volentibus & præsentibus Episcopis Alfanto Aptensi & Riperto Vapincensi, nec non Rostagno Auenionensi Calend. Iulij anno ab Incarnatione Domini 1055. si autem euenerit quod minimè credimus vt nos aut vllus omnino de parentibus nostris, vel qualibet opposita persona contra hanc donationem ire & inquietare voluerit, vel irrumpere non iuridice, iram & maledictionem omnipotentis Dei incurrat, & cum Iuda traditore in barathro permaneat, atque duas libras auri persoluat, & postea hæc donatio firma & stabilis omni tempore permaneat. Hæ vineæ sunt in communitate Arelatensi in territorio Triponcio subtus Ecclesiam S. Iuliani, & in loco qui nominatur ad Vasum. Ego Gaufredus Comes Prouinciæ & vxor mea Stephania & filius meus Bertrannus donamus & firmamus, & alios firmare iussimus. Signum Raynaldus Aldierius, & signum Aycardus, & signum Isnardus Christophorus. Signum, Pontius Aldebranus, Sigismondus Vuillimus fratter suus. Poncius Guido, Lantuardus, Guillelmus Signoretus, Rataldus & Galafredus testes.

12. Accessit Vabrensis Abbatiæ in ordinem S. Cassiani adscriptio,

quæ ad perdiscendas religiosæ vitæ disciplinas eaque studia & artes, quibus instauratur animus ad vberiores virtutis profectus, Abbati S. Victoris Massiliensi vltro se commendauit & tradidit. Ecclesia S. Mariæ dicata fundatotes habuit Comites Tolosanos. Ioannes 22. sedem Episcopalem instituit eam à Rutenensi distrahens anno 1320. Canonica vulgò *la Canourge* oppidulum est in Diœcesi Mimatensi apud Gaballos, ibi erat simplex Canonicorum Collegium, sed quo tempore Albigenses hæresim professi sunt, ædes sacra & redditus annui Monachis S. Victoris Massiliensis fuere traditi, qui & Priorem & duodecim illis Monachos habent, præter mensalem & sibi subiectum Parochum. In eo Prioratu Sacra lipsana S. Firmini Episcopi Mimatensis asseruantur, cuius Officium 14. Ianuarij rite celebrant. Non procul ab vrbe est sacellum S. Fredoaldo, vulgo *Fresel*, Martyri & Episcopo Mimatensi dicatum, vbi item illius Martyris corpus religiosè colitur, eiusque festum 4. Septembris celebratur. Amelianum Rutheniorum vulgo *Millas* vrbs est, maximam partem infecta hæresi, vbi templa & Monasteria fere omnia ab hæreticis fuere diruta. Inibi Prior est & aliquot Monachi simul & sacerdotes sæculares, omnes Monasterio S. Victoris Massiliensi subiecti. S. Genesius vrbs item est apud Ruthenios, vulgo *S.Genius Ripoltensis*. dicta, siquidem Olta fluuius vrbem illam interfluit. Inibi etiam visitur Prioratus S. Victori subiectus. S. Leo vrbs Rutheniorum est, vbi residet Prior & aliquot viri religiosi, omnes S. Victori subiecti. Similiter Mons regius oppidum apud Ruthenios S. Victori subiacens.

Isai. cap. 60. 13. Atque hæc dona & munera sunt quæ per Isaiam à Domino religiosis promitti videntur cum ait. *Suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis.* Gentium id est populorum, regum autem id est hominum diuitum & potentiorum, quorum quidem benignitatem Isaias mammillæ & lacti comparat, vt interpretatur Hieronymus Platus, quod lactis liquor ex cibo duriori conficitur, qui cibus & cum labore comparatus, & cùm aliquo etiam opere à nutricibus confectus, tamen ab infantibus nullo cum labore sed suauissimè exugitur. Sic enim religiosis ea gratis suppeditantur ad victum, quæ alij multo sudore & molestia ac sæpe etiam cum periculo quæsierunt, vt in hoc quoque Hebræorum veterum similitudinem gerant, de quibus scriptum est. *Et labores populorum possiderunt.*

Platus lib. 3. cap. 27.

Psal. 104.

CAPVT XXI.

Indulgentiæ, immunitates, priuilegia ei concessa.

1. INter hæc dum opibus & copiis ditaretur domus, Pontifices non assensu modo & approbatione sed literis quoque ac muneribus Pontificiis templum ipsum adornarunt. Eminet inter cætera Clementis dicti Papæ VII. non contemnendum beneficium siue muneris perpetuitatem, siue pietatem accipientium, siue dantis gratum animum spectes, nam vi-

sentibus

sentibus S. Victoris ædem sacram quotannis ieiunij quadragenarij tempore, die Dominica in Passione, cunctorum indulsit veniam delictorum, idque etiam num tanti est sermone omnium hodierno atque existimatione, vt in hoc genere nihil viderim Massiliæ quod magis celebre esse possit. Ne quid verò propter schisma de authoritate Pontificis aut dignitate indulti detraheretur, cauit Martinus V. in Concilio Constantiensi in quo Schismatis huius factionis placatæ & pacatæ, vt decreta illa omnia ante Pontificatum suum in Schismate facta, quæ ad bonos mores & fidem spectarent firma & approbata deinceps legitimè haberentur, vt aliàs in Magdalena mea memini me dixisse fideiussore Ciaconio. Pretium operæ visum est, summam ipsarum literarum & sententias inserere, vt extet egregium viri præclari atque omni laude digni de eximia templi huius sanctitate testimonium, idemque tam bene meritæ de ipso Massiliensium humanitatis monumentum. Pauca igitur veteri Romanorum Pontificum more præfatus ita scribit.

Cap. 17. n. 7.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei.

VNiuersis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem. Solerti perscrutamur indagine præclara deuotionis insignia, quibus dilecti filij & commune ciuitatis Massiliensis nos & Romanam Ecclesiam tanquam benedictionis alumni in sinceritate fidei reuerentur, grata etiam & accepta seruitia quæ nobis ac venerabilibus fratribus nostris eiusdem Ecclesiæ Cardinalibus, cùm dudum de partibus Italiæ rediremus, in ciuitate prædicta deuota honorificentia impenderunt: Nec non fidelitatis constantiam, in qua inconcusse erga charissimam in Christo filiam nostram Ioannam Reginam Siciliæ, illustrem eorum Dominam temporalem præstiterunt hactenus, & persistunt ad liberationem ipsius reginæ, quæ, proh dolor, sub perfidorum Schismaticorum tyrannica feritate, quod cum cordis amaritudine gemendo referimus, detinetur captiua, solicitis & operosis studiis intendentes; dignum quin imo debitum reputamus, vt ipsos & ciuitatem eamdem intra nostra recumbentes præcordia, in illis præsertim quæ salutem operantur fidelium specialibus prosequamur fauoribus, & singularis honoris titulo decoremus. Cum itaque Ecclesia Monasterij S. Victoris prope Massiliam Ordinis S. Benedicti in magna veneratione habeatur ibidem, nos cupientes vt eadem Ecclesia congruis frequentetur honoribus, & vt Christi fideles eo libentius causa deuotionis confluant ad eamdem, quo ex his vberius inibi dono cœlestis gratiæ conspexerint se refectos, ac per hoc fama ciuitatis ipsius per orbem latius diffundatur, de omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui in Dominica die de Passione Domini, dictam Ecclesiam deuotè visitauerint annuatim, & ad fabricam ipsius Ecclesiæ manus adiutrices porrexerint, seu alias inibi pias eleemosynas erogauerint peccatorum remissiones & indulgentias

dulgentias similes illis, quæ in festiuitate Assumptionis B.Mariæ Virginis Ecclesiam S. Mariæ Maioris de Vrbe visitantibus annuatim, & ad fabricam ipsius manus porrigentibus adintrices, seu alias ibidem pias eleemosynas erogantibus authoritate Apostolica sunt concessæ, eadem authoritate concedimus per præsentes.

Datum Auenione 4. Nonas Maij Pontificatus nostri an.5. Christi 1332.

2. Eodem tempore indulgentiæ concessæ Ecclesiæ S. Ludouici in Monasterio RR. Patrum de Obseruantia die Sabbathi ante Dominicam de Passione per eumdem Papam, sunt similes illis, quæ in festiuitate Dedicationis Ecclesiæ Lateranensis de Vrbe. Item indulgentiæ concessæ Ecclesiæ maiori Massiliæ per eumdem Papam, eodem anno & die quo supra, similes sunt quæ in solemnitate Beatorum Petri & Pauli Romæ concessæ sunt ad diem siue feriam sextam ante Dominicam de Passione. Omnes hæ Bullæ sunt eiusdem tenoris & propter easdem causas, mutantur tantum nomina Ecclesiarum,& indictiones dierum. Vides Clementis animum, vt hospitalitati Massiliensium & præcipuè Abbatis & Monachorum S. Victoris, qui tum ipsi ex Italia redeunti tum vniuerso Patrum purpuratorum Senatui publicè hospitium fecerant, gratus & pius esse in maximi beneficij memoria posset reipsa atque studio solicitum compensare, mutui officij vel facultate vel copia.

3. De Ioanna Regina siue dedititia siue captiua, quod leuiter tangit, fusè latéque dicit Franciscus De Claperiis in historiæ Breuiculo de Prouinciæ nostræ Comitibus. Successit Patri Roberto anno 1344. vel vt aliis placet 1340. Quater nuptias contraxit, primò cum Andrea nepote Martelli ex Patris Roberti testamento, quem Neapoli laqueo interemit continuoque nupsit Ludouico Tarentinorum principi consobrino, cui regium nomen communicauit, in eamque causam Pontifici Maximo Clementi VI. & Romanæ Ecclesiæ Auenionem ciuitatem cum territorio, omni iure & iurisdictione octoginta millibus Florenorum auri Florentiæ vendidit anno 1348. die 9. Iunij, vt illa venditione pellectus Pontifex nomine Regis Ludouicum Maritum cohonestaret. Sed postea morte Ludouici soluto matrimonio, tertio nupsit Iacobo Aragonio Maioricarum hæredi eximiæ pulchritudinis viro. Sec nec hic diu superstes, post cuius mortem Othoni Brunsineo ex Saxonum antiquissima nupsit familia. Ioanna partrbus Clementis septimi Pseudopontificis aduersus Vrbanum VI. Romanum Pontificem fauebat. Hinc Vrbanus postquam id resciuit odio excandescens, Ioannam lata sententia regno Siculo & Neapoli priuauit illudque in beneficium Carolo Duracio, quem Ioannæ hostem infestissimum nouerat, concessit. Duracius magno cum exercitu in Italiam peruadens regni Neapolitani possessionem conatur inuadere. Omnia tunc miserè arma spectabant. Ioanna vt à Francis auxiliares milites euocaret, Ludouicum Andegauensem Ioannis Regis Gallorum filium, & post mortem Ludouicum filium Comitatus sui & Regni hæredes instituit, dictato testamento Neapoli in Castro nouo anno 1380. penultima Iunij. Interim Ioanna Neapoli obsidione premitur, nulla multis sæculis acrior tenuit oppugnatio.

oppugnatio. Ludouicus vt Ioannam obsidione liberaret, cum exercitu in Italiam traiecit, sed in Apulia obuium habet cum exercitu Carolum Duracium, pugnatur vndique, ardebant milites, & summis viribus præliantur, adsunt animo, consilio, corpore, assiduitate, sed Ludouicus impar eiusque exercitus viribus inferior, dum inclinat graui vulnere ipse saucius è prælio vix euasit. Ioanna omni ope & auxilio destituta, dum in dies magis obsidione premitur salutem pacta, sui deditionem & ciuitatis suæ facit Duracio. Sed is promissæ salutis immemor Ioannam laqueo interemptam, eo vbi Andreas fuerat interfectus loco, suspendi iussit anno 1382. Regni anno 39. Mariam verò Ioannæ sororem, quæ Comiti Artesiensi nupserat capite truncat, & hic finis stirpis Roberti, cuius regnum ad Ludouicum ducem Andium tanquam ad hæredem reginæ Ioannæ iure delatum est hæreditario.

4. Mitto plura id genus alia, quæ inter mores prope hodiernos celebrata & in vsum adducta luce non egent. Indulgentiis adiecerunt alij Pontifices singulares immunitates. Vrbanus V. Monasterium S. Victoris Massiliense, vnà cum Ministris cæterisque rebus ad illud pertinentibus, à quorumlibet Episcoporum iuris dictione exemptum in suam sedisque Apostolorum Petri & Pauli tutelam recipit, cuius quoque decreti exemplum libet apponere. Id est tale.

Vrbanus V. seruus seruorum Dei.

Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij S. Victoris Massiliensi Ordinis S. Benedicti ad Romanam Ecclesiam immediatè spectantis salutem & Apostolicam benedictionem. In eminenti specula sedis Apostolicæ licet insufficientibus meritis constituti, pro singularum præsertim religiosarum personarum quiete ac statu salubriter dirigendo, partes nostræ solicitudinis adhibemus, & vt earum quies eò sit ab omni perturbatione securior quò ipsæ personæ maiorem in suis locis & bonis habuerint potestatem, personas easdem interdum Apostolicæ gratiæ prærogatiua eximimus, sanè dudum nos quieti & honori vestro paterna sollicitudine prouidentes, Monasterium vestrum cuius regimini dudum in minoribus constituti præfuimus, & de quo faciente Altissimo fuimus ad apicem summi Apostolatus assumpti, quodque propterea brachiis sincerioris charitatis complectimur, à iurisdictione quorumlibet ordinariorum duxerimus eximendum. Nos volentes vos gratia prosequi ampliori, ipsumque Monasterium specialis priuilegij titulo insignire, vt tu fili, Abbas tuique successores & vos filij Conuentus Monasterio ipsi vacantes, per vos vel alium seu alios Clericos vel etiam Monachos dicti Monasterij in territorio & locis infrà scriptis, videlicet in Ecclesia S. Nicolai sita supra littus maris in introitu portus ciuitatis Massiliensis, quæ Ecclesia ad prædictum Monasterium dignoscitur pertinere, eundo per littus dicti portus versus Monasterium supra dictum, vsque ad turrem quæ est in principio muri & dicitur Turris Plani Formiguerij, & deinde vsque ad ciuitatis por-

tale quod dicitur de Callata. Et deinde ſequendo murum ciuitatis eiuſdem vſque ad portale quod dicitur Laureti, & à dicto portali eundo directè per carerriam quæ dicitur de Sion vſque ad Planum S. Michaëlis, eundo per iter rectum vſque ad Iarretum qui dicitur Iarretus de Albanea, & à dicto Iarreto ſequendo aquam à qua ipſe Iarretus deriuatur vſque ad pontem qui dicitur pons Iarreti quo itur ad terras Vireatidorum, incedendo directè vſque ad molendina Griffenorum, & de ipſis molendinis veniendo rectè vſque ad aquam Ibelini, & ſequendo dictam aquam vſque ad pontem S. Margaretæ, & à prædicto ponte veniendo directè vſque ad Eccleſiam S. Margaretæ prædictæ per rectum iter, dictam Eccleſiam quæ eſt eiuſdem Monaſterij includendo, & ab ipſa Eccleſia veniendo per iter quo itur ad locum dictum Fezaris, & poſt per iter quod dicitur de Treillar eundo directè per iter Bonæ auenæ & eundo per montem qui dicitur Mons rotundus paruus veniendo directè vſque ad turrem quæ dicitur Palbs, & veniendo directè à dicta turri per littus maris vſque ad Eccleſiam S. Nicolai prædictam, includendo in dictis terminis totum illud territorium & quidquid eſt in eo quod remanet ad partem dexteram & circuit Monaſterium prælibatum. Quos quidem terminos, & loca, territorium, Eccleſias, & perſonas intra ipſos exiſtentes, tam clericorum quam laicorum, ab omni poteſtate ac iuriſdictione diœceſana & ordinaria Epiſcopi Eccleſiæ Maſſilienſis & earum exercitio in ciuilibus & conuentualibus, authoritate Apoſtolica prorſus eximimus, & tantumlibet liberamus perſonas Eccleſiaſticas ſæculares & religioſas ac laicos qui intra terminos ſupradictos pro tempore habitabunt, aut delinquent, vel contrahent aut ratione rei ſitæ infra eoſdem terminos litigabunt ſeu litigare voluerint, ſiue ciuiliter aut de crimine conuentualiter agatur, iuriſdictionem Eccleſiaſticam pleno iure in perpetuum exercere libere valeatis, de ſpeciali gratia, motu proprio, authoritate prædicta tenore præſentium indulgemus, decernentes quod idem Epiſcopus, & etiam quæcumque alia perſona Eccleſiaſtica tam diœceſana & ordinaria, quàm qualibet alia poteſtate aut iuriſdictione ſuffulta, præter vos & ſucceſſores veſtros non poſſunt de cætero quamcumque iuriſdictionem diœceſanam & ordinariam, vt præmittitur, infrà terminos, loca, & in perſonas huiuſmodi quomodolibet exercere, ac irritum & inane quidquid contra tenorem conceſſionis huiuſmodi contigerit acceptari, inſuper tibi fili & Abba, & eius ſucceſſoribus veſtimenta ſacerdotalia & cruces ac imagines & conſimilia benedicendi, ac Monachis dicti Monaſterij, & aliis Scholaribus idoneis infra eoſdem terminos conſtitutis primam clericalem tonſuram conferendi, necnon tam tibi quam vobis filij Conuentus vacātes dicto Monaſterio, huiuſmodi Monachos & Scholares infra præfatos terminos, vt præmittitur conſtitutos ad dictam primam tonſuram & eam habentes ad quoſlibet alios ordines promouendi, cuicumque Antiſtiti gratiam & communionem dictæ ſedis habenti præſtandi & ipſi Antiſtiti eos ad eamdem tonſuram & ordines huiuſmodi ſtatutis temporibus iuxta ritum Romanæ Eccleſiæ promouendi, ac vobis omnibus chriſma & oleum ſanctum

à quo.

à quocumque antistite gratiam prædictam & communionem habente recipiendi, & eidem antistiti dandi, nec non vobis per quemcumque antistitem dictam gratiam habentem Basilicas constructas & construendas infra terminos supradictos, altaria eorumdem consecrari, necnon ipsas Ecclesias & cœmeteria earumdem, dum erit necesse reconciliari faciendi, ac insuper clericis & laicis dicti territorij superius limitati confirmationes in fronte, & reliqua Ecclesiastica Sacramenta per Diœcesanum Episcopum adultis danda, de iure ex quolibet antistite dictam gratiam & Communionem, vt præfertur, habente de Abbatis & eorum Monasterio vacantium de Conuentu prædictorum qui erunt pro tempore, licentia Episcopi Massiliensis existentis pro tempore minimè requisita, facultatem & licentiam de dono specialis gratiæ, authoritate Apostolica supradicta, tenore præsentium impertimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, Concessionis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Auenione 3. Nonas Aprilis Pontificatus nostri anno 5. Christi anno 1368.

5. Præluxerat in posterum Vrbanus Pontifex eiusdem nominis 2. ac iam priuilegium irrogauerat in literis ad Richardum Cardinalem & Abbatem Massiliensem, de quibus suprà. Porro Cœnobium vestrum hac libertate donamus, vt te obtinente vel tuorum quolibet successorum nullus ibi quacumque subreptione substituatur, nisi quem fratres cum timore Dei regulariter elegerint, ad quem consecrandum Episcopum Catholicum aduocent, item chrisma, Oleum sanctum, Oleum infirmorum, consecrationes altarium & capellarum, quæ infra nominatæ sunt, & ordinationes Clericorum ibidem commorantium ac Monachorum à quocumque voluerint Episcopo accipiant. Nulli autem Episcopo aut Archiepiscopo liceat locum ipsum, vel eius Monachos vel eis circumsubditas cellas id est S. Petri & S. Andreæ & S. Ferreoli Presbyteros aliosuè Clericos in eis ab Abbate constitutos excommunicare vel iudicare, præter ipsum Abbatem ad eius voluntatem, sed semper sub tutela & immunitate Romana soliusque Romani Pontificis iudicio consistentes, omnipotenti Domino quieti securique deseruiant. Nullus etiam legatus huius Apostolicæ sedis Abbatem vel ipsius loci Monachos excommunicare vel ipsis aut Monasterio ipsi aliquid interdicere præsumat, nisi ei aut à nobis aut à nostris successoribus specialiter fuerit imperatum. Si quis autem Archiepiscopus, Episcopus, Rex, Princeps, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, vel persona quælibet Clericalis aut laicalis nostrum hoc priuilegium temerate & res vestri Cœnobij temere inuadere, vel suis vsibus applicare præsumpserit aut minuere, secundò tertióue commonitus, si non congruè satisfecerit à Christi & Ecclesiæ corpore cum authoritate potestatis Apostolicæ segregamus, &c.

6. In quo Nicolaus III. coniunctum aliquid habet & consentiens in

decreti tabulis, quas fixit Romæ apud S. Mariam Maiorem 2. Idus Februat. Pontificatus anno 1. sic enim per honotificè præfatur.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum Dei.

Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij S. Victoris Massiliensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ordinis S. Benedicti salutem & Apostolicam benedictionem. Prouisionis nostræ debet prouenire subsidio, vt ius suum cuilibet conseruetur, sanè quoddam priuilegium fœlicis recordationis Vrbani Papæ II. prædecessoris nostri Monasterio vestro concessum, plumbea ipsius prædecessoris Bulla munitum, per te fili Abba exhibitum coram nobis, quia præ nimia vetustate incipit iam consumi, de verbo ad verbum nihil addito vel mutato quod mutare posset substantiæ veritatem, vestris precibus inclinati transcribi & annotari fecimus ad cautelam, & transcriptum ipsius Bullæ nostræ appensione muniri ad perpetuam memoriam futurorum, &c.

7. Ista verò non tuetur modo sed magno numero auget Innocentius II. Volumus, inquit, atque decernimus vt ad ordinationem atque correctionem eorum tam tu, quàm successores tui vicem sedis Apostolicæ gerere debeatis in quibus si quod absit tales Abbates inuenti fuerint, qui ab ordine Monastico & regulari disciplina exorbitauerint, vel dignum aliquid depositione commiserint, vnde correctionis vestræ censuram subire contemnant, curæ vestræ sit Episcopum in cuius Diœcesi Monasterium fuerit ad testimonium reatus illius vobis adhibere, & communicato consilio eos rationabiliter conuictos à regimine habito summonere, si tamen Episcopus de ordinatione & mala vita non fuerit suspectus & infamatus, vel si fortè causam ipsam malo ingenio magis impedire quam secundum Deum tractare voluerit. Quod si aliquid eorum obstiterit, ne causa puniendi reatus indiscussa prætereat, sollicitudinis vestræ sit eos ad examen sedis Apostolicæ iudicandos adducere, quatenus illis amotis, tales ibi Deo auxiliante debeas ordinare, qui locis venerabilibus valeant digne præesse, quemadmodum prædictorum antecessorum nostrorum sanctionibus institutum esse cognoscitur. Ecclesias sane quas cum decimis & oblationibus suis earum Episcopi vestro Monasterio concesserunt, saluo nimirum redditu quem in eis habere consueuerant, nos vobis vestrisque successoribus sic habendas & quiete ac sine calumnia possidendas sancimus, sicut à vestris prædecessoribus possessæ sunt. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temere perturbare, aut hæc quæ supra scripta sunt vel alias eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessæ sunt, vsibus omnimodis profutura, &c. Literis dies adscripta 14. Calend. Iulij Pisis, Indictione 13. Incarnationis Dominicæ anno 1136. Pontificatus an. 6.

8. Auribus satis sed animo fortasse non satis. Fontes aperiam quos adeas,

adeas, si lubet, diuturnam sitim explere cupiens.

S. Gregorij magni ad Respectam Massiliensem Abbatissam Parthenij Cœnobij S. Cassiani anno circiter 600.

Nam de S. Leonis Magni studio singulari ad ornandam S. Cassiani donum Massiliensem recens constructam anno 443. fuse lateque diximus libro 1. cap.88.

Ioannis 19. ad Garnerium Abbatem S. Victoris anno Christi 1004. sedisse enim dicitur ab aliquibus huius nominis & ordinis Pontifex, annos 4. menses 4.

Ioannis 20. ad S. Vuifredum, siue Guifredum Abbatem anno 1007.

Benedicti I X. ad S. Isarnum item Abbatem anno 1040.

Leonis I X. ad Petrum Abbatem eius nominis primum anno 1048.

Calisti I I. ad Rodulphum Abbatem anno 1123.

Alexandri I I I. ad Fredolum Abbatem anno 1163. Eiusdem ad Petrum De Nogàreto Abbatem anno 1170.

Adriani Papæ I V. ad Guibertum siue Guillelmum Abbatem an. 1155.

Innocentij I I. ad Petrum cognomento Gancelinum Abbatem anno 1147.

Gregorij V I I. ad Hugonem Abbatem 14. Calend. Maij Pontificatus anno 8. Christi 1082.

Vrbani I I. ad Ricardum Cardinalem Abbatem 10. Calend. Martij Pontificatus anno 1. Christi 1088. Eiusdem ad eundem Pridie nonas Aprilis Pontificatus anno 8. Christi 1096.

Pascalis I I. ad Ottonem Abbatem 9. Calend. Maij, Pontificatus anno 14. Christi 1114.

Lucij I I I. ad Bertrandum Abbatem de Monte murato, anno 1180.

Honorij I I I. ad Bonifilium Abbatem anno 1218.

Gregorij I X. ad Petrum Guillelmi Abbatem 1237.

Cœlestini I I I. ad Bernardum Cardinalem de reformatione Monasterij tempore Hugonis de Dolon Abbatis anno 1196.

Innocentij I I I. ad Michaëlem de Moresio Archiepiscopum Arelatensem, super electione Abbatis S. Victoris Massiliensis 12. Calen. Iunij Pontificatus anno 15. Christi 1213. Ex lib.3. Epistolarum Epist.49. Item contra Goncelinum lib.2. Epist.40. & 95. Et ibidem super reformatione Monasterij Epist.80.

Nicolai I I I. ad Guillelmum De Grese Abbatem anno 1274.

Nicolai I V. ad Ioannem De Cominis Abbatem 1286.

Vrbani V. Varia in hoc volumine passim legere est diplomata anno 1363. atque aliis.

Leonis X. ad Claudium de Carsonuille Abbatem anno 1515.

Clementis V I I. Augustino Triuultio Abbate fiduciarij beneficij possessore legitimo, anno Christi 1526.

Iulij I I I. Abbate Iulio à Ruuere anno 1549. pridie idus Martij Pontificatus anno 1.

8. Hic Monasterium ex rigidi ac seueri iuris ratione viuendi modum,

ac religiosæ disciplinæ strictiores leges & instituta certam in speciem temperauit, ne illaqueata deinceps scrupulorum periculis conscientia, vel latum quidem vnguem discederet à licito religionis ductu & norma, idque complexus est in suis rescriptis tali quodam diplomate.

Iulius Episcopus seruus seruorum Dei.

Dilectis filiis Conuentui Monasterij ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis S. Victoris extra & prope muros Massilienses, Ordinis S. Benedicti salutem & Apostolicam benedictionem. Religionis honestas & deuotionis vestræ promeretur affectus, vt precibus vestris benignum præbeamus assensum, & in his quæ vestri status conseruationem & prosperitatem ac pacem & quietem concernunt, nos vobis gratiosos & fauorabiles exhibeamus. Sanè pro parte vestra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet iam tanto tempore, quod eius initij hominum memoria non habetur, fortè ex præsumpto ob diuturnitatem temporis huiusmodi priuilegij Apostolico aut alio Canonico titulo, in Monasterio vestro ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente S. Victoris extra & prope muros Massilienses Ordinis S. Benedicti, in quo computato illius Abbate quadraginta Monachi esse consueuerunt certus modus seu ritus viuendi, videlicet quod diuinum Officium diurnum pariter & nocturnum debite celebretur, Monachi septa Monasterij, quod muris clausum est, nisi petita & obtenta licentia ab eiusdem Monasterij Priore claustrali pro tempore existente, non exeant, nec claustrum ipsius Monasterij mulieres impudicæ ingrediantur, Abbas & Officiarij ac Priores dum in illo resident, pro seipsis & seruitoribus suis in eorum verò absentia pro ipsis suis seruitoribus tantùm, nisi infirmitate aut alia rationabili causa & de licentia dicti Prioris claustralis aut eius vices gerentis, intra ciuitatem Massiliæ existant cæteri verò Monachi claustrales & simplices dicti Monasterij, solùm in Monasterio præsentes aut ex causa & de licentia huiusmodi in dicta ciuitate existentes, certam portionem panis & vini à Cellereria mensa communi seu Conuentuali, quæ redditus & bona à Mensa Abbatiali distincta habet, ac pitantiam in carnibus, & piscibus, oleo, & aliis comestibilibus à Pitansario Monasterij huiusmodi singulis diebus respectiuè percipiant ac singuli ipsius Monasterij religiosi die Dominico ac secunda tertia & quinta feriis cuiuslibet hebdomadæ, quadragesimalibus & ieiuniorum ab Ecclesia indictorum diebus dumtaxat exceptis, carnibus vescantur, nudi in cubilibus sine lectis in lineamentibus lineis dormiant, interulis siue camisis lineis aut canape confectis vtantur, officia & administrationes & diguitates ac alia beneficia ab eodem Monasterio dependentia etiam illis ab Abbate seu Commendatario dicti Monasterij pro tempore existente aut aliter Canonice collata, in titulum vel commendam iuxta eorum concessionem & dispensationum tenorem ad vitam perpetuo & non ad tempus seu vt manualia & ad nutum amobilia retineant, ne ab eis nisi ex rationabili & iudicialiter

iudicialiter cognita causa ac de consilo & assensu pro tempore existentium Patrum dicti Monasterij destituantur, Flocum, qui magni dispendij existit, solum intra Ecclesiam ipsius Monasterij & cum diuina celebrantur, alibi verò & alio tempore, honestas tunicas ex panno nigro laneo confectas & desuper scapulare deferant, claustrales & alij Priores ac Officiarij nec non Patres consiliarij nuncupati dicti Monasterij, Monachis claustralibus ac simplicibus non vocatis nec admissis capitulum seu consilium faciant, celebrent, & teneant fructus, redditus, & prouentus, ac res & bona Monasterij administrent & illius negotia pertractent ac iura defendant, nec non tam statutorum ipsius Monasterij quam cuiusdam sententiæ arbitralis in rem iudicatam transactæ, & Apostolica authoritate confirmaræ ac hactenus obseruatæ vigore, contra Monachos eiusdem Monasterij & illius membrorum ac beneficiorum ab eo dependentium inquirant, & iuxta eorum demerita puniant & corrigant, ac tam Priores & officiarij quam Monachi præfati vestiaria tam à Monasterio quàm à cellaria mensa Conuentuali, & Cameraria eiusdem Monasterij in pecunia percipiant, & de vestiariis huiusmodi ac fructibus, redditibus, & prouentibus beneficiorum per eos pro tempore obtentorum, ac aliis pecuniis & rebus per eos ex industria aut aliter insto titulo acquisitis vsque ad diem eorum obitus exclusiue, in licitos & honestos vsus liberè disponant; obseruatus fuerit & ad præsens obseruetur, ac aliter felicis recordationis Gregorij Papæ IX. prædecessoris nostri antiquas ac rationabiles dicti Monasterij consuetudines eatenus pacificè obseruatas vobis & tunc Abbati dicti Monasterij & per vos eidem Monasterio per suas literas confirmauerit, & scripti sui patrocinio communierit. Nihilominus quia pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum vt vos & pro tempore existentibus Monachis Monasterij huiusmodi, quod de cætero dictum viuendi modum seu ritum aliosque mores & consuetudines prædictas obseruare libere & licitè possitis, & illum obseruando ad alium nouum seu insolitum & forsan quauis authoritate reformandi, viuendi modum seu ritum transire minimè teneamini, nec ad id cogi aut compelli possitis, concedere & indulgere aliasque vobis in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui personis religioni deditis, vt tranquillum Domino reddere valeant famulatum Apostolici fauoris præsidium libenter impendimus, vos ac vestrum singulos à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti Ecclesiasticis censuris, & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quis quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum seriè absoluentes & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis & pro tempore existentibus Monachis Monasterij huiusmodi, quod de cætero perpetuis futuris temporibus dictum viuendi modum seu ritum aliosque mores & consuetudines supradictos obseruare liberè & licitè possitis, & illum obseruando ad alium nouum seu insolitum & forsan quauis authoritate reformandum viuendi modum seu ritum obseruandum minimè teneamini

nec

nec ad id cogi aut compelli possitis, authoritate eadem tenore præsentium sine præiudicio moderni ac pro tempore existentis ipsius Monasterij Abbatis vel Commendatarij concedimus & indulgemus, districtius inhibentes quibusuis personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, dignitatis, vel conditionis existent etiam quantumcumque grandi, etiam legati de Latere authoritate & honore præfulgeant, sub excommunicationis latæ sententiæ, suspensionis à diuinis, ac interdicti, ingressus Ecclesiæ sententiis per eos eo ipso tempore quo contra factum fuerit incurrendi, ne vos & pro tempore existentes Monachos dicti Monasterij ad alium quam permissum viuendi modum obseruandum directè vel indirectè, quouis quæsito colore vel ingenio, etiam prætextu quarumcumque literarum Apostolicarum super hoc eis ab Apostolica sede sub quibuscumque tenoribus & formis ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis irritantibusque & aliis decretis hactenus quomodolibet concessarum & in posterum concedendarum, & de quibus quorumque totis tenoribus specialis specifica expressa & indiuidua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quauis alia expressio habenda sit, cogere aut super molestare perturbare aut inquietare quoquomodo præsumant, ac decernentes præsentes literas & in eis contenta quæcumque quouis prætextu seu quauis occasione vel causa etiam necessario exprimenda, & subreptionis vel obreptionis aut nullitatis seu alio quouis vitio aut intentionis defectu per quoscumque cuiuscumque dignitatis status, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ fuerint, impugnari aut illorum effectum quouis modo impediri non posse, sed suum plenarium effectum sortiri & pro illorum validitate, efficacia, & obseruatione, per quoscumque iudices & commissarios quauis authoritate fungentes; in quauis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet grauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & authoritate, iudicari & definiri debere ac irritum & inane si secus super his à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili fratri Archiepiscopo Aquensi & dilectis filiis Montis Maioris Arelatensis Diœcesis, ac S. Andreæ iuxta Auenionem Monasteriorum Abbatibus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo vel vnus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas & in eis contenta quocumque, vbi, & quando opus fuerit & quoties pro parte vestra & pro tempore existente Monachorum dicti Monasterij aut alicuius vestrum desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, vobisque in præmissis efficaces defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra præsentes literas & in eis contenta huiusmodi firmiter obseruari, ac vos & pro tempore existentes Monachos dicti Monasterij ac vestrum singulis illis pacificè frui & gaudere non permittentes, vos desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari contradictores quoslibet & rebelles per sententias, censuras, & pœnas prædictas appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus sententias censuras & pœnas

pœnas prædictas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1549. pridie idus Martij Pontificatus nostri ann. 1.

9. Testandi prxterea facultatem eis concessam esse non me prætcrit, sed ab Abbate & Cardinali Iuliano de Medicis, non temere, vt arbitror, vel inconsulto Pontifice. His totidem verbis quot scripsit, vt aiunt, eius recitantur literæ. In Christi nomine. Amen. Anno natiuitatis Domini 1583. die verò vltima mensis Septembris ante meridiem Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. anno 6. cunctis instantibus & posteris pateat, & sit notum, quod conspectu mei Notarij Regij Massiliæ, testiumque infra scriptorum existens & personaliter constitutus Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus Iulianus Dei & sanctæ sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus de Medicis, Albiensis Episcopus, Abbas seu perpetuus Commendatarius inclyti Monasterij S. Victoris prope & extra muros dictæ ciuitatis Massiliæ, ordinis S. Benedicti, ad sanctam Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, quique bona fide, gratis, & ex eius certa scientia & motu proprio attendens & considerans merita & virtutes, quibus Reuerendi Domini Prior Claustralis, Officiarij, Monachi & religiosi dicti Monasterij S. Victoris illustrati sunt, nec non amorem & obedientiam quam dicto Reuerendo Domino & suis in dicta Abbatia prædecessoribus semper præstiterunt, & vt dicti Domini Prior, Officiarij, Monachi & religiosi possint remunerare eos qui aliqua necessitudine, sanguine, vel amicitia eis coniuncti sunt aut erunt in futurum, aliisque iustis & rationabilibus causis animum eiusdem Reuerendissimi Domini mouentibus, dedit, tradidit, & concessit dictis Dominis Monachis Priori, Officiariis, & religiosis dicti Monasterij S. Victoris qui de numero quadraginta sunt vel erunt in futurum, Reuerendis Dominis Virgineo Vincentio in decretis Bacalaureo Præcentori & Priori claustrali, Iacobo Martino Sacristæ, Iacobo De Oleriis Eleemosynario, Guillelmo Toruerio Infirmario, Bertrando Guigonis Pitansario, Ioanni Seilhano Armarario, Raynaudo Portanerio Priori S. Genesij, Ioanni Martino Priori S. Petri, Iacobo Borguognono Priori S. Nicolai, Francisco Testori Priori B. Mariæ de Gardia, Antonio Guerino Subpriori, Magdalano de Sepeta Portario, Iosepho Gantelmy Cellerario, vnà mecum Notario vt Communi & publica persona pro eisdem stipulationibus soluendis & recipiendis, videtur licentiam & absolutam potestatem & liberum posse in tantum quantum eidem Domino Abbati pertinet & spectat, quatenus Priores Officiarij, Monachi & religiosi in dicto Monasterio S. Victoris de numero quadraginta nunc & de præsenti existentes, ac omnes & singuli eorumdem in futurum successores, de fructibus, redditibus, & præbendis quorumcumque Beneficiorum & Prioratuum per eos nunc & pro tempore obtentorum, ac de bonis suis quibuscumque mobilibus & immobilibus per eos & eorum quemlibet tam successione suorum parentum

quàm intuitu Ecclesiæ, & aliter licitè ex eorum industria ac quocumque titulo gratuito seu onerofo, vndecumque acquisitis & acquirendis, etiam in eorum vltimis voluntatibus & aliter tam in vita quam in morte dispo-nere, donare, testari, ac ordinare libere ac licitè possint, perindè ac si Clerici sæculares facultatem testandi habentes essent, durante vita eius-dem illustrissimi & Reuerendissimi Domini Archiepiscopi & Abbatis seu perpetui Commendatarij dicti Monasterij & absque sua licentia requisita aut requirenda. Promittens insuper ipse Reuerendissimus D. Abbas, se semper & perpetuò ratum, gratum, firmum, & validum habiturum om-nia & singula in præsenti instrumento contenta, & contra nunquam fa-cere, dicere, vel venire directè vel indirectè de iure vel de facto, sub ex-pressa hypotheca & obligatione omni & quorumcumque bonorum suo-rum mobilium & immobilium, præsentium & futurorum, omnibus curiis spiritualibus & temporalibus & eorum cuilibet hoc publicum instrumen-tum prædici seu ostendi contigerit, ac sub omni iuris & facti renuntia-tione ad hæc necessaria pariter & cautela, & extante iuramento ad pectus more religiosorum per dictum Reuerendiss. Dominum præstita & de præmissis concessit & voluit fieri hoc instrumentum, actum & publicè recitatum in aula Abbatiali prædictæ Abbatiæ S. Victoris Massiliensis, præsentibus ibidem nobili Antonio de Valbella Massiliensi, & Bonifacio de Palude receptore decimarum in Diœcesi Aquensi testibus & præmissis vocatis & specialiter rogatis & subscriptis, cum dicto D. Abbate in Ori-ginali iuxta Regiam ordinationem.

10. Imperatores similiter ac reges & in Republica principes in pri-uatam hanc familiam leges ferre voluerunt, id est enim priuilegium, de quibus in perscripto Indice Bullarum Monasterij hæc leguntur.

Item septem Bullæ Priuilegiorum regiorum concessorum per retrò Principes, sigillatæ sigillis aureis rotundis.

I. Bulla cum sigillo aureo impendenti Priuilegij concessi per illustrem bonæ memoriæ Carolum IV. Romanorum Imperatorem, seu per Augu-stinum Regem sub, Datum Auenione anno 1365. Indict. 3. 7. Idus Iunij, Regnorum dicti Imperatoris anno 19, Imperij verò anno 11. quod in-strumentum est Confirmatio Regalliarum primarum appellationum.

Item alia Bulla cum sigillo aureo Priuilegij concessi à bonæ memoriæ quondam Carolo Rege Siciliæ sub, Datum Neapoli anno Domini 1275. die 8. Nouembris. Indict. 4. & dicti Regis anno 11.

Item alia Bulla cum sigillo aureo impendenti, Priuilegij certarum Re-galiarum & aliorum concessorum per bonæ memoriæ Ioannam Hierusa-lem & Siciliæ Reginam sub, Datum Neapoli anno 1364. die 20. Decem. Indict. 3. regnorum dictæ reginæ, 22.

Item alia Bulla cum sigillo aureo impendenti Priuilegij concessi per bonæ memoriæ Carolum II. Regem Hierusalem & Siciliæ sub, Datum Massiliæ anno 1308. die 3. Mensis Februa. Indict. 6. regnorum dicti Regis anno 24.

Item alia Bulla cum sigillo aureo Impendenti Priuilegij concessi per bonæ

bonæ memoriæ Ioannam Reginam Hierusalem & Siciliæ, sub Datum Neapoli anno 1365. die 18. Iulij Indict. 3. regnorum dictæ reginæ anno 23.

Item alia Bulla cum sigillo impendenti aureo Priuilegij concessi per bonæ memoriæ Carolum Regem Siciliæ sub, Datum Neapoli anno 1270. die 6. Iulij Indict. 13. regnorum verò dicti regis anno 6.

Item alia Bulla cum sigillo aureo impendenti Priuilegij concessi per bonæ memoriæ Carolum II. Regem Hierusalem & Siciliæ sub, Datum Massiliæ anno 1308. die 3. Februarij Indict. 3. regnorum dicti regis anno 24.

De Priuilegiis concessis à Pipino, Carolo Magno, Ludouico Pio, Lothario aliisque viris Principibus non paucis, peccant qui non vident nos Superiori proximo cap. 20. num. 3. dixisse, quod est satis.

CAPVT XXII.

Sanctorum Venerandis reliquiis ac patrociniis celebrior redditur.

1. SAnctorum reliquias *fontes salutares* vocat Concilium Nycænum 2. quibus Deus multa beneficia hominibus præstat, quæ causa est cur tantis populorum concursibus celebrantur vbique lipsanodochia, namque intra illorum septa velut in conspectu Sanctorum, precibus cœlestiumque rerum meditationi de more insistendo, præsenti Dei numine semper affluit quod in supplices redundet, sic prorsus vt vel humanis salutem reddat corporibus, vel in animis, horrore improbos, gaudio pios & incredibili quadam lætitiæ voluptate perfundat. Quis sit hoc tempore mentis sensus, quis omnino vitæ status eorum qui ante aras Victorini templi prosternunt se & fracto animo atque humili supplicant Diuorum patrociniis ac reliquiarum suarum tutelaribus, quamuis animo non percipetur omnia sunt posita ante oculos, collocata in vsu quotidiano.

2. Porro quoad locum situmque attinet, hic est ordo seriésque diuersarum inter se reliquiarum. Templi partes duæ celeberrimæ & maximæ, prima superior luce palam atque in oculis ciuitatis, altera inferior siue hypogæon; atque illa superior, vt nunc habetur, titulo SS. Apostolorum Petri & Pauli & Victoris Martyris longè ætate inferior fuit altera, quæ ab ara siue ædicula olim dedicata in monumentum secedentis illuc in solitudinem Magdalenæ exordium sumpsit. Articulatim distinctéque numerat Benedictus IX. in Bulla Supernæ diuinitatis vtramque Ecclesiam, minorem & maiorem, veterem ac nouam, vel potius eiusdem Ecclesiæ varia pro temporum varietate nomina & incrementa. *Hac diligentia*, inquit, *Pontifex, muniendum censuimus prædicti Martyris Monasterium apud Massiliensem vrbem, tempore Antonini Imperatoris fundatum, quod à Beato Cassiano Abbate constitutum, eodem rogante, vt fertur à maio-*

ribus natu, à Beatissimo Leone Romanæ sedis Antistite consecratum & eius Apostolica authoritate & benedictione sublimatum, in quo maiorem constituentes Ecclesiam in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli & omnium Apostolorum, aliamque in honorem S. Dei genitricis Mariæ sanctique Ioannis Baptistæ, multorum Sanctorum collatis pignoribus conseruatur. Quæ causa est cur duplex celebretur in eius Monasterij fastis duplicis Ecclesiæ dedicatio inferioris 25. Iunij, Superioris 15. Septembris.

---

§ I.

In Superiori, reliquiæ quæ habentur.

3. PRimò, quidem Capsa inaurata longa æque ac lata, supremo altari imposita, in qua multæ Sanctorum reliquiæ religiose asseruantur, in iis autem SS. Martyrum Victoris & sociorum Alexandri, Feliciani, Longini, & Deuterij quos omnes ad fidem Christi conuertit S. Victor. Ossa linteis inuoluta & quatuor capacioribus inclusa sacculis, primam sedem occupant. Massiliæ omnes pro Christi fide cæsi sunt Diocletiano & Maximiano Imperantibus anno Domini 292. die 21. Iulij.

In eadem quoque capsa eleganti artificio elaborata seruantur aliqua ex sanctissima Christi sindone, spongia, ligno Sanctiss. Crucis, spinea corona & vestibus Beatiss. Virginis, aliquid insuper ex SS. Abrahami, Isaaci, Iacobi, Ioannis Baptistæ, Lazari à Christo suscitati reliquiis, ex D. Magdalenæ vestibus, ex ossibus SS. Andreæ & Thomæ Apostolorum, ex brachio S. Cassiani Abbatis & primi huius Monasterij fundatoris, ex reliquiis S. Trophimi Arelatensis Episcopi, & S. Pauli discipuli, & S. Victoris cognomento Martyris & SS. Innocentium sanguine, ex S. Benedicti patroni ac Patris nostri reliquiis, ex ossibus SS. Dionysij, Stephani Papæ & Martyris, SS. Gregorij, Felicis, & Calisti Pontificum. SS. Mauronti Massiliensium Episcopi & Monasterij S. Victoris Abbatis. S. Verani Caualicensis Episcopi, Agricolæ Episcopi Auenionensis, Desiderij Episcopi & Martyris, Grati Viennensis Episcopi, Clari & Martiani Abbatum, Laurentij, Tircij, Nerei & Achillei, Primi & Feliciani, Tiburtij, Alexij, Sergij, Bacchi, Adriani, Hilarionis, Mauricij & sociorum Thebanorum. Sanctarum denique Eugeniæ, Cæciliæ, Constantiæ, Beatricis, Felicitatis, Eusebij Vercellensis, sanctæ Stimantæ, Mariæ Marthæ, Audifacis & Abacuc ossibus ac reliquiis, quæ omnia in hac eadem capsa supremo altari imposita visuntur, cum aliis innumeris SS. reliquiis, quibus nullum inscriptum nomen.

4. Ad dextrum maioris aræ latus Vrbani eius nominis V. Pontificis Maximi corpus in sepulchro exquisitè elaborato integrum asseruatur. Is ob vitæ morumque Sanctitatem eos inter Pontifices qui suam sedem Auenione posuerunt sexto loco numeratur, seditque anno 1362. natione Gallus, Guillelmus Grisacius ante Pontificatum dictus, Grimaldi filius ex anti-

antiqua Grisaciorum familia oriundus, Abbas olim Antissiodorensis, ac demum huiusce Monasterij electus Abbas, tum ob eximias animi dotes singularémque doctrinam Auenione summus Pontifex creatus, seruato tamen Abbatis S. Victoris Massiliensis nomini quod perhonorificum illud sibi duceret, cùm ob summam loci sacrarumque reliquiarum religionem, tum verò, quod ex legibus S. Benedicti vitam institueret, nonnulla in eius ortu & per reliquum vitæ decursum patrata ab eo referuntur miracula. Is iam tum cum sederet Episcopus per concionatores sacram crucigerorum militiam aduersus Turcas edici iussit, Oliuetano ordini qui Benedictinorum familiæ surculus extitit initium dedit, eaque in re Bernardi cuiusdam Ptolomæi opera vsus est. Candido illum amictu insigniuit, qui etiamnum præfertur in Italia. Denique vbi sedem annos 8. tenuisset, obiit anno Domini 1370. 19. Decembris.

5. Non longè ab eo ad sinistrum maioris aræ latus in amplo satis armario S. Victoris Martyris caput, ex auro argentoque duos inter angelos argenteos inauratos prominens asseruatur, pectorale illi ex auro solido lapillis eleganter distincto, Collum etiam pretiosis ornatum monilibus basis ei argentea incuruata leunculis octo gryphisque totidem deauratis imposita, cum insignibus Vrbani V. Pontificis Maximi, estque inusitatæ adeo magnitudinis vt quingentas libras facilè pendat.

6. Ad dextrum maioris aræ latus sese obuertentibus ingens quoque obiicitur armarium, in quo hæc omnia in auro argentoque extant. I. quidem SanctiCassiani Abbatis & primi huius Monasterij fundatoris caput. Is fuit natione Scytha, Diaconus Constantinopolitanus D. Ioannis Chrysostomi discipulus & in Ægypto Monachus, cúmque Massiliam sacris Ordinibus initiandus venturus esset, multos sibi tum ex Ægypto tum ex Palæstina Anachoretas adiunxit, neque pauciores in iis regionibus reliquit, quinquies enim mille Monachis præfuisse dicitur. Vbi Massiliam peruenit duo Monasteria condidit, virorum alterum tituli Sanctorum Petri & Pauli quæ Sancti Victoris etiamnum Abbatia est: alterum fœminarum, tituli S. Cyriaci cui modo S. Saluatoris nomen nunc intra vrbis septa constitutum. Ita S. Prosper Aquitanus, Gennadius Massiliensis Episcopus, & Trithemius testantur. Obiit Theodosio & Valentiniano imperantibus anno Christi Iulij 23.

In eodem insuper armario capita duo in auro atque argento extant cum aliis duobus SS. Innocentium eodem fere modo concinnatis. Visitur insuper pixis, Allabastrum olim dicta, tresque in partes dissecta. Hanc olim Magdalena vngendi Christi pedibus adhibuisse ferunt, inserta est tabernaculo argenteo, cuius in extrema parte vnus ex digitis eiusdem Magdalenæ munitus argento religiose asseruatur. In eodem etiam loco habetur ex D. Petri Apostoli dentibus vnus, quem eiusdem Apostoli argentea præfert effigies, ex barba S. Pauli Apostoli in eius effigie argentea pariter inclusa, cum vno ex digitis S. Antonini Patauini Confessoris argentea theca, incluso, & S. Martini Turonensis Episcopi & Confessoris vno argentea theca pariter obtecto. Seruatur ibidem aliquid ex ligno S. Crucis

in alia Cruce argentea, lapillis encaustoque satis eleganter cælata, & vna ex costis S. Lazari à Christo suscitati.

Sex insuper brachia ex argento inaurato lapillisque ornato egregiè prominent, in eiş primum locum obtinet S. Victoris brachium, S. Cassiani alterum, tertium S. Illidij Confessoris, quartum S. Blasij Episcopi & Confessoris, quintum S. Ferreoli qui in Viennensi territorio Martyriô coronatus est, anno Domini 303. die 18. Septemb. Denique S. Isarni Confessoris & eiusdem Monasterij Abbatis, qui multis miraculis clarus obiit anno Domini 1048. die 24. septembris.

Ingens postremo loco visitur theca reliquiaria argentea inaurata in modum tabellæ conformata, cum suis valuulis, in ea multæ Sanctorum reliquiæ reconditæ sunt inscripto singulis nomine.

---

§. II.

Quæ in inferiori.

7. IN templo autem inferiori ædicula subterranea eaque ad pietatem maximè composita in modum speluncæ vel cubiculi concinnata visitur. Hanc S. Magdalena 14. ab Christi resurrectione anno, postquam Massiliam cum fratre ac sorore appulit incolendam suscepit, ibi enim continentes annos septem traduxit pœnitens. Hæc autem spelunca in eo præsertim miranda, quod cum in solida rupe suapte natura excauata sit arte tamen & industria excisa videatur. Ex ea ad aliam quoque ædiculam ducentis trecentisuè passibus dissitam per subterraneos meatus iter porrigitur. In eam vt ex traditionibus accepimus, quotidie sese conferebat vt ex ea Christianæ legis præcepta Massiliensibus euulgaret. Et verò ex iis Marcilium regem vniuersamque eius familiam ad Christi fidem traduxisse dicitur. In eadem spelunca quam plurima SS. Innocentium ossa duobus sepulchris marmoreis recondita sunt. Verùm cum septem in ea annos exegisset iamque nimia populorum frequentia celebraretur, ne à rerum diuinarum studio & contemplatione auocaretur, in proximum Aquilatensem vicum ad tres annos secessit. Post acerbam denique ac bene longam corporis afflictationem, in prærupta illa rupe cui nunc S. Balmæ nomen est, sanctissimo fine absoluit.

8. Ad sinistrum huius ædiculæ latus corpora SS. Adriani & Hermetis qui anno 308. Martij 1. pro Christi fide cæsi sunt, in sepulchris marmoreis ad parietem constitutis reposita sunt. E regione autem illius speluncæ amplius quoddam & patentius sacellum cui nomen B. Virginis à Confessione, summa frequentia celebratum tum ob elegantem B. Virginis propositam in eo effigiem, tum quia in eo nouem & triginta dicatarum Deo Virginum à Saracenis Vandalisque interfectarum corpora sepulta sunt, eóque fit vt & puellæ cæteræque mulierculæ ab illius aditu & iam num hodie vt & à maioribus religiose obseruatum vidimus, prohibeantur.

hibeantur. Ideo enim ferreis cancellis ex munificentia & liberalitate Reginæ cuiusdam & Salyorum Comitis septum est. Ad huius sacelli dexteram marmoreum sepulchrum constitutum est, in eoque S. Eusebiæ earumdem nouem & triginta Monialium quondam Abbatissæ ossa condita, hæ autem omnes cum vitam agerent, in Monasterio ad mare olim à Beato Cassiano excitato duobus tantum tribusve Massilia milliaribus dissito, quod etiamnum vulgari appellatione B. Virginis de Veaune dicitur, ne ab Saracenis violarentur, mortem oppetere quam virginitatem Deo dicatam sibi deperire maluerunt. Ad eiusdem sacelli B. Virginis læuam aliud S. Blasio dicatum visitur, ibique sub altari arcula plumbea reposita, in qua S. Blasij Sebastæ quondam Episcopi anno Domini 316. die 3. Februar. pro Christo cæsi reliquiæ seruantur. In huius sacelli fronte marmoreum extat sepulchrum, in quo SS. Chrysanthi & Dariæ coniugum condita creduntur corpora viui enim sepulti sunt & terra obruti Numeriano imperante anno 283. 25. Octobris.

9. Vlterius procedentibus in eadem inferiori æde marmoreum sepulchrum obiicitur in quo B. Hugonis corpus asseruatur. Is in hoc Monasterio æditui quondam obiit munus eoque inscio crux S. Andreæ non procul ab eodem virginum Monasterio ab aliis quibusdam religiosis delata est, ibique defossa ne à Vandalis aliisque barbaris Massiliam tum occupantibus aliò subduceretur. Nec ita multo post cum eiusdem Monasterij religiosi conuenissent, vt sacras reliquias suis locis ac sedibus restituerent, iamque viro illi sancto pœnam aliquam imponere decreuissent, quod eo sacrarium procurante crux illa sacra aut deperdita aut aliò traducta esset, diuino afflatus spiritu vir sanctissimus impetrata diuinam opem implorandi gratia, diuinitus accepit Crucem illam non procul à Monasterio B. Virginis De Veaune fuisse defossam. Quod miraculum cum sequenti Epitaphio marmoreo eiusdem sepulchro inscriptum est.

Hugo sacrista quem petra tegit breuis ista
Congaudet cœlis sanctis socius Michaëlis.
Vniuersorum flos decus hinc Monachorum.
Cultor Sanctorum merito sepelitur, eorum
Templum quòd primo quasi totum fecit ab imo.
Depositis membris octaua luce Nouembris.
Millesimo si iungatur bis post quinquaginta sequatur.
Annus monstratur in quo super astra locatur.

Ab eo, sacellum aliud subire licet, vbi crux S. Andreæ Apostoli integra religiose colitur, lignea illam ferreaque insuper lamina obtegit, eiusdémque Apostoli nomen & effigiem præfert insculptam. Ex Achaiæ ciuitate ad nos Stephani Burgundionum Regis beneficio allata est, vt ex maiorum traditionibus accepimus. In huius sacelli ambitu eo numero corpora sacra condita sunt, vt singulorum nomina recensere difficillimum sit, ad illius tamen ingressum SS. Marcellini & Petri Martyrum, patris nimirum & filij ossa condita existimantur.

10. Ab illo ad S. Cassiani huius Monasterij fundatoris, quod nunc vulgo

vulgo S. Isarni sacellum dicitur, patet aditus. Sub illius ara omnia propemodum eiusdem Cassiani ossa, præter ea quæ suis seposita locis diximus, in sepulchro condita sunt. Aliud insuper altari impositum visitur, vbi Vuifredi Abbatis & huius Monasterij restauratoris corpus seruatur, vnà cum reliquiis S. Isarni huius etiam Monasterij Abbatis ossibus, quam plurima etiamnum in depellendis præsertim febribus eiusdem celebrantur miracula. Seruatur ibidem insuper Bernardi cuiusdam eiusdem Monasterij Abbatis corpus. Is sedis Apostolicæ legatus fuit, & Cardinalis tituli S. Petri ad vincula, vna cum reliquiis Mauronti huius pariter Monasterij Abbatis & Massiliensium Episcopi. Denique in hoc eodem sepulchro marmoreo duo ex S. Vrsulæ sociis corpora asseruantur. Notandum autem aduersus hoc sepulchrum, quod ad Septemtrionem pertinet, in oblongo marmore eiusdem sancti Isarni Abbatis effigiem eleganter insculptam esse cum hac epigraphe:

Sacra viri clari sunt hic sita Patris Isarni
Membra, à suis studiis glorificata piis.
Quæ fœlix vegetans anima prouexit ad alta
Moribus egregiis pacificisque animis.
Nam redimitus erat hic virtutis speciebus
Vir domini cunctis pro quibus est hilaris.
Quæ fecit docuit Abbas pius atque beatus
Discipulosque suos compulit esse pios.
Sic viuens tenuit regimen, sed claudere limen
Compulsus vitæ est acriter misera.
Rexit bis denis septemque fideliter annis
Commissumque sibi dulce gregem domini
Respuit Octobris terras octauo Calendas
Et cœpit rutili regna subire poli.
Obiit anno M. XLVIII. Indictione 1. Epacta 111.

11. Aliud postremo sacellum visitur & in eo marmorea duo sepulchra, exquisito admodum opere cælata, in iis autem SS. Mauritij & sociorum corpora condita sunt. Eorum hæc fuere nomina. Exuperius, Candidus, Victor, Innocentius, & Vitalis qui omnes, cum maxima Thebanæ legionis parte, quod Maximiani simulachro cultum exhibere detrectassent in Gallia cæsi sunt anno Domini 295. die 22. Septemb. In alio etiam sepulchro marmoreo sociorum S. Adriani Martyris ossa seposita sunt. Aliud denique tertio loco sepulchrum visitur, in quo septem Dormientium reliquiæ religiosè obseruantur. Eorum hæc sunt nomina Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion, & Constantinus. Hi omnes Ephesi spelunca clausi dormisse feruntur, iam inde à temporibus Decij Imperatoris anno videlicet 254. ad postrema Theodosij iunioris tempora, cùm enim tunc promissa mortuorum Anastasis in dubium venisset mira opportunitate obuiá itum per septem prædictos Martyres, qui in spelunca à Decio Imperatore olim obstructa ac tum fortè patefacta reperti & continuato per ducentos prope annos somno

somno excitati reuocandorum ad vitam mortuorum adfirmarunt fidem.

12. Qua prece aut obsecratione humili vtantur peregrini; cùm sacras istas ædes pietatis caussa obeunt ac venerabundi reliquias inuisunt?

O Rex gloriæ qui Martyri tuo Victori consolans apparuisti, ac Beatos Cassianum, Benedictum, Isarnum omnésque alios ibi quiescentes fidei confessione decorasti, fac nos eorum precibus iungi Sanctorum cœtibus.

℣. *Corpora eorum in pace sepulta sunt*

℞. *Et viuent nomina eorum in æternum.*

OREMVS.

PRopitiare Domine nobis famulis tuis per horum Sanctorum tuorum Victoris, Cassiani, Benedicti, Isarni & aliorum quorum corpora in hac Ecclesia requiescunt merita gloriosa, præsta quæsumus, vt qui beatissimorum Martyrum tuorum Abbatum & Confessorum piis suffragiis & sanguine consecrasti Monasterium, eorum intercessione spiritualibus muniamur auxiliis & ab omnibus protegamur aduersis. Per Christum Dominum nostrum.

§. III.

Sacrarij opulentia.

13. HVic capiti nihil addi potest quo magis fides sit, quam si tabulas publicas transcripsero. Damus ex variis ac fere incultis authoribus, verbis, idiomatis, quibus compactæ sunt, si nouo ac nitidiore stilo à me compositæ, vel dictione passim mutata vocibúsque peregrini vsus expunctis forent expositæ, interpolata potius veritate quam natiua eas euulgasse videremur.

Procura cum inuentario inde secuto pro Monasterio S Victoris.

Anno Incarnationis Domini 1524. die vltima mensis Iunij, notum sit quod cum propter suspicionem, rumorem, & famam quæ nunc vagatur & habetur in hac ciuitate Massiliæ & tota patria Prouinciæ, Rex Hispaniæ inimicus capitalis Christianissimi Domini nostri Francorum Regis vult & intendit cum suo exercitu gentis armorum, destruere patriam Prouinciæ & præsertim ciuitatem Massiliæ, quod Deus clementer auertat. Qua occasione Domini Officiarij, Priores, & Monachi sacri Monasterij S. Victoris extra muros ciuitatis Massiliæ pro conseruatione & indemnitate reliquiarum, iocalium, ornamentorum Ecclesiæ, scripturarum & aliorum bonorum mobilium ipsius Monasterij, consilium inuicem tenuerunt in quo quidem consilio ordinatum & reformatum fuerit, constitui per ipsum Conuentum quatuor procuratores cum omnimoda potestate dictas reliquias, iocalia, ornamenta Ecclesiæ, scripturas & alia bona mobilia accipiendi, apportandi, abscondendi, & occultandi & alia

pro libito voluntatis faciendi, pro vt in dicta reformatione consilij sic aut latius continetur, Hinc propterea fuit & est quod in exequutione reformationis dicti consilij, congregatoque capitulo dicti sacri Monasterij S. Victoris ad sonum campanæ, vt moris est, mandato & iussu Venerabilis & religiosi viri Domini Ioannis de Puteo Hostalarij & Prioris Claustralis dicti Monasterij, in quo quidem capitulo interfuerunt Venerabiles & religiosi viri Domini Officiales, Priores, & Monachi sequentes. Primò ipse D. Prior Claustralis, Venerabiles & religiosi viri D. Marcellinus Almaicij Sacrista, Ioannes Guigonis Eleemosynarius, Bartholomæus De Oleriis Infirmarius, ipsi inquam D D. Officiales, Priores, & Monachi supra nominati cum licentia authoritate & consensu ac beneplacito dicti Domini Prioris Claustralis, & ipse D. Prior Claustralis cum licentia authoritate consensu ac beneplacito dictorum dominorum supra nominatorum omnes simul vnanimiter & concorditer, nemine ipsorum in aliquo discrepante, pro euidenti vtilitate & commodo ipsius Monasterij & Conuentus, sponte & bona fide, gratis, scienter & ex eorum & cuiuslibet ipsorum certa scientia, omni de meliore via. iure & forma quibus possunt, vt debent, de iure & iuris solemnitate fecerunt, constituerunt, & solemniter ordinarunt suos imo verius dicti Conuentus & Monasterij certos veros legitimos & indubitatos procuratores, actores, factores, & negotiorum suorum infra scriptorum gestores ac nuntios speciales ac generales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec è contra, videlicet venerabiles & religiosos viros Dominos Ioannem De Puteo Hostalarium & Priorem Claustralem, Marcellinum Almaricij Sacristam, Ioannem Guigonis Eleemosynarium, Bartholomæum De Oleriis Infirmarium & Priorem De Faisalco ibidem præsentes & omnes huiusmodi procuram in se gratis suscipientes, scilicet specialiter & expressè, ipsorum constituentium imo verius dicti Monasterij & Conuentus nominibus, & pro eisdem ad regendum, gubernandum, administrandum, & custodiendum reliquias, iocalia, ornamenta Ecclesiæ, scripturas & alia bona mobilia ipsius Monasterij & Conuentus illius, ac illas transferendi, asportandi, abscondendi & occultandi, & in loco tuto prout eisdem visum fuerit reponendi, occultandi cum debita tamen descriptione, annotatione, numeratione, & ponderatione rerum supradictarum & etiam cum debita promissione de illa, & illas restituendo seu restituere faciendo suis loco & tempore opportunis, iusto tamen & legitimo impedimento cessante, tam de amicis quam de inimicis, quod Deus sua bonitate clementer auertat, & generaliter omnia alia & singula promittentes, releuantes, obligantes, renuntiantes de quibus actum vbi supra in capitulo dicti Monasterij, testes Nobiles & honorabiles viri Petrus de Comte, Blasius Belli Consules, Magister Laurentius de Alla Notarius & Stephanus de Nantis Aurifaber tam ciues quam habitatores Massiliæ. Ego Ioannes Massatelli Notarius.

14. Sequitur inuentarium descriptio & ponderatio facta de reliquiis, iocalibus, & ornamentis Ecclesiæ sacri Monasterij S. Victoris Massiliensis

virtute

virtute cuiusdam potestatis per dictum Monasterium attributæ Venerabilibus viris Dominis Ioanni De Puteo Priori Claustrali, Marcellino Almaricij Sacristæ, Ioanni Guigonis Eleemosynario, & Bartholomæo De Oleriis Infirmario dicti Monasteriis supra insertæ.

Et primò caput S. Cassiani de argento cum reliquiis inclusis, & vno pectorali in quo quidem pectorali sunt quatuor esmeraudæ quatuor rubini, vnus saphir, & sexdecim perlæ, & mitra munita lapidibus pauci valoris, ponderis librarum 33. & mediæ.

Item duo capita vndecim millium virginum de argento deaurato, cum reliquiis inclusis pondere 23. librarum & duarum vnciarum.

Item duo capita SS. Innocentium de argento deaurato cum reliquiis inclusis ponderis 16. librarum & mediæ.

Item imago B. Pauli de argento deaurato cum reliquiis inclusis ponderis nouem librarum & mediæ.

Item brachium sinistrum S. Victoris de argento deaurato cum reliquiis inclusis ponderis decem librarum & mediæ.

Item brachium S. Cassiani de argento de aurato cum reliquiis inclusis ponderis duodecim librarum minus duas vncias.

Item brachium S. Illidij de argento deaurato cum reliquiis inclusis & certis lapidibus pauci valoris, sex librarum & mediæ.

Item brachium dextrum S. Blasij de argento deaurato cum reliquiis inclusis ponderis sex librarum & duarum vnciarum.

Item brachium dextrum S. Ferreoli de argento deaurato cum suis reliquiis inclusis ponderis quatuor librarum & mediæ.

Item brachium dextrum S. Isarni de argento sine auro cum reliquiis inclusis ponderis librarum sex & duarum vnciarum.

Item Custodiam Corporis Domini nostri Iesu Christi de argento deaurato ponderis librarum viginti.

Item quamdam laternam per quemdam bonæ memoriæ Regem Cypri, Beato Vrbano Papæ transmissam de argento, cum variis reliquiis inclusis ponderis librarum 19.

Item custodiam argenteam deauratam in qua est Alabastrum sine Boëra Mariæ Magdalenæ cum dictis reliquiis inclusis, ponderis librarum quinque & mediæ minus vnciam.

Item quamdam custodiam argenteam deauratam cum cruce desuper in qua sunt variæ reliquiæ inclusæ, ponderis duarum librarum & mediæ.

Item vnam crucem argenteam deauratam cum suo pede, quæ fertur ante Abbates quando celebrant Missam, ponderis quinque librarum minus vnciam.

Item Crucem B. Vrbani Papæ cum septem canonis de argento, ponderis 6. librarum & mediæ.

Item Crossam argenteam in qua sunt petiæ ponderis 19. librarum.

Item vnam paruam Crucem sine Crucifixo de argento cum certis lapidibus pauci valoris, ponderis vnius libræ & mediæ & duarum vnciarum.

Item pectorale argenteum in quo sunt nouem lapides saphiri, & decem lapides albi, & tres lapides alij, ponderibus vnius libræ & mediæ & vnius vnciæ.

Item quoddam tabernaculum argenteum, excepto pede multarum ac diuersarum reliquiarum ponderis 26. librarum & mediæ.

Item duas bassinas de argento ponderis sex librarum.

Item vnam mitram Pontificalem Domini Abbatis, vbi deficiunt certi lapides & perlæ.

Item duæ copertæ deargentatæ cum certis lapidibus pauci valoris.

Item tria reliquiaria in quibus inest de ligno crucis Domini nostri Iesu Christi.

Item duas canetas argenti; Custodiam digiti S. Antonij; paruum tabernaculum diuersarum reliquiarum de argento, ponderis 3. librarum & mediæ & vnius carteroni.

Item paruam crucem de argento excepto paumelo, qui est de cupro, ponderis vnius libræ & mediæ.

Item thuribulum argenteum cum sua maneta ponderis 3. librarum & mediæ & vnius carteroni.

Item vnum calicem cum patena de auro cum armis S. Vrbani Papæ ponderis quatuor librarum & mediæ minus duabus vnciis.

Item quamdam paruam crucem de argento deaurato vbi est de ligno Crucis Christi cum annulo Pontificali munito lapidibus & perlis, in quo deficiunt lapides duo.

Item sex calices & quinque patenas de argento non sacratos & octo petias argenti ponderis 7. librarum & mediæ.

Item pedem & caput S. Victoris de argento deaurato vnius quintalis & 15. librarum.

Item duos Angelos cum suis alis de argento ponderis 38. librarum.

Item duas petias dicti capitis, quæ sunt inter pedem & caput cum vitta de argento super deaurato, ponderis 32. librarum.

Item caput B. Victoris cum reliquiis inclusis, & bonetum cum vno lapide Ametisto de argento deaurato, cum suo colari Perlarum & lapidum pretiosorum, ponderis viginti quinque librarum.

Item sex leones de argento deaurato, tres cum alis, tres sine alis, ponderis 21. librarum.

Item in colari, capitis sunt 84. lapides.

Item pectorale aureum B. Victoris ponderis 2. librarum & mediæ cum multis lapidibus pretiosis; & in boneto S. Victoris vnum Amatistum.

Item magnam crucem ponderis 27. librarum.

Item duo magna candelabra de argento ponderis 7. librarum & mediæ.

Item duos bordonos de argento, in quibus sunt 8. Canoni & duo poma de argento ponderis 6. librarum & mediæ.

Item 12. crateres argenti, sex cum pedibus, reliquos sine pedibus & 23. cochlearia siue cullieros ponderis librarum 12. cum vno cum quo fuerint ponderata.

Actum

Actum & actum tam infrà quam extra sacristiam dicti Monasterij die 6. mensis Iulij anno 1524. præsentibus ibidem discretis viris Magistris Stephano De Nantis aurifabro, & Laurentio de Halla Notario tam ciuibus quam habitatoribus dictæ ciuitatis Massiliæ. Ego Ioannes Massatelli Notarius.

15. Accessere deinceps à primis illis temporibus instrumenti ac supellectilis id genus incrementa non pauca. Lichnus pensilis non magis pondere quam opere egregius, pondus est librarum supra octoginta, opus ex argento pulcherrimè cælato, cum subiecta patina & triplici coronario apice in hemicycli speciem, ex quo varij & multiplices hinc inde veluti rami cum circulis eminent, scitè omnes venustéque dispositi, adeo vt totidem cereos aut lucernulas satis laxe sustineant. Organum item Pithaulicum, tantis modulantium tuborum cumulatum ordinibus, eoque deaurati abaci instructu ornatuque decorum, vt in orbe Galliæ vniuerso vix pauca numerentur paria. Odeum ministrorum multitudine auctum, & symphoniacorum Chorus frequentissimus institutus, in quem lectissimi ex omni vicinia cooptati tum pueri ingenui & impuberes, tum viri musicis docti, festis præsertim ac solemnibus diebus laudes Deo statis horis canerent, præsentémque populum & audientem suauitate vocum ad pietatem delinirent; Auleum bombycinum, quo templi parietes conuestiuntur, Martyrij S. Victoris iconibus variis descriptum, Pontificales trabeæ ex veste Attalica, sericæ infulæ, altarium ac sacerdotum sacris operantium amictus tum ex serico tum ex aureo textili, Toralia insuper & sacrorum calicum velamina Phrygio opere auro argentoque confecta, scyphi, vrceoli, vasa, candelabra maiora sex argentea opere eximio, pondere non contemnendo. Nec omittere possum hoc loco singularem curam atque industriam, quæ maximè intentos nunc habet huius temporis Monachos, restituendis in antiquum statum Cœnobij sanctissimi ac nobilissimi casibus & ruinis, ædibus concinnandis ornandisque multa & lauta supellectile, etiam ad spectaculum, iisque comparandis præsidiis quæ non solum ad honestæ vitæ vsum, sed etiam ad Ecclesiæ decus & ornamentum infinitæ seruiant posteritati.

CAPVT XXIII.

Beneficiorum suorum exuuiis ac spoliis Cleri census atque opes auxerunt Monachi Cassianitæ.

1. ETsi quod ait Aristoteles vera honoris materia sit bonum, idque eo magis quo excellentius, vnde sequitur virtutem solam & eos in quibus ea sit honore dignos esse, si vero iudicio res æstimetur; diuites autem & fortunatos atque opulentos externam tantum excellentiam præ aliis habere, eosque à vulgo honorari, quia scilicet nulla alia bona cognoscit quam hæc exteriora, tamen operæ pretium duximus non omittere magna

Aristo. 4. Eth. cap. 3.

Cassianitarum, in re familiari Clericorum augenda, non dico officia vel merita potius, quanta nemo alius ordo religiosus præter ipsos, siue quia sine eis laudis partem, quæ virtuti debetur, non modo referenda sed ne cogitanda quidem gratia consequi possumus, siue quia hæc ipsa rei familiaris solicitudo nonnullum est quandoque indicium vigentis disciplinæ, cum fere fiat vt eædem, sint religiosis domibus commodorum quæ pietatis accessiones & decessiones siue quod veteres inde Monasterij religionisque mores, familiæque pleræque nobiles, ac temporum nonnulla historia eruatur.

2. Vrbanus V. Pontifex Maximus ex Abbate S. Victoris Massiliensi Innocentio VI. ex humanis erepto sublectus, sedem habebat Auenione, quæ ipsam tenuit annos omnino septuaginta quam translata erat in Galliam. Quantas per id tempus radices egerit ordo religiosus S. Cassiani, vel illud indicio est quod eiusdem Pontificis adminiculo fusus per vrbes magis ac dispersus nouas circumquaque locauit familias. Vix dum Pontificatu inito, haud immemor cuius ope summum illud fastigium adeptus esset, Monspeliense Monasterium Collegium nuncupatum SS. Benedicti & Germani moliri instituit. Ac præcipiente iam animo futuram olim amplitudinem eius loci, ingentem circa aream in ea vrbis regione quæ *Costa frigida* dicebatur coëmptam insanis occupat fundamentis, ac ne vectigalem & stipendiariam haberet impetrauit à Carolo Francorum Rege clientelaris fundi ab caduco eximij vtendi fruendique prærogatiuam. Edictum scripto consignatur anno 1364. in hunc modum. *Carolus Dei gratia Francorum Rex. Cum salutiferum & meritorum existimemus diuinæ laudis augeri præconium, ad hoc ergo collatis nobis à Deo temporalibus pie prouidemus more prædecessorum nostrorum Regum, qui defensores & constructores Ecclesiarum suis fuerunt temporibus elargiti*, &c. Eo igitur celeberrimo opportunissimoque vrbis loco non procul ab æde clericorum religiosorum S. Rufi, Cassianitarum est cœpta domus, Vrbani sanctissimi fundatoris ædificari subsidiis Calendis Octobribus SS. Germano & Remigio festis atque solennibus eiusdem anni 1364. Quo in opere sicut & in re curanda domestica mirificè enituit Gancelini Episcopi Magalonensis ac sanctioris ærarij quæstoris nauitas & industria. Interim verò dum templum summa ope extruitur, propagandæ eius sanctitati mirum in modum Pontifex studet, illudque quotidie beneficiis ornat amplissimis. Eximia quippe pulchritudine lipsanothecas duas aurarij fabri elaboratas opera, in quarum alteram caput S. Germani Abbatis Altisiodorensis, in alteram brachium S. Ludouici Tolosani Archiepiscopi religiosè condita & collocata haberentur, cum gentiliriis insignibus donum misit anno 1366. Ecclesiæ iam excitatæ celsis & erectis altaribus velut suæ erga illam religionis indicium, lecto procurandæ rei Legato Abbate Montis Maioris Diœcesis Arelatensis; Pontificale insuper amiculum (planetam appellant) ex holoserico auroque magnificis sanè ac præclaris spicarum fascibus pictum, & opere phrygio prætexto margaritisque conspicuum. Ad hæc peripetasmata ex auro sericoque contexta, boni ominis

ominis munus futurum Monachis rerum diuinarum ibidem administris, atque ei templo consecratis. Exin Monasterij ædes sanè ingentes ac magnificas inchoauit religiosorum, quos ex Abbatia sua S. Victoris Massiliensi euocaret, hospitio præcipuè destinatas, quarum forma huiusmodi. Remotior sinus, à quo implunij apricum aperitur, templo obuersus duobus hinc inde lateribus quasi brachiis protenditur, tota moles tetrachori castelli speciem refert. Templum habet pro arce, in cuius quatuor angulis totidem prominebant turres campanariæ, cymbalis eximiis magnitudine ac specie fusis viginti septem, vt aiunt, luculenter instructæ. De duobus maioris modi siue amplioribus nomen alteri *Vrbanus*, in gratiam fundatoris, *Germanus* alteri, sublata altius in aëra fuisse & in summa turri grandiori appensa liquet ex annalibus, die 20. & 23. August. anno 1367. Sed hodie furore iam pridem hæreticorum ruptæ dirutæque domus pars anterior, verius crates ossea videtur quam Cœnobij spirantis effigies. Conuentum Collegiatum Monachorum Cassianitarum ibidem instituit, quem in Abbatis Massiliensis S. Victoris ditione, potestate, manu esse voluit, sigillo cæterisque collegialibus insignibus ei attributis. *Pro sustentatione*, inquit, *certi numeri Monachorum, à Monasterio S. Victoris Massiliensi dependentium, & per Priorem annalem Claustralem nuncupatum gubernatorum*, &c. Ne verò palæstræ magis & olei quam virtutis & pietatis speciem & tanquam faciem haberet, præter Ludimagistros ac Decretorum Doctores, lectósque plures, quos mansionarios vocant, ex religiosa iuuentute discipulos, alios præterea viginti Monachos ex quorum numero Prior, præpositus, Sacrista, Camerarius, Cellerarius, Piransarius; tum alios chori siue rerum domesticarum adiutores adiunxit, suis cuique annuis redditibus pro rata portione assignatis. Quod vtique opus fuisset operum eius maximum, nisi iam matura æuo mors cœptis eius interuenisset, Deo tam insignem laudem fratri eius Grimoardo Cardinali Albano & Episcopo Auenionensi reseruante, qui anno posteriori duntaxat 1373. & ab obitu Pontificis 3. die 20. septem Collegij claustrum ritu solemni ac publico dedicauit, & in fratris memoriam cenotaphio propalam in Ecclesia collocato, clericis pro odeo mortualia sacra canentibus ipse rei diuinæ operam dedit. Extant literæ tabellionis scriptionis tempore & personarum gradu affectæ anno 1385. Petrus Flammenchi Decretorum Doctor Præpositus Venerabilis Collegij SS. Benedicti & Germani. Item anno 1437. Saluator Fornerius Cellerarius. Anno 1459. Antonius Laurentij Sacrista & Regens Prioratum Collegij Anno 1471. Nicolaus Moriet regens Prioratum Claustralem. Anno 1488. Iacobus Mercier Sacrista. Ann 1500. Ioannes Cellone Prior Claustralis, Stephanus Salelli Locum tenens Præpositi, Guillelmus Boscarin Decretorum Doctor & Sacrista. Hic fuit magnus vir, &c.

3. Quod ad nostrum magis spectat vsum cœpto templi ædificio penè perfecto & ad fastigium perducto, celebritatis fama Auenionem perlata Pontificem ipsum ad opus elegantia tanta & tam insusitatis sumptibus inclytum visendum accendit. Itaque magnifico sane comitatu Patrum purpuratorum

puratorum virorumque Pontificiæ curiæ primariorum, iter in Occitaniam fecit ingenti populorum quacumque transibat gratulatione cultuque exceptus. Quo tempore Ducis Andegauensis præcipuè, fratris Caroli V. Regis Francorum magnificentia enituit, qui Pontifici aduentanti stipatus choro Nobilitatis, vallatus forensi Senatu atque Magistratibus, Regio apparatu Monspelium occurrit. Annus huius sæculi tertij supra decimum 67. Vrbani aduentu insignis perhibetur, & extat in publicis tabulariis certum rei monumentum. Fama est per eam occasionem ipsum per se aram maiorem B. Virgini consecrasse, & omnia Dedicationis templi solemnia omnibus rebus summa cum cerimonia celebrasse. Sunt qui scribant Narbonensem Archiepiscopum Diuini Verbi præconem eximium sermonem fecisse ad populum de altarium & templorum Dedicatione. Addita superliminari vncialibus literis in marmore signata inscriptio Pontificij doni votique monumentum. *Vrbanus V. Pontifex Max. Monasterium & Collegium hoc scientiarum seminarium, pro sua in Christianam religionem & ordinem S. Benedicti pietate à fundamentis extruxit & dotauit. Anno Virginei partus M C C C L X V I.* Meminit vitæ autor à Francisco Bosqueto editæ. *Postea verò circa principium anni L X V I I. iuit ad Montem pessulanum, causa videndi & visitandi Monasterium, quod in honorem Sanctorum Benedicti & Germani à solo, suis magnis sumptibus ædificauerat, & solemniter dotauerat pro sustentatione certi numeri Monachorum iam per eum ibidem instituti & ordinati, partim vt diuinis insistant officiis, & partim in literarum studiis vacent, pariter & intendant. Ipse enim pro tunc in propria, altare maius Ecclesiæ huiusmodi Monasterio consecrauit, magnis priuilegiis decorauit, & multis reliquiis, ornamentis, iocalibus pretiosis adornauit.* Simile habet Papirius Massonus in vita eiusdem. *Apud Montempessulanum de nouo fundauit, construxit, & dotauit vnam magnam Ecclesiam in honorem B. Mariæ Virginis & B. Benedicti & Germani Confessoris. De Auenionensi vrbe accessit personaliter ad Montempessulanum cum fere omnibus Dominis S. Romanæ Ecclesiæ tunc Cardinalibus vbi maius altare dictæ Ecclesiæ solemniter consecrauit.* Nec verò dum parietes extrueret priuilegiis & immunitatibus Conuentum adornare destitit, vbi enim sacris solemniter operatus, in suggestum ad festi celebritatem fabricatum conscendisset, hinc populo qui ad Pontificis aduentum maior solito confluxerat bene precatus, delictorum indulgentiam anniuersariam largitus est omnibus sacram ædem eo Dedicationis die rite visentibus, & ab ordinariorum insuper iurisdictione exemptam domum in suam ac suorum successorum Romanorum Pontificum duntaxat tutelam recepit. Quo iure in publicis actis Monasterij hæc passim leguntur. *Nouerint vniuersi, &c. quod anno Domini 1503. die 12. mensis Iulij Domino Ludouico, &c. In mei Notarij, &c. Conuocatis ad capitulum & congregatis in loco infrà scripto Venerabilibus & religiosis viris Dominis Monachis Collegij insignis SS. Benedicti & Germani Villæ Montispessulani Magalonensis Diœcesis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Item in Bulla rescriptionis Monachorum ad sæculares Clericos. Et in eodem oppido

Masso. n.10. & 11.

oppido (Monspeliensi) sit vnum notabile Monasterium Ordinis S. Benedicti sub inuocatione eiusdem Sancti per Priorem annalem Claustralem nuncupatum, gubernari solitum à Monasterio S. Victoris Massiliensis dicti Ordinis, quod dilectus filius noster Augustinus S. Adriani Diaconus Cardinalis de Triuultiis nuncupatus ex concessione Apostolica in Commendam obtinet dependens. Subinde regiis etiam priuilegiis intellectum est quantæ curæ esset Galliæ proceribus Vrbani sacra domus Monspeliensis, nam Carolus VI. in Regij patrocinij clientelam recepit, interposita pœnæ sanctione si quis ipsam violasset. Literæ sunt huiusmodi anno 1413. *Saluagnardia Regia Collegij SS. Benedicti & Germani Monspeliensis, &c. Quod dictum Collegium constructum fuerit potenter & condecenter intra villam Montispessuli, vt melius & securius subiaceret, mœniis turribus & aliis multiplicibus ædificiis fortificatum & decoratum, quibus ædificiis villa eadem non modicum viribus & potentia est adiuta, & in melius reformata.* Conspirat ad eamdem authoritatem Caroli V. consensus in patentis formulæ syngrapho quo fundatum dicitur Cœnobium, *ad exaltationem Ecclesiæ S. Victoris Massiliensis de cuius regimine nuper & assumptus Sanctiss. Pater summus Pontifex ad summum Pontificatus apicem, & quod sit vnum Monasterium Ordini & religioni dictæ Massiliensis Ecclesiæ subiectorum.* Negotio confecto & ad exitum adductis cogitatis institutisque suis, Pontifex Auenionem reuertitur 8. Martij anno 1667. discessum in Italiam quem animo destinauerat proximum apparaturus.

4. Verùm exortus iste tanti splendoris & gloriæ ab omni laude fœlicior, breui alium cursum petiuit, anno enim à conditu Monasterij 166. vix peracto, magna rerum permutatione impendente declinauit paululum. Quam ob rem cum postulatum esset à Paulo III. Pontifice Maximo vt Episcopalis sedis ædem ac Capitulum à Magalone insula Monspellium transferri liceret, haud ægre impetratum ac visum insuper Canonicis dictis Regularibus S. Augustini in idem Capitulum inserere Vrbani Monasterium, quod alieno & firmiori immissum trunco, genus suum & indolem posset facilius retinere. *Ex Monachis*, inquit Pontifex, *S. Benedicti supra dictis Monspelij degentibus & Canonicis Magalonæ regularibus vt deinceps ex ipsis constaret vnum Capitulum, quod Capitulum Monspeliense diceretur & sub inuocatione D. Petri Ecclesiæ & Capituli Magalonensis patroni Deo deseruiret in dicta Ecclesia S. Benedicti quæ in Cathedralem Ecclesiam erecta est.* Rem Franciscus I. Christianissimus per literas, nuntiúmque Carolum Episcopum Matisconensem Romæ apud Pontificem curandam suscepit, & ad optatos exitus studij sui, & vt hoc verbo vtar, fauoris aura prouexit. Et est diploma Pauli III. quod vocant sæcularisationis, honorario prooemio ad Vrbani magnificentiæ laudem insigniter ornatum, in hæc verba. *Miris constans ædificiis.* Datum Romæ Anno Incarnationis Dominicæ 1536. 6. Calen. Apri. Pontificatus ann. 2. Tum ne qua ex parte Rex sapientissimus & virtute clarissimus violaret atque imminueret ius & officium, Cardinalem Triuultium Abbatem Monasterij S. Victoris Massiliensis, in cuius ditione ac potestate

eſſet Collegium, mirifica Senatus, incredibili totius Galliæ, ſingulari bonorum omnium conſpiratione in ſuam ſententiam adduxit, ſero tamen & nequicquam reluctantibus eiuſdem Cœnobij Monachis Maſſilienſibus, ac deſerta vadimonia appellantibus, lite damni iniuria diu cum Monſpelienſi Capitulo conteſtata. Iudicialis Senatus Maioris decreto conciliati Maſſilienſes anno 1566. accepere conditiones, ſed ita vt Abbati Maſſilienſi S. Victoris pro tempore exiſtenti deferretur prærogatiua legendi nominandique vnum aliquem è Canonicorum ſodalitio, quo iure primus à Cardinale Triuultio tunc deſignatus illum in locum atque in hanc ſedem dignitatis & honoris aſcendiſſe dicitur Dominus Sebaſtianus Galterij, vir grauis & ſapiens. Eidem inſuper priuilegij vis & authoritas, ſummi Pontificis decreto interpoſito ac publicis literis confirmata, vt quotieſcumque ad ciuitatem Montiſpeſſuli acceſſerit, & chorum Cathedralis Eccleſiæ ingredi ſeu ſequi voluerit, primum & honorabilem locum in choro huiuſmodi poſt Epiſcopum habeat. Poſtremo vt ex annuis Collegij redditibus, ducentos in perpetuum ſibi attributos francos nummos acciperet Conuentus Maſſilienſis S. Victoris, quos Capituli Monſpelienſis Procuratores Quæſtorij, Maſſiliam ferre ad Conuentum, ac viciſſim Conuentus ipſe Maſſilienſi venientes procuratores hoſpitio excipere, omnibúſque rebus tractare liberaliſſimè obſtricta fide tenerentur.

5. Huius rei ne poſteritas quidem omnium ſæculorum immemor foret, votiuam inibi tabellam marmoream hoc titulo maximè inſignem religio & pietas deſignarunt.

Hæc ædes ſacra quæ nunc, è malorum gurgite emergit, anno 1364. initia & fundamenta habuerat & Reginæ Cœli D. Patri Benedicto atque S. Germano Pariſienſi Antiſtiti magnifico vereque pio apparatu dedicata fuerat ab Vrbano V. Pontifice Maximo, ſolemnis rei gerendæ formulæ curam ſuſcipiente Petro Archiepiſco Narbonenſi, & ædificij totiúſque opificij perfectioni atque exornationi operam nauante Cardinali Albanenſi ſummi Pontificis fratre Heroico viro. Anno autem 1536. D. Petro & Canonicorum Magalonenſium Collegio religioſis ſoluto legibus Monſpeliumque tranſlato, Franciſci I. Gallorum Regis Chriſtianiſſimi ſollicitudine, Cardinalis Triuultij aſſenſu, & Pauli III. Pontificis M. diplomate conceſſa, largita, ac tradita fuerat, vt Epiſcopalis Cathedræ templum eſſet. Sed hæreticorum cæco, effrænato, & periuro furore polluta, quaſſata, expilata, direpta, atque dirupta anno 1567. horrendus exeſorum ac ſemirutorum parietum aceruus ſexaginta & ſeptem annos manſit. O cælum vide, & illatas tibi iniurias vindica. Nunc verò fœliciter Ludouici XIII. Regum Chriſtianiſſimorum Chriſtianiſſimi, bellicoſiſſimi, iuſtiſſimi, afflictæ Eccleſiæ vindicis & vltoris ſemper triumphantis religioſa liberalitate magno immortalique beneficio, nec non eminentiſſimi Cardinalis Ducis Richelij Mortalium piiſſimi, prudentiſſimi, fortiſſimi, in quo virtutis apex & purpura de ſplendore, dignitate, amplitudineue certant, pia cura in mole curarum vniuerſæ Europæ itidemque liberalitate inſtaurata eſt.

6. Sequitur aliud in eodem genere, commendatione in vulgus ac liberalitatis

beralitatis laude præcipuum, Ioannem eius nominis XXII. Romanum Pontificem ita rebus nouis studuisse aiunt historiæ, vt & simplices Episcopatus bifariam diuiserit, ac diuisos in vnum redegerit, & Abbatias in Episcopatus & rursum Episcopatus in Abbatias conuerterit. Nouas dignitates, noua Collegia, & societates in Galliis constituit & constitutas prius in alias formas vertit. Abbatiam toto orbe Venerabilem Casinatem in Cathedralem erexit anno 1319. quam postea Vrbanus V. in pristinum restituit statum. In Tarraconensi Hispania Archiepiscopatum Tarraconensem in duos diuisit, alteram Metropolitanam Cæsaraugustæ collocauit, eique ex vndecim Cathedralibus Ecclesiis Metropolitanæ Tarraconensi quinque addixit anno 1318. Ecclesiam Cathedralem Tolosanam S. Stephani erexit in Archiepiscopalem sedem, primumque Archiepiscopum instituit in eadem D.Ioannem de Conuenis in Diœcesim verò Tolosanam, quæ in redditibus Episcopalibus abundabat, in sex Episcopatus diuisit quorum Episcopi essent suffraganei Archiepiscopi Tolosani, sexque villas in nouas ciuitates erexit, videlicet villam Montis Albani, villam de Riuis, villam & Abbatiam de Lomberiis, villam cum Abbatia de S. Papulo, villam de Vauro, villam de Mirapice, Episcopos & Episcopales sedes constituens in singulis earumdem, fueruntque consequenter iussu & ordinatione eiusdem summi Pontificis Diœceses certis terminis limitatæ. Item in Archiepiscopatu Narbonensi duos Episcopatus fieri ordinauit, quorum, primum & priùs posuit in Limoso, & ipsum instituit in eodem, sed paulo pòst sedem inde transtulit ad Abbatiam de Electo. Secundum verò Episcopatum instituit infra annum, & sedem eius posuit in Abbatia S. Pontij fueruntque Diœceses limitatæ consequenter. Item Episcopatum Albiensem diuisit in duos, Episcopalem sedem instituens in Abbatia Monachorum apud Castras, villam Castrensem in nouam erigens ciuitatem. Item in Episcopatu Rutenensi alium Episcopatum ordinauit, sedemque eius posuit in Abbatia ac villa de Vabrio. Item in nonnullis villis, in Tolosana Carcassonensi & Albigesio & alibi instituit Collegiatas Ecclesias Canonicorum sæcularium, cum dignitatibus & præbendis, redditibus singulis Ecclesiis assignatis. In monte Albano, siquidem Collegiatam Ecclesiam instituit cum Decano & Canonicis, qui vnà cum Monachis Abbatiæ dicti loci,vbi est sedes Episcopalis ad electionem de Episcopo faciendam conuenirent. Item in Castro nono de Arrio collegiatam Ecclesiam instituit, cum Decano & Canonicis qui vnà cum Monachis sedis Episcopalis sancti Papuli concurrerent ad electionem Episcopi celebrandam. Item in Ecclesia S. Pauli de Fenelhedesio Diœcesis Electensis Collegiatam Ecclesiam instituit cum Decano Canonicis & Præbendis qui vnà cum Monachis sedis Electensis concurrerent ad electionem Episcopi celebrandam.

7. Ex quibus manifestè deprehenditur in Occitania quatuor Episcopatus, Castrensem, Vabrensem, Papulensem, & S.Pontij Thomeriarum opibus & copiis affluentes non ex aliis quam ex Ordinis S. Cassiani fontibus & Abbatiis ac Prioratibus Monasterio S. Victoris Massiliensi cen-

sualibus detractis, primigenij splendoris ac dignitatis suæ riuulos deriuasse. In Castrense Monasterium, S. Vincentij Martyris corpus Valencia Hispaniæ translatum est, vt testatur Aymoinus, de gestis Francorum & duobus libris quos de inuentione seu translatione B. Vincentij conscripsit. Eiusdem Monasterij Monachi religiosis soluti legibus ad sæculares Canonicos transcripti fuerunt anno 1535. Iacobo Turnonio Episcopalem tunc gerente dignitatem. Id Monasterium seu Abbatia Castrensis S. Victori Massiliensis velut capiti subiecta erat, sicut Abbatia Vabrensis ad Episcopatus dignationem ac titulum à Ioanne 22. an. 1317. euecta, iuxta obseruationem Claudij Roberti in sua Christiana Gallia, dum de Abbatia S. Victoris Massiliensi agit. Vabrense Monasterium à Raymondo Tolosano Comite apud Rutenios conditum est, quæ regio vt supra meminimus in duos Episcopatus diuiditur, in Rutenensem scilicet & Vabrensem. Vabrensis Monasterij institutio fuse à Castello in sua Tolosanorum Comitum recensione describitur anno 23. Regni Caroli Calui. Papuli Monasterium nomen dedit vrbi Lauracensium sub Tolosano Parlamento & Archiepiscopatu, à quo diuulsus hic nouus Episcopatus à Ioanne 22. erectus anno 1317. vt notat Martinus Polonus. Primus hic Bernardus ex vltimo Abbate Monachorum Cassianitarum, inauguratus Episcopus obiit anno 1327. ex nobili domo de Turre Diœcesis Mirapensis. Monasterium S. Mariæ quod dicitur Thomeriarum quædam quasi sedes & fundamentum fuit ad constituendum Episcopatum Sanpontiensem eodem autore Ioanne 22. & anno 1317. sub Parlamento Tolosano & Archiepiscopatu Narbonensi.

Aymo. lib. 5. cap. 20.

8. Atque his iisdem diributionibus in Diœcesi Nemausensi annumerandum Monasterium S. Petri Psalmodiensis apud Aquas Mortuas vulgo *Psalmodi* cùm enim Episcoporum iurisdictione exemptum ex diplomatibus Gregorij 7. Richardo Cardinali & Abbati S. Victoris Massiliensi Romæ Pontificatus anno 8. & Vrbani II. anno 1097. Monasterio & Abbati S. Victoris subiiceretur, ita vt posset Abbas Massiliensis cum consensu Monachorum Psalmodiensium, instituere ipsorum Abbates simul atque deponere, aut corrigere, nescio qua vel Monachorum incuria vel iniuria temporum, nunc religiosæ S. Cassiani disciplinæ exsolutum legibus, & in sæculares Canonicos relatum, sub imperium suum ditionémque Episcopus Nemausensis subiunxerit. Pro testimonio exemptionis ab omni iurisdictione Ordinariorum scribit Innocentius III. ad Benedictum siue Bernardum Abbatem Psalmodiensem.

B. Abbati Monasterij S. Petri Psalmodiensis, eiusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Innocen. 3. in Reges 15. l. 3. Epist. 109.

QVoniam ex commisso nobis diuinitus Apostolatus officio, tam vicinis existimus quam longè positis debitores, viris quidem religiosis tanto

tanto specialius adesse nos conuenit, quanto ipsi maiori desiderant quiete potiri, & Apostolicæ sedis præsidio noscuntur plenius indigere. Ea propter dilecti in Christo filij vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium S. Petri Psalmodiensis, in quo diuino mancipati estis obsequio, ad exemplar fœlicis recordationis Stephani, Ioannis, Vrbani, Paschalis, Honorij, & Innocentij prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus Imprimis siquidem statuentes vt ordo Monasticus, qui secundum Deum & B. Benedicti regulam, &c. Vsque inuiolabiliter obseruetur. Et infrà mox. Porro prædictum Monasterium Psalmodiense nullius alterius Ecclesiæ iuri ditionique subiaceat, quàm Romanæ. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, &c. Vsque prouiderint eligendum. Cui nimirum à Diœcesano Episcopo omni professione ac exactione seposita benedictio impendatur. Sepulturam quoque ipsius loci, &c. Vsque, à quibus mortuorum Corpora assumuntur. Decernimus ergo, &c. Vsque vsibus omnimodis profutura, salua sedis Apostolicæ authoritate. Si qua igitur in futurum, &c. Vsque districtæ subiaceat vltioni. Cunctis autem eidem loco, &c. Vsque præmia æternæ pacis inueniant. Amen. Datum Laterani per manum Ioannis S. Maria in Cosmedim Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij. 8. Idus Iunij Indict. 15. Incarnationis Dominicæ anno 1212. Pontificatus anno 15.

9. In Diœcesi Condonensi Letoratem inter & Condonum extabat olim Cœnobium apud vicum, quem *Larromien* vocant vno & sesqui altero milliari ab vtraque distans ciuitate. Id ditionis erat Monasterij S. Victoris Massiliensis, penes quod summæ, mediocris, & infimæ iurisdictionis gerebatur potestas. His de causis alienatum & à Priori dominio distractum fuisse proditur. Cùm Arnaldus d'Aux è loco quem suprà mox nominauimus de Larromien oriundus, in purpuratorum Patrum numerum anno salutis assertæ 1312. à Clemente V. fuisset adscriptus, Canonicorum Collegium, in supra laudato instituit vico, anno eunte 1318. ac Cœnobium aliis Massiliæ proximis beneficiis, Victorino Monasterio attributis, permutauit liberumque in annonariam fundi præstationem Collegio suo addixit. Legisse me alias comemini fundationis instrumentum, cum subscripta huiusmodi formula. Datum Auenione in hospitio habitationis nostræ anno Domini à Natiuitate eiusdem 1318. Indict. 1. die penultima Mensis Iulij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Ioannis diuina prouidentia Papæ 22. anno 2.

10. Neque minus religiosorum familiis quàm ordini sæcularium Clericorum Cassiani domus Massiliensis præsens auxilium tulit. Cœnobium S. Maximini, quod dicitur, in Diœcesi Aquensi multis iam sæculis ante natum Ordinem fratrum Prædicatorum, hoc est septingentis vel octingentis circiter annis, initium aut potius incrementum (fuerat enim à S. Maximino inchoatum) olim ex parte cœpisse à Monachis Massiliensibus S. Cassiani, eo fere tempore, vt coniicere licet, quo eiusdem Cassiani

sanctitas eximia ac Cœnobij eius Massiliensis propagatio & soboles atque reliquorum circumquaque in Gallia Cœnobiorum fuit, anno scilicet 500. & 600. Cum Dominicanus ordo ab Innocentio III. Concilij Lateranensis tempore voce approbatus, deinde etiam scriptis ab Honorio III. non fuerit ante annum 1216. Confirmant plures Romanorum Pontificum Bullæ in Tabulario Monasterij Massiliensis S. Victoris, quæ de hoc Cœnobio Sanmaximinensi Magdalenæ & Maximini reliquiarum veneratione inclyto ac nobili, memorant ac recensent inter cæter cæteras Ordinis S. Cassiani familias & membra, Paschalis 2. anno 1114. Innocentij II. anno 1136. Honorij III. anno 1218. qui sibi præluxisse aiunt in hoc testimonio Bullas antecessorum suorum Gregorij VII. anno 1018. & Vrbani 2. anno 1095. Qua verò ex causa & occasione illud in ius ac dominium PP. Dominicanorum transtulerit Carolus II. Siciliæ Rex & Prouinciæ Comes, explicaui mentem meam in Magdalena Massiliensi aduena. Pactis cum Aragonensi hoste à quo captiuus detinebatur induciis siue ipse sua sponte, & voluntate suoque erga Magdalenam singulari religionis studio, siue quod in salute ac libertate recuperanda eius præsentissimam sensisset operam, Conuentum Sanmaximinensem omni ope ornare cœpit. Omnium primum cum eductus è custodia commisit se viæ ad Philippum Regem Francorum & Carolum eius fratrem, iturus in Prouinciam diuertit Magdalenæ exoluturus vota. Ibi quod religiosæ vitæ S. Cassiani Abbatis Massiliensis disciplina multis post annis, quod natura fert in omnibus ferè rebus, paulatim consenescere & aliqua ex parte laxata crederetur, quasi minus splendoris & famæ in Magdalenæ sacram Domum videtetur inde refundi. Haud parum memor sibi diuinitus in somnis à Magdalena prænuntiatum vt Monachis Cassianitis Fratres Prædicatores substitueret, & venerandas reliquias ipsorum curæ committeret. Eosdem ex authoritate Pontificis Sanmaximinensi præposuit Cœnobio. Lecti aliquot ex Fratrum numero ad Regiæ domus celebritatem illustrandam ac promouendam maximè idonei. Monasticam Præfecturam detulit Rex ipse Magistro Fratri Guillelmo De Tonais Sacræ suæ pœnitentiæ administro, eximiæ integritatis ac prudentiæ viro, quem simul ac successores eiusdem Monasterij præsides, exemptione ab authoritate ordinariorum spectabiles fieri voluit, facultatémque indulgeri habendi curam animarum super habitatores villæ dicti loci S. Maximini, & illuc aduenientes quamdiu ibi commorarentur. Exin Renatus non tantùm Caroli II. Superiorumque Regum decessorum suorum Roberti, Ioannæ Reginæ, Ludouici I. Ludouici II. Ludouici III. priuilegia immunitates beneficia Sanmaximinensi Cōuentui tributa stabili perpetuoque iure rata esse iussit, sed deinceps aliis etiam super alia decretis ac numeribus impensè cumulauit. Rex optimus probe gnarus morum emendationem ex bene instituta iuuentute pendere, Collegium instituit eorumdem Fratrum Prædicatorum, priuilegiis, immunitatibus, cæterisque Academiarum insignibus ex parte attributis. Viginti quinque fratres inibi Conuentuales, ex quorum numero Prior Academiæ Præses & Vicarius forent, tres præterea religiosos

Cap. 17. & 19.

religosos Professores, vnum in Artibus Liberalibus & Philosophia Naturali, alterum in Decretis, tertium in sacra Theologia esse voluit, sui cuique annui reditus pro rata portione assignati. Porro præcipua omnium cura semper fuit peregrinorum animos confessione expiare, agrestes homines Christianorum mysteriorum rudes informare, omnes ad vitæ perfectæ studium accendere. Et quam ista frequens opera vniuersim tum aduenis tum indigenis frugifera & salubris extiterit, satius est aliis cogitandum relinquere quàm nos literis prodere.

11. Huic quasi vesti laciniam, coniunctum voluit Carolus Prioratum S. Mariæ De Balma quem similiter à Monachis Cassianitis fundatum, & in eorum ditione ac potestate olim fuisse testantur literæ Pontificiæ, de quibus scripsi proximo Superiori capite 19. & in Magdalena nostra Massiliensi aduena, Capite 29. num.6. & sequentibus.

12. Monasterium de Chiriaco apud Gaballos ad Chiracum nunc Collegio Rutenensi nostræ Societatis additum est. Inibi fuit olim Prior & sex Monachi. Ab Alberto Episcopo Mimatensi nec non eius fratre Barone De Petra (De Peyre) apud Gaballos institutum, vt constat ex tabulis fundationis, quas ego accutatè volui. Anno 1062. Vrbanus Papa hoc nomine quintus filius Grimoardi Domini de Grisac in Diœcesi Mimatensi Gaballorum, nec non Amphesisi Montisferrandi Castelli vna leuca ab eo Monasterio dissiti, in eo vitæ religiosæ tirocinium posuit & Monachorum Cassianitarum regulam professus, primum sacrum fecit, eiusdemque Monasterij ædis consectationi & dedicationi interfuisse dicitur, vbi illius Gentis scutaria tessera etiamnum patet, cuius typo gaudens Comes Du Roure pro illius familiæ hærede se habet. Illius Monasterij ædes sacra olim ab hæreticis planè diruta à Collegio Rutenensi erecta ac instaurata est, non eo tamen splendore quo olim conspiciebatur.

13. De iuris accessione quo Monasterium S. Honorati Arelatensis in Patrum Minimorum potestatem ac dominium venerit, monstratum est supra cap.18. huius libri num.24.

14. Minus illustres, si personas conferas, sin res ipsas magis fortasse spectabiles: extitere distractiones aliæ beneficiorum, quibus S. Cassiani domus priuata, seu Collegia seu dignitates Clericorum in fundis & redditibus auxerunt. In Diœcesi Aquensi memorabile habetur Canonicorum Collegium de Bariolis, cuius Præpositura non aliis ditatur enthecis prædiatoriis, quàm exuuiis Prioratus ruralis de Gallet, Cassiani tum familiæ detractis. Instituit dotauitque id Collegium Raiambaldus Monachus S. Victoris Massiliensis & Archiepiscopus Arelatensis & sub censu denarij aurei Alexandro Papæ II. subiecit, anno 1060. de qua re in Autographo Episcopali Arelatensi pernobilis extat memoriæ Raiambaldi, videlicet ad Alexandrum & Alexandri ad Raiambaldum & Bertrandum Foroiuliensem Epistolarum, quarum postrema est huiusmodi.

In Autogra. fol. 199. R. 365.

Venera

Venerabilibus Confratribus Raiambaldo Arelatensi Archiepisc. & Bertrando Foroiuliensi Episcop. Perpetuam in Domino salutem.

ALexander Episcopus seruus seruorum Dei. Quoties illa à nobis requiruntur, quæ iustitiæ concordare videntur libenter debemus impendere, & iustè poscentium animis condescendere. Quia igitur Charissimè frater Raiambalde Arelat. Archiepisc. postulasti à nobis, vt Ecclesiam S. Mariæ sitam in villa quæ dicitur Bariols, in territorio videlicet ciuitatis Foroiulij, quàm B. Petri perpetualiter iuri supposuisti, priuilegio confirmaremus Apostolicæ sedis: inclinati precibus tuis, ipsam Ecclesiam sub tutela & defensione S. R. Ecclesiæ recepimus, eamque ab omni infestatione liberam & quietam esse decreuimus, ita quidem vt pro ea annualiter S. Petrus habeat vnum denarium aureum. Præterea confirmamus ibi quidquid nunc iustè possidet vel deinceps possidere debet, Apostolica interdicentes authoritate, vt nullus ibi præpositus constituatur neque Clericus aut Monachus inducatur absque voluntate eorum, qui vinculo possessionis eidem se Ecclesiæ seruituros venerunt. Interdicimus etiam vt nulla Ecclesiastica seu sæcularis persona præsumat præfatam Ecclesiam inquietare, aut ea quæ superius continentur infringere. Quod si quis temerario ausu præsumpserit, vinculo excommunicationis vsque ad dignam emendationem se innodatum nouerit, at verò qui custos & obseruator extiterit & pro intuitu aliquod bonum ibi conferre studuerit repleatur abundantia Apostolicæ benedictionis. Dat.

15. In eadem Diocesi Prioratus tres, De Cesolis, S. Mitrij, & S. Simeonis De Auriac Cœnobiarchica Monachorum S. Victoris Massiliensium vectigalia, primum quidem Gregorius Papa eius nominis X I. alij alios vt erant Magdalenæ cultui eximiè dediti Fratrum Prædicatorum Conuentui donarunt dicaruntque, cuius donationis caput in Tablino eiusdem Conuentus asseruatum legere licet, vt inde appareat, quàm singularis erga Magdalenæ domum deriuata è Cassiani fontibus liberalitas extiterit.

In Diœcesi Sistaricensi Prioratus SS.Martini & Marcellini de Neudelis vel Muazellis gratuita Sacerdoti transcriptione cessit Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ de Forcalquerio.

In Venicensi eodem transcriptionis iure Prioratus de Crotonis vsurpatur à Capitulo eiusdem Ecclesiæ Cathedralis Venciensis.

In Arelatensi Prioratus S. Bartholomæi loci Medenarum & S. Sepulchri de Clausono sunt in cibaria tum partita in diem, tum vniuersè in annum tributa Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Monspeliensis. Prioratus ruralis de Marignana nunc Canonicis Arelatensibus Ecclesiæ Metropolitanæ stipendiarius est & vectigalis.

In Auenionensi Prioratum S. Mariæ de Metans acquisiuit Ecclesia Collegiata

Collegiata S. Agricoli, cuius opimum fundum cum tenuiori suo commiscéat.

In Nemausensi, Prioratus B. Mariæ de Saumona & S. Martini de Areis vniti Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Monspeliensis, cum Ecclesiis Parochialibus S. Stephani de Calhario eiusque annexa S. Ægidij veteris, S. Laurentij de Naillio Sancti Genesij de Arigario, S. Michaëlis de Barsaniguis.

In Vticensi eiusdem Capituli membrum censetur Prioratus S. Mammetis & S. Petri de Blanuomieres.

In Monspeliensi ad eiusdem dominium pertinent, Ecclesiæ B. Mariæ & S. Ioannis de Reno S. Michaëlis de Brugeriis, & S. Petri de Clineto, aliter S. Blasij prope flumen Laui. Sigillatim ad Archidiaconatum Monspeliensem Ecclesia S. Petri de Monte Albeduno cum sua annexa, SS. Nazarij & Celsi de Medullio.

In Agatensi sub eiusdem Ecclesiæ Monspell. ditionem subiunctum Monasterium fine Ecclesia de Tremoleto.

In Narbonensi dependent à Capitulo Monspeliensi, Ecclesiæ B. Mariæ de la Serra & S. Germani de Casserario.

In Mimatensi Prioratus Conuentualis S. Saluatoris de Chiriaco in censum venit Collegij Rutenensis Societatis nostræ, scripto concepta contractaque obligatione soluendi libras omnino ducentas, in annuum vectigal Monasterio S. Victoris Massiliensis. Item Ecclesiæ S. Iuliani de Tornello, Sancti Iuliani de Portis & S. Laurentij de Truno vnitæ Capitulo Monspeliensi.

In Albiensi Prioratus Vicarius & Ecclesia tam Parochialis quàm ruralis cum Ecclesia B. Leogerti, Castrensis Diœcesis, vnitæ respectiuè Subprioratui de Ambilleto & Capitulo & Maiori Archidiaconatui præfatæ Ecclesiæ Monspeliensis.

16. Mitto alia non pauca quorum veteris cuiusdam memoriæ non satis explicata liquet recordatio, vel quæ ab aliis siue religiosis siue Clericis iam habentur in suorum Ordinem ac numerum cooptata, vt vix vlla in memoratis Diœcesibus Ecclesiastica societas fere sit pro cuius fundatione non huius communionis bonorum vestigia, vel expressa potius testimonia passim extent.

CAPVT XXIV.

Romani Pontifices in Galliam peregrinati ad Monasterium S. Victoris Massiliæ hospites diuerterunt.

1. LEonem Papam cognomento Magnum à Sixto III. Legatum in Gallias missum redintegrandæ Albinum inter atque Aëtium amicitiæ causa testatur Prosper in Chronico. Quod verò Roma digressus ascenderit ad nauim, & plenissimis velis Massiliam secundo cursu perue-

nerit, attigi supra lib.1.cap.91.vbi super hospitio ad quod diuerteret haud haberi varius delectus potuit, dum Cassianus viueret in oculis vrbis, vir excellentia doctrinæ præ cunctis clarus, ipsique Leoni charus & perfamiliaris. Hic Monachorum hortatu atque consilio rogatus à ciuibus vt Monasterij extructionem quam S.Cassianus fundauerat recens, consecraret. Assensit Leo deditque libenter rei diuinæ operam & sacris initiisque tradendis præluxit, nec solum diuinis precibus sacrauit ædem, sed etiam sancti Olei perliniuit vnctione, festosque dies dedicationis egit celeberrimo virorum Massiliensium mulierumque Conuentu. Ac ne qua ritus abolescat, Celebratur annuis Missæ officiique diuini solennibus 7. Calend. Iulij eius memoria rei veteri Elogio posteritati tradita, quod supra capite citato ex Bulla Benedicti Papæ ad Verbum exposuimus.

2. Benedictum IX. iter in Galliam fecisse, & Massiliam venisse fortè Serenissimorum Principum Gaufredi & Bertranni ac Vicecomitum Vuillelmi & Fulconis quorum meminit in diplomate hospitum Massiliensium inuitatione liberali adductum. Qua causa Benedictum VIII. huiusce Benedicti patruum, hortatu Henrici Imperatoris in Germaniam peregrinatum esse affirmant Annales. Fortè quia Romani Benedictum tanquam hominem ignauum & nullius pretij perosi, è sede deturbare in eiusque locum sufficere Antipapam sæpe aggressi sunt, tot tantisque Pontifex difficultatibus affectus & afflictus de amicorum sententia in Massiliensium fidem, charitatem, præsidium confugit rebus suis diffidens. Nam sedisse dicitur per interualla, primùm gentilibus atque affinibus suis Tusculanis Comitibus annitentibus suffectus est patruo Ioanni 20. defuncto 3. Nouem Anno 1032. sed cum in dies modo hunc modo illum Romanos vexaret, post longam vexationis tam importunæ tolerantiam sede sua pulso Ioannem patria Romanum Ioannis Laurentij filium & Episcopum Sabinensem, vocatum Syluestrum III. subrogarunt. Quam contumeliam eius affines Tusculani Comites ægro admodum ferentes, facto tandem impetu cum militibus & collecta hominum agrestium multitudine adiuti, Syluestrum è Lateranensi Patriarchio deturbantes Benedictum in dignitatem pristinam restituerunt. Post hæc cùm se omnium odio ac contemptui haberi videret, nec satis roboris ad tantam procellam sustinendam haberet, tertio cuidam, qui Gregorius Sextus dictus est, ius suum siue vltro siue pretio pecuniæ, vt aiunt, cessit in Pontificatu, dissentiente nihilominus & aduersus vtrumque tumultuante Syluestro. Quare grauissimis contentionibus atque dissidiis, quibus & id genus aliis iam prope 200. annos Ecclesia laborauerat, vt prouideretur, Henricus III. Niger Imperator Augustus in Italiam sine mora & abiecta omni cunctatione profectus est, eoque præsente Sutrij ex Synodi ibidem congregatæ sententia abrogato tanquam simoniaco Gregorio VI. & Syluestro III. Ioanne & Benedicto IX. exauctoratis Antipapis Cardinalibus Clero Senatu populoque Romano, qui eodem conuenerant, relatione deinde de nouo Pontifice subrogando facta, Bambergensem Episcopum virum probum ac literis eruditum, Suidgerum dictum Imperatoris Cancellarium alioquin

quin obscuris natum parentibus, qui in Conuentu suo aderat ex Saxonia Prouincia, quam Albis clarum flumen interluit, in Pontificem elegerunt 12. Calend. Ianua. Clementisque II. ei nomen impositum, etsi inuitum & dignitatem illam refugientem, vt Hermanus Contractus in Chronico refert. Sutrio inde Romam est pridie Natalitia ventum. Postridie in ipso Natalitiorum festo Clemens Pontifex consecratus ineunte anno 1047. deinde Henricum cum Agnete coniuge Imperatoriis insignibus decorauit, atque perfectis in Vaticano solemnibus Pontifex, Imperator & Imperatrix maximo totius populi Romani plausu in Lateranum, coronis quisque suis redimiti, de more procedentes, oculos in se omnium tanti maiestate spectaculi conuerterunt. Fuisse autem Benedictum IX. nepotem Benedicti VIII. Petrus Damianus Cardinalis testatur, quem idcirco Benedictum iuniorem vocat. Eumdem Theophylactum antea dictum Hermanus Contractus insignis historiæ scriptor refert. Glaber Cluniacensis Monachus tradit eum nondum puberem Pontificatum assequutum. Itaque si quid criminis in corrumpendis Comitiis fuit, id non ei sed amicis & consanguineis tribuendum censetur. Sedit annos 12. menses 4. dies 20. creatus 3. Idus Nouemb. anno 1032. Pontificatu exactus 11. Calend. Februarij anno 1045. Sacerdotij sui anno 12. Mense 1. die 12. Tum pulso Syluestro restitutus 5. Idus Martij post mensem vnum dies 29. Tandem in Sutriensi Synodo cum cœteris competitoribus & in Schismate sociis, planè exautoratus est anno ineunte 1047. Tamen defuncto postmodum Leone Papa IX. Romanam sedem tenuit quintò, menses fere 11. donec nonus electus Victor 2. anno 1055. Romam venisset, nam paulo pòst mortuus est & in Basilica S. Petri sepultus.

3. Ioannem VIII. in Gallias tanquam ad asylum confugisse tyrannorum auaritia & iniuriis oppressum testantur passim veterum Francorum Annales. Quemadmodum autem ab vrbe coactus fuerit exulare, confert causas & quid in quamque sententiam dici possit breui perstringit incertus Pitœi autor in Chronico. Lambertus Vuitonis siue Vuidonis filius & Albertus Bonifacij filius Romam cum manu valida ingressi sunt, & Ioanne Pontifice sub custodia retento optimates Romanorum fidelitatem Carolomanno Sacramento firmare coëgerunt. Quibus inde discedentibus idem Pontifex domum S. Petri ingressus, omnes thesauros quos ibi reperit ad Lateranos transtulit, & altare S. Petri cilicio cooperuit, & cuncta ostia eiusdem Ecclesiæ clausit nullumque ibi officium ad Dei cultum pertinens per plures dies celebratum est, & quod nefas est omnibus vndique illuc orationis causa venientibus negabatur introitus, erantque ibi omnia conclusa. Hæc ibi sed ex multis pauca paucisque narrata quæ pluribus Ioannis ipsius epistolis descripta habentur Tomo 3. Conciliorum, parte altera Binij, primum ad Ioannem Episcopum Rauennatem Epistola 82. & ad Berengarium Comitem ex regia stirpe oriundum Epist. 85. vbi præcipuè queritur quod ab vrbe Roma quam S. Petro Imperatores tradidissent esset exclusus, rogans vt ea cuncta Carolomanno nota faciat, cuius voluntate se ille impius cuncta fecisse iactasset. Scripsit etiam de his

ad Angelbergam Augustam Deo dicatam. Sed & hæc eadem nota esse voluit Ludouico Balbo filio nuper defuncti Caroli Calui Imperatoris, cum iam vt ait infulas imperij suscepisset, ab Ecclesia Romana. Dum verò lugubre factum recenset, habuisse tradit Lambertum complicem in scelere Adelbertum Marchionem, coëgisseque iurare fideles Ecclesiæ non obedire ipsi Pontifici sed ipsi tantum, misisseque legationem ad Saracenos Tarentum vnà cum muneribus, vt ab eis copias cum vellet aduersus Romanam Ecclesiam paratas haberet. Addit de sua quam deliberasset profectione in Gallias, pro auxilio implorando. Ad finem verò Epistolæ ponit quomodo eum augeat dignitate consiliarij Apostolici, sed qua pariter dignitate donatus fuerat Carolus pater eius. Porro recedentem ab vrbe Ioannem Papam pretiosissimas reliquias secum tulisse & cum Formoso Episcopo Portuensi captiuo ducto nauim conscendisse, ac Massiliæ portum appulisse testantur Aimoinus, & supra Laudatus Pitoei autor. *Memoratus*, inquit, *Pontifex conscensis nauibus per mare Tyrrhenum regnum Caroli intrauit, ibique per totum fere moratus est annum.* Massiliam autem ex Italia nauigantibus vestibula nimirum & primos aditus ad Galliam facere illustres, non ambigitur inter peritos. Quia verò solebat Pontifex in eo itinere ante monere Episcopos, vt hospitium pararent per quam Diœcesim esset transiturus, vt ex literis datis ad Lingonensem Episcopum patet. Massiliæ ad Cœnobium S. Victoris, domum omnibus apertissimam & perhospitalem deductum fuisse, coniicere licet tum ex vsu atque exemplo aliorum pene omnium Romanorum Pontificum, qui Massiliam appulsi hinc diuerterunt; tum ex amplitudine domicilij ac sanctitate. Nam Cabillone cùm apud Laïcos fortè hospitaretur à latrunculis quibusdam malè habitus est, dum ab eis nocturno silentio iumenta abacta sunt, quos nisi intra tres dies restituerent excommunicatos voluit. Idem Pontifex similiter & quemdam alium tunc excommunicauit, qui & scutellam argenteam S. Petri furatus esset. Arelatem deinceps peruenit paucis ante Pentecostem diebus, nam die Ascensionis se ibidem Missam celebrasse testatur Epistola ad Brauimirum Principem, qui tunc à Papa benedictus fuit. Ibi etiam iuuento Bosone Comite Arelatensi genero Angelbergæ Imperatricis, quem Ioannes Papa dilectum filium & gloriosum Principem appellat, vnà cum eius filia Hermengarda, cum eo de subleuanda Romana Ecclesia consilium iniit, deque his scripsit ipse ad eamdem Angelgergam Augustam. Ibi verò cum esset, concessit pallium Rostagno Archiepiscopo Arelatensi, ac redarguit errorem quem reperit, quod ante pallij susceptionem consecrationem facerent Episcoporum Archiepiscopi Galliarum, quem & emendandum curauit. Ad hæc eundem Arelatensem Archiepiscopum, cui pallium tribuit, legatum suum in Galliis esse voluit deque his ad omnes Galliarum Episcopos literas dedit. Quo pariter tempore, dum esset in via generalem synodum Trecis indixit omnibus Galliæ & Germaniæ Episcopis, cui Ludouicus III. Imperator interfuit, vt ex actis constat eiusdem Synodi, eaque celebrata & ex votis tractata Pontificis, cùm ipse Ludouicus ob corporis imbecillitatem ex recenti

Aimoinus l.5. c.37.

Epistola 96.

Epist. 184.

Epist 92.

Epist. 93.

recenti morbo contractam ducere in vrbem ipsum Pontificem non valeret, Bosonem Comitem cum ipso voluit proficisci. Sunt qui Ioannem VIII. fœminam fuisse fabulentur. Quod falsò creditum veri locum apud imperitum vulgus obtinuit, siue muliebris Pontificis facies, siue effœminatus interdum vigor fabulæ dederit locum.

4. Vrbanus II. Cùm in Italia ob Antipapæ fautores nullibi quietis locum cerneret, in Gallias profecturus Placentiæ synodum habuit, in qua licentiam quorundam Ecclesiasticorum mirifice compescuit, inde verò in Gallias abiens Concilio apud Claromontem Aruerniæ oppidum celebrato, Petri Eremitæ Galli, qui Hierosolymis vrgendæ rei causa venerat, oratione commotus ita Principes Galliæ ad recuperandam Hierosolymam à Saracenis iamdiu occupatam animauit, vt anno salutis 1084. trecenta hominum millia, nomina in militiam Christi dederint. Militiæ insigne crux purpurea dextro humero assuta, ex quo Cruciatæ nomen factum Principes fere ex Gallia Ademarius Podiensis Episcopus Apostolicæ sedis in ea expeditione Legatus, Petrus ipse Eremita vir magnæ sanctitatis, Hugo magnus Philippi Francorum Regis frater, Gotefridus Bulionus Lotharingiæ Dux, & eius fratres Balduinus & Eustathius, Robertus Flandriæ, Robertus alius Guillelmi Regis Anglorum filius Normanniæ, Stephanus Carnotensium & Blesentium Raymondus Tolosanus & alij complures. Sed cum his etiam Pontifex in animo habebat trans mare proficisci, nisi à Catholicis eam præsertim ob causam detentus fuisset, ne in tanta rerum perturbatione Petri sedem relinqueret, luporum morsibus laniandam. Quare Romam statim rediturus, vt compositis in Italia rebus Italos ad eum quoque apparatum bellicum animaret, iter ab Aruernia Massiliam terra petere contendit, vbi eum Cassianitæ Monachi habuere hospitem domi, tantamque iniere cum Pontifice gratiam, vt beneficij memoriæque causa non paucas ex iis, quibus augetur etiam num vniuersus ordo, Clericalium munerum vacationes & priuilegia concesserit. De hoc itinere Pontificium Arelatense in Gibelino Romam, inquit, ex Galliis redeuntem Vrbanum Pontificem in quibus cum esset, Hierosolymitanam expeditionem contra Ecclesiæ hostes permouerat, Arelate excepit Gibelinus, Bertoldus enim tradit ipsum natalem Christi diem celebrasse Arelate. *Dominus Papa*, inquit, *Arelati diem Dominicæ Natiuitatis cum diuersarum Prouinciarum Episcopis gloriosissimè celebrauit.* Equidem cùm Gibelinus effusa liberalitate Ecclesiam Arelatensem dissipasse videretur à Raymondo Tolosano Comite in Syria vitam agente, testamentum condi procurauit, vt quæ per nefas castra & municipia Arelatensis Ecclesiæ sibi vindicarat, restitueret. Verùm etsi Comes accerrimus Arelatensis Ecclesiæ vexator confessus est multa se contra Arelatensem Ecclesiam inique egisse, testatur tamen se nimia carnalitate detentum solummodo Castrum Furcarum ad ripam Rodani & quædam alia reddere. Cætera verò filiis ea spe vt ipsi paternam auaritiam non imitentur. Sed emendent.

5. De Stephano V. testantur annales Ecclesiastici, quemadmodum

per Legatos Ludouicum Pium Patre Carolo Magno iam vita functo Imperatorem designatum de consecratione sua commonefecerit, simulque ostenderit se irer in Franciam adornare, vt ipsum instituto more in Imperatorem inungeret, & cum eo de ratione constituendæ Ecclesiæ consultaret, tum de vitanda seditione & reliquiis Campulianæ coniurationis, quæ iterum Romæ inualescebat mortuo Leone III. Quare duobus postquam in Papam electus est mensibus viam ingressus est, venientem ad se in Galliam quanto maximo potuit honore excepit Ludouicus, auitique instituti magis quàm suæ maiestatis memor, insidentem equo Pontificem Augustus ipse pedes in regiam introduxit vrbem anno salutis 816. Et Stephanus ipsum cum Hirmingarde coniuge rite inunctum coronatumque appellauit Augustum eodem anno 816. Porro maritimas Salyotum plagas peragrasse Pontificem in hac peregrinatione, atque hospitem Massiliæ in Monasterio S. Victoris versatum fuisse colligimus ex Pontificio Arelatensi, à quo dicitur Ioannem Archiepiscopum Arelatensem occurrisse obuium Stephano Pontifici ex Ludouici Pij mandato cum ingenti Ministrorum vicinorum Ecclesiæ manu, inter quos obtinuisse numerum aliquem Massilienses, ac præsertim Abbatem & viros primarios Cœnobij S. Victoris docent Ludouici Pij multa & præclara in eorum Rempublicam merita, de quibus suprà, vt in hoc officio partes eius suscipere pro dignitate erga tantum Pontificem in maxima gratia ponerent, & hercule studio eius facerent.

6. Stephanum III. propter faciliorem ac commodiorem nauigandi opportunitatem, Massiliæ itineris illius vestigium fecisse, in quo postremùm Stephanus V. institit, coniectura ducimur ad suspicandum, cùm Aistulphum Romanis infestum dictus Papa Stephanus III. fugiens ad Pipinum regem contendit in Galliam, petiturus auxilium. Nunquam aliàs ante maior Romani Pontificis maiestas visa. Venienti Pontifici ad tria passuum millia processit obuiam Rex. Repente ad Pontificis conspectum desilit equo, eumque procumbens cum coniuge, liberis, ac regni proceribus excipit, cuncto populo cum canticis occurrente, & ipse Rex equi Pontificij frœnum tenens eum deduxit ad Regiam.

7. Gelasius II. Roma pulsus ab Henrico V. Imperatore exul obiit Cluniaci in Gallia, quo defuncto delectus ibidem est Callistus II. anno 1119. Guillelmi filius, & Stephani Burgundiæ Principum frater, ac Balduini Flandriæ Comitis auunculus, qui proximo etiam affinitatis gradu Reges Francorum & Angliæ & ipsum etiam Imperatorem contingebat. Is primum in Ecclesiastica legatione, quam ei per Gallias Pascalis II. demandauerat, cùm egregiè se gessisset, & cunctis Episcopis timentibus primus fuisset, qui anathema à Pascali II. in Imperatorem factum promulgauerit, & Concilio Viennæ ad Rhodanum celebrato omnes fere Galliæ Episcopos ab eo separauerit, quod Epistola eius ad Pascalem quæ adhuc extat ostenditur demum Pontifex acclamatus Romam veniens, Lambertum Hostiensem Episcopum Saxonem titulo S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem & Gregorium S. Angeli Diaconum

conum legatos ad Imperatorem mittit, qui pace sine vlla contentione composita ad vrbem redeuntes, tabellam pacis ad Lateranensem Basilicam suspendere. Mutata enim voluntate Henricus aliquando resipuit ac remisso Episcoporum Abbatumque instituendorum iure, anathematis ignominia exemptus, bona fide cum Callisto II. in gratiam rediit. Pseudopontifex Burdinus quem ei Papam opposuerat Henricus suorum electum suffragiis, ex Hispania fugitiuum hominem, ac Gregorium nominauerat, auerso camelo impositus ludibrium vrbis fuit, in qua summum fastigium inuaserat. Quod ad rem nostram spectat, Callistum mare transiturum Rhemis Massiliam peruenisse, ac S. Victoris domum perhospitalem ac celebratissimam frequentasse, iunxisseque consuetudinem ac familiaritatem quamdam cum Abbate & Monachis Cassianitis, subindicant varia eius diplomata, quibus eis non tantum portoria tollit, & vectigalibus liberat, sed sacris etiam & religiosis immunitatibus donat. De Attone Archiepiscopo Arelatensi, quàm liberaliter eum munificeque tractarit honore, dignitate, gratia commemorat Pontificium Arelatense anno 1119. in hæc verba. Vinculo demum excommunicationis Henrico Imperatore à Callisto in Synodo Rhemensi innotato, vetuit Atto, gesta publica illius nomine numquam sed hac formula inscribi. *Facta est hac charta eo tempore quo fuit Concilium Papæ in Rhemensi ciuitate.* Porro à Callisto Romam redeunte vt Ecclesia S. Iuliani, quæ à sacris reliquiis S. Antonij nunc nomen habet consecraretur, Atto impetrauit vt Pandulphus tradit in Chronico. Tabularium Montis Maioris de eodem Callisto II. probe commeminit his verbis Anno 1120. Guillelmus Forcalqueriensis abstulerat villam Pertusium Monasterio Montis Maioris, vnde Abbas Guillelmus etiam dictus iustitiam expetens, obtinuit sententiam excommunicationis in Comitem. Quam sententiam diu ferre non valens Comes, Viennam adiit cum Abbate coram Domino Papa Calisto II. caussam dicturus, & stolam tenens illius reddidit omnia in manu Abbatis. Testes sunt ipse summus Pontifex Callistus II. & Fulco Aquensis Episcopus & Berengarius Foroiuliensis, Mainfredus Antipolitanus Episcopi, & multi Monachi in quorum præsentia omnia ista dimissa sunt.

8. Vrbanum V. In Italiam Auenione nauigaturum Massiliæ tardasse atque in Monasterio S. Victoris, cuius Abbatiam regebat & habitum Monasticum vsque ad mortem etiam Pontifex continuo gestabat, non paucos dies commoratum esse nemo est, quin habeat, quin legat in historia Bosqueti de Romanis Pontificibus qui è Gallia oriundi in Petri Cathedra sederunt. Eodem, inquit, anno scilicet 1367. die vltima Mensis Aprilis præfatus Papa recessit de Auenione gressus suos dirigens versus Romam. Et cum applicuisset Massiliam declinauit ad Monasterium S. Victoris, cui dudum præfuerat, quod cùm prius esset vetustate consumptum minareturque ruinam in multis, à quo ad Papatum assumptus fuerat, multimodis fecerat renouari & reparari, murisque & turribus altis claudi, circumiri, & fortificari, magnis etiam priuilegiis decorauerat & multis adornauerat reliquiis, iocalibus, & ornamentis pretiosis. Insuper ibidem

ibidem existens die videlicet 10. Mensis Maij anni prædicti assumpsit in Presbyterum Cardinalem Guillermum de Agrifolio Decretorum Doctorem, tunc sedis Apostolicæ Notarium iam sacerdotem, de quo non modicum quam plurimi fuerunt admirati, cùm esset satis iuuenis nondum attingens annum 28. ætatis suæ, & de eius promotione saltem ad illum statum pro tunc nullatenus speraretur, sed ad hoc faciendum motus fuisse dicitur consideratione Domini Guillermi de Agrifolio Senioris titulo S. Mariæ in Transtyberim Presbyteri Cardinalis, cuius ipse Papa socius & familiaris fuerat cùm in minoribus existebat, & qui post Deum suæ dictæ assumptionis dicebatur fuisse præcipuus promotor & autor, cuius dictus Dominus Guillermus nepos existebat, qui etiam in studio in quo à sua adolescentia vsque tunc versatus fuerat, bonæ famæ, vitæ laudabilis, & conuersationis honestæ, & inter alios suos coætaneos satis, esse sufficiens communiter ferebatur, eratque speciosus forma, statura decorus, & alias bene dispositus ad omne bonum. Die verò 20. dicti mensis idem Vrbanus Papa de Massilia exiens intrauit mare cum mirabili apparatu galearum & aliorum nauigiorum, de quibus honorificè valde sibi prouiderat Ioanna Regina Siciliæ, Veneti, Ianuenses, & Pisani, iterque suum persequens die 4. sequenti prospere applicuit Ianuæ, vbi fuit tam in portu quam in ciuitate per Ducem & ciues solenniter exceptus & debite honoratus. Porrò quod ad ædificiorum instaurationem spectat addit idem autor in suis notis historicis, Vrbanum arcis instar Monasterium S. Victoris muniuisse, turrim cymbaliam construxisse, reliquiis Ecclesiam ornasse eamque adeo veneratum esse, vt aliquando etiam Pontifex Auenione pedes ad eam accesserit & consecrato maiore altari Auenionem pedes redierit. Extant varia eius diplomata quibus adscriptionis locus indicitur Monasterium S. Victoris prope Massiliam. Refert vnum atque alterum Garielus libro de Origine Cathedralis Ecclesiæ Monspeliensis, ad Gancelinum Episcopum Magalonensem.

Littera quod Dominus Episcopus Magalonensis possit conferre beneficia suæ Magalonensis Diœcesis, vsque ad summam 20. librarum.

VRbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili fratri Gancelino Episcopo Magalonensi Thesaurario nostro salutem & Apostolicam benedictionem. Personam tuam tuis exigentibus meritis paterna beneuolentia prosequentes illam tibi gratiam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere gratiosum. Hinc est, quod nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati conferendi omnia beneficia Ecclesiastica tuarum ciuitatis & Diœcesis, etiam si curam habeant animarum, apud sedem Apostolicam vacantia de præsenti vel quorum collatio ad sedem eamdem alias pertineat, dummodo ipsorum singulorum beneficiorum fructus, reditus, & prouentus 20. librarum Turonensium paruarum valorem

lorem annuum non excedant, singula ipsa beneficia singulis Clericis, dummodo iidem Clerici vltra duo alia beneficia Ecclesiastica non obtineant, Ac inducendi per te vel alium seu alios Clericos Apostolicos in corporalem possessionem beneficiorum ac iurium suorum, authoritate nostra & defendendi inductos, amotis ab eis detentoribus quibuscumque, Ac faciendi Clericis ipsis de ipsorum beneficiorum fructibus, reditibus, & pro obuentionibus vniuersis integre responderi fraternitati tuæ, plena & libera authoritate præsentium ex certa scientia concedimus potestatem. Non obstantibus, &c. In Monasterio S. Victoris prope Massiliam Id Mai. Pontificatus nostri anno quinto.

G. de mandato Domini nostri Papæ
Io. Grassi.

Alterum Gallicè duntaxat redditum prætermittimus, sed summa fuit, eidem Gancelino largitionum suarum Præfecto liberalitatem in pauperes diligentissimè commendare. De qua etiam scribit Bzouius in vita eiusdem. *Cum etiam*, inquit, *in vsus pauperum omnes reditus Comitatus Venaysini, Gancelino Episcopo Magalonensi pro sede Apostolica Rectori impendere decreuisset.*

9. Gregorium X I. Massiliæ 9. Calen. Ianua. anno 1371. in Romanum Pontificem electum fuisse scribit Massonius, sed perperam, vt annotat Ciaconius, cùm enim Vrbanus V. Auenione mortem obierit 14. Calen. Ianua. nec ex testamento, eius Corpus ante Nonas Iunij an. 1372. Massiliam translatum sit. Non liquet cur & quomodo Patres intra quatuor dies Massiliæ cogi & vnanimi consensu Gregorium eligere potuerint. Tamen adiisse Massiliam Gregorium & ibidem Monachis S. Victoris potestatem eius præsentis factam fuisse, dum Romam profectus est, ex communi quadam hominum opinione dico. Optabant Itali, Pontificis in Italiam regressum, & post infelicem seditionis exitum illos populos facilè descensuros sperabant ad vetus obsequium repetendum, modo Gregorius exoptatissimus princeps Romam pergeret. Vir sanctissimus existimans hæc omnia malè se absente fieri, de adeunda Italia cogitauit, cuius itineris ordinem & successum describit Anonymus apud Bosquetum in historia citata Romanorum Pontificum, vbi de Gregorio X I. *Contra consilium*, inquit, *& deliberationem totius Collegij omniumque amicorum suorum & in die* 13. *mensis Septemb. anni* 1376. *de Auenione recessit, iter suum arripiendo versus partes memoratas cum Dominis Cardinalibus, sex duntaxat exceptis, qui Auenione remanserunt, intrauitque mare in Massilia, vbi inuenit galeas & nauigia ad sufficientiam pro se & concomitantibus eum, & ab inde progressus est, dictum suum iter persequendo, in quo multas turbationes habuit ac pericula plurima incurrit propter mare & temporis indispositionem, quæ quasi continuè durauit donec applicuit in Corneto, vbi tenuit festum Natiuitatis Domini & subsequentia festa. Deinde ab inde discedens nauigando intrauit fauces Tiberis, & die* 17. *mensis Ianua, anni* 1377. *ingressus est Romam equitando de S. Paulo, vbi ad terram de nauigio descenderat, vsque ad S. Petrum, fuitque ibidem receptus cum magna solennitate & honore Pon-*

tificatus anno 7. Migrationis verò Romanæ Curiæ in Gallias 70. Lege sis quæ Theodorus à Niems ad Vrbani sui gratiam traducta, & quæ Bzouius To.15. Annalium anno 1. ex M.M. SS.Vaticanis.

10. Robertum ex Gebennensibus Comitibus summo genere ortum, quem ex Episcopo Cameracensi Presbyterum Cardinalem SS. duodecim Apostolorum Gregorius XI. creauerat, Cardinales Galli ab vrbe fuga lapsi, & ab Vrbani VI. imperio ac nomine deficere volentes, in palatio Comitis Fundani Pseudopontificem secreto scrutinio, quemadmodum antea conspirauerant, in schismate delegerunt. Coronatus ante fores Ecclesiæ maioris Fundanæ comitante Othone Duce Brunsuicensi, ac Roberto Comite Arelatensi cum plerisque aliis regni proceribus astantibus, Clementis 7. nomen assumpsit. Hic cùm omnes insidias à Romano Pontifice fortunis suis fieri videret, in tuto se esse apud Italos minimè ratus 11. Calend. Iunij aptam triremium Classem conscendens Massiliam nauigauit, qui à Prouinciæ Præfecto & omnibus propinquis Regulis & Prælatis, atque adeò ab Abbate ac religiosis S. Victoris tamquam Pontifex susceptus Auenionem adiit, tota ciuitate ac præsertim Cardinalibus quinque (sexto iam defuncto) quos ibi dimiserat Papa Gregorius supra memoratus, obuiam procedentibus. Exposui supra cap.21. num.1. in Bulla Indulgentiarum Pontificis huius de eximia Cœnobij nostri sanctitate testimonium, idémque tam bene meritæ de ipso, cùm ex Italia regrederetur Auenionem, Cassianitarum Monachorum humanitatis monumentum.

11. Postridie obitus dicti Clementis Pseudopontificis ad 15. Calend. Octob. ann. 1394. qui eius partis Cardinales ipsius exequiis Nouemdialibus celebrandis vacare cepissent, dum continuis nouem diebus fierent frequentes Conuentus, non alium quam Petrum De Luna Pontificatu dignum esse constituerunt. Hic itaque electus & ad 5. Idus Octo. in Cathedrali Ecclesia consecratus & coronatus, Benedicti nomine suscepto, sedit Auenione in obedientia sua annos circiter 12. vsque ad condictum, quo per literas vltro citroque cum Gregorio XII. Romano Pontifice placuit de concordia agere, & in Italiæ confiniis suarum quisque ditionum, ad colloquium conuenire, sed Rege Francorum annitente vt Benedictus Pontificio comitatu in Galliam regrederetur, quod Italia ciuitates ac viri primarij magnis pollicitationibus eum pelliciebant, Massiliam 3. nonas Decemb. appulit, Pseudopontificatus anno 13. vbi apud S. Victoris Monachos hospitatus, pacis & concordiæ conditiones quas Gregorius proposuerat, publicauit, consensurus vt videbatur modo tuto in loco de his fusius tractaturi ambo congrederentur. Verùm sæpè ac frustra tentata res eo cessit, vt Principes Galli ab eius partibus paulatim se ac subditos suos subtraxerint, & quidem Benedicto Carolus sextus Francorum Rex obsequium præstari iussit anno 1398. idque denuo restituit anno 4. desiit autem eumdem colere quinquennio post. Ioannes Gerson Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis concionem habuit Academiæ nomine ad Benedictum Papam Massiliæ Nonis Nouembris, sæpe hanc vocem repetens.

Benedicte

Benedicte Benedic hereditati tuæ, qui demum tota Ligustica ora & Gallia, & Prouincia expulsus anno 1424. Antipontificatus sui 30. mense Septembri Penischolæ oppido Regni Valenciæ munitissimo Diœcesis Dertucensis, vsque ad vltimum vitæ suæ spiritum in obstinatione permanens octuagenatio maior diem clausit extremum.

12. Clemens V I I. pace inter Carolum V. Cæsarem & Franciscum Galliæ Regem conciliata, etiam cum ipso Carolo amicitiam renouauit, eumdémque Bononiæ coronauit, Imperatorem 6. Calend. Martij anno 1530. Tum Massiliam profectus Catharinam Mediceam proneptem suam Laurentij iunioris filiam, Regis Francisci filio secundo qui postea Galliæ Rex fuit matrimonio locauit. Ibi verò domicilium huius vrbis aptius Pontificiæ dignitati habuisse in Monasterio S. Victoris constare inter omnes video, idque placuisse Pontifici ex veteri consuetudine institutoque maiorum satis colligitur ex dictis. Cardinales quatuor postulante Rege ante discessum, Massiliæ creauit 7. Idus Nouembris anno 1533. Ioannem de Beneux Episcopum Lexoniensem qui Francisco Franciæ Regi ob probitatem morum ac literarum bonarum scientiam mirifice charus, & maior Eleemosynarius etiam fuit: Claudium de Giury Sequanum origine, & ex Canonico atque Archidiacono Episcopum Matisconensem factum, indeque ad Lingonensem tum Ambianensem ac Pictauiensem Episcopatum translatum, quibus tamen duobus posterioribus deinceps renuntiauit. Interfuit exequiis Francisci I. Regis cum aliis nouem Cardinalibus, quo anno paulo pòst adfuit Sacro Henrici I I. die S. Annæ à Ioanne Lotharingo Cardinali Archiepiscopo Rhemensi peracto: Fratrem Philippum de la Camera Ducis Albaniæ fratrem, Monachum S. Benedicti Episcopum Bononiensem: Odetum de Castilione ex gente Collinia Mommorantij ex sorore nepotem, Marescallij Castillionis filium, Abbatem S. Benigni Diuionensis & Archiepiscopum Tolosanum factum, qui conceptam de sua assumptione lætitiam pessima Caluini labe fœdauit, ac Principis sæcularis nomen sibi arrogans, Comes Bellouacensis appellari voluit, & in contemptum Apostolicæ sedis vxorem etiam duxit anno 1561. Tandem in Anglia quo se contulerat obiit anno 1568. 16. Calend. Maij ætatis 46. Corpus Cantuariæ sepultum iacet in sordibus ac luctu, & vt ea iacent semper, quæ apud quosque improbantur.

CAPVT XXV.

Index Generalium Abbatum eiusdem Monasterij & vniuersi Ordinis Cassianitarum.

1. SI quæris primùm excitandi Massiliæ Cœnobij S. Victoris, & quo tempore eoque maximè vrbis loco construendi, quæ causa fuerit? vt ne replices Annalium memoriam in Magdalena nostra Massiliensi aduena reperies cap. 18. §. 1. sub annum Christi 44. Cum Magdalena vnà,

cum cæteris Christi discipulis Massiliam appulsa, locum in quo nunc sedes est Monasterij, aliàs Lucum vt eleganter copioseque describit Lucanus in sua Pharsalia, opaci nemoris asperitate & virgultis inter se implicitis continenti, densaque arborum nube, olim desertum à plebe atque à cultura hominum, frequentare cœpisset, atque in eius subterraneam speculam syluestribus sepibus densam solitudinis cupida identidem secederet, ab eo tempore Massilienses semper illum quasi nascentis fidei suæ ac pietatis Christianæ incunabula singulari religione coluerunt. Ibidemque, Magdalena demortua, in monumentum rei gestæ ac vetustatis exemplum aram & ædiculam sub sacro saxo dedicarunt, quæ etiam nunc visitur in Ecclesiæ S. Victoris hypogæo. Fuit ille loci venerationis quasi ortus, ac deinceps veluti quædam adolescentia, quam dicere possumus anno circiter Domini 140. adeptum esse, cùm Antonino Pio Augusto, Dei Ecclesia et gete animum & respirare à tyrannorum metu visa est. Ioannes deinde Cassianus S. Chrysostomi discipulus ac Diaconus Constantinopoli secedens, vt se à turbis Aulæ Constantinopolitanæ hominumque frequentia tolleret, & in solitudinem vspiam collocaret, Massiliam iter intendit, quo vt primum peruenit in hac suburbana Magdalenæ sacra æde atque Eremo suam sedem statuens, plurimum dignitatis huic loco adiecit, ibique piis aliquot & religiosis viris adscriptus Monasticam disciplinam ita coluit, vt mirum in modum promouerit & auxerit.

Luca.lib.3.

2. Subibat itaque iam annus ab humana salute 420. quem à condito Monasterio institutaque simul ordinis regula primum numeramus. Quippe cùm res posceret vt ad rationem Chronologiæ Ecclesiasticæ communem, nostra numeratio accommodaretur, annum sæculi quingentesimi euntis vigesimum sicut & alios infra tametsi non nisi inchoatos aut penè in excessum adultos satius visum est adnumerare pro integris, quàm vel morosius exequi menses & dies vel illustri sæpe aliquo commendatas operae annorum partes obliterare. Fuere interuallo isto in Occidente sub Honorio ac deinde Valentiniano domestici pariter externique motus assidui, ac fœdissima videbatur Romani facies Imperij. Post Gothicam eruptionem quæ Alarico duce anno 410. Romanos turbinis instar oppressit, varij in diuersis locis orti sunt tyranni. Athaulphus in Italia sublectus Alarico Romam cum remigrasset, corradit quod prior clades reliquum fecerat. Constantinus tyrannus qui ob solam nominis speciem in Britanniis Imperator acclamatus, inde digressus in Gallias cum duobus filiis Constante & Iuliano à Constantio Comite victus & Honorij iussu ad Rauennam iugulatus est anno 411. cum se Arelate ad Oratorium fugiens sacerdotio initiandum ante curasset. Post hunc Iouinus & Sebastianus fratres arrepta tyrannide ab Athaulpho Gotthorum Principe Narbonæ capti & occisi sunt anno 414. Nec multo post Meroueus Rex Francorum Rheno traiecto Galliæ partem occupauit. Attila Hunnorum Rex cum quadringentis armatorum millibus Gallias iterum inuasit, Aëtij Patricij singulari consilio ac virtute repressus profligatusque, sed & illustribus viris floruit Principatus iste Leone Maximo Romano Pontifice,

Augustino, Hieronymo, Prospero Aquitanico, Hilario Arelatensi, Euodio, Maximo Taurinensi, Venerio (qui etiam Massiliensis Episcopus sanctimonia insignis & mirus charitate aduersus Monachos extitit) Ioanne Cassiano.

SÆCVLVM I.

Annus Christi 420. *Conditi Monasterij Annus 1. siue 100. inchoatus.*

3. IS Monasterij simul atque ordinis primus institutor & Abbas, vir sanctissimus atque doctor præclarissimus apud Athenas natus, omnis illic Philosophiæ studium edoctus, primùm Apostolorum Canonicam functionem imitatus multos ibidem suo instituit exemplo atque doctrina informauit. Inde peragrans omnium Christianorum instituta, Hierosolymam vsque tetendit, & apud Bethleem quorumdam sodalium præsidio Monasterium instituit, non longè à spelunca in qua Dominus noster Iesus Christus ex sacra Virgine natus infantiæ suscipere dignatus est incrementa. Cumque plurimos Sanctorum Patres Monachos & Anachoretas agnoscendi gratia remotissima Ægypti & Thebaidis, vnà cum B. Germano Abbate peragrasset, tandem Constantinopolim venit. Vbi à Ioanne Magno Episcopo Diaconus ordinatus cùm esset, Romam adiit. In qua ad gradum Presbyteratus euectus est, indeque profectus prospero vsus vehiculo Massiliam est appulsus, vbi secundum ea quæ comperetat à Patribus vel proprio studio addiderat, vitam instituit. Nam congregatis ibidem fratribus Monasterium fundauit, in quo vsque ad quinque millia Monachorum Pater extitit. Ibi etiam libros duodecim in vno volumine, quod Speculum Monachorum dicitur, composuit atque ad Castorem Episcopum vrbis Aptensis transmisit, in quo omne studium & disciplinam habitus & victus Monachorum breui & luculento sermone exarauit. Aliud quoque egregium volumen post Castoris excessum, ad Leontium & Helladium Patres composuit, quod Collationes Patrum prætitulauit. Ad extremum rogatus à Leone Archidiacono postea vrbis Romæ Episcopo scripsit aduersus Nestorium de Incarnatione Domini libros Septem. Tandem senio confectus, expletis videlicet nonaginta septem annis, athleta Christi in pace quieuit 10. Calend. Augusti anno 448. sepultus in eodem Monasterio Massiliæ, quod ipse primus condiderat. Multis clarus virtutibus & insigni sapientia decoratus Theodosio & Valentiniano regnantibus. Quamquam Tritemius in Catalogo virorum illustrium affirmat obiisse Cassianum anno Christi 455. sed cum hic annus sit quartus Sixti Papæ & Theodosij II. annus 28. Valentiniani III. annus 11. non potuit in illum annum obitus incidisse, quia dedicauit Cassianus libros suos de Incarnatione Leoni Papæ ordine temporum Sixto longè inferiori. Gennadius vti diximus de vita migrasse ait Theodosio

& Valentiniano regnantibus, potuit ergo nasci anno Christi 352. cúmque vixisse dicatur annos septem supra nonaginta, mortuus est Massiliæ anno 449. Theodosij iunioris anno 42. Valentiniani tertij anno 25. & Leonis Papæ X.

4. Qui fuerint proximi eius successores ac discipuli, siue hominum incuria dixeris seu cariosæ vetustatis iniuria per annos circiter centum & sexaginta siletur in annalibus, vox de singulari cuiuspiam electione aut appellatione nulla missa est, muta est huius temporis historia. Vniuerse tamen ac generatim dicunt historici pro testimonio nouum S. Cassiani Abbatis ordinem institutum Massiliæ tam vberem per id tempus frugem extulisse magno eorum concursu qui Monachorum in album adscribi cupide vellent vt & domus per totam Prouinciam ampliandæ & nouæ quærendæ fuerint. Constat sane breui Cassianum variis in Cœnobiis circumquaque modico interuallo disiunctis ad quinque millia discipulorum habuisse qui ipsius quasi Generalis sapientia & consiliis ac D. Magdalenæ cuius in suburbana æde atque Eremo Massiliensi suam sedem statuerat in singularem loci atque vniuersi ordinis patronam cooptatæ tutela ac præsidio nitebantur. Sed inter hæc claruerunt Iustiniano rerum potiente, Fulgentius Ruspensis, & Germanus Parisiensis doctrina morumque sanctimonia inclyti, Cassiodorus Senator, qui Theodorico Rege mortuo Classensis Cœnobij Monachus factus est, Dionysius Exiguus Abbas, Facundus Hermianensis Episcopus, Petrus Rauennas ab eloquentia nominatus Chrysologus, Vincentius Lirinensis qui anno 434. aureolum edidit libellum aduersus hæreses nempe anno 3. post Ephesinam Synodum, vt ipse testatur. Viuebat tunc Lutetiæ Parisiorum admirabili virtutum omnium luce S. Genouefa, in oriente stylites ille Simeon à Columna ita dictus, in qua dies noctésque, stans angelis quàm hominibus propiorem in mortali corpore vitam instituit. Floruit & virginitate simul ac sanctimonia Eustochium S. Paulæ filia, quæ matri superstes annis 15. mortua est anno 419. Tum sequenti 420. excessit vtriusque magister in spiritu & viuendi præceptor Hieronymus, pridie Calendas Octobris natus annos, vt ait Prosper 91. sed in Baronij Calculo 78. vel 79. Augustinus anno 430. obiit 5. Calend. Septem. ætatis 76. quo tempore Vandali Hipponem tertio iam mense obsidebant.

5. Quod tem propius nostram attingit Baronius in hunc annum ex Gennadio refert Leporij resipiscentiæ exemplum, qui Pelagianum dogma secutus primùm, sed à Gallicanis doctoribus, inquit, hoc est à Cassiano nostro (qui libro suo 7. De Incarnatione eumdem Leporium erudit) & in Aphrica per Augustinum prius emendatus, scripsit emendationis suæ libellum in quo & satisfacit de errore & gratias agit de emendatione, simul & quod de Incarnatione Christi male senserat corrigens, Catholicam sententiam tulit dicens. *Manentibus in Christo in sua substantia duabus naturis vnam credendam filij Dei personam.* De his plura nos alias libro 1. cap.88. Nemausum Monachi ex disciplina S. Cassiani missi ad Castorem, virum nobili prosapia & indigenam Nemausensem. Hic in agello

Genna. De viris Illust. cap.59.

agello quodam sui iuris suburbano, cui Mannacus nomen erat, cùm Ecclesiam sub S. Faustini titulo, & regularis vitæ cultorum domicilia construxisset, seque ipsum dedicasset totis affectibus Domino cum adlectis pium in cœtum sociis seruiturum. Supplicem ad B. Ioannem Cassianum Abbatem Massiliensem nominatissimum scripsit Epistolam, qua sibi suisque ab eo præscribi poposcit documenta vitæ spiritualis, qui eius precibus annuens Libros tres de habitu Monachorum, institutionésque sacras ad ipsum per destinatos Monachos direxit, quorum opera, susceptæ cum sodalibus suis Castor, castissimæ conuersationis & perfectæ religionis studia excoluit. Nec multo post exempto ex humanis Quintino Episcopo Aptensi, tàm cleri quam populi votis in eius vicem sublectus initia statim posuit & tanquam semina vnde sit ortum Aptense Monasterium Cassianitarum, quod supra memorauimus cap. 18. huius libri num. 31. & lib. 1. cap. 84. Commemorat id genus familiæ religiosæ desiderium inter Aptenses, memoria rerum ab ipso Castore Nemausi gestarum, multóque magis earum fama, quæ tum maximè à S. Cassiani discipulis Massiliæ gerebantur. Itaque Clericorum & imprimis Episcopi accitu missi à Cassiano illuc Monachi, qui non modo res ad domesticam suppellectilem necessarias prospicerent, sed simul etiam ea quæ vitam Monasticam decent incœptarent munia.

6. Plurimum iis quoque temporibus vita & fundatione Monasteriorum æque atque obitu suo sanctissimo splendoris contulerunt duo Prouinciæ nostræ sidera Honoratus & Hilarius Archiepiscopi Arelatenses, quibus cum consuetudines & familiaritates multæ à Cassiano, multæ item res rationésque contractæ. Cum Hilario quidem Massiliæ, cum Honorato in itinere Massiliensi, dum Roma veniens in Insulam Lerinensem ac Foroiulium ad Leontium diuertit, vt supra demonstratum est lib. 1. cap. 74. & lib. 2. cap. 10. Horum prior natione Gallus, patria Arelatensis, genere Senatorio, & illustris quem Diuus Eucherius in Præfatione ad Salonij libros de difficilioribus veteris ac noui testamenti quæstionibus, primò Insularum deinde vero Magistrum Ecclesiarum appellat, è Lerini Insulæ in mediterraneo mari positæ Monasterio, cuius fundamenta iecerat, in Arelatensem Episcopum occiso Patroclo euectus fuit. Tantum virum laudarunt permulti illo sæculo celebres viri, & inter alios Sidonius:

Sido. Carmi. Euchar. ad Faustum.

> *Fratribus insinuans quantos illa Insula plana*
> *Miserit in cœlum montes, quæ sancta Caprasi*
> *Vita senis, iuuenisque Lupi, quæ gratia Patrem*
> *Mansit Honoratum.*

Petrus De Naralibus Venetus Episcopus Equilinus in Catalogo Sanctorum hæc habet. *Honoratus Episcopus Arelatensis nobili prosapia eiusdem vrbis oriundus fuit, vt scribit Hilarius eius in Pontificatu successor, qui gentilibus parentibus progenitus in adolescentia sua, motu proprio Baptismum petiit, & licet patre reluctante paternam domum deserens, Venantium eius fratrem seniorem ad Christum conuertit, qui ambo ad Caprasium Eremitam accedentes*

accedentes ab eo de religione vitæ edocti sunt. Defuncto autem germano suo Venantio, Honoratus Eremum vrbi Arelatensi proximam petiit, ibique dudum in omni vitæ sanctitate permansit. Exemplo quoque conuersionis suæ Gennadium quemdam virum effrænem & indomitum ad pœnitentiam prouocauit. Demum vrbis Arelatensis Episcopus factus in sancta religione Deo seruiens & salutifera prædicatione Dominicum gregem pascens quieuit in pace. Habetur tandem insignis de illo memoria in Martyrologio Romano ad 17. Calend. Februa. Migrauit ad Christum anno salutis 429. fundato prius Cœnobio Lerinensi circa annum 375. hoc est 45. ante conditum à Cassiano eius persamiliari Massiliense S. Victoris Monasterium. Hilarius Honorati decessoris sui affinis, conciuis, & in Christo filius ex eadem Insula Lerinensi in qua sanctissimè in vita Monastica iam aliquot annos exegerat Arelatas vocatus est, vt Honorati locum suppleret, ne autem Episcopatum susciperet, reluctatione maxima vsus est, & vix adduci potuit vt Episcopus crearetur, donec electionem columba Deus confirmasset. Rem gestam narrat Rauennius in vita Hilarij. Fuit tunc ab eo erectum in Arelatensi suburbio celeberrimum illud Monasterium de quo supra meminimus cap. 18. num. 4. Illi primus S. Florentius præfuit Abbas, quem de discipulis S. Cassiani fuisse & ab eo missum Arelatas ad S. Hilarium anno 446. vt quibus ille Massiliæ religionis institutis Cassiano Magistro ab ineunte ætate se imbuerat, recentis Monasterij tirones tales confirmaret, qualis fortasse nemo antea fuerat. Colligitur ex præfatis loco citato de fundatione eiusdem Monasterij Hilariani. Respectum deinceps Abbatem & Florentini proximum successorem parem adscribit, vulgò hominum opinio & eiusdem socium in Cassiani schola disciplinæ.

Nec omittendum hoc loco Parthenium Cœnobium Nostræ Dominæ de Yuelino Vulgo *De Veanne*, à Cassiano fundatum in oppidano Massiliæ territorio, cui iidem penè Natales fuerunt qui ipsi Monasterio S. Victoris, Cassianum enim duo Monasteria Massiliæ instituisse alterum virorum, mulierum alterum passim loquuntur annales, ex quibus nos supra c. 17. num. 3. quæ de hoc Yuelino Cœnobio iactantur, satis mihi videor delibasse.

Cæterum quod audieris in Indice Abbatum S. Victoris intermissam diu post Cassianum certam ipsorum nominationem, id puta accidisse non ex sublato funditus regiminis aut præfecturæ officio, vel ex improuiso quodam aut repentino familiæ prope nascentis occasu interituque: sed ex eo quod turbulentissima tempestate factionibus Arianis Ecclesia, bellorum continuis motibus Prouinciæ, incensione vrbes, internecione ciues, vastitate Italia simul & Gallia deflagrarent, vt ne celebritate quidem ac fama prodire in lucem vix etiam præsenti virtuti liceret. Nam Valentiniano mortuo multi simul in Italia vocati Cæsares sunt, & habuit Italia intra viginti annos, nouem Imperatores, qui successione quadam alij post alios regnarunt, & alij ab aliis per occasionem sunt trucidati. Vltimus Augustulus fuit appellatus. Nominis diminutio argumento fuit imperium Augustorum in Italia interiturum, ipsum enim expulit

Othacarus

Othacarus aduersus quem missus est Dietrichus de Berna in Italiam Zenonis temporibus. Itaque translatum est imperium Italiæ ad Gothos, qui postea sub Iustiniano oppressi sunt. Subinde Bonifacius Dux bellicis laudibus clarus in suspicionem defectionis apud Valentinianum adductus ab eo defecit, Africaque occupata aduersus Valentiniani classem extrema auxilia parans, Vandalos & Alanos euocauit ex Hispania. Barbari auxilio acciti exitio fuere. Quippe Africam populationibus vexatam Ariana insuper labe polluerunt, quo tempore Augustinum Hippone à Vandalis obsessa excessisse è vita mox supra diximus. Sigillatim quantam cladem Ecclesiis Gallicanis furore Gothico & Ariano intulerit Euricus Rex, explicat Sidonius. *Videas*, inquit, *in Ecclesiis aut putres culminum lapsus aut valuarum cardinibus auulsis, basilicarum aditus hispidarum veprium fruticibus obstructos. Ipsa, proh dolor, videas armenta non modo semipatentibus iacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. Sed iam nec per rusticas solum solitudo Parochias, ipsa insuper vrbanarum Ecclesiarum conuenticula rarescunt. Quid enim fidelibus solatij superest, quando clericalis non modo disciplina verum etiam memoria perit? Etenim cum clericus quisque defungitur, si benedictione succidua non accipiat dignitatis hæredem in illa Ecclesia sacerdotium moritur non sacerdos. Atque ita quid spei restare pronunties vbi facit terminus ordinis finem religionis? Altius inspicite spiritualium membrorum damna, profecto intelligatis, quanti subripiuntur Episcopi, tantorum nobis fidem populorum periclitantium.* Quæ igitur verior causa dari potest silentio obuoluta esse Abbatum nostrorũ nomina simul atque res gestas, cùm liqueat dira barbarum tyrannide pressa fuisse aut consumpta bellorum incendiis & exhausta.

Sido. lib. 7. Epist. 6.

7. In his frequentibus in Gallia tot barbarorum grassationibus, dum Vandali mixtis Alanis, Gothis & aliis barbaris nationibus, ex Hispania olim à Duce Bonifacio excurrunt in Africam, & piratico apparatu aduersi littoris circumquaque Prouinciis imminent, tempestate subito abrepti ex alto inuehuntur in oram Massiliæ maritimam.

Descensione facta vrbem aggrediuntur. Ingens eo loco vis erat populi, portæ oppidi clausæ, disposita præsidia, tantoque ad repellendos hostiles conatus labore, assiduitate, dimicatione certatum est, vt ab incolis exclusi barbari & ad vicinos circumquaque agros depopulandos diffusi, Yuelini fluminis ostium aditumque subierint. Ibi Parthenium Cœnobium in quo S. Eusebia nouem super triginta Monialibus religiosissimis præerat Antistita, facilè armati obsident & inermem multitudinem occupant. Tum verò effrœnatus ac furiosus miles cateruatim irruere, clamoribus validis ad cædem exposcere, impuras ac sacrilegas appellare, aliisque huiusmodi probris contumeliosè proscindere. Quæ voces dum ab incondita plebe tolluntur, non tam in leniendis iratis suauitas quædam sermonum atque morum, quàm in retinenda fide tolerandisque iniuriis constantia sacratum virginum apparuit. Verùm breuis aut certè nullus apud barbaros, fuit eius officij vsus, omnes rebus, quas in suppellectile siue prophana domi, siue sacra in templo habebant, omnibus spoliantur vix vno relicto

quo pudoris gratia tegerentur amiculo. Sed cum omnino maioris prædæ spes eos sua frustrata esset, multis modis Christi famulas diuexant, alius pugionem, alius hastas intentans, ac dari sibi quidquid pecuniæ reliquum esset aut copiarum rei familiaris minaciter iubent, alij verò manus etiam inferunt. Quos vbi adorientes se Christi famulæ inspexere non modo exuere se periculo mortis in momenta singula impendentis, aut euadendi potestate vti noluerunt, sed etiam prouolutæ in genua tandiu perstiterunt orantes, attentoque animo quæ martyres olim pie fortiterque gesserant reputantes, quoad permissæ sunt viuere. Demum nihilo secius prædones in impietate & crudelitate mitiores facti sacras victimas in fidei ac vitæ religiosæ professione constantes, vinculis & verberibus atque omni supplicio excruciatas necant. Quæ fortiter dato capite ad duplicatum virginitatis & Martyrij præmium euolarunt. Has nobiles primitias vt olim Thecue vicus Palæstinæ suos vitæ perillustris & eximiæ sanctitatis Monachos à discurrentibus Saracenorum latrunculis interemptos, de quibus Cassianus noster Collat.6. cap.1. ita nunc Massiliæ recens ac vigens eiusdem Cassiani familia cœlo dedit.

8. Ad commune bonum plura alia Cœnobia sed tria imprimis sub idem fere tempus in Diœcesi Massiliensi curata sunt. Primum Massiliæ intra muros titulo S. Saluatoris, quod Yuelinæ familiæ quasi secundam dixerim post naufragium tabulam. Nam sedatis hostilium incursionum fluctibus & commutata tempestate, inde Abbatis & Monachorum S. Victoris ac ciuium Massiliensium studia incitata, non modo ad reficiendam Yuelinam domum sed ad deligendam nouo intra muros ciuitatis Virginum Monasterio fœliciorem & ipsarum pudori ac vitæ tutiorem sedem. Domus prope sacellum S.Lazari coëmpta, vbi olim carceris publici ergastula & eorum custodia pro fidei confessione ab Vrbis Præfecto Lazarus ipse conclusus fuerat, ipsumque sacellum Episcopus cùm sponte sua tum precibus omnium impulsus concessit. Ac difficilè cogitatu est quantis studiis omnium ordinum ciues sibi ipsi gratulantes, & nihil in religiosum cœtum honoris officiique prætermittentes curanda ædificij exordia simul & progressus augendos susceperint. Aliæ vt piratis in occulto laterent, & ab eorum insidiis longius abducerentur, in solitudinem haud procul à Monte Balma & Magdalenæ celebri ac sacra spelunca se contulerunt, fixo quod nunc etiam extat, & S. Zachariæ Cœnobium appellatur, religioso domicilio. Tertia Monachorum colonia ad summum eiusdem Montis Balmæ verticem secessit, Prioratui regulari S. Mariæ Magdalenæ, vt dicitur in Bullis Pontificium initium datura, cuius operariorum industria deinceps ad hanc vsque diem, in immensum creuit loci religio, tanta diuini honoris & gloriæ amplificatione tantoque animarum lucro, cui nunquam alias simile, tantam famæ celebritatem aut admirationem habuerit. De his fusius supra cap.17. num.4. 7. 8. Quod si cœterorum aliorum pietati votisque indulgeri potuisset iam tum per vniuersam Galliam Cassiani religio sparsa esset, adeo Prouinciales & Occitani aliique populi nominatim, Cœnobia flagitabant.

SÆCV.

SÆCVLVM II.

Annus Christi 520. *A Conditiu Monasterij 200.*

9. HOc ineunte sæculo Massiliæ floruisse Monasterium S. Victoris gratia atque hospitiis nobilissimorum æque atque sanctissimorum Monachorum testantur Vitæ acta S. Cæsarij Archiepiscopi Arelatensis, qui commotus ipsa fama & opinione cœpti recens cum nominis commendatione religiosi ordinis Cassianitarum, peragrare quoque ipse & adire Massiliam voluit, vt ne auditor gloriæ tantùm sed etiam spectator virtutis, & eiusdem palæstræ discipulus sanctissimis & religiosissimis à Cassiano traditis sese oblineret moribus, cuius propositi exitum fœlicissimum non aliis quam miraculorum auspiciis ibidem auguratus est Deus. Sic enim Presbyter Messianus & Diaconus Stephanus eiusdem discipuli & Vitæ authores libro 2. *Matrona quædam in vrbe Massiliensi casu pedem sibi luxauit, ita vt per tempora multa pedem ipsum in terra ponere non posset, sed manibus sustentata seruorum suorum vix ad Ecclesiam duci poterat validissimum sustinens dolorem. Sed quia multa sunt miserationes Domini, cùm voluit causas, effecit vt vir Dei ad ciuitatem illam ambularet. Audito mulier aduentu ipsius fecit se ad eum salutandum adduci, quæ accepta ab eo oratione & benedictione, nihil illi de causa sua præsumpsit suggerere, sed regressa ab eo ad cellam ipsius appropinquare se permitti rogauit, quæ de superfellio quo cella tegebatur locum debilitatis fideliter tangens statim pristinam sanitatem recipiens, tanquam nihil mali fuisset perpessa, pedibus suis nullo sustentante incolumis reuersa est, Domino vsque in præsens gratias agens.* Post destinatum commorationis tempus Arelatem regressus sorori suæ Cæsariæ ad sæculi fugam meditanti non alios quàm Cassiani fontes, quos paulo ante hauserat, atque etiam itinera ipsa vitæ Monasticæ putauit esse demonstranda. Narrant ista perantiquæ Breuiarij Arelatensis ad Officij Ecclesiastici vsum Lectiones, in hæc verba. Cæsaria Virgo Cæsarij Arelatẽsis Episcopi soror à teneris annis Monasterio Massiliensi includitur educanda, vt ipsa quã Dominus aliarum regimini præordinauerat inibi disceret quod doceret, & prius esset discipula quàm magistra. Dum verò Cæsarius illi Monasterium præpatat, quidquid in eo cœptum fuerat à Gothis in vrbe per Gallos obsessis, vi & incendio miserè diruitur, variisque ipse subinde persecutionibus præpeditus ab opere desistere cogitur. Tandem Arelata ditioni Childeberti primi Francorum Regis subacta, inchoatæ fabricæ primordia propriis sumptibus, cura, & labore magnificè prosequutus, Ecclesiam, claustrum, & cellas virgininibus ædificauit, ac decennio postquam in Episcopum assumptus est fœliciter consummatum opus 7. Calend. Septembris dedicauit. Illuc Massilia Cæsariam adscitam primùm cum duabus aut tribus sororibus intromittit anno 543. De quo vitæ Acta æuulgant memorabile illud & pene cœleste. *Quodam die, quod multi*

nouerunt hac in ciuitate Arelatensi, cuiusdam Ioannis domus succendi cœpit. Vicino Monasterio appropinquare igitur ignis cœpit, ita vt nulli dubium esset omnia ibidem concremanda. Turbatæ igitur ancillæ Dei quibus foras exire non licebat, libros, & res, cellas, & seipsas per cisternas iactabant, vbi Deo dispensante aqua deerat, ne illas desperatio conturbaret. Currentes præpositi Monasterij nuntiarunt Patri ipsarum, quod iam ignis prope esset cellas suas, ille festinanter egressus media nocte per murum ad locum veniens, vbi flamma vehementius incumbebat oratione prosternens se ipsisque mandans & de muro clamans. Non timeatis benedictæ, mox flamma sæuiens virtutis suæ amisit incendium.

10. Eadem tempestate Iustinianus Iustini hæres, cuius erat sororis filius, in Oriente rerum potiebatur ingenti vel fœlicitatis vel sapientiæ fama de quo illud merito præterire non possum, quod reparando Christiano imperio animum admouerit, & beneficio quodam Dei singulari duos insignes Præfectos ac Duces sortitus sit, Belisarium & Narsen quorum opera res longè præclarissimas confecerit; quod pace iam vndique stabilita ex tribus Codicibus Gregorij, Hermogenis, & Theodori, reiectis inutilibus & necessariis adiunctis, Codicem quem peculiari nomine vocant composuerit. Inde Parthis & Vandalis in Aphrica superatis, per Tribonianum etiam vetera iura & leges Romanorum in Digestorum libros redigi curauerit, quod Principatum obtinuerit annos 40. vno minus, sed fœlicior futurus si breuiore vsus esset imperio, tandem enim sapientiæ famam religionis inconstantia deformauit. In Eutychianam lapsus hæresim Agapetum Romanum Pontificem qui ad eum venerat, de pace Italiæ acturus, summa vi in suum errorem pertrahere conatus est, cui Pontifex ad minas interritus, *Enimuero*, inquit, *credebam me ad Iustinianum non ad Diocletianum venisse*. Syluerium & Vigilium Romanos Pontifices à Theodora Augusta multati exilio est passus. Ergo ad vltimum sapiens ille imperator redactus est ad insaniam, ita magnificentissimo S. Sophiæ templo Bysantij condito, ipse è vita decessit insanus anno 565. monumentum quàm parum humanæ fidendum sit sapientiæ.

11. S. Benedictus Narsinus Abbas cum sorore scholastica, primus in Cassinensi Monasterio regularem vitam (cùm hactenus Monachi seorsum ibi Christo libere inseruissent) certis legibus & ordinibus admotis inchoauit anno circiter 533. & à conditu Monasterij Massiliensis S. Victoris 113. Fama eius sanctitatis & miraculorum, etiam trucem barbarum Totilam in summum verticem Cassini montis attraxit. Ibi Benedicti Abbatis vaticinatione erectus mitigatusque, Neapolim fame domitam in fidem accepit. Romam inde vi capit, & vrbem quidem incendit, sed ciuibus pepercit monitorum Benedicti memor. Tota siquidem vrbe præcones prænuntiare iussit vt ciues à victorum ira, templorum sese religione defenderent. Ita Roma quartum à Gothis capta direptaque. Sed breue ac pestiferum Totila inde gaudium abstulit, namque haud multo post à Narsete Eunucho Iustiniani duce acie victus, vnà cum exercitu cæditur.

Cum

Cum Totila regnum ac nomen Gohorum in Italia deletum sit anno quàm ortum erat circiter 70.

12. Inter hæc Theodatus Gothorum Rex sub initium belli Gothici contra Bellisarium cùm Francis pasciscitur vt eam Galliæ portionem, quæ Gothis parebat, scilicet Prouinciam haberent, & aureorum viginti millia acciperent, ea conditione vt cum Gothis aduersus Bellisarium pugnarent. Sed antequam hæc perfici potuissent, Theodatus à suis ob ignauiam pulsus est & Vitigis successoris iussu occisus. Vitiges ex templo oratores in Franciam misit, qui Prouinciam & pecuniam darent. Accepta pecunia & diuisis pro cuiusque Imperij portione urbibus inter Clodouæi magni filios, Arelate Childeberto cessit anno salutis 538. Idque deinceps petentibus Francis à Iustiniano eosdem sibi demereri cupiente, confirmatum esse diplomate adnotant historici ad annum 548. Procopius. *Vt Gallias*, inquit, *Germani haberent Iustinianus permisit, ex quo tempore Principes Germanorum Massiliam, &c. circa id mare loca tenuerunt. Vnde & Arelate resident ad certaminis equestris spectaculum. Aureum natiuo è Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris vt cæteri solent imagine sed sua impressa.* Qui erat Genius forma hominis alati repræsentatus, visiturque hodie in atrio Diui Honorati extra muros tumulus, his geniis adornatus. Verum igitur est quod in vita S. Cæsarij scribit Cyprianus. Hodieque (Arelate scilicet) in Christi nomine paret clarissimo Regi Childeberto, vt possit de ea quoque dici. *Transierunt de gente in gentem & de regno ad populum alterum*, & non permisit Deus sub isto (Cæsario scilicet) hominem nocere Arelatensibus suis. Childeberti noui Principis pietatem testatur Monasterium virorum celeberrimum, quod in Monte maiori extra muros ædificari iussit, & absolutum à Vigilio Papa voluit Apostolica benedictione firmari. Neque in illud ex alia quam ex vicina Cassianitarum Massiliensi domo Monachos transtulisse dicitur anno circiter 540. & in iis Paulum nomine, virum præstantem virtutis & sapientiæ gloria, qui designatus Abbas & cæterorum dux ac magister religiosæ vitæ studia, quibus ab ineunte ætate sub disciplina Cassiani Massiliæ se imbuerat, primus in hunc ordinem inuexit. Sed de his supra fusè copioseque cap. 18. num. 5. & sequentibus. Theodorici Ostrogothorum Regis Clodouæi ex concubina filij, & Childeberti fratris pietas alium habuit exitum sane infœlicem, hic enim sub vitæ finem pristinis a moribus, quos laudabiles habuerat, in crudelitatem degenerans Symmachum eiusque generum Boëtium falso ad se delatos crimine, capitali affecit supplicio. Quo peracto scelere, cœnanti ipsi cùm caput piscis miræ magnitudinis appositus esset, visus est in eo sibi Symmachi intueri caput, quo portento territus, breui post moritur anno Christi 526.

Proco. lib. 3. de bello Gothorum.

13. Aliud præterea Childeberto regnante Parthenium Cœnobium Massiliæ floruisse quod in honorem S. Cassiani consecratum erat, meminit Gregorius Turonensis, de quo supra cap. 17. num. 5. Huius Abbatissam Respectam laudat Gregorius Papa lib. 6. Registri Indictione 15. Epistol. 12.

14. Arelate iam ciuitate Gallicâ, peregrinata in Prouinciâ tunc tēporis S.Radegundis Cassianæ stirpis nobilissima propago, mirum quantū virtutum suarum exemplis Monasticum vitæ genus exornarit. Cùm enim Clothario Regi inuita nupsisset, post aliquot annos facultate ab eo magnis precibus impetrata, primùm Arelatem ad S. Cæsariam se contulit, vt ipsa magistra, & ex S. Cassiani regulis, quas didicerat in Monacho perfectissimo fingendo, talis efformaretur qualis fortasse nemo fuerat. Demum Pictauos regressa Parthenonem construxit, vbi iam alte impressis Arelate religiosæ disciplinæ vestigiis, institit eo ardore, quo breui ad magnam virtutis perfectionem, ita enim traditur, gradum fecerit. Recitata habetur apud Gregorium Turonensem Epistola subscripta à nonnullis Episcopis & à duobus nominatim Victorio & Domnolo altero Redonensi Cenomanensi altero sanctitate clarissimis, ad Radegundem Reginam de Monastica institutione seruanda quam miro animi ardore susceperat, & cum Regiis aliisque nobilissimis virginibus Pictaui excolebat, ne qua ex illis quæ ab eorum Diœcesibus ad dictum Monasterium Deo dicandæ virgines conuolassent, post promissionem Deo factam ad propria redire posset vel nubere sub diri anathematis pœna. Basina Chilperici ex Audouera vxore, Francorum Regis filia in Monasterio S. Radegundis Pictauiensi Cassianitarum regulam profitebatur eodem tempore. Hanc Recaredus Visigothorum Rex Hermigildi martyris fratet, qui Leandro Episcopo Hispalensi Arianam pestem discusserat in Hispania, cùm in vxorem missa honorifica legatione expeteret ipsamque Chilpericus pater iam desPondisset, restitit ac peruicit S. Radegundis, in cuius Monasterio alebatur Basina, ne terrenæ nuptiæ cœlestibus anteponerentur, dicens. *Non esse dignum vt puella Christo dicata iterum ad sæculi voluptates reuerteretur.* Quare mutato consilio Chilpericus alteram filiam nomine Baddam Recaredo tradidit. Moritur Radegundis pluribus in funere illustrata miraculis Augustoriti Pictonum 14. August. feria 4. anno Christi 587. Regis Childeberti 12. Iam ante omnibus Episcopis, per literas quæ extant, commendato suo graui cum obtestatione Monasterio. Absente Pictauiensi Episcopo Gregorius Turonensis funus obiuit & tumulo condidit.

Gregor. lib. 9. histo. Franc. cap. 39.

15. Plures alias virgines ea ætate in Cæsariano Monasterio Arelatensi tenuisse idem Cassiani institutum in omnibus, recitat ex veteri quodam M. S. Martyrologio Pontificium Arelatense in Sapaudo anno Christi 574. Cæsariæ Cæsarij sorori suffecta est altera Cæsaria ducentarum virginum mater, cui successit Liliola, cuius leges suscepit Theodegildis Chariberti Regis demortui vxor licet inuita de qua meminit Gregorius in historia Francorum quod vidua vltro se offerens in matrimonium Guntramno fratri mariti defuncti, ab eo delusa & thesauris spoliata retrusa est in Monasterium, è quo moliens fugam, deprehensa arctiori vsque ad mortem custodiæ sub disciplina Liliolæ Arelatensis Abbatissæ tradita est.

Gregor. lib. 4. cap. 26.

16. Mitto de S. Aureliano dicere quod narrat Trithemius, scripsisse ipsum duas vitæ Monasticæ regulas alteram Sanctimonialibus, vt nempe Cæsariani

Trithe. lib. de proprietate

Cæsariani Monasterij Arelatensis, Monachis alteram vt conijcere licet Monasterij Montis Maioris; quoniam vtraque maiori ex parte sumpta est ex regula S. Cæsarij Arelatensis Episcopi eiusdem Aureliani præcessoris, iisdem etiam verbis sæpe transcriptis. Vixit Aurelianus Childeberto regnante anno salutis 546. nec excessit 555. quo Lugduni obiit die, in Romano Martyrologio adnotata 16. Iunij. Porro Archiepiscopos Arelatenses in gratiam Childeberti fundatoris coluisse summa obseruantia Monasterium Montis Maioris eximiisque priuilegiis donasse colligitur ex Pontificio passim citato Arelatensi. Nam de Cæsario & Aureliano (qui regulam conscripsit ad quam eorum dirigantur consilia, qui Monastice in ipso volunt viuere) vidit tandem inquit, Aurelianus antequam decederet, anno 555. consummatum perfectumque Monasterium virorum quod Arelate extruendum mandauerat Childebertus viuente Cæsario, vulgo Monasterium Montis Maioris appellatur. Sapaudus vero, quia templum & ara Monasterij S. Petro Apostolorum principi consecrata & publicè dedicata haberetur, Legatos ad Pelagium summum Pontificem vnà cum Childeberto Romam misit, vt inde reliquias Apostolorum Petri & Pauli Arelatem transferre liceret, quæ per Bonum Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum missæ sunt, nam de his Pelagius ad Childebertum, reste Baronio anno 556. num. 29. *Reliquias verò tam beatorum Apostolorum, quàm Sanctorum Martyrum iam quidem per seruos Dei Monasterij Lerinensis direximus, sed & nunc quas Legati vestri poposcerunt nos misisse signamus, deputantes hominem Bonum subdiaconum ex Clero Ecclesiæ nostræ à quo vsque ad fratrem & Coëpiscopum nostrum Sapaudum iubente Domino deferantur.* Et ad Sapaudum ipsum Archiepiscopum Arelatensem S. Aureliani successorem. *Quia Legati filij nostri gloriosissimi Regis Childeberti Beatorum Apostolorum Petri & Pauli & aliorum SS. Martyrum reliquias poposcerunt, necesse habuimus hominem Bonum subdiaconum de Clero nostro dirigere, qui eas vsque ad fraternitatem tuam cum reuerentia deportaret. Et ideo salutantes hortamur vt quæsita occasione nauis, siue terreno cum talibus personis de quibus nulla periculi possit esse suspicio ad nos eum iuuante Domino remittatis.*

17. Vt ad cæteros Clodouæi posteros reuertar, fratribus tribus nempe Childeberto de quo agitur, Chlodomiro, Theodorico eorumque liberis superstes Clotharius Francorum regnum atque adeo Prouinciæ, quam ditioni suæ subiecerat Childebertus, principatum solus biennio amplius gessit, quem totidem in partes distributum eius filij sortiti sunt. Cherebertus Lutetiæ Parisiorum, Chilpericus Suessionum, Guntramnus Aurelianorum, Sigebertus Mediomatricum Reges dicti. Horum pessimi Cherebertus & Chilpericus, in quibus præter libidinum impunitatem, ac licentiam, regium nihil agnosceres. Moritur prior apud Blauiam in Santonibus anno Regni 9. Christi 570. alter præmissis ad Tornacum in Neruiis obsidendum copiis, qua se vrbe Chilpericum frater cum vxore Fredegunde liberisque sepserat, à sicariis duobus, quos ipsa Fredegundis submiserat tinctis veneno cultris confossus est anno Regni 14. Christi 575.

Sigebertus,

Grego.lib.4. cap.30.

Sigebertus, de quo ista scribit Gregorius in historia Francorum, Firmino seu Audouario Duce Arelatem suam fecit, quæ Guntramni Aurelianorum Regis erat. Aurelia enim ad Ligerim regnum Burgundiæ fuit, quod citerioris Burgundiæ fines continebat, ac Rhodanum etiam transcendens Allobroges complectebatur, quibus etiam Prouincia vniuersa contributa dicebatur. Quare nihil cunctatus Guntramnus in aciem descendit Celso Patritio Duce & Arelatem flexit quam ingenti cinxit obsidione, profligatisque hostibus in Vrbem Celsus gloriosissime triumphans est introductus. Alterum bellum ab eodem Guntramno susceptum est contra Longobardos è Scandinauia indidem, vnde & Gothi, Vandali, Rugi, Heruli, Turcilingi, profectos. Regnabat tunc Longobardis Audoinus, cuius filius Alboinus affinitate Clothario iunctus (eius Chlotosindam filiam in matrimonium habebat) primus in Italiam Iustino II. Imperatore peruenit anno Christi 568. eamque pene omnem peruagatus, præter Romam & Rauennam & aliquas maritimas vrbes cuncta propemodum occupauit. Huius Longobardicæ irruptionis authorem fuisse Narsetem Patritium spadonem affirmant Anastasius & Varnefridus, quem cùm Italiæ administratione amouisset Iustinus Imperator, simul & Sophiæ vxoris eius contumeliosis literis ad lanarum pensa, vt Eunuchum decebat, redire iussus est, telam se eiusmodi texturum respondit, quam nec ipsa nec vir eius vnquam retexerent atque ita Lombardos quorum forti fidelique opera vsus erat, in Gothis Italia pellendis, ad eamdem inuadendam exciuit. Porro secundis rebus elati Longobardi ausi sunt Prouinciam, Francorum gentem finitimam, bello vexare quam ditioni suæ subiectam vt tueretur, auxiliarem in eos exercitum misit Guntramnus. Verba Massoni sunt in Francorum Annalibus Clothario II. *Longobardi facta in Alpibus ingenti præda, fusis Guntramni copiis, Panio earum duce interfecto domum redeunt. Maioris lucri æstu incitati iterum transcendunt Cottias, excurruntque ad oppidum Alpinæ gentis Eberodunum non procul ab eo iugo vnde Druentia oritur. Guntramnus Panio Mummolenum successorem dederat antiquo genere natum & ingenio solertem, vtar enim Fortunati verbis. Noui ducis operæ magni fuit in vincendis fugandisque barbaris.* Sed quinto post anno, post Alboini cædem vt Varnefridus significat, Christi 574. vel sequenti Longobardorum reguli aliquot ex decem illis qui Alboino successerunt, nempe Amo, Zabanus, & Rhodanus, Alpinas gentes sibi iterum diripiendas ac vastandam interiorem Galliam sumpserunt. Amo ab Eberoduno secundo, Druentia Auenionem vsque Cauarum vrbem, Arelatem, Aquas Sextias, &c. Prouinciæ loca populatus est: alter regionem quæ inter Druentiam & Isaram iacet in qua est Druma & Dia oppidum ac Valentia ciuitas, ad quam castra posuit. Tertius secundo Isara Gratiopolim obsidere ausus est, hos duces Mummolenus celeri fuga sibi salutem quærere compulit, profligatis ad Eberodunum eorum copiis. Tertium pro defensione Prouinciæ suæ bellum gessit Guntramnus contra Gothos, qui in Gallia Narbonensi fixas sedes habebant, sed infœliciter. Dux erat Gothorum Claudius à Reccaredo Rege missus, quem cum trecentis

Anast. in Ioan. 3. Varnefrid. c.25.

Varnefri. l.3. cap.1.

trecentis haud amplius viris sexaginta Francorum fudisse millia autor est Isidorus in Chronico, quod non est simile vero. Aliter enim sentit ac scribit. Gregorius Turonensis. *Reccaredus*, inquit, *filius Lenieldi de Hispaniis egressus caput Arietis, castra obtinuit & ex pago Tolosano maximam partem depopulatus est, hominesque captiuos abduxit. Vgernum Arelatense castrum irrupit resque cunctas cum hominibus abstulit & sic se intra, muros Nemausensis vrbis inclusit.* De Vgerno Arelatensium Castro meminit Strabo, illique est ὄγερνον. Vgernum pro Orgone vsurpatum vult Massonus, in descriptione fluminum Galliæ.

Gregor. lib. 8 cap. 30.

8. Cassiani morte cum centum sexaginta circiter fluxissent anni, Anastasius de ipsius Monasteriis S. Victoris Massiliensis Monachis vnus, assumptus est in Abbatem anno Christi 580. siue vt habetur in libro chartarum, exeunte Christi sæculo sexcentesimo, tenuitque eam curam inter summa pericula, quibus inter grauissimas Regum potentissimorum Gontramni & Childerici de vrbis dominio contendentium simultates, huc & illuc fluctuabat Respublica Massiliensis. Erat Anastasius Abbas cum Proculo sacerdote duce ac signifero Cleri vniuersi Massiliensis partium Regis Gontramni cuius etiam nomine Dinamius Prouinciam administrabat & in Theodorum Episcopum cæterosque Childeberti fautores inuehebatur acerbius & rebellionis ac exitiosæ nescio cuius coniurationis, prætextu insectabatur vehementius, cum tandem pace inter Principes conciliata Theodorus post exilij pœnas, proscriptiones, incarcerationes ab aduersariis forti animo æqualiterque toleratas pristinam suam dignitatem & gloriam consequutus, Massiliæ cum Anastasio nostro tantam familiaritatem contraxit & ea cum officiis eius multis, tum etiam consuetudine quotidiana sic est aucta vt nihil esset familiaritate eorum coniunctius. Multa ambo simul, cùm institutis optimis tum vitæ suæ forma religiosissimis, digna præsulibus edebant & moliebantur, dum pestifera suborta lues Theodorum seuocare se à publico & in suburbanum S. Victoris Monasterium ad Anastasium beneuolentissimum atque amicissimum recedere coëgit. Suspicio fuit & frequens rumor, id malum ab Hispanis nauiculatoribus ex Italia Massiliam quæstuosæ vendendi ac emẽdi mercaturæ contagione vel inuectum vel propagatum. Eo enim tempore Roma memorabili Tiberis inundatione & lue atrocissima diluuium excipiẽte, grauissime periclitata est. Cum Gregorius cognomine Magnus Pelagio Pontifice pestilentia sublato ad hoc idem eius munus lectus, Litaniis supplicationibusque institutis depulit morbum, & testis placati numinis in summa Adriani mole gladium vagina condens conspectus est Angelus, qui celebre deinde arci nomen ad posteros dedit. Subinde à Longobardorum armis egregie vrbe defensa, factaque inter Romanos barbarosque pace excessit è vita anno 605. eximium posteris Romani Pontificis exemplum relinquens. Huius Abbatis Anastasij æque atque S. Gregorij æqualis fuit Respecta eiusdem ordinis & in eadem vrbe Massiliensi Abbatissa Parthenij Cœnobij, quod S. Cassiani vt supra monuimus appellabatur, ad quam rescripsit, & rem an litem dici oporteat?

à S. Theodoro Episcopo Massiliensi aduersus ipsam concitatam, edicto composuit idem S.Gregorius. Exemplum literarum dedimus supra cap. 17. num. 5. Sane strages per pestilentiam edita quo dirior & immanior Massiliæ tunc fuit, eo gloriosior Theodori atque Anastasij virtus supra modum enituit. Sustinere ambo omnia putabantur non diuina modo ægris sed humana quoque auxilia subministrantes, iidem confirmantes consolantésque incolumes, iidem ægros docentes & expiantes, mortuorum demum consulentes sepulturæ cum incredibili approbatione vulgi & admiratione vtrumque animarum suarum parentem & salutis restitutorem millies bene precando acclamantis. Gessit Magistratum Anastasius sæculo sexcentesimo exeunte, quo verò inierit anno siue exierit, bene qui coniiciet vatem hunc perhibeto optimum.

19. Anno Christi 589. Licerius Arelatensis Archiepiscopus Referendarij munus & Prouinciæ curam gerebat apud Guntramnum, dum inter hæc Protasius Aquarum sextiarum Episcopus Arelatensis Ecclesiæ & absentis Episcopi iura administrabat. Qua causa Gregorius ad eumdem Protasium scribens, Vicedominum appellat, cùm enim ea quæ spectabant ad B. Petri patrimonium Gregorius Papa à Virgilio Licerij successore repeteret, ad Protasium rescripsit ne fortè ea præstare renueret Virgilius. *Si fortè*, inquit, *aliquo se modo quod non credimus excusare voluerit (Virgilius) vos qui veritatem ipsam subtilius nostis, reuera qui in Ecclesia ipsa tunc temporis curam Vicodomini gerebatis, qualiter se habeat causa differite.* Patrimonium Romana habebat Ecclesia in Prouincia, sed modicum quidem fuisse argumento est vox illa *Patrimonioli*, qua vtitur Gregorius ad Candidum scribens cui regendi illud cura commissa erat. Est etiam Epistola ad Dynamium, qua idem Pontifex scribit se per Hilarium de Ecclesiæ suæ redditibus accepisse Gallicanos solidos quadringentos. Fuit autem perfamiliaris & omnibus rebus coniunctus Gregorio Virgilius plurimisque ab ipso salutatus literis. Scripsit enim ad illum & ad S.Theodorum Episcopum Massiliensem Iudæos non esse vi ad fidem compellendos, imo verbis & sacræ scripturæ sententiis suadendos reuocandosque. *Plurimi siquidem*, inquit, *Iudaicæ religionis viri in hac Prouincia commorantes ac subinde in Massilia partes pro diuersis negotiis ambulantes, ad nostram perduxere notitiam multos consistentium in illis partibus Iudæorum, vi magis ad fontem baptismatis quam prædicatione perductos, nam intentionem quidem huiuscemodi & laude dignam censeo, & de Domini nostri dilectione descendere profiteor, sed hanc eamdem intentionem nisi competens scripturæ sacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proueniat, aut iuxta aliquid animarum quas eripi volumus quod absit dispendia subsequantur.* Obiit Licerius anno 591. Guntramnus anno 593 vel 594. 5. Calend. Aprilis illustri pietatis ac virtutum cæterarum relicta memoria, quæ Ecclesiasticis commendata tabulis 28. Martij quotannis repetitur. Eius regnum ac Prouinciæ principatus ad Childebertum peruenit, qui anno 4. à Guntramni obitu Christi 596. cum vxore veneno sublatus, filios duos Theodebertum ac Theodoricum successores habuit

Gregor. lib. 1. Indict. 9. Epist. 45.

habuit sub Brunechildis auiæ tutela.

20. Floruit ea tempestate S. Birgitta Scotica multorum Cœnobiorum fundatrix. Nec multo post S. Columbanus Luxoniensi suo Monasterio initium posuit, de quo ex eius vitæ actis Platus lib. 1. de bono status religiosi cap. 33. quod cùm è Luxoniensi Monasterio à Theodorico Rege Burgundiæ impulsu auiæ Brunechildis præter cæteras iniurias in exilium pulsus esset cum aliquot è suis, primùm in ea fuga satelles, qui per insolentiam vnum ex eius fratribus fuste ceciderat, paulo pòst ipso eodem loco aquis suffocatus est, vt ei prophetice prædixerat Columbanus. At Theodoricus inito bello cum fratre Theodeberto in Metensi vrbe, incendio seu casu seu diuinitus excitato absumptus est, cuius regnum inuadens Clotharius Rex Franciæ, primùm sex eius filios captos omnes interemit, deinde Brunechildem pene alteram Iesabelem camelo impositam ignominiose per totum exercitum spectandam circumduxit. Denique etiam indomitorum equorum caudis alligatam discerpi iussit, qua pœna & illa miserrimè vitam finiuit, & ea tota familia radicitus extincta, regnum omne in Clotharium translatum est.

21. S. Maurus Abbas & discipulus S. Benedicti missus ab eodem in Gallias anno salutis 541. iuxta Chronologiam Arnoldi tertio libro Ligni vitæ, at iuxta computum Ecclesiæ anno 535. celeberrimo Monasterio extructo, cui annis quadraginta præfuit, Monasticam disciplinam mirifice propagauit, eius enim familia, siue Congregatio vt vocant, tam breui tempore ita multiplicata est vt certè pro miraculo fuerit. Neque multis opus videtur ad hoc ostendendum, cum res etiam nunc in oculis & in conspectu sit. Denique sanctitate & miraculis clarus septuagenario maior migrauit in cœlum anno 565. Cuius adhuc adolescentis illud admirabilis obedientiæ exemplum à S. Gregorio Papa commemoratur. Nam cum Placidus Monachus in lacum prolapsus aquarum impetu raperetur sancti Patris Benedicti iussu accurrens Maurus, & super aquas incedens socium capillis apprehensum ad terram attraxit. Ipse vero Placidus deinceps ab eodem S. Benedicto in Siciliam missus Monasterium & Ecclesiam S. Ioannis Baptistæ prope Messanæ portum construxit, vbi cum Monachis admirabili sanctitate vixit. Eius visendi causa cùm eo venissent Euthychius & Victorinus illius fratres & Flauia virgo soror, eodem tempore illuc appulit immanis quidam pirata Manucha nomine, qui capto Monasterio cum Placidum & cæteros nullo modo adducere potuisset vt Christum negarent, ipsum fratresque illius ac sororem crudeliter, necari iussit, cum quibus etiam Donatus, Firmatus, Diaconus, Faustus aliique triginta Monachi Martyrij agonem fœliciter consummarunt 3. Nonas Octobris anno salutis 539.

SÆCVLVM III.

Annus Christi 620. *A Conditu Monasterij annus* 300.

22. ANnum voluentis sæculi primum Mauri alterius electione ac promotione in Abbatem S. Victoris Massiliensem nonnullisque in Prouincia familiæ Cassianitarum haud leuibus incrementis notabilem opportunum fuerit exordiri. Etsi enim diu in Archiuis & alibi passim à me quæsitus eius nominis Abbas, minimè repertus sit, tamen illum Indici nostro restituisse videntur Chronicon Generale Ordinis S. Benedicti Centuria 6. & Martyrologium Menardi, eiusdemque liber 2. Obseruationum, quos secutus autor Martyrologij Gallicani ad ferias, virtutum & sanctitatis eius gratia indictas pridie Idus Iunij. *Massiliæ*, inquit, *S. Mauri Abbatis virtutibus præclari.* Quia vero in serie temporum nullum ipsi certum ordinem assignant, inde faciles & expeditæ fiunt à petitis diuinationum coniecturæ in hanc vel id genus aliam ætatem incidisse, qua fortia maiorum exempla, scriptorum incuria siue obliuione intermortua, vel intermissione consuetudinis antiquata, vel annalium vetustate obruta cum sanctis viris fœminisque pene tota sepulta sunt.

23. Arelatenses iam pridem familiæ Cassianitarum non tantum fama sed conspectu etiam & eximiis virtutum exemplis cognitæ amor & cupiditas ceperat. Id consilij perficiendi S. Virgilius, qui tum fortè Episcopum agebat Arelate, negotium fecit suum, dum vrbem sacris & religiosis augere parat ædificiis. Primùm enim templum D. Stephano (à venerandis quas continet S. Trophimi reliquiis nuncupatum) intra vrbem Arelatensem fideli qua potuit deuotione construxit. *Ad quod dum Beatissimus antistes*, vt testatur eius vitæ autor, *cum cæteris Episcopis qui ad dedicationem templi conuenerant psallendo sacras cum honore maximo reliquias B. Stephani vel aliorum Sanctorum adueheret, in ipsius vrbis porta improuisè versus iste ex ordine sic venit.* Hæc porta Domini iusti intrabunt per eam. *Quod procul dubio intelligendum est vrbis memoratæ portam sic eius orationibus munitam vt sicut hactenus per longinqua spatia temporum propitiante Deo numquam esse comprobatur irrupta, ita nec in posterum posse irrumpi diuinitate propitia censeatur, quoniam facillime Pastor ille præcipuus, quem viuentem monstrans gesta, post transitum apud Dominum obtinere potuit, vt gloriosam meritis vrbem hanc, in qua Pontificium emeruit, perpetuis temporibus defensaret. A foris per virtutem sui corporis & intra per templum sacratissimum quod construxit, vndique per beneficia indulta quæ meruit. Omnes ergo diuinitate propitia nouerunt sicut psallentium turba prædixit, vrbem Arelatensem per defensorem Virgilium in omnibus esse munitam nec permitti potest vt locum illum hostiles cunei valeant irrumpere, vbi ille Christo dignoscitur militasse.*

24. Alteram præterea, in honorem S. Saluatoris Domini nostri Iesu Christi

Christi & S. Honorati Lerinæ Insulæ fundatoris construxit Basilicam extra muros in campis illis, quos etiam nunc *Elysios* vocamus propter infinitam sepulchrorum multitudinem quam illic licet intueri, atque ibi ordinem constituit Monachorum seruientium Deo. Cumque à B. Pontifice sacra Missarum solennia celebrarentur, contigit vt cuiusdam viduæ vnica filia in annis adolescentiæ constituta à maligno spiritu raperetur, quam cùm piissima genitrix infœlici casu decepta non minus miseranda quam misera, ex vsu gestandam pheretro collocauerit, ad sanctum trepida cucurrit Antistitem, cum lachrymis potius quam verbis causam improbi doloris assignans, vt supra corpus exanime orationem funderet, supplicauit: quod vir Dei pietate victus nec differre potuit nec negare. Sed ad pheretrum continenter accessit, ibique pronus adorans vel in sublime geminas manuum suarum palmas attollens, precibus beatis obtinuit vt mortuam suscitaret. Quæ raptim tanquam post nimium soporem euigilans, oculos rediuina prægrauatos aperuit, & auocata surrexit. Longum itaque est gaudia materna differere & stuporem admirantis populi replicare, postque tamen miracula per quæ mortis iura virtus meritis armata resoluerat dum iactantiam Pontifex ille fugeret, concitus remeauit. Sed deuotio populi quæ suffragia in diuinis laudibus intonabat, tanta eum auiditate præcinxerat vt maximam partem indumẽti sui in reliquiarũ patrocinia ciuili violentia rapuisset, vnde pro eius virtutibus declarandis, quod vix circa scapulas remanere potuit, hodierna deuotio reseruauit. Hæc vitæ autor. Contigit & aliud non tam dictu quam re inopinatum atque admirabile, vt columnæ marmoreæ, quæ ibidem nunc videntur assistere, in altum deductæ erigi deberentur. Factum est autem vt dum vir Domini absens esset omnes nimio labore fatigarentur, & moles lapidum mouere non possent. Sed in nullo grauabatur tanti onus ponderis quando eius præcedebant auxilia sanctitatis, dum ille tamen ad templi illius septa operarios indesinenter insisteret ita eodem absente diabolicæ artis obuiante nequitia, vniuersam multitudinem virorum occulta prægrauauit obiectio. Cúmque nullis rebus accedere potuissent alios quamplures iuuencos etiam adiunxerunt, quibus vis maior esse poterat & robur validius imminebat. Sed nihil proficere poterant, quibus spiritalis aduersitas resistebat, & tanquam si totam vrbem illam quod impossibile esse dignoscitur, trahere niterentur, ita pondus mobile fraus inimica resistens fecerat non posse moueri, cuius rei gestum Beatissimo Antistiti anhelans illico nuntius perturbatus exhibuit, ille verò ad locum indubitanter accessit, nec terrore trepidus nec mœrore confusus, cuius tantum aspectibus insidiator ille latere non potuit, qui populo vniuerso latebat, tunc clamosa voce dicere cœpit, Frustra per ignorantiam laboratis dum videre inimici hostis obstacula non potestis. Nam ego conspicio Æthiopem paruulum in quo diabolicæ virtutis consistit immanitas iuuenculis certantibus obuiantem. Tunc genuflexo deuotus adorans, vt insidiatoris aduersitatem vinceret, auxilia diuina poposcit & conuersus ad funebrem dixit. O omnis dolor & inimice humani generis, quomodo

ausus es opus Dei insidiari. Ad hanc vocem territus aduersarius illico, quia amplius sub præsentia S. Pontificis nocere non licuit, cum nimio fœtore discessit, & remotis columnis quæ ab eius insidiis prægrauatæ fuerant, ad dispositum locum vbi videbantur opponi, absque vlla difficultate erectæ sunt, quoniam nihil illi insidiator aduersari poterat cui Dei arbitrio dæmonia subiecta esse videbantur. Hactenus ille ibidem.

25. Cæterum Monachorum ordinem quos in has noui sui Monasterij ædes euocauit, Cassianitas potius fuisse quam Lerinenses, quibus olim præfuerat Abbas Virgilius, probabilitate magna diximus cap. 18. num. 18. Causam fuisse aiunt, Monachorum Lerinensium iam tum notatam remissionem quandam & laxamentum, ex iis, quibus astricti erant, paulo seuerioris disciplinæ legibus & institutis, qua de re in vita S. Attalæ Monachi Lerinensis qui floruit anno 626. Chronicum ipsum Lerinense pauca ista perstringit. *Bona indolis puer, nihil ibi vtilitatis agi cernens cœpit mente ac spiritu ad potiora tendere, & ad altiora anhelare: dedit ergo operam vt postpositis mundi phaleramentis Monachorum iungeretur cohorti. Clam itaque à sodalibus progressus, duobus pueris contentus ad Lerinense Monasterium venit, quo in loco, diu degens cum cerneret Monachos eiusdem Cœnobij nequaquam regularis disciplina habenis colla submittere, cœpit anxio animo trutinare qua potioris consilij aditus viam panderet. Progressus ergo inde ad B. Columbanum Luxonium venit. Quem vir sanctus cum ingenij sagacis solertem esse cerneret suo Monasterio iunxit, atque omnibus diuinis monitis erudire tentauit.* Item Baronius anno Christi 601. de Bono Abbate Lerinensi hæc habet. *Sicut verò aduersus* impios atque scelestos homines sanctissimi viri Gregorij zelus exarsit, ita è contra eos quos munus suum nouit religiose explere fouit, & suis pene visceribus clausit. Videas hæc ex ipsius literis ad Bonum Abbatem Cœnobij Lerinensis antiquitus fœcunditate Sanctorum conspicui. Iste namque relaxatam à prædecessore Monasticam obseruantiam fibulis disciplinæ restrinxit, quem ipse Gregorius de perseuerantiæ bono sollicitus, vt perseueret admonens, salutaria monita impertitur. *Registri Epistolarum lib. 9. Indict. 4. Tum infra ad annum Christi 664. De S. Aygulpho Abbate & Martyre Lerinensi. Cum enim ex Floriacensi Monasterio*, inquit, *ad præfecturam Lerinensis Monasterij vocatus esset, in quo collapsa Monastica disciplina videretur, inuidiam incurrit & odium pseudomonachorum illic degentium Columbi atque Archadij, qui ipsum cum eius sociis primum vinciendum curarunt, inde vero ad eorum supplicium ignobilem Insulam delegerunt inter Corsicam atque Sardiniam constitutam, vbi post linguæ abscissionem & erutionem oculorum, capite truncati sunt. Sed eorum corpora comperto facinore in Lerinensem insulam relata atque cum honore sepulta fuere, nefandus autem Columbus sceleris architectus à Rege Clodouæo post alia tormenta necari iussus est.* Prætexunt alij Lerinæ insulæ vastitatem, depopulationes agrorum, domiciliorum euersionem, templi conflagrationem, Monachorum exilium & fugam qua imminentibus Longobardicæ irruptionis hostilibus copiis, vitæ rebusque suis consuluerint. Vix enim per id tempus respirabat

rabat à metu grassantium per vniuersam Prouinciam circumquaque Longobardorum, vix emergebat à fluctibus seruitutis; vix ab incendio & ruinis reuiuiscebat Monasterium Lerinense, si Gregorium audimus in historia Francorum vbi de S. Hospitio Lerinensi Monacho recluso in hæc verba. *Magnas*, inquit, *Dominus per ipsum virtutes dignatus est operari. Nam quodam tempore reuelante sibi spiritu Sancto, aduentum Longobardorum in Gallias hoc modo prædixit. Venient Longobardi in Gallias & deuastabunt ciuitates septem eo quod increuerit malitia in conspectu Domini, quia nullus est intelligens, nullus qui faciat bonum, vt ira Dei placetur. Est enim omnis populus infidelis, periuriis deditus, furtis obnoxius, in homicidiis promptus, à quibus nullus iustitiæ fructus vllatenus prodit. Non decimæ dantur, non pauper alitur, non tegitur nudus, non peregrinus hospitio recipitur, aut cibo sufficiente satiatur. Ideo hæc plaga superueniet nunc autem dico vobis, congerite omnem substantiam vestram intra murorum septa, ne à Longobardis diripiatur, & vos ipsos firmissimis communite in locis. Hæc eo loquente omnes obstupefacti & vale dicentes, cum magna admiratione ad propria sunt regressi. Monachis quoque dixit Abscedite & vos à loco, auferentes vobiscum quæ habetis. Ecce enim appropinquat genus quod prædixi. Dicentibus autem illis. Non relinquemus te sanctissime Pater. At ille nolite timere pro me futurum est enim vt inferant mihi iniurias, sed non nocebunt vsque ad mortem. Discedentibus autem Monachis venit gens illa, & dum cuncta quæ reperit vastat, peruenit ad locum vbi sanctus Dei reclusus erat. At ille per fenestram turris ostendit se eis, illi verò circumeuntes turris aditum per quem ingrederentur ad eum, inuenire non poterant. Tunc duo ascendentes detexerunt tectum, & videntes eum cinctum catenis indutumque cilicio dicunt, Hic est malefactor & homicidium fecit, ideo his ligaminibus vinctus tenetur. Vocatoque interprete sciscitantur ab eo quid mali fecerit, vt tali supplicio arctaretur. At ille fatetur se homicidam esse, omnisque criminis reum. Tunc vnus extracto gladio vt in caput eius libraret, dextera in ipso ictus suspensa diriguit, nec eam ad se potuit reuocare. Tunc gladium laxans terræ deiecit. Hæc videntes socij eius clamorem in cœlum dederunt flagitantes à sancto, vt quid agi oporteret clementer insinuaret. Ipse vero imposito salutis signo brachium sanitati restituit. Ille autem in eodem loco conuersus tonsurato capite fidelissimus Monachus nunc habetur. Duo vero duces qui audierunt eum, incolumes patriæ redditi sunt, qui vero contempserunt præceptum eius, miserabiliter in ipsa Prouincia sunt defuncti multi autem ex ipsis à dæmonio correpti clamabant. Cur nos sancte & beatissime sic crucias & incendis: sed imposita eis manu mundabat eos.* Addo nullam neque iustiorem neque grauiorem causam necessitudinis posse reperiri, quàm coniunctionem, quàm Prouinciæ, quàm officij, quàm publicam muneris societatem, quæ cum inter vtrumque Monasterium Lerinense & Massiliense quasi gemellos fœtus ab ipsis pene incunabulis interuenit, graue non fuit translationes Monachorum tanquam mutuationes fieri, cùm quod non haberent tunc temporis Lerinenses à Massiliensibus sumerent. De ortu quidquid affirmare libuerit, certe in progressu fundationis, Abbatem S. Victoris

Massiliensem

Massiliensem Monasterium Arelatense S. Honorati sub imperium suum ditionemque subiunctum habuisse, capite citato ex publicis instrumentis M M. S. S. non paucis demonstrauimus. Creatus est S. Virgilius Episcopus Arelatensis post desudatam Lerinensis eremi palæstram anno salutis 591. ætatis vero suæ iam labente 78. vixitque in Episcopatu annos 49. moritur anno 640. ætatis verò suæ 127. Theodoro 1. Romano Pontifice, Constantino 3. Augusto & in Gallia Dagoberto I. fœliciter regnante. Cuius festa solennia celebrantur ab Ecclesia Arelatensi 7. Octobris & à Lerinensi. 3. Nonas Martij.

26. Sub idem tempus S. Rusticula cum Virginibus Cæsarianis, quæ instituta Cassiani tuebantur ceremoniasque retinebant Arelate, maxima cum sanctitatis laude vixit, Martiam aliàs dixere. Valeriano & Clementia parentibus Vaisione Vocontiorum nata est. Liliolæ Abbatissæ, quod illam Cheraonius Guntramni Regis familiaris vi abduxisset, educanda data fuit Sapaudo & Siagrio Augustodunense authoribus, quæ & Antistita post Liliolam in tantam euasit sanctitatem, totque effulsit miraculis, vt sacris Ecclesiæ Arelatensis tabulis adscribi meruerit, illiusque reliquias sanctissime in templo S. Trophimi veneratur populus. Eius vitam Florentius Tricastinus presbyter scriptis mandauit, & Celsæ Celsi Patritij affini inscripsit. Supremum diem clausit anno Christi 664. ætatis 77. Theodosio Archiepiscopo Arelatensi, qui iussus adesse Concilio Cabiloni ad Ararim quod à constitutis Patrum recessisset, eò conuenire distulit. Ean. ob rem Patres in annum sequentem Concilium Arelate indixerunt, vt illo præsente res ageretur, atque vt nullum Theodosio effugium esset, conuocati dederunt literas Patres ad illum.

27. In Oriente defecerant iam prorsus ab imperio Gallia, Hispania, Gemania, & Lombardia, prætereà Persarum Rex Chosroa multas regiones & ciuitates pariter in Oriente occupauit, potitus est & Hierosolymitana vrbe & crucem Seruatoris nostri Iesu Christi secum abduxit, sed non multo post Heraclius anno Christi 612. renunciatus Augustus & à Sergio Patriarcha diademate coronatus, Hirosolymam, Syriam & Ægyptum restituit imperio, & Persis victis crucem Dominicam reduxit eamque primum Constantinopolim deinde Romam transtulit. Iudæos omnes in oriente baptisari iussit, aut exulare, idemque in Hispania à Sisibuto, in Francia à Dagoberto regibus edicendum curauit. Ita plerique Iudæorum terrore exilij sunt ad baptisma compulsi consilio pio magis quam salubri vt postea docuit euentus. Cæterum Monothelitarum deinde errore implicitus Imperator nullus fuit, diem expleuit extremum anno Christi 641. cum annos 30. imperasset eo perniciosior ob ignauiam quo diuturnior.

28. Hoc Imperatore Mahometes genere Arabs, patre ethnico matre Iudæa genitus, Christianæ religionis, cuius sacris imbutus erat, fatale portentum, exitialem condidit sectam ex diuersis disciplinis Christiana, Iudæa, Ethnicaque conflatam, quæ non minus licentiæ dulcedine quam armorum viribus breui in immensum creuit. Hic de camelorum pastore locu-

pletis

pletis heræ coniux factus in Palæstinam abiit, cumque à dæmone & comitiali morbo iactatus identidem corrueret, mœrenti ob id vxori persuasit, Gabrielis se Archangeli conspectu & alloquio consternatum sic affici. Id confirmante Sergio Monacho, qui ob hæresim eiectus ab Ecclesia impio Mahometi consiliorum omnium societate se adiunxit, mulierculæ opera latius dissipatum ac vulgo creditum est. Quæ Saraceni regni origo fuit. Nam etsi Agarenus erat natione, tamen non sine magna causa mutauit hoc nomen, quod promissio in scripturis ad Abrahæ filios ex Sara prognatos pertinebat, & non ad Agar. Quare cum Saracenis suis ad Heraclium accedens agrum impetrauit ad habitandum, ac postea anno 631. obiit. Quo ex tempore successores illius Saraceni appellati, paulatim Palæstinam, Syriam, Ægyptum Heraclio regnante sibi subiecerunt. Quin & Persidem anno 640. fugato Rege Hormisda ceperunt. Sunt autem hi Saraceni potentes non in Asia solum sed in Aphrica quoque facti. Inde & in Hispaniam profecti eius quoque magnam partem diu tenuerunt. Italiam etiam sæpe per incursionem ingressi sunt. Porro Halys à Mahomete quintus, rerum successu elatus Propheta eximius Mahomete ipso maior dici credique voluit, scitam ad id commentus fabulam. Aiebat Gabrielem Angelum nouæ legis latorem ad se missum à Deo, sed errore deceptum isse ad Mahometem. Ita Saracena secta diuisa, aliis Mahometem aliis Halym sequentibus.

29. De Anglia notissimum est, vt ab Augustino informata, quem Gregorius Pontifex cum quatuor Monachis eo legarat, ad Deum sese conuerterit vnà cum Rege Etelberto anno 603. Augustinum verò nauigasse Massiliam, atque ibi ad Cœnobium S. Victoris hospitem Monachum apud hospites Monachos ex itinere diuertisse, cuius Cœnobij Abbatem notum ac familiarem habuisse S. Gregorium Pontificem, colligimus ex literis supra laudatis eiusdem Gregorij ad Respectam Parthenonis S. Cassiani Massiliensis sub eodem Abbate, Antistitam. Sed & hinc Arelatem adiisse ad Virgilium Episcopum, fidem faciunt S. Gregorij frequentes Epistolæ ad Virgilium, quarum quinquagesima tertia de causa Augustini sic habet. *Virgilio Archiepiscopo Arelatensi Metropoli Galliæ Gregorius, &c. Atque ideo indicauimus sanctitati vestræ Augustinum seruum Dei præsentium portitorem, cuius zelus & studium bene nobis est cognitum, cum aliis seruis Dei pro animarum nos illuc compendio transmisisse, sicut ipse vobis coram positus poterit indicare, in qua re oratione vos eum & auxiliis adiuuare necesse est, atque vbi opus exegerit solatiorum vestrorum ei prabere suffragia, & paterna ac sacerdotali eum consolatione sicut conuenit refouere.* Gregorij consilium plenum prudentiæ & fidelitatis deinceps Vitalianus Papa sequutus, cum in Britanniam maiorem ministrorum copia laborantem mitteret Theodorum, hic Arelate similiter pertransiit, & Vitaliani Epistolis Ioanni oblatis ab illo detentus est, donec in Galliam proficiscendi ab Ebroino Galliarum Præfecto facultatem obtinuit. Accipe Bedæ ipsius verba. *Theodorus ordinatus est à Vitaliano Papa anno Dominica Incarnationis 668. sub die 7. Calend. Apri. & ita vnà cum Hadriano 6. Ca-*

Gregor lib 5. In Ind 14. Epist. 53.

lend. Iunij in Pritanniam missus est, qui cum pariter per mare ad Massiliam & inde per terram Arelatem peruenissent, & tradidissent Ioanni Archiepiscopo ciuitatis illius scripta commendatitia Vitaliani Pontificis, retenti sunt ab eo quousque Ebroinus maior domus Regiæ copiam pergendi quo vellent tribuit eis.

30. Quod ad Prouinciæ principatum spectat mortuo Clothario, regnum eius Dagobertus filius in solidum accepit qui S. Dionysium Parisiorum Episcopum præcipuè veneratus templum ei haud procul ab vrbe condidit, donisque quam plurimis ac muneribus locupletauit. Mortuus est anno 644. cui ex Nauthilde Monacha Clodouæus II. in Neustriæ, Burgundiæ regna, & Comitatum Prouinciæ successit. Laudatur in annalibus singularis eius in pauperes benignitas quibus vt in summa annonæ penuria succurreret aurum & argentum omne, quo Sanctorum Dionysij & sociorum Martyrum sepulchra pater illius ornarat abradi iussit & in illos diuidi. Clotharius III. Clodouæum patrem sequutus post annos regni 4. extinctus est circa annum Christi 664. Tum Chilpericus Clotharij filius annis in regno tribus decursis à Bodilone nobili Franco interficitur anno 667. Statim Theodoricus Clotharij III. frater quem Franci prius exosi, detonsum in S. Dionysij Monasterium Parisiense incluserant, ad regnum vocatur. Moriens circa Christi annum 690. Clodouæo filio eius nominis 3. vacuam reliquit regij iuris ac tituli possessionem, cùm potestas omnis iam penes palatij Præfectos quos maiores indigitabant, deinceps haberetur. Childebertus demortui fratri Clodouæo subrogatus, Dagoberto filio regnum tradidit, quem anno 715. obiisse annales referunt.

31. His fere temporibus cùm Monachi Cassianitæ Massilienses in Balmæ montis spelunca Eremum condidissent Moniales eiusdem ordinis in ima eius montis radice domicilium quod S. Zachariæ dicitur, fixere: tum aliæ deinceps haud procul Magdalenæ domo Sammaximinensi in Artacellam, Parthenium Cœnobium nunc etiam nobile ac notum commigrarunt de quo nos supra cap. 17. num. 9. Illa verò prius suscepta solitarij secessus in Balmæ spelunca institutio mouit Sammaximinenses, vt eiusdem S. Cassiani Monachos expeterent beneuole, aut accersitos studiose retinerent & apud se certis in sedibus collocarent. Quamquam alia fundationis Monasterij Sammaximinensis non modo occasio sed etiam causa eius operis suscipiendi ipsis Monachis fuit, celebritas famæ ac pietatis, quam locus à veneratione reliquiarum & tumulo S. Magdalenæ iam habebat acceptam. Ac breui futurum opinio erat, vt sanctissimorum Monachorum virtute perficeretur, quod summa amplitudine & singulari gloria & commendatione dignum putarent.

32. Sanctitate florentes in hoc sæculo extitere præterea alij Monachi. S. Iodocus Eremita Britonum Regis filius, qui spretis opibus solitariæ se vitæ dedidit. Illustris fuit & S. Bathildis Chlodouæi vxor, quæ Corbeiense & Calense Monasteria condidit: nec non Itta Pipini vidua quæ cum Gertrude filia Deo se consecrauit. Bamba Rex Hispaniæ qui anno 679. regnum

regnum quod sibi consensu omnium delatum fuerat, vi coatus est capere, quod postquam ad annum vsque decimum gessit, eo abdicato Monachum se fecit vt ad cœlestem in terris capessendam vitam esset expeditior. Item S. Ildephonsus Toletanus Episcopus, qui ob susceptum aduersus hæreticos B. Virginis patrocinium, allata cœlitus ab ea veste donatus est. Item S. Gertrudis filia Ducis Brabantiæ agnoscitur. Beda venerabilis in Anglia florens Græce & Latine doctus scripturam interpretatur, qui post annum 2. Gregorij III. moritur. Insignis quoque in hoc genere, fuit Bonifacius qui adhuc merito tanquam Germaniæ Apostolus colitur. Hic patria Scotus cum adhuc quinquennis à parentibus ipsis oblatus diu vitam in sacris claustris sanctissime egisset, à Gregorio II. Pontifice in Germaniam missus, Thuringiam, Frisiam, Hassiam Christi adiunxit anno ferme 716. quam ob causam ad eos quos docuerat regendos Moguntino Archiepiscopatu ornatus est, quamquam maius etiam postea ornamentum ex Martyrio accepit. S. Ægidius qui à Græcia veniens Prouinciam illustrauit, Childeberto II. regnante, anno 709. Vandregissillus Fiscanensis & Fontinellensis Monasteriorum Conditor, cuius anno 692. Sigebertus meminit in Chronico. Vrsmarus Lobiensis fundator Monasterij. S. Agricolus ex Monacho Lerinensi Auenionensis Episcopus propriis sumptibus intra ciuitatis Auenionis muros iussit ædificari Ecclesiam parœcialem quasi munitissimam turrim in medio vineæ ad quam egregios operarios Monachos non paucos ex Cœnobio Lerinensi vbi prima suæ perfectionis iecerat fundamenta curauit acciri, quod ex regulari ordine suauissimum quemdam fructum voluptatis acciperet, quibus & Abbatem præfecit & prædia liberaliter assignauit. Insuper concesso quartarum priuilegio vt nihil deesset seruis Dei necessarium quod ex annuis redditibus ad illos facilè non perueniret. Peracta sunt hæc Theodorici Regis tempore, Sergio summo Pontifice circa Christi annum 690.

SÆCVLVM IV.

Annus Christi 720. *A Condita Monasterij annus* 400.

33. HOc exeunte Christi sæculo 700. Monachi Cassianitæ quos in Monte Balma & pago Sammaximinensi iam aliàs sedem ac domicilium fixisse supra indicauimus reliquias S. Magdalenæ & sociorum in hypogæum recondidere tenebricosissimum, duoque programmata Gothicis exarata literis inter geminam suberis spiram rite composuerunt ne computrescerent, & in marmoreum S. Magdalenæ tumulum immiserunt, vt futuris olim temporibus sacra D. Magdalenæ ossa distinguerentur apertius, cùm in eadem specu quam terra cumularunt essent quatuor illa, quæ etiamnum visuntur, monumenta. Causam recondendi reliquias dedere barbarorum frequentes incursiones. Nam de Vandalis Aymoinus.

Aymo. lib. 4. c. 55. & 57.

De Gestis Francorum sub Carolo Martello. Eo tempore scilicet circa annum Domini 715. 730. Gens impia Vandalorum Galliam deuastare cœpit, quo tempore destructæ sunt Ecclesiæ, subuersa Monasteria, captæ vrbes, desolatæ domus, diruta castra, strages hominum innumeræ factæ, & multus vbique humani generis sanguis effusus est. Cum itaque grauissimæ per totam Galliam persecutiones detonarent, Vandalis omnia flammis & ferro proterentibus, ipsi Vandali peruenientes ad ciuitatem Senonensem cœperunt eam iaculis & machinis omni arte infestare. Quod cernens præsul eiusdem vrbis Ebbo nomine exiens de ciuitate cum suis, fretus diuina virtute exterminauit illos ab vrbis obsidione fugientibusque illis, prosequutus est eos vsque dum egrederentur de finibus suis. Tum infra de Saracenis hæc addit, quæ tum ab eo tum à Fredegario, Sigeberto, Pythœo in Annalibus descripta habentur à Petauio in rationario temporum. Carolus cognomento Martellus siue Tudes vltimus fuit cum iam annum octauum & vigesimum Franciam administrasset fortitudine princeps bellica rebusque gestis inclytus, Pipino patre mortuo anno 714. in custodiam coniectus à nouerca Plectrude indeque dilapsus, insequenti anno Raginfridum Maiorem, vt tum dici mos erat, domus electum lacessere ausus, ab eoque primo victus postea superior fuit anno 717. 12. Calend. April. Eumdem Aquitaniæ Ducis Eudonis auxilio fretum iterata fudit acie anno 718. Saxones inde, Alemannos, Baioarios, Noricos, & Eudone fugato Aquitanos subegit. Eudo rebus suis diffisus Saracenos ex Hispania cum eorum Rege Abdirama in subsidium exciuit anno 725. quibus sacra profanaque late populantibus occurrit Carolus, eosque internecione concidit. Cæsa sunt vno die ad 375. millia cum ex Francis 1500. haud amplius desiderati sint, vt scribit Anastasius. Mox Burgundia Lugdunoque potitus anno 427. insequenti, Eudone vita functo, Aquitaniam inuasit. Saracenos iterum ad vlciscendam suorum stragem Galliam incursantes magno numero prostrauit anno 731. & Auenionem ab illis captam recepit. Tum Narbonensem quam ij cum Hispania, cui contributa erat occupatam tenebant, aggressus, caput eius Narbonam ac reliqua deinceps expugnauit oppida, cæsis qui ad opem ferendam sæpius accurrerant Saracenis.

Peta. part. 1. lib. 8. c. 5.

Anast. in Gregor. 2. par 97.

34. Singulatim in Prouinciam vndique omnes istos impiissimæ persecutionis ventos erupisse, sæuos exitisse turbines testantur Acta S. Porcharij Abbatis Lerinensis & quingentorum Monachorum Martyrum, ex fidelissimis perantiquis M M. S. S. Cœnobij Lerinensis deprompta. Anno 730. tempore Caroli, qui, vt in Chronicis reperitur, ob victorias quas fecerat Martellus vocabatur, nefandæ gentis exercitus Agarenorum, loca suæ habitationis tanquam de viuariis egrediens in partes Galliarum venit. Quæ videlicet gens crudelissima omni humanitate postposita vbique terrarum grassatur, maritima quæque vltra citraque peragrando demoliens, tandem in Prouinciam Narbonensem venit, vbi deuastans omnia suo, imperio Christi abolito, nomine intendebat eam subiugare. Et cum iam nullus pene locus superesset in terris, nec in mari

mari quem nefandorum hominum rabies non deuastasset, sanctam Lerinensem Insulam inuadere festinant, erat enim in eadem insula à longis retro temporibus domus religionis, quæ retinens maximum examen Monachorum, præter cæteras longe lateque diffusas, omni sanctitate famaque celeberrima circumquaque rutilabat, eo quippe tempore Cœnobio Lerinensi præerat vir per cuncta laudabilis S. Porcarius Abbas, qui sanctam Congregationem illam in diuino opere instruebat verbis & informabat exemplis, quæ congregatio intantum sub Beati viri disciplinam sanctitate profecit, vt omnes Prouinciæ Galliarum Clerici Episcopum, Monachi Abbatem sibi poscerent in Insula Lerinensi. Huic per visum apparens Angelus Domini fertur prædixisse tempus & diem & horam certumque omnibus imminere exitium, die ab hinc septima illucescente. Qua de re maturato consilio commonet vt vnum de duobus eligant, aut fugæ consulant, aut palmam Martyrij incunctanter capiant, in eorum arbitrio & potestate posuisse Deum hoc donum tamque præcipuum, vtrum velint aut nolint breui sanguinis commercio immortale acquirere compendium. Tunc verò singuli cœperunt præ gaudio lachrymari, feruentissime ad Martyrium aspirantes, quibus dixit S. Porcarius. Occultemus venerabiles reliquias ne à sacrilegis contingantur. Quod cum factum esset iterum dixit eis. Sunt inter vos vt non ignoratis sexdecim pueri & triginta sex adolescentes, qui si ducti fuerint à prophanis, dubito ne blanditiis siue terroribus seducantur quos consulo mittamus ad Italiam, vt cessante hac furenti calamitate redeant & reædificent hoc sacrum Monasterium Lerinense & reuerenter colant occultatas reliquias. Quod cum ab omnibus approbaretur dixit eis. Examinate vos sedulo & si quemquam ex vobis cognoueritis formidare martyrium cedat cum pueris ne deficiat in extremis grandis enim est carnis animæque distinctio. Cumque se scrutassent biduo diligenter, reperti sunt quingenti & quinque qui solido animo ad suscipiendum Martyrium pro Christi nomine sunt accincti. Qui se crebris orationibus præparantes feruenti animo ad Martyrium anhelabant. Dum autem Sacramentis Ecclesiasticis se munirent, cognouerunt duos ex ipsis iuuenes plurimum formidantes, quorum vnus Columbanus & alter Eleuterius vocabatur, qui discedentes à cæteris in quodam antro prope littus Insulæ latuerunt. Dies iam aduenerat expectata noctis tantum intercapedine diuisa, instantéque vigilia matutina, clara luce è speculis in longum dirigentes obtutus, videtunt hostile agmen aduentare, appensisque velis æquata fronte in obliquum deductis cornibus, totumque allabi classibus æquor. Extemplo turbati animis disiectique à proposito cum cuperent malè euadere, nec pateret vsquam locus effugij. Iam enim & hoc per spiritum prænoscens Beatus Porcarius naues omnes à portu clam longius abduxerat, interdicens nautis ne intra præfinitum sibi tempus vllo modo redirent. Carpens itaque gens prophana littora Insulæ Lerinensis, frendet & murmurat rugiens contra Sanctos. Interim Ecclesiæ destruuntur, cruces confringuntur, altaria & sacra omnia prophanantur, improbe rapientes Monachos innocentes.

Quibus etiam iniecerunt plurima tormenta vt manifestarent quæque abscondeerant pretiosa. Cumque à sanctis nihil præter viles vestes quibus se contexerant reperissent, disgregarunt à senioribus iuuenes, plurima eos promittentes si eorum ritibus consentirent; & si renuerent eos diuersis cruciatibus interficerent. Tum vexillum sanctæ crucis quod in agmine primo dux bonus præferre consueuerat, defixa cuspide ponens instaurabat animos dictis mordacibus. O inquit fortissimi milites. O instructissimi diuini prœlij bellatores. Quo ruitis, cui colla datis? Quis furor insanas agitat caligine mentes? State precor, state ne velitis manu stiuam tenentes retro respicere. Seruantes autem ex illa sancta caterua sacrilegi hostes quatuor iuuenes robustos corpore & facie venustos, Ducis eorum nauigio recluserunt, reliquos omnes opprobriis insultantes, plagis afficientes, lanceis pungentes, gladiis laniantes postremo geminatis vulneribus confoderunt. Columbus vero & Eleutherius qui vt supra diximus in scopulosa cauerna se absconderant, videntes per foramen obliquum sociorum animas in aëre sicut stellas fulgentes, cum Angelis gloriantes, & sese inuicem præstolantes dixit Eleutherio Columbus, Nonne, vides cum quanta gloria fratres nostri, qui modo passi sunt, nos expectantes ascendunt ad cœlum? Eamus ergo & nos vt cum eisdem laureati ascendamus ad Dominum. Eleutherio exire reluctante prosiluit ab antro Columbus, qui illico per Martyrium cateruæ associandus, detruncatus est. Cumque trucidasset gens prophana monachos viros innocentes, & eorum furor adhuc ferueret ad malum, Ecclesias omniaque sacra ædificia Lerinensis Insulæ funditus euerterunt soloque æquarunt, lapides & columnas sanctuarij miro modo fabricatas comminuentes in ignominiam Christi & Catholicæ Ecclesiæ in mare proiecerunt. Sed postquam rabies eorum delictis omnibus quieuisset, nauigantes inde peruenerunt ad locum cui nomen Agathon, vbi captiui quatuor illi Monachi obtinuerunt, vt naturæ satisfacerent, è nauigio descendere, qui nemoris condensi latebras intrantes per vmbrosa conuallia non sine diuino nutu aufugerunt, totaque nocte per secreta nemora ambulantes, ad locum qui Aralucis dicitur, peruenerunt. Quo in loco paruum nauigium prope littus maris reperientes & ascendentes, sacram Lerinensem Insulam circa auroram intrauerunt. Cernentes autem tantorum Patrum venerabilia corpora tot tantisque vulneribus confossa & valde lacerata, Quis enarrare valeat quos gemitus, quas lachrymas, quæ suspiria ab imis visceribus emittebant. Mœrebant enim cordibus cur vnà simul cum illis beatissimis coronari gloria Martyrij non meruissent. Vnde lugubres voces amarosque gemitus alter ad alterum emittere & iterum reuocare non sinebant. Eleutherius verò percipiens mœrentium voces, ab antro prosiliit cognitisque fratribus iterum lachrymæ, iterum gemitus incredibile dictu super occisorum Monachorum crudelem mortem renouantur, pœnitebat enim se ad gloriæ palmam cum illis sicut potuerat cum Columbo non peruenisse. Sed prouidentia diuina eum superstitem seruari voluit, vt eo superstite & sciente posterisque reuelante, celebranda semper, sicut dignum

est,

est, passio Sanctorum & festiua in æuo coleretur. Deinde sacram Insulam, custodem venerabilium talentorum, solitariam, non sine lachrymis, vt credi potest, relinquentes, Italiam ad socios requirendos petierunt, vbi Romæ summo Pontifici Gregorio I I. significarunt Sanctorum Monachorum necem & Cœnobij Lerinensis ruinam. Passi sunt autem isti Sancti Martyres circa Christi annum 730. pridie Nonas Augusti. Euolutis post hoc exitium aliquibus annorum circulis & per potentiam Francorum expulsis à Prouincia barbaris, vir Domini Eleutherius euersum Lerinense Monasterium cum cæteris Monachis ab Italia venientibus procurarunt restaurari, & in pristinum statum redigi. Arelatem insuper obsidione vallasse tradit Pontificium Arelatense in Georgio, eaque capta munitissima circumquaque loca euertisse, ne hostibus vsui esse possent, inter quæ fuit nobilissimum illud Montis Maioris Monasterium quod extra muros ædificari iusserat Childebertus. Heu quas strages in miseros Arelatenses, in sacra templa direptiones, incendia, & sacrilegia perpetrarunt quot in virgines stupra, nemo sane mortalium digne exprimat: De his Sigebertus in Chronico sic habet. *Arelate vrbe Galliarum capta à Saracenis, & omnibus circumquaque demolitis Carolus adscito sibi ad auxilium Luitprando Rege Longobardorum eis occurrit eosque terrore nominis sui in fugam vertit.* Francos vero à Longobardo Rege adiutos sepulchralis Luitprandi inscriptio testatur Romæ, in Basilica Apostolorum Petri & Pauli:

deinceps tremuere feroces
Vsque Saraceni, quos dispulit impiger ipsos
Cum premerent Gallos, Carolo poscente iuuari.

35. Plura subiicit Baronius anno 738. quæ minimè reor prætermittenda. Bene quidem cessisse rebus Hispanis vt Saraceni maximè suo ipsorum damno Gallias bello tentarint vbi ad internecionem sæpè deleti à fortissimo Duce Carolo cognomento Martello, qui hoc ipso anno eosdem Saracenos Prouinciam occupantes vincens, in fugam adegit, eamque sibi vindicans Francorum regni coronæ coniunxit. Ad victoriam verò illam proditur illud insigne de Saracenis quod fuga lapsi naues conscenderunt, vt iisdem redirent quibus venerant nauibus in Hispaniam, ac vi tempestatis fuerint fluctibus mersi. Est etiam mentio de eorum immenso naufragio in Epitaphio sculpto in Sepulchro S. Cæsarij Arelatensis Archiepiscopi denuo restituto. Etenim inuadentibus Saracenis ciuitatem Arelatensem, ab ipsis etiam fuerunt monumenta contrita penitusque deleta. Ipsis verò cæsis atque fugatis, parta pace cum securitate fidelibus, quæ impij fuerant demoliti, pij continuo restaurare cœperunt, & inter alia eorum patroni Sepulchrum S. Cæsarij, quod & eiusmodi versibus ornauere:

Cernitur hic Pario renouatum marmore tegmen
Patri Cæsario Pontificique sacro.
Quod scelerata cohors rabie destruxit acerba,
Hanc virtute Dei sorbuit vnda maris

Præsul

Præsul & in stagno Arelatis sede locato
Gemminus id Paulus strenue compsit opus.
Cui Christus tribuat cælestis præmia vitæ,
Cœtibus Angelicis consocietur ouans.
Et nobis venerande Pater miserere precando,
Diluat vt nostra crimina cuncta Deus.

Hactenus sepulchralis inscriptio Saracenorum naufragij index.

36. Anno Christi 719. Leo III. Isauricus Theodosio initiato fit Imperator, regnatque annos 24. Hic appellatus est Iconomachus, hoc est imaginum expugnator, propterea quod imagines ac statuas Sanctorum è templis, Iudæos vsus autore, abduci & incendi mandauit. Leonis insaniam Gregorius II. Romanus Pontifex cùm per literas cohibere non potuisset de Concilij Romani sententia Imperatorem eiusque contactos hæresi, subiecit Anathemati, ac Romam & quidquid Italiæ reliquum erat à Græcorum abstraxit imperio, tributaque pendere iis vltra prohibuit. Hinc Luitprandus Longobardorum Rex ad vacui spem Imperij erectus vrbem obsidet, Romani Imperij titulos à Pontifice expressurus, sed in cassum spes visque omnis cecidit. Carolus Martellus à Gregorio est imploratus. Luitprandus Martelli denuntiatione ab incœpto desistit. Moritur Leo ex intercute, siue intestinorum dolore anno tyrannidis suæ exacto 24. Christi 741. Qui hoc perniciosior fuit, quod Constantinum filium patre deteriorem reliquit hæredem. Hic ab stercore quod baptismo infans admotus in aquam eliserat, *Copronymi* cognomen meruit, ex quo S. Germanus Patriarcha qui eum baptisabat haud vanum impietatis illius omen accepit. Præterea quod bimus coronatus *Porphyrogeniti* nomen quod primus tulit ei conuenit, & in societatem imperij impietatisque adscitus à Patre, non Diuorum templis, non sacris reliquiis, non B. Mariæ Virginitati pepercit. Quamquam moriens se ob dehonestatam B. Virginem Dei genitricem æterno damnatum incendio testatus est, eique deinceps venerationem iussit tribui. Monachis potissimum infensus, quorum ille magnum numerum vt & aliorum ordinum quos ab impietate sua abhorrere cognorat, variis suppliciis affecit. Huic proximè subrogatur filius Leo IV. Porphyrogenitus & ipse dictus, vel à natali cubiculo, vel quod ipse quoque à Patre adhuc infantulus adscitus esset in societatem imperij, qui cum Catholicum se principio simulans, sibi largitione popularem quæsiuisset gratiam, in apertam hæresis professionem erupit, quam & sacrilegio cumulauit. Nam coronam gemmis insignem, quam dedicarat olim Mauritius, ex æde S. Sophiæ sublatam capiti suo ausus imponere, statim pestifera correptus febri misere absumitur: Ac ne dubia morbi causa foret in eius capite carbunculi extiterunt. Rerum potitus est annos omnino quinque ac reliquit hæredem Constantinum VI. sub Irenes tutela matris, quam Athenis oriundam anno 769. duxerat vxorem. Erat hæc mulier Chacani Cazarorum Regis filia quam Christianam factam Irenem vocarunt. Cumque sacras literas didicisset, pietate claruit & sacras imagines coluit & colendas palam testata est. Imperauit cum filio Constantino

Constantino annos 10. quo tempore Stauracij Patritij consilio omnia gerebantur. Postea imperio deiecta regnauit filius solus annos quinque. Verùm Constantinopolitani non ferentes eius flagitia reuocarunt ab exilio matrem, quæ oculos filio eruens postea 3. annis imperio præfuit sola. Itaque Irene & Constantinus in imperio fuerunt simul annos 18. vsque ad annum à Christo nato 801. Effossis oculis Constantinus paulo pòst expirasse dicitur. Quod parricidium in Irenes laudem traxere Græculi quidam, sed quam inuisum Deo fuerit, septem decim dierum horrenda caligo testata est, quæ mortem illius est consecuta. Irene quoque anno post sexto Christi 802. ab Nicephoro imperio fortunisque omnibus exuta & in Lesbon deportata nondum anno vertente obiit.

37. In Galliis Carolus Martellus Pipini Magistri aulæ filius paterno titulo non contentus Franciæ princeps est appellatus, & nouum titulum nobilissimis subinde victoriis illis quas supra commeminimus decorauit. Eius auspiciis Frisia & Vuestphalia à S. Vuillibrodo ad fidem Christianorum conuertuntur. Qua fortè occasione Batholdus Dux Frisonum insigne stultitiæ documentum dedit, cùm ad Vilfrandum Episcopum baptisandus accederet, sciscitatus ab eo est apud inferosne an apud superos plures essent maiorum suorum? Vbi plures apud inferos cruciari accepit. *Satius est*, inquit, *vt plures sequar*. Itaque expers baptismi triduo moriens damnatorum numerum auxit. In Prouincia Carolo absente defectionem ab imbellibus tunc Francorum Regibus ignauiaque & otio victis moliebatur Mauritius siue Maurantus Massiliæ Dux siue Comes, ac Burgundionum Prouincialiumque animos pertentabat. Reuerso Carolo fugæ tantum locum inuenit, qua se in prætuptos Montium secessus maritimos, haud procul Massilia, recondidit & penitùs abstrusit. Athimum prætetea & Amorrheum Saracenorum Reges eiusdem Prouinciæ fines ingressos Auenione ad Rhodanum inclusit, & ingenti clade illata ab vrbis Arelatensis obsidione repulit. Quæ verò scripta leguntur de Caroli anima æternis pœnis inferis mancipata & de corpore in sepulchro non reperto, in vita S. Eucherij Aurelianensis Episcopi, & apud Gratianum 16. quæst. 1. post caput 59. ex Concilio Rothomagensi, & in vita S. Rigoberti Episcopi Rhemensis, & in scriptis capitulis vt præ se fert titulus ab Episcopis Prouinciarum Rhemensis & Rothomagensis ad Ludouicum Regem missis, non omnino certa fide constant. Extant certè laudata Caroli pietas à duobus Gregoriis summis Pontificibus secundo & tertio, cuius tertij illud maximum est ab eodem Carolo Martello præconium, quod tum Dei tum eiusdem Caroli opitulatione S. Bonifacius centum millia Germanorum Paganorum ad Christianam religionem suscipiendam conuertisset, vt plane de ipso, occulta licet & nobis incognita sint diuina iudicia, salutem cum piis regibus consecutum existimare liceat & si peccator extiterit, vt solent Reges sæpe delinquere], per exomologesim illam factam quæ suam animam Domino per Dionysium præsentandam adeo solicito studio commendauit, bene sit de eius salute sperandum. Nec illud tacendum quod idem Carolus laudatus etiam inue-

nitur ab ipso S. Bonifacio Germanorum Episcopo, cum rogauit filium eius Carolomannum vt bene cœpta à parente circa cultum Christianæ religionis prosequeretur, rogans eum insistere paternis vestigiis.

38. Anno Christi 745. desolata Aquensi vrbe à Saracenis corpus B. Magdalenæ Gerardus quidam Burgundiæ Comes ad Cœnobium Viceliacum à se constructum transtulisse dicitur, quæ translatio quamuis fide vacillet omnino, & commentitia sit, tamen ex eo tempore Magdalenæ aduentum in Gallias & eius sepulturam Sammaximinensem constanti fama atque omnium sermone celebratam fuisse scribunt Sigebertus, Molanus, Guisius, Antoninus, Paradinus, Fasti Ecclesiæ Æduensis & Senonensis & alij passim Christiani orbis illustrium Ecclesiarum.

39. Sub id tempus Carolus Imperator Massiliæ nouos instituit Magistratus quos Vicedominos appellarent ac gererent potestatem quidem sed imperio Generalium Prouinciæ Gnbernatorum siue Patritiorum vt aiunt obedientem atque subiectam. Primus qui hac ætate titulum Vicedomini Massiliæ sustinuit vir populi primarius fuit Ansemundus nomine, de quo memorant Annales in Chartulario Cœnobij S. Victoris Massiliensis.

40. Mortuo Carolo duo filij Carolomannus maior natu atque Pipinus successerunt hæredes. Illi Orientalis Franciæ pars cum Sueuia siue Alemannia & Thoringia, Pipino Burgundia, Prouincia Neustriaque cessit. Hic Zachariæ Pontificis authoritate ac Francorum consensu Procerum Regiam ad potestatem quam olim obtinebat (nam veteribus Regibus iam ad egestatem redactis ad Magistros aulæ siue Maiores domus deuenerat) nouum Francici titulum Regis adiecit anno 752. Chilperico enim Merouingiorum postremo Rege ob inertiam exauctorato & in Monasterium detruso, Francorum regnum nouam in familiam transiit. Per id tempus Aistulphum Longobardorum Regem Romanis infestum Stephanus III. Papa fugiens ad Pipinum venit in Galliam à quo incredibili exceptus honore eum, vt Longobardis bellum inferret, adduxit. Anno itaque 754. Pipinus transgressus Alpes Aistulphum bello petit, acie victum Papiæque circumsessum tandem perpulit, vt Exarchatum (nunc Romania dicitur) & Pentapolim quæ Anconam & quatuor alias Picini vrbes continebat, Pontifici traderet. Inde in Galliam regressus Aquitaniam & Vasconiam subigit. Parlamentum in Francia primus instituit anno 757. A Saracenis ad fœdus ineundum incitatus legatos eorum in Castro Cellensi super Ligerin summa cum humanitate suscepit, & Massiliam vnde venerant reuersos multis datis donis muneribusque regalibus ditatos in patriam remisit. Diem obiit Parisiis anno regni sui 17. auctumque Franciæ regnum duobus filiis Carolo & Carlomanno legat anno Christi 768. sed non multo post Carlomanno extincto solus regnauit Carolus, Princeps sine controuersia maximus, nam & armis inuictus & doctrinarum excultus studiis, earum fautor acerrimus fuit & Catholicam religionem eiusque caput Pontificem Romanum vnice coluit. Desiderium enim Longobardum regni proferendi auidum, res ablatas Romano Pontifici

Adriano

Adriano restituere abnuentem commisso prœlio fudit fugauitque, Papiæ deinde obsessum malisque domitum in deditionem accepit. Ita Rex dominandi auidus regnum augere moliens amisit, nobilior ad posteros Longobardorum regno perdito, quàm Alboinus inchoato. Stetit id regnum annos circiter 220. Inde Pipini patris donationes Romano Pontifici factas sanxisse non contentus, eas munificè cumulat Corsica, Sardinia, Sicilia, Ducatu Spoletano, Tuscoque adiectis, quibus etiam Venetiarum & Histriæ adscribuntur Prouinciæ.

41. Inter hæc Massiliense S. Victoris Monasterium Pipino & Carolo iam notum ac nobile multis ab vtroque ditatum honoribus & præceptis decoratum Imperialibus fuisse testantur Annales in Diplomate Benedicti IX. De iterata dedicatione reparatæ huius Ecclesiæ S. Victoris Massiliensis. Concepta ipsa Pontificis verba Disquisitionis nostræ cap. 18. De Magdalena Massiliensi aduena, recitauimus. Qui vero præfuerunt his Superioribus temporibus Abbates certo Diario carent, sed neque eorum nomina omnia in tabulis reperiuntur, titubatque rerum gestarum historia memorabilium, nulli innixa fundamento, quia bello & ignauia in his turbulentissimis tempestatibus, Franci Ecclesiarum bona sibi vendicabant, procurauit enim apud Carolum Adrianus Papa vt antiqua iura Ecclesiis redderentur, literisque Bertericum Viennensem monuit. *Quod quia*, inquit, *iam Archiepiscopalis dignitas per* 80. *annos à Francis esset conculcata, vltore etiam numine Saracenorum seu Agarenorum ensis per Prouinciam debacchabatur*, &c.

42. Porro Imperatores ac Reges plures interuallo isto quam vnquam aliàs Monasticam vitam amplexi sanctitatem suam probarunt. Anastasius II. siue Arthemius, vt erat vir egregie doctus priusque, sacra simulachra impensè fouit, ac demum rebus parum fœliciter cedentibus deponit Principatus insignia, ac sibimet imperare assuescit Monastico habitu sumpto. Par Theodosij cognomento *Adramytteni* eius successoris condiditio, primò enim imperij anno nondum exacto, à Leone Isauro eius Duce captus & initiatus sacris, quietiorem quàm in imperio vitam egit. Rachis Longobardorum Rex Perusiam oppugnabat. Ad eum Zacharias in castra venit, cœlestis numinis si pergat intentans iram, cuius colloquio ita immutatus est vt Perusia quam obsidebat relicta, Papiam reuersus regnoque constituto & in manus Astulphi fratris tradito, tum Romam profectus, se cum sua vxore & filia Deo consecrarit. Ipse Benedictino habitu à Zacharia Pontifice indutus, in Cassinense Monasterium se receperit, quo etiam in loco postea creditur Abbas fuisse. Valuit fortassis apud Rachim recens Carolomanni exemplum. Is quippe Caroli Martelli filius & Austrasiæ ac Sueuiæ Rex multisque operibus clarus, cùm cœlestium amore captus Romam priuatus & pauper venisset, à Zacharia Pontifice sacros ordines & religiosum habitum accepit, deinde Cœnobio in Soracte monte ædificato illic aliquandiu habitauit. Sed cùm propter vrbis propinquitatem à multis viseretur, quod illius spiritualem quietem interturbabat, transtulit se in Cassinatem montem, vbi à Petronace Ab-

bate summo cum gaudio exceptus mirabiles progressus in omni virtute ac præsertim humilitate effecit. Vixit Carolus hic anno circiter 750. De aliis Platus De bono status religiosi. Etelredus, inquit, Merciæ Rex anno 704. regno pluribus annis cum summa religione administrato, Chenredo fratris filio pene puero id relinquens, ipse Cœnobium quod erat in eadem eius ditione petiit, in quo ita virtutibus profecit, vt deinde etiam Abbas factus sit. Ipse verò Chenredus posteriorem vitam patruo magis inuidens quàm priorem cùm annis tantum quinque regnasset, Romam profectus à Constantino I. Pontifice habitum Monasticum suscepit reliquumque vitæ in ea vrbe cum summa sanctitate transegit. Porro huic Chenredo tum itineris tum consilij socius fuit Offa Rex alter Orientalium Saxonum in eadem Anglia, qui item in ipso ætatis flore in summa mundanæ fœlicitatis abundantia omnia spernens ac conculcans, ab eodem Constantino detonsus tunicaque Monastica ornatus est. Anno 740. Inas Rex item horum Saxonum artibus belli & pacis inclytus, pietate autem in Romanam sedem adeo memorabilis vt totum suum regnum ei tributarium sua sponte fecerit, hic igitur Romam ipse quoque se contulit, atque vt nudum Christum nudus & expeditus sequeretur, regno se exuens religiosam vitam magno cum animi feruore aggressus est. Idem fecit Nortumbiæ Rex Ceolulfus, ille cui Beda suam inscripsit historiam. Is cum annis 8. imperasset, quasi fessus & quietem expetens ad religionem fugit. Regnum autem Egberto patruo reliquit, quod ille cum annis 20. tenuisset, denique idem quod Ceolulfus consilium in eodem Monasterio sequutus est. Alterum eius exemplum vidit Hispania in Veremundo Castellæ Rege anno 786. de quo hoc etiam traditur, quod Alphonsum potius consobrinum quam duos filios ætate adhuc teneros sibi sufficiendum putauit, cùm ita subditis magis expedite iudicasset, ne à pueris regerentur. Quid autem mirabilius quàm Eteldrada quæ binis regibus Angliæ matrimonio coniuncta, cùm vtroque virginitatem seruauit, à posteriore etiam post annos 12. facultatem obtinuit migrandi inter Virgines Deo sacratas. Quam facilè est existimare qualis fuerit in Monàsterio quæ tam sancta fuerit in regno. Atque huius quoque vt sanctæ Natalis dies ab Ecclesia commemoratur, vixit autem anno fermè 706. Leone Imperatore claruit in Syria S. Ioannes Damascenus qui pro sacratum imaginum cultu stilo decertauit. Alcuinus ex Anglia profectus in Gallias doctrinæ summa opinione floruit, quo præceptore plurimum vsus est Carolus Magnus ipse diuinis humanisque literis in paucis eruditus quem ille S. Martini apud Turonos Cœnobio præfecit aliisque nonnullis, nec tamen Monachus fuit neque sacerdos, sed ordine Diaconi contentus viuere desiit anno Christi 804.

Platus lib 2. cap. 26.

43. In Elencho Antistium Massiliensium quem si annuerit Deus edituri sumus in lucem, Maurontus ex Abbate S. Victoris Massiliensi ac discipulo S. Cassiani in Berengarij Massiliensis Episcopi demortui sedem assumptus dicitur anno Christiano 780. Adriani I. Pontificatus anno 9. Carolo Magno Francorum & Longobardorum Rege. Hæc eius singularis laus.

laus quod Carolus Magnus paucos Abbates æque atque ipsum charos haberet nec pateretur quicquam Mauroncum rogantem ab se non impetrare. Cum igitur oblato libello principi supplicasset vt ablata Monasterij prædia aliqua & à Magistratibus parum æquis aut beneuolis regio fisco addicta restituerentur haud difficile fuit iudice Imperatore Mauroncum super intentata lite victorem discedere. Quo pacto nobile prædium *Chandol* à viro principe Naufridio & vxore eius Adaltrude Abbati & Monachis Massiliensibus S. Victoris testamento relictum & à Patritio quodam, nomine *Antener* Regio fisco perperam adiudicatum, haud difficile fuit à delegatis per Carolum Magnum extra ordinem iudicibus, qui tum fortè in Dinienss ciuitate Prouinciæ, pro tribunali decernebant recuperare, & ad ius abalienatæ possessionis curante Mauronto redire. Obiisse aiunt anno 804. 12. Calend. Nouemb. de quo Martyrologium Gallicanum in supplemento. *Massiliæ S. Mauronti Episcopi cuius corpus plerisque beatæ animæ irradiationibus illustratum in templo Cathedrali eiusdem vrbis plurima cum veneratione seruatur.*

S Æ C V L V M V.

Annus Christi 820. *A Conditu Monasterij* 400.

44. ABhinc annis pluribus fere centum vacuitatem quamdam notat Indicis nostri autor tum quod scriptores vel instrumenta horum temporum in tabulario Monasterij non extent, tum quod frequentissimi bellorum ciuilium tumultus aut barbarorum incursiones vix tum ex legibus quicquam fieri paterentur. Hoc enim sæculo vniuersæ Christianæ Reipublicæ luctuosissimo, perpetuos deinceps, in Italia præsertim & Gallia, ciuilium & externorum motus armorum extitisse nunc ad hos nunc ad illos transeunte siue Pontificatu siue Imperio Romano, non ex memoria modo nostra & patrum nostrorum, sed ex annalium monumentis atque ex regum commentariis cognoscimus. Acciderat omnino huic ætati, quod aliis interdum solet, vt hominum industria in quouis genere virtutis consenesceret, nullis calcaribus adhibitis, quibus hominum ingenia ad laudem excitarentur quod fieri & bene institutis populis optimisque principibus consueuit. Inter cætera fuit annus Christi 799. Ecclesiæ Romanæ lugubris ob immane sacrilegium admissum in Romanum Pontificem à sceleslis & impiis Ecclesiæ Romanæ potentioribus Clericis. Nepotes siquidem Adriani Pontificis Paschalis Primicerius, & Campulus Sacellarius cum asseclis militantes in Romani Cleri primis Ordinibus, inuidia tabescentes ob Leonis electionem, odio implacabili ipsum prosecuti calumniisque insectati, tandem eo furoris & insaniæ sunt prouecti vt in ipsum sacrilegas manus iniicerent, in terram proiicerent, expoliarent, conciderent, oculos eruerent, linguam radicitus præciderent, idque in sacri muneris functione per Litanias ritu solenni

populum expiando. Veriti autem ne à fidelibus eriperetur, abstractum in Monasterio S. Gerasimi in arcta custodia recluserunt, in qua cooperante Domino & B. Petro Apostolo suffragante, magno miraculo Pontifex & visum recepit, & lingua ad loquendum ei restituta est. Vnde eodem diuino nutu ab Albino cubiculario & aliis piis ac fidelibus viris extractus, & ad Basilicam B. Petri deductus est omnibus de S. Pontificis liberatione gratulantibus, & de tanto miraculo Deum celebrantibus. Inusitati tamen sceleris attrocitate permotus Carolus Magnus Romam adiit, vbi cum innocentissimus Pontifex obiecta crimina sponte iureiurando diluisset, ipso Natalis Dominici die anno 800. nec opinantem inuadens Carolum, coronam capiti eius imponit ac Romanorum Imperatorem salutat. Cui vicem deinceps Carolus obsequio & liberalitate rependit. Habita insequenti mox anno de parricidis quæstio est, damnatique capitis Pontifice deprecante solum vertere. Cæterum quod ipso inscio Carolo id factum acciderit, testatur Eginhardus in eius vita. *Romam veniens*, inquit, *propter reparandum qui nimis conturbatus erat Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus protraxit, quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit, quod primo tantum auersatus est, vt affirmaret se eo die quamuis præcipua solennitas esset non intraturum fuisse, si consilium Pontificis præscire potuisset.* Inuidiam tamen suscepti nominis, Constantinopolitanis super hoc indignantibus, magna tulit patientia vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua iis procul dubio præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes & in Epistolis fratres eos appellando. Ac primum Irenes Imperatricis coniugium per Legatos Constantinopolim missos expetiit, Leone etiam Papa per suos Legatos suffragante, vires Orientis Romano Imperio adiecturus; cum Nicephorus Patritius & Logotheta indignum ratus omnia ad Latinum Augustum vergere, rem turbauit tumultuque per eam occasionem Bisantij concitato vacuum ipse inuadit imperium, & contra fidem iuramenti comprehensam Irenem relegat prius ad Principem Insulam, in Monasterio ab ipsa ædificato, & post in Lesbum insulam vbi studiosissimè custoditam & ab omnium conspectu remotam detinuit. Mox Legatis ad Carolum destinatis pacem cum eo fœdusque renouat, vt alter Orientis alter Occidentis Augusti fratresque inter se essent. Quidquid Italiæ hinc à Neapoli inde à Siponto in mare procurrit cum suis è regione insulis ad Græcum, reliqua pars ad Latinum Imperatorem pertineret. Sub hæc Danos cum eorum Duce Godefrido compressit, nec non Venetos, qui & in deditionem à Pipino Caroli filio accepti sunt. Mauros etiam Italiam Insulasque populantes per duces suos repulit. Collocauit & præsidia Germanorum in Hungaria ad conseruandum regnum, ex qua occasione etiam hodie Germani in Hungariæ finibus habitant quæ *septem Castra* appellantur.

45. Nec armis & bellis gerendis solum clarum esse, sed Respublicas quoque instituere & honestis legibus ac doctrina religionis, curæ maximæ fuit sapientissimo Imperatori. Concilia aliquot Romæ celebrari curauit, & in Gallia aliquoties. Quinque colliguntur ab Æmilio nempe Moguntinum,

Æmi. lib. 3.

Moguntinum, Rhemense, Turonense, Cabilonense, Arelatense. Quin & tria publica gymnasia instituit ad propagandam & conseruandam doctrinam Christianæ religionis, Bononiæ, Lutetiæ Parisiorum in Galliis, & Papiæ. In Germania similiter multa Monasteria erexit in vsum iuuentutis instituendæ scholarum loco. His adde quod Francorum ius quoque in ordinem redigi & legum libros conscribi iussit. Nam vetus illud ius Romanorum iam diu antea per Longobardos & Francos obliteratum erat.

46. Nostras peragrasse Insulas & peregrinatum tota Prouincia esse cognoscimus tum ex M M. S. S. antiquis Cœnobij S. Pontij Niciensis, tum ex aliis eiusdem Prouinciæ Annalibus. Nam de Siagrio vrbis Niciensis primo Episcopo. *Natione*, inquiunt, *& genere Caroli Magni Imperatoris Pipini filij fuit. Qui Carolus diuina inspiratione ad partes Prouinciæ Prouinciarum disponente peruenit, vt paganos & infideles ex dictis locis expelleret, & ipsam gentem ad fidem Catholicam reduceret qui cum venisset ad fines Cemellienses & Nicienses, regem Chimeriensem, Cemeliensem & Niciensem ope diuina destruxit & effugauit. Duxerat enim idem Carolus secum dilectum honestumque iuuenem Beatum Siagrium nepotem suum Comitem Briensem, qui inueniens in districtu Cimella Ecclesiam, in qua S. Pontij Martyris corpus venerabatur, Monasticam regulam sectari gestiens à Patruo Carolo Magno vt inibi sibi Monasterium ædificaretur, instantissimis precibus obtinuit. In quo postmodum B. Siagrius veluti clarum iubar virtutibus ac miraculis plurimis effulsit, ipsumque Monasterium multiplici virtutum genere decorauit ad cuius piam petitionem idem Imperator Comitatum Cemelliensem sibi & Monachis præsentibus ac futuris in perpetuum in præfato Cœnobio Deo ministrantibus, ad quotidiana onera supportando benigne cessit ac largitus est.* Massiliæ Monasterio S. Victoris largum, beneficium, liberalem se præbuisse constat ex dictis de Mauronto Abbate & Episcopo Massiliensi supra num.42. Arelate S. Petri Monasterium in Monte Maiori à Childeberto fundatum restituit auxitque muneribus. Ecclesiam ibidem S.Crucis à fundamentis erexit, quam deinceps collapsam & restauratam secundo ab hoc sæculo Pontius Archiepiscopus Arelatensis dedicauit Ramberto Abbate. Et alteram S. Luciani cineribus celebrem fecit in vrbe, Turpino Rhemensium Archiepiscopo Missarum solemnia celebrante, quam tamen non à fundamentis construxisse sed tantum restaurasse demonstrauimus alias cap.18. num.7.

47. Denique in vitæ totius moribus Carolus vir Magnus, talis ac tantus fuit Imperator, vt nullus fortasse illi æquari possit siue rerum gestarum magnitudinem siue religionem spectes sed nec in moribus haberet æqualem, nisi coniugalem castitatem concubinarum introductione fœdasset, sed posterior maculas istas pœnitentia iugis abstersit, dum carnem suam senilem licet, cilicino super nudum corpus inhærente iugiter indumento attriuit. Moritur Aquisgrani anno suæ ætatis 72. Regni Francorum 46. Imperij verò 14. post Christum natum 815. 5. Calend. Februar. Indict. 7. sepelitur ense accinctus, cum sceptro & corona, Euangelium

gelium aureum tenens manibus, plane habitu Imperiali, genibus flexis, magno vniuersorum luctu. Porro egregiarum ipsius virtutum merito Ecclesia Gallicana eius diem natalem celebrat, habentque inter sanctos recensitum Aquisgranensis Ecclesiæ Tabulæ.

48. De Concilio Arelatensi sub Carolo Magno quod perstringit vitæ autor, fuse lateque dicit Pontificium Arelatense in Ioanne. Ex aulico Episcopus Ioannes testis adfuit testamento Caroli Magni, à quo dimissus, Arelate Cypriani ossa quæ Lugdunum deferebantur coluit & veneratus est vt coniicio ex his versibus. *Vt tua Cypriane Martyr seruaret loculus neglectus ossa.* Subditque. *Conscendunt celeres ratem paratam, Nec seni metuunt pericla Ponti. Egressis Arelas opima portu, Occurrit placido sinuque læto fessos excipit ac fouet benigne.* Indixitque postmodum Concilium quod habes hac præfixa nota. *Domini anno 46. Inclyti & Orthodoxi Domini & Principis nostri Caroli Imperatoris sub die sexta Idus Maias. Æra 851. Vnanimitatis nostræ Conuentus in Arelatensium vrbe in Basilica S. Stephani Martyris primi aggregatus consisteret.* Viginti sex in illo Patrum Consessu sanciti Canones solutaque Synodo ad Imperatorem allata decreta & rerum gestarum coram ipso facta est Collatio. Missas verò hic facimus historias quæ Turpini nomine circumferuntur de Carolo Magno, spectantque ad Prouinciam nostram. Nec Tersini, Sansonis, aliorumque Prouinciæ Burgundiæque subregulorum mentionem facio, cùm vnicum Regem orbis Gallicus spectaret.

Binius Tomo 3. an. 813. sub Leo. 3.

49. Ludouicus ab insigni vel in diuinas res vel in suos pietate cognomen adeptus, ex Aquitaniæ Rege in imperij consortium assumptus à Patre eidem luce functo successit, & imperij administrationem auspicatus est anno 815. Stephanum V. Pontificem ad se in Galliam venientem quanto maximo potuit honore excepit, auitique instituti memor nihil potius habuit, quàm vt præberet se patronum Ecclesiæ & Stephanus eum rite inunctum coronatumque appellauit Augustum. Mare verò transisse Pontificem & Massiliam atque Arelatem appulsum ab Abbate S. Victoris & à Ioanne Archiepiscopo Arelatensi tractatum fuisse honore, dignitate, gratia, non secus ac si fuisset ipse Imperator, dicemus infra cap. 27. In initio sui imperij pacis fœdera inita à Patre Carolo cum Constantinopolitanis renouauit & rata esse voluit. Postea Lotharium filium regni consortem delegit, vt in Italia imperaret, qui missus Romam à Paschale Pontifice imperiali corona insignitus Augustus est appellatus, Pipinum & Ludouicum Lotharij germanos; Aquitaniæ priorem, posteriorem Bauariæ constituit Reges. Bernardus Nepos & Pipini fratris eius ex concubina filius Italiæ Rex declaratus. Verum anno 818. Irmingarde vxore mortua, cùm Iuditham Vuelphi Comitis filiam duxisset in matrimonium ex qua Carolus cognomine Caluus genitus est, suspicati tres priores ex Irmingarde natu filij, ne instinctu Nouercæ imperium à se in iuniorem fratrem transferret, simul omnes in patrem haud semel insurrexerunt. Ac primum inter has turbas fama de diuisione regnorum Francorumque procerum fauor Bernardum Italiæ Regem ad

Z z 3 regnum

regnum Franciæ sibi armis vindicandum erexit. Sed impium bellum non maiore anno quam consilio gessit. Nam ingenti Ludouici exercitu conterritus ante pugnam patruo tradidit se. Hunc igitur ille à iudicibus capite damnatum luminibus orbari sat habuit, regnoque exutum Italiæ, in ordinem coëgit. Lotarius & Pipinus præter memoratam de ambitu suspicionem nouercæ, pluribus aliis sed non iustis de causis in patrem infensi, maximè verò quod Bernardo Barcinonæ Hispanicique limitis Præfecto, quem stupri cum Iuditha Imperatrice insimulabant, plus nimio indulgere videretur, defectionem ab eo cogitant. At Bernardus Præfectus ad Imperatorem reuersus non solum innocentiam suam iureiurando purgauit, verùm etiam periculo singularis certaminis probare voluit. Nihil inde tamen coniuratorum consilia minus deferbuerunt. Pipinus enim apud Patrem remanere iussus eo insalutato in Aquitaniam refugit. Quæ Pipini contumacia Patrem ita commouit: vt de Regni sui portione Carolo Caluo iuniori filiorum suorum relinquenda cogitare inceperit. Id quod animos aliorum filiorum à se ita alienauit, maximè verò Ludouici vt in ipsum copias suas trans Rhenum ducere illi necesse fuerit, & hinc Aquitaniam confestim repetere. Fratres iunctis copiis in Patrem insurgunt, illumque fidei ipsorum sese committentem; prætextu Lugdunensis Concilij, rerum administratione summouent, & in Cœnobium detrudunt. Imperatricem verò Iuditham in Italiam iterum relegant. Huius tam impij facinoris indignitate permoti quam plurimi tum in Germania tum in Italia proceres, pro liberatione Imperatoris copias cogunt. Cum verò magnus numerus sub Egerardo Franciæ Celticæ quondam Comite accurreret, magnum etiam è Burgundia agmen Bernardus Vuarinusque Comites eduxerunt, quorum postulationibus Lotharius patrem suæ libertati reddere coactus in Burgundiam secessit. Qui verò pro eo in Neustria remanserant Ludouici Patris Ducibus congressi superiores euaserunt. Tamen cum illis opitulandum rediret, Cabillonum Matisconensesque vrbes quas Vuarinus paulo ante aduersus se munierat euertit. Tandem tamen Patri cui etiam Pipinus aderat impar, supplex se dedidit Ludouicus Imperator coacto liberiore Concilio Præsulum Moguntij, siue vt aliis placet Aquisgrani, decretum Lugdunensis Synodi antiquari curauit audaciamque Episcoporum, qui depositionis eius assensum præbuerant, honorum priuatione vel exilio multauit. Pipinus Aquitaniæ Rex obiit superstite eiusdem nominis filio, qui contumaciam Patris imitatus, non expectato aui assensu, cum Carolum filiorum suorum minimum Neustriæ Regem designare vellet, ei pariter Aquitaniam adiunxerit, eumque tutelæ fratris commendauerit. Cùm verò Ludouicus Noricorum Rex patrem ea in re Carolo fratri quàm sibi æquiorem ægre ferret, consilia quædam in ipsum apud Tridentum cum Lothario agitasse postea auditus est. Quibus vt imperator occurreret in Germaniam cum copiis sub anni 838. finem traiecit. Vbi eum ad nouos filij motus compescendos regressum, morbus in Germania corripuit ex quo discessit 12. Calend. Iunij anno quàm imperare ceperat 27. vitæ 64. Christi 840. &

apud Mediatricos in S. Arnulfi Basilica ab Drogone fratre eius vrbis Episcopo sepultus est. Cuius exitum dira solis defectio portendit pridie Ascensionis Dominicæ qui fuit pridie Nonas, hora diei nona.

50. Theodebertus siue Turpertus in magno Chartulario Monasterij S. Victoris, scribitur anno circiter 811. fuisse Ludouico Pio Imperatori Caroli Magni filio in gratiosis & singulari amore charus, eiusque petitionibus indulsisse ac confirmasse vectigalia Anchorarij dominij iure olim possessa, ab eius parente optimo Carolo Magno Abbatis & Monachorum S. Victoris Massiliensium mensariis sumptibus adscripta, quæ vecturis nauium, si quæ ad portus Monasterio vicini stationem appellerent, indicebantur. Tributorum prætetea immunitatem, militiæque vacationem, nec non bonorum omnium donationes ab eodem Imperatore Ludouico eiusque præcessoribus eidem Monasterio factas, deinceps, nouis priuilegiis & instaurati iuris concessionibus & confirmationibus à Lotario Ludouici filio & successore anno circiter 840. Lotarij Imperij ann. 1. Quæ tanta cura & sollicitudo rerum ac personarum Monasterij S. Victoris apertè iudicant Theodebertum Monachum Cassianitam primò quidem in Abbatem S. Victoris, tum in Episcopi Massiliensis locum Ioanni proximè demortuo successisse vt manifestum apparet in Indiculo Episcoporum Massiliensiũ autore Ruffy l.9. hist. Massilien. c.1. n.26. & alibi passim.

51. Massiliæ ad authoritatem Monachorum Cassianitarum augendam pertinuit Ludouici quoque Imperatoris summa in eos pietas. Quid enim dicam beneuolentiam? cum illud ipsum nomen Pietatis quod adeptus est, tantis eius siue erga diuinas siue erga suos meritis leuius mihi esse videatur. Hic ædē S Victoris ornanda reditibusque munienda etiam cum ipso parente ac decessore suo Carolo certauit, namque frequenti cum Magno Abbate iuncta necessitudine, & sanctitatis fama permotus & priuilegiis Monasterium & donis datis amplissimis muneribusque cumulauit. Hæc præcipua sacelli decora & rerum domesticarum incrementa Ludouico Pio Augusto literis consignata reperio. Conciliauit fortè etiam ex parte Imperatoris animum Monachis Cassianitis, Iuditha Vvelphi Comitis filia, quam cum Irmingarde vxore demortua duxerat Ludouicus in Matrimonium, suscepto ex ea Carolo cognomento Caluo, veriti maiores natu Lotharius Ludouicus & Pipinus ne instinctu nouercæ imperium à se in iuniorem transferret, vt supra dictum est, in ipsum haud semel insurrexerunt. Ac primum Pipinus Aquitaniæ Rex cum proceribus conspirans Imperatorem comprehendit & Iuditham in Cœnobium Sanctæ Radegundis inclusit. Sed non multo post Germanorum opera restitutus Ludouicus recepit imperium & in integrum restituitur anno 834. S. Cæsariam Massiliæ in Monasteriis Sancti Cassiani edoctam religiosum institutum, S. Radegundis Magistram Arelates fuisse nemo est qui hoc se audisse non liquido dixerit, ideoque inter vtriusque religiosi ordinis Cæsariæ & Radegundis familias vetere vsu intercedente, potuit hanc rem pro magna S. Cassiani commendatione apud Iuditham fama celebrare. Sub id tempus Stephanum V. Roma in Galliam concessisse

dicturi.

dicturi sumus capite proximo 27. cui Massiliam appulso procellere obuiam ex Ludouici Pij mandato Hildebaldus Archicapellanus sacri Palatij, Theodulfus Episcopus Aurelianensis, Ioannes Arelatensis, aliorumque Prouincialium ministrorum Ecclesiæ cum maxima virorum Principum frequentia, lectissima multitudo. Fundorum permutationem quæ Notoni Archiepiscopo Arelatensi cum Leymbulpho Comite intercesserat approbauit Ludouicus Aquisgrani, anno regni sui 12. Christi 825. Comes dicebatur Leymbulphus quod toti Prouinciæ sub Regia Francorum auctoritate terra marique imperaret. Quatuor indictis Conciliis, Tolosano præesse voluit Notonem nostrum Ludouicus, idque edicto promulgauit, quod extat Tomo 3. Conciliorum sub Ludouico anno 829. sub Leone I V. *Quapropter*, inquit, *statuimus atque decreuimus cum consultu sacerdotum cæterorumque fidelium nostrorum, huius rei gratia ob placandum scilicet contra vos nobisque subiectos Domini furorem, conuentus eorumdem Episcopum in quatuor Imperij nostri locis congruentissimè fieri, in Moguntiacensi vrbe, in Parisiorum vrbe, apud Lugdunum, quarto etiam apud Tolosanam vrbem, quo simul conueniant Noto, Bartholomæus, Adalelmus, Agiulphus cum suffraganeis suis.*

52. Secundum Ludouici obitum, Lotharius Austrasiam regionem quam sibi in Francia reseruarat à suo nomine Lotharingiam appellauit, & se Imperatorem Italiæque Regem, Ludouicus vero Germaniæ Francorumque Orientalium, Carolus Franciæ Occidentalis siue Neustriæ à quo sequentes Reges Gallorum originem ducunt, Pipinus Aquitaniæ, Reges nuncuparunt. Quamquam huius filios Pipinum & Carolum paternam Aquitaniæ hæreditatem sibi vendicantes, Monachos coëgit fieri Lotharius; quod ad annum 852. Sigebertus refert. Cæterum Lotharij principatus magnis Christiani orbis cladibus insignis fuit, Saraceni semel & iterum ac sæpius traiecere in Apuliam & Latium. Ab his Apostolorum Petri & Pauli suburbanæ Basilicæ spoliatæ. Latium omne depopulatum, peruastata inde Campania, Tarentum direptum. Sed tandem cœlestis ira cecidit in iræ ministros. Onusti præda domum repetentes, fœda tempestate coorta, pariter cum præda obruuntur fluctibus. Alij nauali prælio à Leone Romano Pontifice superantur ad Ostiam, & insignis est relata victoria, quæ populo Romano antiquam naualis triumphi speciem præbuit. Inde à Leone I V. refectis iis pene omnibus ornamentis, quæ Saracenus abstulerat, & nouis mœnibus erectis Noua vrbs Leonina conditoris nomine appellata. Is & Angelicam arcem Romæ extruxit. Quod autem Lotharius stirpis maximus omnia ad se reuocare contendebat; Ludouicus verò Carolusque fratres se suo iure deiectum iri non patientes societatem aduersus illum ineunt. Lotharius, itaque fratrem Germania exacturus aut Rheni transitu prohibiturus copias præmisit, quæ occurrente Ludouico profligatæ sunt, adeo vt iunctis cum Carolo copiis de summa rerum acie cruenta in Antisiodorensium finibus cum Lothario rursus decertarit, eoque fugato funestissimam victoriam reportarit. Etenim Francorum vires adeo sunt debilitatæ in eo

certamine, vt postea nunquam potuerint in integrum reualescere. In hoc autem bello Guerricum siue Guerinum Prouinciæ Ducem cum Prouincialibus & Tolosanis Carolo adfuisse, in quodam vetere Chronico M. S. testatum habemus. Lotharius Celtica totaque Belgica à fratribus exactus tandem reparare vires ita potuit, vt castris apud Matisconensem vrbem locatis belli aleam denuo tentaturus esse videretur. Sed interponentibus se quibus illa ciuilia bella cordi non erant, in annum induciæ factæ, delectique vtrinque quadraginta Proceres, quorum fide prudentiaque pax æqua componi posset. Ludouico, pacis conditionibus, Transrhenanæ omnes Prouinciæ sub regni Franciæ Orientalis nomine cum Huuia cesserunt. Carolo Caluo Francia Occidentalis cessit, quam Neustriam dicebant. Lotarius Italiam retinuit & Galliam Narbonensem & eam quoque partem, quæ etiamnum Lotaringiæ nomine appellatur. Itaque hac occasione Gallia à Germania distracta est tandem. Sed & Prouinciam Lotarij tum iuris fuisse demonstrat Vignerius in Chronico. *Lotharius*, inquit, *Solcratum Ducem Arelatensem & reliquos Comites illarum partium rebellare molientes in deditionem accepit, & prout voluit Prouinciam ordinauit.* Interea Lotharius Ludouicum filiorum suorum natu maximum Regem Italiæ designauit, qui Romam profectus aui exemplo osculum Sergij II. Pontificis obtulit pedi. Itaque ab eo accepit insignia & nomen Augusti. Filius alter Carolus Prouinciam Burgundiamque Transiurensem in sortem accepit, Lotharius verò stirpis minimus, Cisiurensem Burgundiam, cui annexa erat Austrasia quæ tunc Lotharingia pro *Lothariana*, ab Rege suo dici cœpit. Hic deliciis Vualdradæ concubinæ suæ fascinatus Thietbergam coniugem suam repudiat, ipsamque Vualdradam assentientibus quibusdam Episcopis sibi connubio iungit. Causa repudij tanta contentione apud Romanam Pontificem agitata est, vt Lotharius coactus sit coniugem suam recipere quam tamen mox iterum reiecit, nec potuit diris Pontificiis à pellice amplius diuelli. Qua de causa Hubertus Thietbergæ frater Transiurensis Burgundiæ Dux à Lothario deficit, eumque traductis in suas partes Transiuranis iterum atque iterum in se cum exercitu venientem strenue fortiterque sustinuit ac repulit, donec tandem à Conrado Comite iuxta quoddam Castrum, cui *Vrba* nomen erat, peremptus est. Tertius igitur à Carolo Magno Imperator Occidentis Lotharius annis circiter 15. imperium tenuit. Quippe anno 855. rerum humanarum tædio regnum omne diuisit in filios tres, atque in Prumiensi Cœnobio Monachus est factus, vbi & 3. Calend. Octo. obiit.

Ipsum vero Monachos Massilienses S. Victoris notos & familiares habuisse testantur magna in eorum honore, gloria, cæterisque commodis amplificandis non dico officia, vel merita potius ac studia, quanta nemo præter ipsum. Inductus frequenti consuetudine atque vsu eorumdem vt creditur, nec non recordatus sermonis quem Ludouicus ipsius Pater moriens habuerat de mundi vanitate, quam scilicet ipse quoque experiendo cognorat, humana omnia deserere constituit, atque ex illis imperij fluctibus in portum se religiosæ quietis recipere. Quamobrem mirante toto orbe

orbe terrarum, in Premensi Monasterio se conclusit, vbi reliquam vitam transegit in paupertate & obedientia. Vixit hic anno ferme 865. Sergio 2. Romano Pontifice qui primus Pontificum nomen mutauit, cum antea *Os porci* diceretur, vnde mos inoleuit apud successores mutandi nomen. sic Platina. Tempore huius Imperatoris anno 841. maiora omnia re quam fama & existimatione fuisse in Monasterio S. Victoris testantur Annales in Magno Chartario fol. 7. vbi de bonorum variis donationibus & agrorum assignationibus, fertur Sigofredus vir clarissimus ac nobilissimus cum Exlemba vxore liberalitate vsus villam quamdam *Caruilliatius* nomine lectissimam patrimonij sui portionem Abbati & Monachis S. Victoris testamento legasse, quam deinceps expilatam & à nefariis prædonibus in suam ditionem & potestatem redactam, Guillelmus & Fulco Vicecomites Massilienses anno 1020. in integrum Monachis restitui curarunt vt infra mox ex tabulis recitabitur num. 75.

52. Anno 855. Ludouicus II. Lotharij I. filius & hæres imperium suum auspicatur. Is auitæ in Romanum Pontificem obseruantiæ haud parum memor, Nicolao Pontifici ad se in castra tendenti obuiam progressus, Pontificalem frœno deduxit equum, à quo Pontifice libido tunc notata Lotharij II. Regis & fratris eiusdem Ludouici II. Imperatoris, qui coniuge Theutberga Bosonis filia falsis onerata criminibus, & repudiata, Vvaldradam pellicem duxerat. Paucis interiectis annis Ludouicus Mediolani moritur anno principatus 20. nulla virili stirpe relicta. Quæ fama patruos eius, Carolum Caluum Franciæ, & Ludouicum Germaniæ Reges ad imperij certamen accendit. Cæterum Ioannis VIII. Pontificis Romani prudentia & authoritate, oriens incendium restinctum est. Contentio ab armis ad ius reuocata, coactoque Episcoporum Concilio, Imperium Carolo Caluo Ludouici Augusti patruo omnium consensu datum, qui post Gerardum è Comitatibus Viennæ & Prouinciæ expulsum, Romæ à Ioanne VIII. in Basilica Vaticana, de more ante Confessionem B. Petri, Augustus coronatus est. Suffectus Arelatensium Duci Soloctati, qui rebellionem Lothario fecerat, Gerardus iste Prouinciam administrabat, Proregis nomine, sub Ludouico Imperatore. Quod autem Ioannem VIII. fœminam fuisse fabulentur veri locum apud imperitum vulgus obtinuit, siue muliebris Pontificis facies, siue effeminatus interdum vigor. Porro Caluus vix adhuc pedem Italia extulerat, cum vt eius imperium sibi stabiliret, Bosonem Bouini siue Buuini Comitis Ardennæ filium ac Iudithæ vxoris suæ & Richardi Comitis Matisconensis Fratrem, qui omnia tunc apud illum poterat, & Calui pene socius dicebatur, Insubriæ Ducem instituit, eiusque capiti coronam Ducalem suis manibus in celeberrimo Procerum Italorum Conuentu Papiæ imposuit. Hermengardam insuper Ludouici Augusti filiam quam Pater Basilio Græco Augusto desponderat, eidem matrimonio collocauit, datis in dotem Prouincia & Arelatensi Regno anno salutis 877. Primus Arelatensium Rex Boso appellatus Prouinciam tenuit ab eodem regno Burgundiæ disiunctam ac separatam. Alij non modo Regia Prouinciæ

corona minimè donatum fuisse Bosonem à Carolo Caluo Imperatore, sed etiam aduersus ipsum dum in Italia esset, cum cæteris Regni Gallici proceribus conspirasse ac coniurasse affirmant cúmque vxorem suam vaga libidine famosissimam veneno sustulisset, Hermengardam Ludouici Imperatoris filiam, quæ penes Berengarium Ducem educabatur, sibi connubio copulasse. Quod tamen Carolum æquo animo vel non diu grauiter tulisse oportuit, extat enim diploma in monumentis Cœnobij D. Benigni Diuionensis anni Regni ipsius Caroli in Francia 37. in successione Regni Lothariensis 7. Imperij 2. 8. Idus Ianua. in quo Carolus Bosonem Charissimum suum vocat *Italiæ Ducem missum & sacri Imperij Archiministrum.* Vt vt sit de electione Bosonis in Regem scribit Paradinus quod Ludouico Calui filio è viuis sublato,cùm inimicitias & simultates inter se gererent Francorum Proceres, inuisa etiam permultis esset Calui memoria, è re sua credidisse Bosonem Ludouico & Carlomanno ex pellice Ludouici Balbi filiis Regium nomen inuadentibus, Regem Burgundiæ se dici, vxoris etiam iure quidquid Rhodano, Arari, & Alpibus continebatur suum prætendebat. Reperiuntur Bosonis coronationis tabulæ in Annalibus Burgundiæ à Paradino editis, diciturque Rostagnus Archiepiscopus Arelatensis tum ipsum, tum Ludouicum eius filium deinceps vnxisse in Reges Burgundiæ, tanquam totius Regni Burgundici *primas:* in tabulis enim coronationis vtriusque subscripsit *Rostagnus Archiepiscopus Arelatensis Burgundiæ primas.* Dictique sunt Bosones Arelatenses Reges, eo quod Arelate regiam habuerint. Et in Autentico Ecclesiæ Arelatensis diploma recitatur, quo Lotharij & Ludouici II. Imperatorum concessiones Ecclesiæ Arelatensi factas confirmat subscribitque hoc modo *Boso Serenissimus Rex.* Decessit Viennæ, sepultus vt ex eius sepulchrali epigraphe colligitur anno Imperij sui 8.

Paradi. lib. 1.

53. Cæterum Calui filius vnicus & hæres Ludouicus Balbus Ioannem VIII. Pontificem ad se venientem Lugduni honorifice excepit more maiorum, & ab eo vicissim Augusti insignibus ac titulis decoratur, ob idque Ioannes vexatus deinceps ab Romanis Vrbe coactus est excedere, vt Sigebertus ad annum 878. prodidit. Hinc ad Balbum profectus anno integro apud ipsum fuit. Ergo Balbus Franciæ Rex tertio à patris obitu anno periit 4. Idus Apri. anno 879. Filios ex Ansgarde priore coniuge (sed patris iussu repudiata) susceperat duos, Ludouicum & Carlomannum, ex Adelaide verò Carolum Simplicem in cunis moriens reliquit. Post altercationem Reges Franciæ creati sunt, Ludouicus cui Francia & Neustria obtigit, Carlomannus qui Bugundiam Aquitaniamque tenuit. Sed ille haud multò post obiit anno 882. mense Augusto, hic verò anno 884. Carolus cum esset infans, interea dum adolesceret, tam Romanum imperium quàm regnum Francorum aliquandiu fluctuauit. Etenim ingressis iterum Italiam Saracenis ac depopulantibus omnia, reuocarunt Romani è Gallia Pontificem,qui necessitate compulsus cum à Gallia propter teneram Regis ætatem vix posset à periculis defendi, subsidia Germanorum implorauit ad eripiendam Italiam ex impetu barbarorum. Venit tum

tum in Italiam Carolus Crassus Ludouici II. Germanici filius & profligatis Saracenis Imperialem coronam accepit anno 882. Northmannorum grassationes prædationésque crebræ ætate ista per Gallias Prouinciis omnibus exitiales fuerunt. Anno Christi 841. occupata Rhotomago cædibus atque incendiis cuncta vastarunt. Nanetum vrbem capiunt, vbi Episcopum ipsius S. Sabbathi die sacris operantem ceremoniis interficiunt, cùm plerisque clericis & promiscua vtriusque sexus multitudine. In Turonos cùm venissent, suburbana omnia, inque his Monasterium quod maius dicitur S. Martini habitatione celebre succendunt, mactatis in eo Monachis centum & viginti. Tum vrbem ingressi vniuersam, cum B. Martini Basilica cæterisque, subiecto igne demoliti sunt, item Iuliomagum Andegauorum. Anno 857. in Parisios impressione facta suburbanas complures Ecclesias & inter has S. Genouefæ flammis consumunt. S. Vincentij siue S. Germani Basilicam immensa olim pecunia redemptam incendio tradiderunt. In Aurelianos deinceps impetum anno 861. fecerunt. Floriacensi incenso Cœnobio vrbem ipsam Aureliam eadem clade peruastarunt. Neque his tempestatibus Prouincia nostra fuit in portu. Inter Hispaniam & Africam per Gaditanum fretum circumuecti & aduerso Rhodano subeuntes Valentiam vsque, vastitatem ciuitatibus omnibus intulerunt.

Berengarium ex Monacho Abbatem electum fuisse his temporibus colligitur ex Annalibus Monasterij in Magno chartulario fol. 2. versu 10. vbi restitutum esse traditur dominium oppidi De Seillans. Diœcesis Foroiuliensis, ereptum olim Monasterio S. Victoris. Quam gratiam concessisse dicitur postulanti Berengario Abbati, Rex Francorum Carlomannus studio atque opera Hugonis cognomento Abbatis, Lotarij iunioris ex Valdrada pellice filij, ac Frotarij Episcopi Burdegalensis, quorum iuncta potentiæ fortitudo multam illis apud Principem conciliabat authoritatem. De hoc Hugone expressa mentio habetur in literis Ioannis Papæ VIII. Epistola 211. & 212. similiter de Frotario Episcopo Episto. 104. & 112. quas recitat Sirmondus Tom. 3. Concilio. anno Christi 880.

54. Ab his in Gallia profligatus Carolus Crassus in eam calamitatem recidit, victum vt sibi precario quæreret ab Arnulpho Carlomanni Bauariæ Regis filio. Moritur anno 888. quem ob pietatem & plurimæ fortunæ decora atque ornamenta commendant historici, virum tribus regnis Germaniæ, Galliæ, Italiæ Imperij titulis quod præter Carolum Magnum & Ludouicum Pium nemini contigit clarum, si parta regna maiestatemque regiam æque tueri ac parare potuisset. Amoto Carolo Crasso cùm Imperatoriæ stirpis virtus indolesque defecisset, Francium quoque imperium defecit anno postquam ceperat 84. Itaque regnum Italiæ cum imperio ad Italicos principes deuolutum est. Vido Imperatoris insignibus titulisque à Formoso Pontifice decoratus primus Italiæ gentis imperauit, ac Berengarium Ducem Foroiuliensem Adriani III. Pontificis decreto regem Italiæ salutatum bello persequitur, victumque cogit

cogit ad Arnulphum confugere quem Italiæ potiundæ spe eo facilè pellexit. Vido Imperatoris nomine Italia potitus anno 894. moritur, cuius filius Lampertus Imperatoris & ipse nomen à Vidone patre anno 892. consequutus, anno 899. in venatione peremptus est. Franci interim dum Carolus simplex adolesceret Ottonem vel vt aliis placet Odonem Parisiensem Comitem consentiente Arnulpho Regem eligunt anno 889. Fuit hic Roberti Franciæ Ducis filius eius, qui à Northmannis anno 867. occisus est. Francos gubernauit annis nouem vsque ad annum 898. quo moriens Francorum principes obtestatus est, vti Carolo Ludouici Balbi filio regnum deferrent, quo cum bellum aliquot iam annos gerebat.

55. Floruit Arelate Rotlandus Archiepiscopus Lothario Imperatore, qui Valentiam ad Rhodanum cum multis aliis Episcopis accessit, ibique Godescalcum malè de prædestinatione sentientem condemnaturus & de Episcopi Valentinæ vrbis criminibus diffamati causa cogniturus, Synodum coëgit, cuius acta recitantur Tomo 3. Conciliorum sub Leone 4. anno 855. Huic Ludouicus II. Imperator Lotharij filius Crudatense Cœnobium ad Rhodanum simulque Abbatiam S. Cæsarij in Insula Camaria sitam diplomate confecto dedit, quod in Autographo Capituli Arelatensis fol.2. ad verbum redditur. Verùm Saracenos Arelatensium agris perpetuo infestos dum repellere satagit in illa S. Cæsarij Abbatia recens impetrata, quam præsens ipse aggeribus, fossis, custodiis, vigiliisque munierat à Barbaris circumuentus & captus in eorum nauibus inedia occubuit. Rostagnus item sanguine illustris Archiepiscopus Arelatensis vixit Ludouico Imperatore, qui Ioannem VIII. Romanum Pontificem primò Massiliam appulsum excepit deinceps Arelate, dum in Gallias tanquam ad asylum confugeret tyrannorum auaritia & iniuriis Romæ oppressus. Richardis vxor Caroli Crassi nunquam ab eo cognita & tandem ab eo repudiata, quòd cum Luiduardo Episcopo Vercellensi criminibus adulterij notaretur in Monasterio vitam virgo clausit.

SÆCVLVM VI.

Annus Christi 920. *A Conditu Monasterij* 500.

56. BOsoni in Arelatensi ac Prouinciæ regno successit Ludouicus eius filius, quem ex Hermengarda coniuge susceperat, & ab Episcopis, Proceribus, ac Prouinciæ ciuitatibus in Regem anno salutis 889. recipitur & anno 891. Augustus salutatur. Ex quo nouum in Italia bellum. Berengarius Lamberto vita functo, regno Italiæ potiebatur, cùm Ludouicus hic noster Prouinciæ Rex Ludouici II. Augusti nepos ad auiti regni spem erectus & ab Adalberto Tusciæ Marchione excitus bellum intulit Berengario. Itaque cum maximis copiis transgressus Alpes, summis Longobardorum studiis recipitur, ingentique Principum gratulatione Rex Italiæ salutatur. Romam inde progressus à Benedicto IV. ritè appellatur

appellatur Augustus. Qui post annos tres eiusdem à quo vocatus erat proditione Veronæ captus, à Berengario oculis & imperio priuatur Augusto mense anni 904. Eo verò mortuo Carolus Constantinus eius filius solo Viennensi Comitatu potitus est nempe quod Hugo Comes Arelatensis Prouinciam & Arelatense regnum quidquid id esset tanquam iure paterno sibi debitum occupauerat.

57. Extat apud Autenticum Capituli Arelatensis fol. 1. Ludouici Bosonis Imperatoris diploma quo Manassi Bosoni Archiepiscopo, Regibus Burgundiæ & Arelatis sanguine coniunctissimo antiqua Ecclesiæ Arelatensis iura confirmantur renouanturque, & inter alia. *Abbatias*, inquit Ludouicus, *Anianam, S. Mariæ de Gordianicis, atque de Crudatis cum omnibus appenditiis earum, portum etiam Arelatensem tam ex Græcis quam ex aliis aduenientibus, nec non & Teloneum simul cum moneta, ad ius & proprietatem Ecclesiæ S. Stephani omni tempore teneat & possideat, & in suos proprios vsus quidquid facere voluerit faciat nemine contradicente. Insuper & omnes res quas antecessor suus ab antecessore meo obtinuit, scilicet Iudæos præfata Ecclesia perpetuo iure obtineat.* His subscripsit Viennæ XX. Imperij anno Ludouicus serenissimus Augustus, legiturque in autographo nostro Capitulari concessio prædij clientelaris in vtilitatem Rothbaldi, quæ annum eiusdem imperij notat trigesimum tertium. Nec plura apud historiæ scriptores de Bosonum familia ex quo aut odium Francorum in ipsos Bosones propter Arelatem occupatam colligere est, vel certè verissimum esse quod perhibent Philosophi, fortunam dominam rerum humanarum, insanam esse & cæcam & brutam, saxoque instare globoso, vt prædicant, volubili.

58. Massiliæ in Monasterio S. Victoris, Abbas *Magnus* nomine vir plane diuinus ac singularis sedem excepit, qui regebat Abbatiam anno Christi 904. vt habetur in Magno libro Chartarum fol. 2. verso, *priuilegio Domini Ludouici Bosonis Imperatoris*, quæ sunt concepta testimonij verba. An verò *Magnus* iste oriundus ex perillustri Albiensium Magnatum familia Auenionensi de qua legimus in Chronicis Cœnobij Lerinensis, Barrali autore, S. Agricolum Episcopum Auenionensem ex Monacho Lirinensi circa annum Christi 630. Honorio summo Pontifice & Clothario in Gallia regnante, natum esse Auenione patre B. *Magno* qui huius ciuitatis Episcopatum postea sortitus est matre Gadaltruda siue Anstadiala, auo vero Albino *Magnate*, insignes illi quidem & ea quæ secundum carnem est, inter reliquos Prouinciæ proceres generis claritate & nobilitate conspicui, sed ea quæ secundum Deum est vera gloria, virtute, fide, ac pietate longè illustriores, nullum probationis genus habetur aliud præter probabiles diuinationum coniecturas. Addo virtutem & singularem religiosæ vitæ sanctimoniam in tanta posuisse *Magnum* apud Ludouicum Imperatorem gratia, vt eius merito atque etiam Rostagni Archiepiscopi Arelatensis simul & Terberti Comitis suasu & instinctu, Monasterium non modo salaria congiaria sed vicina quoque illa agrorum spatia quæ *Paradisus* siue *Porta Paradisi* appellantur, tum reliquas vniuersi Montis

Rotundi, qui nunc mons Dominæ de Gardia dicitur, circumquaque iacentes vineas, Syluas, oleta, pascua Ludouici Imperatoris liberalitate ac dono dato acceperit.

59. *Garinus* Abbas S. Victoris substituitur *Magno* nullo quidem certo annorum calculo, vixisse tamen creditur anno Christi 926. post Ludouici Bosonis Imperatoris ac filij eius Constantini decessum, quamquam vereor ne nihil coniectura aberrem, cùm Hugo Bertæ Lotharij, qui Austrasiis Lotharingum nomen dedit, ex Valdrada pellice filiæ ac Theobaldo Hugonis Lotharingici Magistro militum patre, præfectus esset Arelatensium, & Ludouico Bosone Augusto orbo & Carolo Constantino eius filio liberis destituto Prouinciam supremo iure, licet fiduciario administrare visus sit, & in posteros transmiserit. Sed interim Berengarius in Italia Augustus à Ioanne 10. rite appellatus, parum quietum habuit imperium, Regni proceres Rodulphum Burgundiæ Regem in Italiam euocatum, pulso eius ope Berengario, Regem Italiæ salutant. Ergo Berengarius regno exutus altero imperij sui anno, Veronensium fraude occiditur an. 24. ratum humanæ fœlicitatis vices variantis exemplum. Filiam habuit Ghisselam ex qua Adelbertus Epotediæ Marchio Berengarium genuit qui Rex Italiæ postea fuit. Haud lætior Rodulphi, regni competitore sublato, exitus fuit, quippe Italorum conspiratione vocato in regnum Hugone Prouinciæ Comite discessum ipse vel desperatam fugam parare & in Burgundiam se recipere coactus est anno 926. Coniurationis huius in Rodulphum Princeps fuit Lambertus Archiepiscopus Mediolanensis, qui communicato cum Ioanne X. summo Pontifice consilio, & ex sententia & voluntate procerum Italiæ, Legatos ad Hugonem Comitem Arelatensem misit qui dicerent Rodulphum ludibrio esse omnibus Italis, si vellet in Italiam manu armata venire, factu perfacilè fore vt totius Italiæ imperium habere possit, rogantque vt misereretur cõmunem Italiæ fortunam, iisque pollicitationibus ac præmiis deposcunt vt belli initium faciat & suis copiis ac virtute Italiam à ditione Rodulphi vendicet. Hugo conditionem non respuit, nam iampridem summa cupiditate tenebatur potiundi regni Italiæ, & consilio pro tempore & pro re capto, pedestres copias & equitum turmas, quas in continente parauerat nauibus longis imposuit, & à portu Massiliensi soluit, lenique Africo prouectus mense Iulio eiusdem anni Pisas lætus accessit, ibique à Legatis summi Pontificis Ioannis, & omnium procerum Italiæ summa cum animi lætitia est acceptus. Inde recta Ticinum contendit, eò cùm venisset summa omnium procerum voluntate Rex est salutatus, & insignia regia ab Archiepiscopo Mediolanensi sumpsit. Mox regni negotia aggressus est, & 8. Idus Augusti Veronam atque inde Mantuam venit, ibique cum summo Pontifice Ioanne colloquium habuit, nam eum locum colloquio delegerant, & fœdus percussit. Deinde Ticinum reuersus animum ad regni administrationem appulit, ac 20. circiter annos in ea dignitate mansit.

60. Belli socium Hugoni se adiunxit, cuius erat propinquus, Manasses.

nasses Boso Arelatensis Archiepiscopus, fuisse vero vtrumque virum fortem atque magnanimum, ac sorte non contentum in Italiam conscendisse aiunt Manassem, multas violaturum Ecclesias & laceraturum, quippe qui Mantuanam, Tridentinam, & Veronensem non in vsum sed in escam, Luitprando teste, accepit Ecclesias: illum verò Italiæ vt vacuæ possessioni, spe imperij incubaturum, quod Burgundiæ seu Arelates regibus Italiam, Augustumque nomen deberi diceret. Nec inani vterque spe frustratus, Manasses enim autore tandem Hugone ac fauente Berengario, qui suas Manassem in partes adducere contendebat, factus est præsul Mediolanensis, simul & in Hugonem omnium Italorum vota conuenere. Quatuor igitur imperij annis fœliciter exactis, Itali tædio regni Hugonis affecti ad primam inconstantiam sunt reuersi, & Rodulphum rursus ad regnum capiendum inuitauerunt anno 932. Quibus rebus cognitis Hugo, vt erat homo rerum agendarum peritissimus, maturrimè occurrendum esse statuit, & communes amicos de concilianda pace ad Rodulphum misit, qui quidem eiusmodi conuentiones fecere. Imprimis vt pia & æterna pax sit inter eos. Rodulphus Adelidem filiam Lothario filio Hugonis in matrimonium dabit, totumque ius quod habet & sperare potest in regno Italiæ Hugoni & suis præsenti conuentione cedet, nec Italos opibus, animis, consilio contra Hugonem iuuabit. Sed illi si facto opus erit tria millia peditum, & quingentos equites leuis armaturæ in subsidium mittet, stipendiis tamen Hugonis. Hugo totum ius quod habet & habere potest, Rodulpho & suis in Principatu Viennæ, in Sebusianis, Ambarris, Allobrogibus, qui trans Gaium flumen habitant, & in ea regione quæ ab Isara ad Druentiam vsque spectat, denique quidquid in tota Prouincia quæ in confinio Rhodani est, excepto Comitatu Arelatis quem ad vitam duntaxat sibi reseruabit, præsenti etiam conuentione cedit. His rebus pace firmata & iureiurando ac fide, summa cum religione sancita Adelidis & Lotharij nuptiæ Mediolani maximo luxu & apparatu celebrantur, & Berta vxor Rodulphi Regis ad pias actiones animum conuertens celebrem religionis domum, cum sumptuoso templo Paiernæ à fundamentis ædificari fecit, ibique religiosos viros collocauit, qui parce ac duriter vitam agerent, vt reiectis omnibus impedimentis Deo seruirent & vitam perfectam amplecterentur. Quinto post anno Rodulphus in grauem morbum incidit quo confectus è vita excessit, sepultusque est in templo Paiertano, funere magnifico & sumptuoso, vt regem decuit, anno 929.

61. Hugonis insigne præ cæteris facinus extat, quod Saracenos è Fraxineto arce deturbauit, quam illi in Cottiis sitam Alpibus naturali munitam situ & inaccessam ante aliquot annos occuparant, ex eaque in vicinas Prouincias excurrentes, Christianis terrori erant & exitio. Hoc anno 941. eos vt scribit Sigebertus, Græcanico iniecto passim igne profligauit Hugo. Et Frodoardus in Chronico anno 924. *Hungari per abrupta transeuntes Alpium iuga venerint in Galliam, quos Rodulphus Cisalpinæ Galliæ Rex, & Hugo Viennensis, qui idem ipse est cum Arelatensi, inter*

angustias Collium Alpinorum claudunt, vnde in primo loco per deuia montis euadentes Gothiam impetunt, quos insequentes prædicti duces sternunt ex eis quos reperire potuerunt. Lugubrem & deplorandam huius cladis memoriam habes in inuentione corporis S. Ægidij ex Breuiario secundum vsum Abbatiæ S. Ægidij ad Rhodanum, cuius hæc habentur concepta verba. *Anno 925. Cum præerat huic Monasterio Domnus Antulphus Abbas, gens Hungarorum, quæ & Hunni olim vocabantur, egressa de finibus Pannoniæ, cum pertransisset deuastando terminos Italiæ, quasi torrens raptim Vallibus diffusa est, & hanc Prouinciam Narbonensem longè lateque depopulata est.* Exinde Lotharium filium regni consortem adsciuit Hugo anno 932. data ei coniuge Adeleide Rodulphi filia. Demum Berengarius II. Berengarij filius aut nepos aduersus Hugonem res nouas molitus, ad Othonem Germaniæ Regem profugit anno 939. Inde post annos 6. reuersus in Italiam nempe anno 945. Hugone ab omnibus derelicto, cum eo ita pactus est, vt is cum Lothario filio Regis vocabulo contentus, regni vsum ac rerum summam Berengario permitteret. Sic Lothario filio in Italia relicto in Prouinciam Hugo rediit anno 947. Biennio post mortuo Lothario Berengarius Regis titulum assumpsit anno 950. vnà cum Adalberto filio, cui cum Adeleidem Lotharij viduam dare coniugem vellet, ea Germaniæ Regem Othonem in Italiam inuitauit eoque anno 951. nupsit. Berengarius Italiæ regnum ab eo precario quæsitum annos deinde circiter 12. habuit, donec tyranni illius dominatu Itali omnes offensi, ad Othonem rursus confugiunt anno 962. Cæterum in Prouincia, mortuo Lothario filio Hugonis, Rudolphus Burgundiæ Rex post fœdus ictum de quo supra; & ante adeptam regni Francici possessionem quam iniisse dicitur anno 927. Bosonum huius nominis II. filium suum in Regem Arelatensem & Prouinciæ dixit, qui Bertham neptem Hugonis Regis Italiæ duxit vxorem.

62. Sed quoniam Hugo rex Arelatensium appellabatur, Bosonus verò eius gener ne socero molestus esset, aliàs hæreditatem eius expectans, iure vxoris Berthæ, regis nomine abstinuit, contentus se Comitem Prouinciæ appellari. Et iam inde Prouincia nomen Comitatus assumpsit, posterique eo sunt vsi nomine, quamuis reipsa regio nomine cohonestaretur illa Prouincia. Hinc celebrat historia Bosonum, Prouinciæ primum Comitem, & ab eo cæteros omnes sumpsisse, nam qui ante eum vocati sunt Comites, erant nihil aliud quàm Proreges vt pote à Regibus Arelatensium delegati, qui regio iure & non propria vtebantur potestate, sed à regibus delegata. Bosonus ergo Prouinciam ingressus anno 943. summo omnium applausu & publica gratulatione receptus est. Vixit vsque ad Hugonis Capeti Gallorum Regis tempora. Huic ex Bertha coniuge natus est Guillelmus filius, in ea Prouincia legitimus successor, quem nonnulli putant Conradum, sed Paulus Æmilius in historia Gallorum & cæteri huius classis autores eum Guillelmum frequentius appellant. Existimo Conradum Burgundiæ Regem ex fœdere cum Rodulpho icto, vt Bosonum primum, supremo cum dominio & iure gessisse imperium.

imperium quod Ecclesiasticæ tabulæ Arelatenses & reliqui Conradi hæredes testantur. Potuit tamen Guillelmus eiusdem Conradi Sobrinus & ex Bertha Hugonis Regis nepte oriundus legatarij nomine institutus hæres Prouinciæ, vti præcipuo Comitis iure licet fortè fiduciario. Qua causa non tantum in serie ac numero Comitum Prouinciæ censetur sed in instrumentis publicis simul cum Conrado Rege subscriptus passim reperitur Guillelmus Prouinciæ Comes, nam de Thucinda primaria fœmina, quæ Insulam Montis Maioris à Manasse Archiepiscopo Arelatensi, & deinceps castrum S. Hippoliti ab Yterio eius successore acceperat, vt à rerum ciuilium perturbatione immunis degeret, eamdem Moringio Abbati habitandam Insulam dedisse, *Conrado Rege regnante & Guillelmo Comite rem gestam probante anno Christi* 977. annales nostri loquuntur. Quod ad Bosoni huius Patrem attinet nonnulli omnino alium à Rodulpho Burgundiæ Rege, ducem ac principem nobilissimum Ruthboldum nomine fuisse affirmant, eumdemque duos ex Bertha coniuge suscepisse liberos Guillelmum qui & vniuersæ Prouinciæ Comitatum post patrem habuit, alterum Ruthboldum stirpis ac generis Comitum Forcalquerij primam & antiquissimam propaginem. De Bertha Luitprandus illius ætatis scriptor testatur his verbis. *Quoniam quidem vocante Domino Hugo Rex breui viam est vniuersæ carnis ingressus, Bertha nepti suæ Bosonis Arelatensis Comitis vidua pecunia derelicta quam etiam breui spatio intercedente memoratus Raymondus impudentissimæ gentis impurior sibi maritam effecerat, cuius non solum concubitu verum etiam osculo indignum, elegantes formarum inspectores eum esse confirmant.* Hanc tamen demortuæ priori, Folcoaræ nomine, superstitem duxisse vxorem, colligitur ex autographo Capituli Arelatensis fol. 13. vbi Bosonem Comitem Arelatensium Regulum Folcoara vxore præfuisse legimus. Extant opinionis eius & coniecturæ, in magno vt aiunt chartario Monasterij S. Victoris Massiliensis, expressa exempla.

Luitp. lib. 5. cap. 14.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus præsentibus perpetuis atque futuris, qualiter veniens Honoratus Massiliensis Ecclesiæ æquissimus Præsul in Arelate ciuitate publice in conspectu Bosonis Comitis, filij Rothboldi quondam atque in præsentia omnium virorum Arelatensium iudicumque ac principum, scilicet his nominibus, Rainoardo iudice, Lamberto iudice, Pontio Vicecomite, Arnulpho, Rostagno, Archimberto, Bonifacio, Rayamberto, Vvioberto, Ingelrado, Vvicherone, Tassilone Dauid, Almarico, Pontio, Vvidone, Vvalchando Hildoardo, cæterorumque omnium aspectum præueniens deprecatus est supra memoratum Comitem, vt res sanctæ genitricis Dei Mariæ sanctique Victoris Christi Martyris, quas prænominatus Comes iniustè detinebat, secundum quod iustum esse videbatur concedere debuisset. Requirentes autem indices præfati apud supradictum Pontificem, & omnes memorati principes, vt ea quæ petebat scilicet & dicebat, vera esse probarentur.

Interea namque Episcopus sciens & bene cognitores ac testes fideles adhibens, voluit secundum ius Romanæ Ecclesiæ ea quæ dicebat confirmare & veraciter affirmare iurando. Cùm autem præfatus Comes hoc quod Episcopus quærebat verum ac iustum esse cognouit, Sacramentum iurandi ei condonauit, & res Ecclesiæ prædictæ pro amore Dei & sanctæ intemeratæ Virginis Mariæ Christique Martyris Victoris concessit, atque perpetualiter possidendo tradidit. Consistunt autem supradictæ res in pago Massiliensi supra fluuium Vvenna, in locis his nominibus designatis, Romagnana, Ligusþinis, Trabias, hæc omnia quæ ad supradictam Ecclesiam pertinere videbantur præfatus iam Comes, sicut supra insertum est, reddidit atque concessit. Placuit itaque regnante Domino Honorato iam prædicto Præsule & Comite excellentissimo hanc notitiam diffinitionis, consentiente eius filio Rothboldo, & fratre eius Vvillelmo Comite, atque consiliantibus Arelatensium Principibus ne fortuito quod minime credimus euentu, vllo vnquam tempore hæc notitia cessionis à nullo, ausu temerario quiret fieri irrita. Si quis autem sane tantæ temeritatis præsumptor repertus fuerit, in perpetuum non obtineat quod nequitia requirit sed iram omnipotentis Dei penitus incurrat, & postremum inferat precatio sanctæ gloriosissimæque Dei genitricis Mariæ. Sententia quoque Christi Martyris Victoris ac deinde omnium Sanctorum maledictionem ..... efficiatur, particeps cum iniquis omnibus, societurque in barathro ..... cremandus par quoque Iudæ Iscarioth qui Dominum tradidit ..... definitionis notitiam firmam cum damnationis eius vinculo perpetualiter pereat. Anno igitur Incarnationis Dominicæ 962. Indict. 7. mense Martij regnante Rodulpho Rege Allemanorum seu Prouinciarum. Ego Comes Boso hanc notitiam concessionis scribi & manu mea roborari curaui. Lambertus Iudex firmauit, Rainoardus firmauit. Pontius fir. Bonifacius fir. Rostagnus fir. Vuicheromus fir. Rayambertus fir. Hirdoardus fir. Arnulphus fir. Ingeldradus fir. Archimbertus fir. Vuido fir.

Qui præterea in iisdem ipsis tabulis nominatur Pontius Vicecomes Massiliensis, Bosonis quantum coniicere licet frater fuit natu minor, qui duos filios reliquit Guillelmum huius nominis primum in Vicecomitatu Massiliensi patris hæredem ac successorem; Honoratum alterum Episcopum atque Abbatem S. Victoris Massiliensem, neque enim res Monasterij à principibus occupatas recuperare tanto studio contendebat aut contendere potuisset Honoratus apud iudices, nisi Abbatis titulo ac iurisdictione maxime causam suam sustinuisset.

63. *Honoratum* igitur in Abbatum nostrorum numero repositum & Bosono auunculo suo Prouinciæ Comiti ætate pene supparé sedisse putamus anno Christi 960. ante Pontij parentis obitum circiter 20. quod apertè indicant memorati tabulæ chartarij. Ea verò tempestate expilationi direptionique bonorum Ecclesiasticorum vehementer ab aliis Clericis similiter præsertim ab Yterio Archiepiscopo Arelatensi reclamatum fuisse, proditur in Autentico Capituli Arelatensis fol. 2. vbi datis ea de causa Yterij literis ad Ioannem Papam XIII. respondet Pontifex, & in contumaces atque iniustos possessores grauioris censuræ fulmen intentans exclamat in hæc verba. *Doleo itaque & vehementissime tristor super tanti sceleris*

sceleris causa, quæ à multorum hominum ore creberrimè nostris conspectibus diffamatur, quia primas Arelatensis Ecclesia quæ principatum & caput obtinet cæterarum Ecclesiarum, secunda à Romana sede, multimodis lacerationibus euiscerata iacet, & conculcatam fore audiuimus in ea Propheta sententiam dicentis. Sedet in tristitia domina gentium.

64. Sub hoc Rege ac Prouinciæ Comite Bosone Vvillermus Geraudus filius Hugonis Marchionis Italiæ filius, Præfectus totius regni Arelatensis parta contra Pœnos victoria & expugnato Fraxineto eorum præsidio ad sacram Balmæ montis speluncam in qua Monachi Cassianitæ sedem fixerunt occultè contendit, adoraturus ad Magdalenæ aram & ædiculam, summasque Deo gratias acturus ob rem prosperè gestam. Autor est Alphonsus Episcopus Albiensis in historia. De regno Burgundiæ Transiiuranæ & Arelatis. *His rebus*, inquit, *peractis Vuillelmus dimisso exercitu Arelatem proficiscitur hinc cum rex abesset, is enim erat Massiliæ, in itinere antrum in quo D. Magdalena pœnitentiam egit & animam efflauit, vt fert eius historia, visere statuit, ibique summas Deo gratias agere ob res prospere gestas. Eo cum venisset suas Deo fudit preces summasque gratias agit ob patriam à prædonibus liberatam. Dicebat enim Deum plerumque insignes calamitates mortalibus inferre propter eorum peccata vt conflictati resipiscant. Precibus peractis Massiliam contendit. Huc cum venisset summa gratulatione à Rege est acceptus, atque maxima lætitia tota vrbs effusa est, quæ turbata fuit audita morte Gregorij Romani Pontificis.*

Alphon. l. 5.

65. *Adalardus*, Honorati in locum, Abbatiam S. Victoris obtinuit anno 987. quo Annonus Archimandrita & Archiepiscopus Arelatensis Cœnobium instituit in pago Phocensi, quod Monachis S. Benedicti ex Cassianitarum Massiliensium familia euocatis administrandum commisit, Paccone seu Paccione, Canonicis approbantibus, primo Abbate declarato. In Comitatu verò Prouinciæ successit Bosono defuncto Guillelmus filius qui duxit in vxorem Blancam sororem Godefredi Comitis Andegauensium, quem patrio verbo *Grisegonnelle* dixerunt, ea verò demortua secundo nupsit Adalaidi seu Adalaixiæ vel Adelidi, quamquam Chesnius in tabula Comitum Arelatensium vnam eamdemque Guillelmi huius vxorem Adelaidem nomine, Blancam cognomine, Gotofredi Andium Comitis filiam fuisse affirmat, ex qua Vvillelmum, Constantiam, Hermengardem, & Adelmodiam susceperit. Illa Roberto Francorum Regi nupsit, Hermengardes Aruernorum Comiti, Adelmodia binas nuptias celebrauit, primas cum Bosone Comite de la Marche, secundas cum Guillelmo Pictauiensi. Præfuit annos omnino 27. & ex iis quindecim Conrado regnante; tum sub eius filio Rodulpho reliquos duodecim. De genere mortis certatur inter historicos nam obiisse Arelatæ manifestè colligitur ex testamento in fauorem Monasterij Virginum S. Cæsarij ibidem condito, quod quia plurima, quæ ad narrationem nostram pertinent, lacerum licet & exesum continet, ex autographo describam totidem verbis.

In

In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

ANno Incarnationis Iesu Christi 992. Dominus Princeps & Marchio istius Prouinciæ bonæ indolis Vvillelmus coniuge sua nomine Adalaix & filio suo nomine Vvillelmo veniens in Monasterio Virginum infra muros .... in honore S. Ioannis Baptistæ cum reliquis Ecclesijs S. Petri .... scilicet in die qua ordinauit Dominam Abbatissam .... quoque sacræ Virgines simul obnixe petierunt illi Domino ..... quod iuuamen præstaret & ex villis quas Dominus Cæsarius .... illas eis redderet qui libenti animo promisit se facturum. Consilio autem .... Ecclesiam S. Mariæ quæ est fundata in loco maritimo vbi nuncupatur .... reædificandi locum scilicet .... Et animæ suæ & coniugi eius, & vt Dominus saluaret eis prolem, qui & ipse illic affuit & simul eam illis reddidit. Si quis verò quod absit ea repetere voluerit & auferre à loco supradicto, non valeat vendicare quod repetit, sed excommunicatus remaneat à Domino scilicet omnipotenti & omnium simul Sanctorum maledictus in æternum nisi ad satisfactionem venerit, & ea reliquerit & amplius reddiderit. Factum hoc testamentum in ipso Monasterio per præceptum Domini Vvillelmi Principis consentiente coniuge eius simul cum filio in præsenti adstante Domino Annone Archiepiscopo, qui voluerunt & firmauerunt simul cum Canonicis. Dominus Rothbaldus Comes voluit atque firmauit. Stephanus Episcopus firm. Pontius firm. Fragico f. Maiolus f. Pontius f. Vigo f. Pontius Episcopus f. alius Pontius Archiepiscopus f. Vdolricus f. Guillelmus Vicecomes f. Caballerius f. Vmbertus f. Aycardus f. Theutbaldus f. Laldradus f. Riquelinus f. Vvillelmus Comes filius Rothbaldi f. & vxor Suadelia f. Vvillelmus Comes Tolosanus & vxor sua Ema f. Bertrandus & Fulco fratres firmauerunt Vvillelmus Vicecomes f. Franco f. Theubaldus f. Amelius Presbyter f. Matfredus f. Lambertus f. Arelas Presbyter f. Marcellinus f. Durantus f. Pacio f. Ingoaldus f. Iugilras f. Odilus f. Azemb. f. Gautredus f.

Vides Actuarios solitos fuisse in gestis publicis Vvillermi nomen apponere, quem etiam non solum Comitem imo Principem dicebant: liquido etiam constat Rothbaldum cum Vvillelmo Comitatus honore donatum, quem Guillelmi Comitis fratrem indicat Thesaurus Monasterij Montis Maioris cum in honoraria sententia vbi de paludibus & aquis Stagnantibus Cœnobij Montis Maioris agebatur, exorta inter Archiepiscopum Arelatis & Abbatem lite. Abbas enim eas decessoribus suis concessas prætendebat. *Cum consilio* (verba sunt autographi Abbatialis) *Guillelmi Comitis & fratris sui Rothba'di*, &c. ex quo Rothbaldo, Folcalquerij Comites originem traxisse aliàs meminimus. Alij Monasticam vitam professum esse volunt, idque Maioli celebris sanctitate Abbatis suasionibus factum indicat Odilus, apud Surium Tomo 3. die 2. Maij. *Qua*, inquit ille, *Maiolum veneratione prosequutus sit Vvillelmus Prouinciæ Gubernator, & vita & exitus illius ostendit, quippe qui per sancti viri merita & fida obsequia Beati Benedicti habitum induere meruit*. Hic ille est Maiolus,

qui

qui testamento Vvillelmi subscripsit, Cluniacensis Abbas vir admirandæ sanctitatis. Egregia verò Vvillelmi nostri sanctitas innotescit in M. S. codice Chesnij, qui narrat crebra miracula ad sepulchra eius fieri solita, quæ reuera illum cœlesti gloria potitum esse demonstrant.

66. *Pontius* Adalardo vita functo Abbatis titulum assumpsit sed quo potissimum præfixo tempore fuerit ordinatus, quandiuvè rexerit, seu quando è viuis desierit non certo aliquo monumento liquet. Hoc tantum habemus quod Guillelmi I. Comitis testamento subscripserit anno 992. ex quo sequitur *Adalardum*, Si coniecturæ sit locus, iam ante Guillelmi Comitis mortem diem suum obiisse, & Odiloni quòd etiam nomen in eodem testamento legitur Abbati Cluniacensi ac Lerinensi non modo synchronum fuisse verum etiam familiarissimum, eique pro vetere quæ inter vtriusque Cœnobij Monachos intercedebat necessitudine, omnibus rebus coniunctum. Testata hæc habentur & illustria in Chronologia Lerinensi, autore Barrali, vbi de Odilone in hæc verba. Benedictus Papa V I I. (vt habet Chronicum M. S. Cluniacense apud Seuertium in Chronologia Antistitum Lugdunensium num.20. ex diplomate Bonifacij Papæ V I I I. ad Abbatem S. Honorati) donauit S. Maiolo tunc Archimandritæ Cluniacensi suisque successoribus Monasterium Insulæ Lerinensis regendum, sed an aliquando accesserit Lerinum morasue nexuerit Maiolus, non certo constat veteri documento, verum expresè compertum habemus eius amantissimum discipulum successoremque sedis S. Odilonem post eiusdem Maioli obitum, qui contigit anno salutis 993. suffectum fuisse Abbatem Cluniacensem, & inde non post multorum annorum circulos gubernacula sacri Monasterij Lerinensis sua præsentiali assistentia moderatum esse & maxime temporibus Guillelmi I. Prouinciæ Comitis filij Bosonis, cum sceptrum Regni Gallorum regeret Robertus filius Hugonis Capeti circa annum Christi 997. Et ne forsan quis sacrum aluearium Lerinense furtiuo melle aliisque innubis apibus nos velle implere suspicetur, & hæc esse ficta, astuta, commenta somnier, nosque aliorum Diuos vsurpare dicat, audiat antiqua obsignata documenta ex scriniis Lerinensibus deprompta, quæ in priscis donationibus Monasterio Lerinensi factis leguntur, quæque hic summatim in testimonium nostræ assertionis tibi subiicimus. Inspirante Deo & Domino nostro Iesu Christo sacrosanctæ Dei Ecclesiæ S. Mariæ necnon S. Honorati Insulæ Lerinensis Cœnobij vbi & venerabilis Odilo Cluniacensis Abbas præesse videtur. *Nos Truanus, & vxor mea Amalescendis, ac filij mei Guido & Aldebertus, atque filiæ Ailbruga & Guidburga, sana mente integroque consilio metuentes humanæ fragilitatis casum, ne nobis repentina mors obueniat*, &c. *ad honorem S.Genitricis Dei Mariæ ac B. Honorati, Domino Odiloni Abbati atque Monachis ibidem Domino militantibus tam præsentibus quam futuris pro remedio animarum nostrarum, res nostras proprias tradimus atque donamus, quas in pago Foroiuliensi*, &c. *sciant vero cuncti viuentes quia per licentiam Domini Guiglionis Comitis & matris Adhelaidis & vxoris eius Emonæ & filiorum eius de cuius potestate hæc donatio procedit*

M M m

firmiter damus pro nostris animabus supra dictum locum Abbati & Monachis, &c. Alia ibidem recitatur donatio eiusdē pene formæ, quæ sic habet. *Nos in Dei nomine Constantinus Christianus, & vxor mea Isingardis, filiique nostri Rupertus, Dodo, Lambertus, Pontius, Hugo, & Abillonius inspirante Deo sana mēte integroque coonsilio metuentes humanæ fragilitatis casus, ne nobis repentina ac perpetua mors obueniat, placuit animabus nostris vt aliquid de rebus propriis Deo & sanctis eius videlicet perpetuæ virgini ipsiusque genitrici Mariæ, nec non & Beatissimo Honorato, & Insulæ Lerinensis Cœnobio vbi praesse videtur Dominus Abbas Odilo Cluniacensis Pater, &c. deberemus offerre sicut & facimus*, &c. Quibus sane certis & aliis id genus documentis liquido constat S. Odilonem in sacro Lerinensis Insulæ Monasterio Abbatiam administrasse, optimoque iure Abbatum Lerinensium Catalogo annumerari. Fuit autem idem S. Odilo infula ornatus Abbatiali anno Christi 993. Migrauit è vita sub Clemente II. Romano Pontifice, Imperatore Henrico II. ordinationis suæ 55. ætatis vero 87.

Vigne. in Chron. Burgundiæ.

67. Anno Christi proximo sequenti 994. Conradus Iurensis Burgundiæ seu Galliæ Cisalpinæ Rex obiit, vnico filio, vt ait Vignerius, quem ex Matilde coniuge susceperat, quæ Lotharij Franciæ Regis soror fuerat superstite, nomine Rodulpho. Alemannorum & Prouinciarum Rex in Archiuiis nostris legitur licet parum sub illius imperio ex iam allatis Vvillelmus noster fuerit.

Cluniacensis ordo sæculo isto cœpit initium. Vvillermus cognomine Pius Aquitaniæ Dux & Aruerniæ Comes, spe prolis destitutus Cœnobium Cluniacense in fundo suo proprio, qui illi erat in agro Matisconensi, ad Gronam fluuium suis impensis condidit, illudque magnis redditibus dotatum Bernonis Abbatis Gigniacensis viri illustris, qui primus Abbatis munus illic exercuisse fertur per annos 10. curæ commisit, quem anno 912. morientem ait Sigebertus, Odonem olim Musicum Cluniacensis Abbatem Cœnobij fecisse, Odonem porrò 937. decessisse eique successisse Ademarum, huic anno 943. Maiolum, tum Odilonem anno 992. idem Sigebertus affirmat. Quorum exemplum sequuti complures alij Abbates in tota fermè Italia, Hispania, Germania, Anglia in suos ipsi quoque greges reformandos, incubuere, idque eodem successu & fructu, vt ad duo millia Cœnobiorum restituta & sanata scribantur, ex quorum disciplina Gregorius VII. Vrbanus II. Paschalis II. & alij non pauci Romani Pontifices ac pene innumerabiles Cardinales & Episcopi, virique doctrina & sanctitate illustres prodierunt. Cæterum consuetudines aliquas & familiaritates, nonnullasque Cluniacenses inter & nostros Massilienses Monachos Cassianitas, res rationesque contractas intercessisse colligere potes ex eo, tum quod de Odilonis in Insulam Lerinensem secessu, ac vicinia meminimus, tum quod prædicti tres è Cluniacensi familia assumpti Pontifices Romani domum S. Victoris Massiliensem plurimis indulgentiis & immunitatibus ornarunt, tum quod Cassianus religiosè viuendi methodum tam sapienter & moderatè in suis Institutionibus & Collationibus descripserat, vt non modo tum ab omnibus.

omnibus Monachorum familiis accepta & in vsum statim inducta sit, sed ad hanc vsque diem totius Galliæ atque adeo totius Occidentis Monasteria nullis pene aliis vtantur legibus quam Cassiani.

68. De Hugone Imperatore siue Italiæ Rege & Comite Arelatensi proditur quod cum adeptum tot laboribus Italiæ regnum maioribus prœliis sustinere coactus, iam per 20. circiter annos in ea dignitate mansisset, Lothario filio in Italia relicto vsum regni ac rerum summam permisit, & in Prouinciam rediit ipse anno 947. vbi amplissimo Cœnobio exædificato Christi humilitatem in eo complexus imperatorias opes ac purpuram cum vili tunica & solitaria cella libentissimè commutauit. Factum autem esse Monachum Cassianitam, regulamque atque ordinem S. Cassiani tunc nobilitate haud vulgari sanctimoniæque fama inclytum, in Arelatensi Monasterio S. Petri quod Montis Maioris dicitur & à Massiliensi S. Victoris Cœnobio proseminatum alias demonstrauimus, professum esse testatur Leo Ostiensis in Chronicis. *Ipse Hugo*, inquit, *cum omni thesauro suo in Prouinciam (mendosè scribitur Burgundiam) properans, Monasterium illic permagnificum construxit sumptibus propriis, quod sub titulo S. Petri appellari voluit ibique omnibus traditis ipse Monachus effectus est, Bertha nepte Bosonis vidua opum suarum harede dicta.*

SÆCVLVM VII.

Annus Christi 1020. *A Conditu Monasterij 600.*

69. Facilius & certius posthac ad inuentionem rerum nostrarum animus incedet, ac minus cæcutiet deinceps Abbatum nostrorum Chronologica historia, prælucente ad posteritatis memoriam scriptorum & clarissimorum monumentorum face.

Illuxit primùm Superiori occidenti sæculo *Garnerius* Abbas vir ingenio præstans & egregiis moribus clarus, cuius tempus notum redditur ex M. S. Codice, quem librum Chartarum appellant, fol. 18. vbi præfectura fungi dicitur Garnerius anno 1004. quo verò strictè anno inierit, abierit, etsi non certæ, tamen probabilis sit coniecturæ locus, vt affirmemus iniisse anno Christi 997. ac nouennio præfuisse. Eius enim rogatu de electione Abbatum à Ioanne 18. anno Christi 998. ita præscripta lex est, ita cautum vnaquaque de re, & ita quod oportuit exceptum, vt omnibus diuinis ciuilique congressu interdictos Pontifex denuntiarit, si malis artibus, aut alia quàm liberis atque legitimis Capituli suffragiis, sollicita fauoris humani prensatione, in ius Abbatis quempiam inducere præsumerent. Ius præterea, vt id quod de legitima bonorum suorum possessione intenderent confirmare, & id quod contra diceretur refellere possent Monachi Massilienses, singulari diplomate stabiliuit, quæ vero seditionis incursio, aut vis multitudinis, aut impetus tribunitius detraxisset, ea ipsa omnia studiosissimè curauit in integrum restituenda. Quo

similiter tempore eidem Pontifici literas de eodem argumento diligentes dedit Fulbertus Episcopus Carnotensis vir celeberrimus, in hunc modum.

Domino sancto & vniuersali Papæ Ioanni Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus orationum fidelia. Gratias omnipotenti Deo, qui more benignitatis suæ tuam Pater humilitatem respexit & summo vt decebat dignitatis apice sublimauit. Proinde totus mundus ad te conuertit oculos, teque vnum omnes beatissimum prædicant. Contemplantur altitudinem tuam sancti viri & gaudent, quod eis similitudine omnium virtutum alludis. Respiciunt persecutores Ecclesiæ districtionis tuæ baculum, formidantes suspiciunt ij qui flagellantur ab impiis, & respirant sperantes adhuc restare sibi consolationis remedium. De quorum numero sum ego magnæ & præclaræ Ecclesiæ pusillus Episcopus, qui tibi Pater de angustiis meis querimoniam scribens auxilium tuæ pietatis imploro. Est enim quidam Comes malefactor, nomine Rodulphus, nimium vicinus nobis, qui res Ecclesiæ nostræ per iniustam occasionem inuasit, vnum de Clericis nostris suis manibus interfecit, duos alios captos Sacramentis illigauit, & de his omnibus appellatus in curia Regis & coram plena Ecclesia sæpe vocatus, non propter hominem nec propter Deum ad iustitiam venire dignatus, à nobis tandem excommunicatus est. Nunc verò ad limina S. Petri contendit tanquam ibi possit accipere de peccatis absolutionem, vnde venire non vult ad emendationem. Vnde rogamus te dilectissime Pater cui totius Ecclesiæ cura commissa est, vt eum de sanguine atque iniuria filiorum tuorum ita arguere & castigare memineris, sicut meritum esse tua prouidentia nouit: nec tua sanctitas iniustè in communionem recipiat, quem diuina authoritas sicut ethnicum alienat. Vale, bone pastor, euigila super nos, ne per iniuriam tuam grex Domini detrimentum sustineat. Hæc quidem Fulbertus ad Ioannem scribens vsus bono literarum eadem fere absens quæ si coram fuisset consequutus est.

Paucis deinde post annis quod bona Monasteriorum ab omnibus publicè diriperentur miserandoque essent in statu Ecclesiæ & Galliarum Cœnobia, Monitus fuit Pontius Arelatensis Archiepiscopus à Benedicto VIII. cum aliis regni Burgundici Præsulibus, vt laicos cogerent ad bonorum Monasterij Cluniacensis restitutionem, inter quos principes Adalaix Vvillelmi Prouinciæ Comitis mater, & Gerberga eius nurus & Hugo de Monte Pauone vel de Balthio annumerantur. Hoc diploma authore Roberto Rege dum Romæ esset à Benedicto VIII. concessum est. Narrat Chesnius in historia Regum, Ducum, Comitum Burgundiæ lib. 3.

70. Eadem porro tempestate emergere cepit in lucem, totamque se eiecit atque extulit Vicecomitum Massiliensium dignitas & amplitudo. Primum in hoc ordine Pontium Bosonis Prouinciæ Comitis fratrem natu minorem Massiliæ imperasse supra odorati sumus diligentius, qui duos filios reliquerit Honoratum Episcopum Massiliensem, & Abbatem S. Victoris, Guillelmum alterum in Vicecomitatu patris hæredem ac successorem, quem Reipublicæ administrationem iam iniisse anno 981. exiisse anno 1004. monumentis publicis testantur annales. Hic maiestate Principis.

Principis & mundi gloriola illigatus est, insuper etiam vxore, primum Belielde, iterumque Hermengarda in secundis sine prole nuptiis, sed ex priori cùm tres filios suscepisset, Pontium qui Episcopatui Massiliensi in Honorati patrui locum successit, Vvillelmum & Fulconem filiamque matri cognominem Belieldem, demum libero tempore vtriusque viduitate solutus, vt nudum Christum nudus sequeretur, principatu se exuens à Vvitfredo Monasterij S. Victoris præposito detonsus tunicaque monastica ornatus, Massiliæ in sacram ac religiosam S. Cassiani familiam Garnerij Abbatis nominatione cooptatus est. Id enim ex Magno Chartario S. Victoris colligitur fol.22.

Inspirante Dei misericordia & eius pia annuente clementia, qui non vult mortem peccatoris sed magis vt conuertatur & viuat. Ego Vvillelmus Vicecomes Massiliensis dum iacerem in lectulo meo, in infirmitate quam mihi idem Dominus dederat, circumsteterunt me fratres Monasterij Beati Victoris, Vvifredus scilicet præpositus ipsius Monasterij à Domino Abbate Garnerio constitutus, ac reliqui fratres, ac sicut mos est seruorum Dei ceperunt insurgere quatenus secularem militiam relinquerem & Deo militarem, multa de sanctis scripturis nuntiantes. Ego autem sermonibus eorum compunctus gratia Dei comam capitis deposui, & secundum regulam S. Benedicti habitum Monachalem suscepi, & supra ea quæ in sanitate mea iam olim eidem Monasterio Beati Victoris Martyris dederam, id est villam Almis *cum omnibus adiacentiis ac terminis suis. Nunc etiam pleno sensu ac plena memoria propter remedium animæ meæ facio hanc donationem omnipotenti Deo. ac S. Victori, & Abbatibus ac Monachis in eodem loco seruientibus. De ipsa villa quam vocant* Campanias *de ipsa scilicet medietate mea, quam ipse vestitionis causa ibi habeo vel habere debeo, cum integritate & absque vlla diminutione*, &c. *Facta charta donationis huius in Massilia ciuitate anno Incarnationis Dominicæ* 1004. *regnante Rodulpho Rege. Ego Vvillelmus qui hanc donationem fieri iussi & manu mea roboraui. Dominus Pontius Episcopus firmauit Guillelmus frater suus firmauit. Fulco fir. Aylardus fir. Erminganda mulier Domini Vvillelmi fir.*

71. *S. Vvifredus* qui & Guitfredus & Siffredus à variis variè nominatur, gubernasse scribitur anno 1007. in libro magno Chartarum fol.113. Præcipua eius dicta & facta pro lege palam vniuersis recitat Benedictus Romani nominis Pontifex IX. in diplomate *Supernæ diuinitatis potentia*, de iterata dedicatione reparatæ Ecclesiæ S. Victoris Massiliensis. *Cumque diutius*, inquit, *in tanti amoris matrimonio perdurasset, omissa prole tantæ nobilitatis, de vagina Vandalorum callidus exactor educitur, quod necare antiqui serpentis framea corrupto velle disponit, hoc extincto sobolumque flore, omissa viduitatis lacryma flebile & infœlix nimioque senio consumptum permansit. Post nempe multorum annorum curricula temporibus Romanæ sedis Antistitis Ioannis* 19. *Claruit sacris virtutibus Vvifredus Abbas loci director, qui se mundo crucifixit & mundum sibi. Hic ergo has ædes condens miris doctrinis dilatauit, velle necnon posse Vicecomitum seu egregij Præsulis Massiliensis*, &c. Sancti nomen quo ipsum appellamus ponit Martyro-

logium Gallicanum in supplemento, pridie Idus Septem. *Massiliæ S. Siffredi Abbatis qui Beatum Isarnum, cuius nomen cum elogio hoc in Martyrologio signatum est, præcessit in religioso regimine.* Similiter Martyrologium Menardi & liber 2. Obseruationum vbi legitur quod S. Isarnus Beato succedere meruit Sifredo ex Centuria 6. Chronicorum Generalium Ordinis S. Benedicti. Verùm in vita S. Isarni Guiffredus non Siffredus legitur, & in proprio Sanctorum Monasterij S. Victoris Massiliensis.

72. Cæterum quod in laudato diplomate patefacit & innuit Pontifex de Vandalorum cædibus, incendiis, rapinis, cùm in annalibus nostris vastatam & direptam fuisse totam Italiam eique finitimas Prouinciæ nostræ regiones frequens mentio fiat, nos hic Sarracenos imprimis & Northmannos intelligimus, quos *Vandalorum vaginam* idcirco appellat Pontifex, quia eiusdem generis illos ferunt & ex eadem Borealium populorum colluuie profectos. Quantas vero clades superioribus sæculis orbi vniuerso attulerint supra demonstrauimus. Et primùm quidem Saracenorum bellum, cuius facibus quantò ardentioribus incensa hæc nostra Prouincia, tantò periculosius deflagrauit, post Pipini mortem ortum ab Eudone Aquitaniæ Duce, cum quo Carolus cognomento Martellus siue Tudes eiusdem Pipini filius magna cum inuidia simultates hebebat. Eudo enim rebus suis diffisus Saracenos ex Hispania cum Rege eorum Abdirama in subsidium ex ciuit anno 725. quibus sacra profanaque late populantibus occurrit Carolus Martellus, eosque internecione concidit. Cæsa sunt vno die ad trecenta septuaginta quinque millia, cùm ex Francis 1500. haud amplius desiderati sint vt scribit Anastasius. Mox Burgundia Lugdunoque potitus anno 727. insequenti, Eudone vita functo Aquitaniam inuasit. Saracenos iterum ad vlciscendam suorum stragem Galliam incursantes magno numero prostrauit anno 731. & Auenionem ab illis captam recepit. Tum Narbonensem, quam ij cum Hispania cui contributa erat occupatam tenebant, aggressus caput eius Narbonam ac reliqua deinceps expugnauit oppida, cæsis qui ad opem ferendam sæpius accurrerant Saracenis. Quam causam fuisse diximus in Magdalena nostra cap. 23. num. 2. vt in tam aperto religionis ac vitæ discrimine, incolis totius Prouinciæ vel profugis vel fato functis sacræ Beatorum reliquiæ non tantùm in S. Maximini oppido sed in tota Salyorum Prouincia retrusæ atque abditæ in tenebris, 600. annorum spatio sequentibus incognitæ posteris latuerint. Quia tamen excisa arbor non auulsa efferre sese identidem & ad renouandum bellum reuirescere deinceps visa est, sæpe aliàs in toto passim orbe Christiano violatas à Saracenis sacras ædes, S. Theodori Martyris apud Damascum, S. Iacobi Apostoli Compostellæ, Monasterij Casinensis S. Benedicti in Italia, pluresque alibi, loquuntur annales. Quin ipse etiam Christi annus 1000. Saracenico bello insignis fuisse dicitur, Saraceni enim in Campaniam delati Capuam occuparunt, quos Otho III. Imperator valida manu aggressus haud minori virtute hostes deuicit, quàm fœlicitate Capuam recepit. De Normannorum frequentissimis ac crudelissimis incursionibus superiori proximo num. 53. dixisse

dixisse videor plus etiam satis. Quæ vero huius generis bella Vvifredi pene ætate siue memoria fuerunt, gessit Carolus Rex cognomento Simplex, fœdusque ac pacem cum ipsis Galliam misere populantibus sanxit, Gisla filia Rolloni Normanno Duci in matrimonium data, qui à Francone Rothomagensi Episcopo Christianis sacris initiatus, Rotberti à quo de lauacro susceptus est nomen accepit. Concessa & illis tunc etiam ad habitandum ora Galliæ maritima, quæ ad Septentrionem spectans Northmannia dicitur.

Circa igitur hæc tempora funestissimum illud quoque Massiliæ accidit, vt in his excursionum publicis calamitatibus vsquequaque omnia cæde miscentes barbari, ciuitatem captam sæpius diruerint mœnibusque nudauerint, magno miraculo Lazaro Episcopo sepulchrum suum illæsum seruante. Sed & S. Cassiani templum, vbi sanctissimum eius simul atque S. Victoris corpus requiescit eique Cœnobium cohærens barbarica immanitate direptum succenderunt. Ita diuinæ prouidentiæ consilio effectum est vt opera & studio Vvitfredi Abbatis omnia, quæ florentissimi olim Monasterij fuissent, sanctitatis præcipua decora & ornamenta in pristinam dignitatem & gloriam restituerentur, quod hic laudat Pontifex scripto suo.

73. Ioannem cuius item meminit, fuisse Romani nominis Pontificem XIX. Fasanum siue Fanassum Romanum de vico Portæ Methodij, liquet ex notis Chronicis præfecturæ eius quo enim anno Vvifredus lectus scribitur in Abbatem, eodem memorant Fasti Ecclesiastici Ioannem gessisse Pontificatum. Successit enim Ioanni 18. anno 1003. 12. Calend. Decemb. Imperatore Henrico iuniore II. seditque annos 5. menses 7. dies 29. Romæ aliquot Ecclesias præ vetustate corruentes reparasse quidam scribunt. Monachorum & præcipuè Cassinensium, quibus multa priuilegia concessit, maximus amator extitit. Ex quo si coniectura ducimur ad suspicandum, singulares ac religiosæ Vvifredi virtutes & in proximo ac celeberrimo Massiliensi Monasterio summus gradus dignitatis & gratiæ, Pontifici hominem notum atque insignem faciebant, vir enim in sacris literis bene versatus sed quod omnium caput est inter Abbates sui temporis vitæ sanctimonia quasi lucidum quoddam sidus resplenduit. Habetur in Monasterio SS. Cosmæ & Damiani priuilegium datum à Ioanne XIX. per manus Gregorij Episcopi Ostiensis & S. R. E. Bibliothecarij, quem ex Abbate eiusdem Monasterij Cardinalem creauit idem ipse Ioannes, munusque Bibliothecarij sibi demandatum non sub Ioanne modo, sed sub aliis etiam quatuor Romanis Pontificibus proxime sequutis, Sergio IV. Benedicto VIII. Ioanne XX. Benedicto IX. summa cum laude exercuit. Henrici Cæsaris hoc nomine II. quem regnasse diximus Ioanne XIX. Pontifice laus illa prope diuina & singularis, quod Cunegundam Augustam vxorem parentibus, intactam vt acceperat moriens reddidit, adeo Sanctus Imperator virginalem lauream Imperatoriæ prætulit stirpi, æterna magis imperia intuens quam caduca. Decessit anno 11. Principatus sanctimonia clarus. Itaque deinde cum Cunegunda vxore vitæ socia in cœlestium numerum

numerum est relatus, vt nominis sui cultum propagarent, qui generis stirpem propagare neglexerant.

74. De egregio illo Præsule Massiliensi qui studio Vvifredi prostratam Monasterij Rempublicam omnibus viribus atque opibus extulisse dicitur, nihil dum fere ex annalibus allatum præter nomen. Honoratus is fuit Bosonis Prouinciæ Comitis nepos,& Pontij primi Vicecomitis Massiliensis filius, qui dona Monasterio S. Victoris à Paulo aliisque decessoribus suis Episcopis non solum rata esse voluit, sed etiam nouis tributis ærarium quibus potuit amplissimis refersit opibus, de quibus supra ex Magno Chartario vbi etiam de Honorato nostro hæc habentur. *Factum est vt Monasterium S. Victoris olim præcipuum ac famosissimum fuerat ad nullatum & pene ad nihilum est redactum, quousque bonæ memoriæ Dominus Guillelmus & Dominus Honoratus præfatæ ciuitatis Episcopus, ac frater eius Dominus Guillelmus Vicecomes filiusque suus Dominus Pontius præsul, qui eidem auunculo suo in Episcopatum successit*, &c. *Hoc etiam inserere placuit mihi Pontio Episcopo, ac fratribus meis Domino Guillelmo & Domino Fulconi.* Nec aliæ plurimæ silentur bonorum donationes & agrorum assignationes quas eiusdem Honorati rogatu à viris principibus Monachi S. Victoris impetrarunt. Ex eodem Chartario fol. citato. Ego Vvillelmus Massiliæ Vicecomes dono omnipotenti Domino & S. Victori Martyri, eiusque Monasterio vbi sacrum corpus eius requiescit apud Massiliam ciuitatem fundato, aliquid de hæreditate mea quæ mihi sorte diuisionis contigit, & à progenitoribus meis Vvillelmo Vicecomite Massiliensi, & Belielde eius vxore mihi iure hæreditario prouenit. Et hæc omnia sunt in Comitatu Aquense, in valle quæ vocatur Tritis, primò in villa quæ vocatur Porcillis de ipsa tertia parte quam tenebat frater meus Dominus Pontius Episcopus, quæ nobis aduenit ex parte genitoris nostri, manifestum est, quia ipsam tertiam diuisimus inter nos frater meus Fulco & ego, & venit de illa tertia, medietas illi, & medietas mihi, ipsam ergo medietatem quæ mihi aduenit, sicut superius resonat, dono omnipotenti Deo sanctoque Victori & Abbatibus ac Monachis ibidem seruientibus, in villa ergo quam vocant Podioneroni, similiter in villa quæ vocatur Ollaria, similiter in locum qui vocatur S. Andeoli, sed in comitatu Foroiuliensi id est in Fraxineto in villa quam vocat Admollam, &c. Facta donatio hæc anno Incarnationis Dominicæ 1014.

Ibidem fol. 16. verso. Ego Guillelmus & Fulco frater meus Dei gratia Vicecomites & vxores nostræ Aissalena & Odila & filij mei Domnus videlicet Pontius Massiliensis Episcopus, Guillelmus, & Aycardus, Fulco, & Gaufredus donamus Deo & S. Victori Martyri Monasterij Massiliensis, Ecclesiam quæ est dedicata in honorem S. Mitrij Martyris,& S. Martini, & S. Laurentij in Comitatu Massiliensi, & in territorio quod dicitur Albania, &c.

Ibidem fol. 23. Ego Fulco pro redemptione animæ meæ vxorisque, dono omnipotenti Deo & S. Victori Martyri Monasterij Massiliensis octauam partem de villa quæ vocatur *Cathedra*, quæ sita est in pago Prouinciæ

in

in Comitatu Massiliensi iuxta mare, &c. Facta donatio hæc anno Incarnationis Dominicæ 1019.

Ibidem fol. 13. Ego Vvillelmus Vicecomes Massiliensis & filij mei Pontius Episcopus, Vvillelmus, nec non Aycardus, Fulco siue Iosfredus facimus donationem pro remedio animæ vxoris meæ Asselenæ matris supranominatorum filiorum, omnipotenti Domino ac S. Victori Martyri de octaua parte cuiusdam villæ, quæ vocatur Cathedra, quæ sita est in pago Prouinciæ in Comitatu Massiliensi prope mare. Facta donatio hæc anno Incarnationis Dominicæ 1019. regnante Rodulpho Rege Allemannorum seu Prouinciæ. Ego Vvillelmus cum filiis meis præfatam villam cum omni integritate, prædicto Monasterio dedimus manibusque nostris firmauimus. Stephana vxor eius firmauit, Pontius Episcopus fir. Vvillelmus fir. &c.

Ibidem fol. 6. verso. Ego Fulco vnà cum vxore mea Odila dono Deo & S. Victori Martyri Monasterij Massiliensis Alodem meum, qui ex iure patris mei mihi aduenit in Comitatu Aquensi, in valle Tritis in villa quam vocant Porcillis, deinde dono quartam partem de villa quam vocant Bulcodenos, &c. Facta donatio ista anno Incarnationis Dominicæ 1020. indict. 3. in mense Iulio 13. Calend. Iulij Luna 23. in Castro Fossis regnante Domino nostro Iesu Christo & Rodulpho Rege Allemanorum seu Prouinciæ. Ego Fulco hanc donationem firmaui & firmare feci, Odila vxor mea fir. Guido fir. Fulco de Aquis fir. Pontius Pelei fir. &c.

Ibidem fol. 7. Ego in Dei nomine Vuillelmus Vicecomes Massiliæ simul & frater meus Fulco vnà cum filiis nostris & vxoribus donationem facimus omnipotenti Deo & S. Victori glorioso Martyri eiusque Monasterio de Molendino, quod est situm iuxta flumen Hibelniæ ex eadem Hibelnia vbi Gerrenus fluuius cadit in Bedale de supradicto molendino ad Gadium Huuelnæ per quod itur ad Carauilhanum terras S. Victoris, & donamus omnia quæ sunt inter ipsum Bedale & vlteriorem ripam de supradicta Huuelna, à molendino de Petronilla vsque in Gerrenum & ad supradictum Gadium cum omni integritate. Igitur ego Vvillelmus firmaui. Fulco fir. Stephana fir. Odila fir. Guillelmus fir. Pontius fir. Gaufridus fir. Bertrannius fir. Petrus fir. Hi omnes filij Vvillelmi Vicecomitis & multi alij similiter firmauerunt.

Ibidem fol. 22. Ego Bellielis fœmina filia quæ fui quondam Vvillelmi Vicecomitis Massiliensis donator sum Domino Deo & S. Mariæ sanctoque Victori Martyri Monasterij Massiliensis, Allodem meum proprium quem habeo in valle de Trectis, &c.

75. Facinus verò illud pulcherrimum eorum fuit, quod ditiones ac prouentus ex bonis Monachorum vsurpatos olim & iniquissime ereptos recuperarunt, de quo singulare istud in Annalibus.

In nomine Domini Iesu Christi Saluatoris nostri ad notitiam præsentium nec non etiam hominum sequentium cupientes peruenire & ad Dei scientiam volentes, villa quæ Carauilhanus dicitur & quæ antiquitus à nobilissimo viro Sigofredo cum Eyldruda vxore sua chartis & indiciis

euidentissimis pro suarum redemptione animarum S. Victoris Monasterio oblata in eleemosinam traditur. Iterum longo tempore destructo Monasterio ab eodem loco sancto subtracta & à quibusdam hominibus iniustè diu possessa, modernis temporibus qualiter Deo auxiliante & nobilissimis viris Vuillelmo & Fulcone fratre eius zelo Dei accensis id agentibus eidem Sancto loco sit restituta his scriptis videre statuimus. Quadam itaque die tempore Quadragesimæ, quando homines qui Christiano censentur nomine sola religio nominis huius non modo suadere solet prauis ab actibus quin imo ab ipsis rerum terrenarum communibus temperare curis, residentibus huiusce causa religionis supradictis Principibus, altero iuxta sedem Massiliæ, altero in Monasterio S. Victoris quidam fratres Monasterij ceperunt mutuo loqui. Quid licentiam à Deo nobis collatam loquendi apud Principes negligimus? præsertim cùm reliquo totius anni tempore non superet facultas. Requirantur ergo chartæ quæ continentur in sacrariis, & videamus si quid fortè reperiatur in iis de terris Sanctuarij, quod diu subtractum à iure altaris possideatur ab hominibus sæcularibus quodque cum adiutorio Dei omnipotentis & eorum prudentibus consiliis possit restitui viris altaris. Quod ita fauente Deo factum est, nam quædam antiqua charta inuenta est in qua continebatur quod supradictus vir nobilissimus Sigofredus & vxor eius Exlemba prædictam villam pro redemptione animarum suarum dederant Monasterio S. Victoris, temporibus Lotharij Imperatoris, qua perlecta in auribus Principum & eorum clarissimarum coniugum, laudauerunt virum qui tantum Monasterio contulerat donum & promiserunt se pro amore Dei & S. Victoris ipsos homines prius instituturos, quàm inde colligerent fructus venturos. Tertio namque die ante festiuitatem S. Ioannis Baptistæ iidem homines qui se dicebant Allodiarios, ante potestates fideiussores dederunt vt transacta S. Apostoli Petri festiuitate redderent aut defenderent. Quibus visum est quasi deliramentum, nec curauerunt illud attendere plenimentum, vnde illum transgredientes terminum petierunt sibi aliud spatium, in quo possent facere exagium, quo peracto Dei iudicium contra se videntes recesserunt dolentes, adhuc aliud præsumentes, quamdam mulierculam assumentes iurare fecerunt dicentes, quod prædium iustius esset illis possidentibus quàm aduocatis S. Victoris requirentibus. Sed quod illa iuratio non fuerit iusta mox probauit manus mulieris exusta. Sed illi aliud viderunt aliud retulerunt, & post S. Victoris solennitatem placitum mutauerunt, atque in ipsam terram se ituros dixerunt ibique eam defendere aut reddere promiserunt. Monachi verò vt audierunt, arcam S. Victoris illuc detulerunt, & tribus diebus totidemque noctibus illic cum ea manserunt. Sed supradicti homines quod promiserant non attenderunt. Dominus ergo Episcopus ciuitatis audito de Monachis ad reuertendum induratis, consilio vtriusque Potestatis perrexit ad eos causa charitatis, & cum eis loquutus est blande satis. Quid fratres mei hic statis? mandat vobis Vuillelmus potens & Dominus Fulco frater eius, cras hora prima diei reducite arcam Martyris

in

in domum Dei, & vobis reuertentibus finietur causa huius rei, quod ita & factum est. Igitur causa tantisper dilata & post festa S. Mariæ est translata. Verùm S. Mariæ mox celebrata Natiuitate Monachi abierunt in ciuitatem, interpellantes de hoc vtramque potestatem qui hominibus vocatis loquuti sunt ad eos dure satis. Inimici veritatis quousque seruos Dei fatigabitis? si vere est vestra possessio hæreditatis iam reddite in manu Abbatis. Quidam autem eorum in præiudicium veritatis cognoscentes se iniuste eam possedisse, satis continuò dereliquerunt eam in manu Abbatis, sed alij in obstinatione perdurantes abierunt, fidem dantes in crastino se non defensuros defensantes. Monachi verò altera die matutinis celebratis mox tulerunt arcam Victoris Beati, & venerunt ante ciuitatem in medium prati, duoque secum aduocati chartam ipsius Allodij defendere parati, cùm ecce plurima multitudo ipsius ciuitatis vtriusque sexus mixtis turbis venerunt ad Martyris Arcam poplitibus curuis. Tunc ita Dominus Guillelmus Vicecomes allocutus est ad illos Allodiarios. Homines, admoneo vos, vt seruos Dei vltra non fallatis aut vestra calliditate decipere cupiatis, ne forte iram Dei incurratis & in conspectu eius cadatis. Similiter Domina Stephania vxor eius & Domina Odila vxor fratris eius fideles S. Victoris agebant omnimodis, quatenus stabilis esset charta donatoris. Dominus Fulco non poterat adesse propter alias causas, quæ erant fieri necesse. Sed Dominus Vvillelmus frater illius propter se & propter illum regebat S. Victoris vexillum, nec multi pendebat magnum ac pusillum, quia cupiditas non vicerat eum. Cúmque homines furibundi viderent se à potestatibus retundi, timerentque virtute Martyris retundi, accedentes ad arcam S. Victoris tremebundi reddiderunt ipsum Allodem verecundi, sed duo adhuc obsistebant pestilentes qui videbantur plus agrestes. Hi itaque contra Dei iudicium nitentes conquirere sibi adminiculum, quod eis magis fuit in periculum, cunctisque audientibus ingens excitant ridiculum, tulerunt sibi de plateis vnum paruulum, quem resticula vincientes proiecerunt in stagnulum, at vbi eum viderunt in aquam non receptum cognouere se vtique deceptos, & mox reddiderunt ipsum Allodem retentum quem diu tenuerant per contemptum. Adhuc autem pars maxima ipsius Allodis captiua remanebat, quam etiam vulgus S. Victoris non Episcopalem esse dicebat, pro qua interpellauimus Dominum Episcopum ciuitatis & tunc vtique non fuit eius voluntatis, vt redderet eam iuri libertatis, sed per paucos dies huius interpellationis perrexit ad Monasterium causa Vigiliæ & Orationis. Illucescente vero mane ipsius Dominicæ Resurrectionis, post acceptam sportam suæ peregrinationis ob religionem piæ donationis venit in medium Congregationis ibique coram omni fraternitate ex Canonica authoritate quidquid infra ipsos terminos continetur, de Monasterij hæreditate totum reddidit cum omni integritate, & absque vlla diminutione pro animæ suæ & parentum suorum redemptione. Atque hanc chartam Guirpitoriam fieri iussit sua præceptione, de duabus autem partibus est ipsa possessio terminata & editio tradit

vulgata & resonat in ipsa ante. Qua charta idem, à parte Meridiana ipsorum montium cacumina, & ex altera parte Vvelnæ in quam delabuntur cæterorum fontium flumina. De aliis vero duabus partibus erat dubia terminatio, donec eam fecit certam diuina miseratio per iudicium aquæ & ignis manifestissimis signis. Hoc enim à parte Orientali ab ipsa ripa fluuiali vbi videntur antiquitus fundati Mausolei saxa ingentia, adhuc in quadrum iacentia, quæ composuit gentilis amentia, linea recta per loca Arentia vsque in ipsius montis cacumina eminentia, ex altera verò parte ab ipsa ripa fluminis vbi vocant Albareta, quasi stadio vno contra Meridiem, vsque ad illum locum vbi vocant Cotes vsque in ipsos montes. Si quis igitur vllus homo vel fœmina, &c.

76. Prætera Vvifredus illa ipsa sanctitatis fama & dicendi facultate, quamcumque habuit, non Massiliæ modo sed & in vniuersa Prouincia apud viros primarios magnum est gratiam consequutus. Regnabat, eo tempore quo Henricus III. Conradi Augusti filius se Arelatensium Regem declarauit, ex donatione regni Burgundici sibi à Rodulpho facta, Vvillelmus II. Prouinciæ Comes, qui Vvillelmi filij Alberti Ducis Longobardiæ filiam Gerbergam habuit vxorem ex qua suscepta nobilissima sobole Vvillermo, Fulcone, Gaufredo, mortem obiit anno 1018. sepultus in Monasterio Montis Maioris Arelatensi, relicta matre Adelaide simul & Gerberga vxore superstite, quibus imperium quidem ita datum est, vt filiis redderent in ætate matura. Existimat Chesnius Vvillelmum II. è vestigio Patrem insequutum & sanctitate insignem, imo miraculis celebrem, eodem manuscripto codice teste, animam inter Monachos Monachum exalasse. Cui tamen refragari videtur argumentum quod in contrarium elicitur ex Thesauro Monasterij Montis Maioris, continetque gesta eius, dignitatem, & obitum. *Anno ab Incarnatione Christi* 1017. *fuit inchoata Basilica Montis Maioris, in honore S. Mariæ Matris Domini seu omnium Sanctorum Indict.* 14. 3. *Calend. Iunij feria* 4. *regnante Roberto Rege, in* 3. *anno fundationis huius Basilicæ obiit Guillelmus inclytus Comes Adelaydis & honorifice sepultus est in fundamento huius Ecclesiæ.* Vt vt sit Vvifredus certè tanta horum Principum merita habuit, quanta nemo præter ipsum, de quibus Magni chartarij tabula S. Victoris fol. 143.

Ego Vvillelmus Comes Prouinciæ coniuxque mea Giberga vnà cum filio nostro nomine Vvillelmo offerimus atque donamus omnipotenti Deo, qui nobis dedit omnia quæ habemus, de ipsis suis donis aliquid in eleemosyna ac proprium Allodem, sanctóque Victori eius Martyri & Abbati præsenti Domino Vvifreto omnibusque Monachis. Est autem prædicta donatio in Comitatu Sisterico intra terminos, de villa quæ dicitur Manuasca, id est Ecclesiam S. Martini quæ sita est non longè à fluuio Durentiæ.

Ibidem folio verso. *Ego Adalax Illustrissima Comitissa mater Vvillelmi quondam Prouinciæ Comitis & ego Gereberga æque Comitissa eiusdem Principis olim vxor, vnà cum consensu filiorum optimatumque nostrorum pro remedio animæ eiusdem Principis, facimus donationem omnipotenti Deo ac S. Victori Martyri eiusque Monasterio de villa quadam quæ vocatur Septem fontes,*

fontes, quæ sita est in pago Prouinciæ in Comitatu Regense. Facta donatio hæc Anno Incarnationis Dominicæ 1018. *Indict.* 1. *regnante Rodulpho Alamanorum siue Prouinciæ. Ego Adalax. Ego Giberga vnà cum filiis & nepotibus illam donationem firmauimus. Vvillelmus filius Vvillelmi Comitis fir. Fulco frater eius fir. Gaufredus frater eius fir.*

Ibidem fol. 146. *Ego Geriberga Comitissa vnà cum consensu filiorum optimatumque nostrorum & propter remedium animæ senioris mei Guillelmi Comitis Prouinciæ, & meæ, filiorumque nostrorum quorum hæc sunt nomina Vvillelmus, Fulco, Iofredus, facio hanc Chartam eleemosynariam omnipotenti Domino & S. Victori suo Martyri de duobus Mansibus, qui sunt in Comitatu Sisterico in villa quam vocant Manoasca. Facta hæc donatio anno Incarnationis Dominicæ* 1018.

Obiit autem S. Vvifredus anno 1020. pridie Idus Septembris, rexit Abbatiam annos 15. quo eodem tempore ortus & progressus fuit ex Benedictino instituto, familiæ Camaldulensis authore S. Romualdo, qui circiter annum 1000. in ipso Apennino sedem sibi pœnitentiæ ac religionis deligens, adeo exemplo & sanctitatis opinione homines permouit, vt nisi ipse cohibuisset, totus terrarum orbis, sic enim scribitur, religiosam disciplinam subiturus videretur. Cæterum Fulconi Massiliæ Vicecomiti non defuit materia virtutis, cùm enim bellum haberet nescio quod in finitimos pertinaciter susceptum, grauibus acceptis à forti aduersario vulneribus, ita tamen ex longinquitate morbi sanatus aut recreatus est, vt annos sexdecim septemdecimue superstes vitam ad Christi annum 1069. perduxerit. Is Odilam fœminam Principem diu quidem habuit in matrimonio, semper tamen grauiditatis & partus expertem. Vvillelmus frater binas nuptias celebrauit, primas cum Aissalena ex qua nati sunt Guillelmus III. Aycardus, Pontius, Fulco, Gaufredus: posteriores cum Stephania è Comitum Forcalquerij nobilissima stirpe ac gentilitate orta, quæ duos non plures filios peperit, Bertrandum & Petrum. Hæc virum Massiliæ morientem in præsentia & ante oculos vidit anno 1047.

77. Iacturam Vvifredi leniit S. *Isarnus*, vt colligitur ab eodem Benedicti IX. diplomate. *Post cuius verò obitum*, inquit scilicet Vvifredi, *Isarnus sumpsit ad regendum Cœnobium, vt eius meritis floreret in sæculum per quod Cœnobiale studium nostris in partibus accepit initium.* Cum Odilone Cluniacensi Abbate, quem Maiolo successisse anno 992. Sigebertus affirmat, fuisse illi quidem vetus hospitium & necessitudinem testantur annales, & ea cum officiis eius multis, tum etiam consuetudine sic est aucta, vt nihil esset familiaritate tanta coniunctius. Fama est quasi peramantes fratres se interuisisse cui suffragantur supra commemorata num. 66. in hanc rem Tabularum Lerinensium testimonia. Res Isarni præclarè gestas & vitæ acta cognitione dignissima tractabimus infra cap. 19. vbi de Sanctis Ecclesiæ oraculo renuntiatis, qui ex religioso S. Cassiani ordine prodierunt Rexit annos 18. & obiit anno 1048. sepultus Massiliæ ad S. Victorem, ex libro Chartarum fol. 26. quod tamen scribi mendosè

annotat in margine Glossator quidam Anonymus, his verbis. *S. Isarnus adhuc anno 1051. regebat Abbatiam, nam inueni alibi scilicet in Archiuo Regio Aquensi, quod S. Isarnus adhuc anno 1051. regebat Abbatiam præsentem, in confirmatione quam fecit Dominus Ildefonsus Marchio Prouinciæ de Prioratu de Trigantia Foroiuliensis Diœcesis.* In rebus publicis Prouinciæ Guillelmus III. vulgo Guillelmus Bertrandus dictus, vt scribit Zurita in historia Aragoniæ patre mortuo solus ab anno 1018. Comitis nomen obtinuit. Hix ex vxore Lucia Arsinda tres suscepit liberos, mares duos Vuillelmum, & Gaufredum, filiam vnicam, qui omnes naturæ ordine turbato cum matre Lucia patri prædecesserunt. Alteram in matrimonio habuit, sed sine prole Theresiam Ramiri Regis Aragoniæ filiam, quam duxit anno 1049. Quare nullis planè superstitibus liberis, eiusque fratre Fulcone proximo hærede vita functo, Gaufredus frater vtriusque natu minor, quasi vacuam ad regiminis Prouinciæ possessionem accitus est. De beneuolentia quam habuerit erga S. Isarnum & Monasterium S. Victoris Massiliense, primum illud fuit in officio, vt ei de suis quoque facultatibus plurimum attribuerit. à quo plurimum diligeretur. In Magno chartario fol. 148. verso.

Ego Bertrannus autore Deo Marchio siue Comes Prouinciæ Ecclesiam S. Primasij cum burgo & terris quæ sunt meæ possessionis, reddo ac dono omnipotenti Deo & S. Victori Martyri eiusque Monasterio. Facta hæc donatio anno Incarn. Domin. 1044. Indict. 12. Henrico Rege regnante. Bertrannus Comes siue Marchio firmauit. Berengarius Vicecomes fir. Miro Vicecomes fir. Ego Guillelmus & ego Gosfredus Comites siue Marchiones, filij præfati Bertranni fi.

Ex eodem fol. 151. verso. *Ego Geraldus gratia Dei Sistaricensis Episcopus consilio & voluntate Domini Vuillelmi Bertranni Comitis Prouinciæ, & Comitissæ suæ vxoris Domini etiam Berengarij filij Berengarij Maioris Vicecomitis Sistaricensis suæque mulieris Asselenæ dono Ecclesiam Principis Apostolorum Petri, quæ dicitur Fontelanee, omnipotenti Domino ac S. Victori Martyri. Facta hæc donatio anno Incarn. Domin.* 1035.

Ex eodem fol. 151. *Ego Vuillelmus Comes Prouinciæ & vxor mea nomine Lucia Facio hanc donationem eleemosynariam omnipotenti Deo & S. Victori eius Martyri, vnum videlicet Mansum ab integro quem excolit homo nomine Isimerardus, in villa Ausomnis in Comitatu sisterico. Facta hæc donatio anno ab Incarnat. Domini* 1030.

78. Vuillelmi quoque II. Massiliæ Vicecomitis erga S. Isarnũ beneficiorum certa monumenta in iisdem Chartarij literis extant. Fol. 7. *Vt plena, inquit, careat cognitione quod à Dei fidelibus geritur scribimus donationem, quam fecit Deodatus Tolonensis Episcopus donans Monacharum Monasterio, quod in honorem Dei genitricis Mariæ infra muros Massiliæ situm est, Ecclesiam S. Mariæ in territorio de Solario, in Belloloco, cum omni Ecclesiastica possessione quæ ad prædictam pertinent Ecclesiam. Huius rei testes fuerunt Bandolicus præceptor, Ioannes Aula, Stephanus Aribertus. Prædictam autem donationem fecit Dominus Deodatus consilio & precibus Domini Vuillermi Grossi Vicecomitis Massiliæ, qui de sua proprietate ibidem prædictæ Ecclesiæ*

Ecclesiæ donauit vndique secus hortos, Ferraginesque duorum stadiorum spatium. Facta est hæc præscripta donatio ab Incarnat. Domini 1030. Item anno 1040. facta est à Fulcone Massiliensi Procomite stipulante Isarno Abbate, instauratio sacelli Monasterio pene contigui, in loco *Paradisi* nomen etiam nunc obtinente, de qua superiori cap. 20. num. 3.

79. Per eadem tempora trium veterum Cœnobiorum opes auctæ, & à Saracenis euersa dirutaque funditus ædificia, sunt in suam pristinam dignitatem restituta, Casinensis, Possiniani, Massiliensis, de quibus Ciaconius in Benedicto VIII. Ioanne XX. Benedicto IX. pene totidem verbis. Romanus Pontificatus, Sergio IV. vita functo, in Benedictum VIII. ex Comitibus Tusculanis Gregorij filium, Imperatore Henrico iuniore, inciderat. Hunc Henricus Basilicam S. Gregorij, quam prioribus annis Bambergæ construxerat, consecrare cupiens aduocauit in Germaniam, cuius perspecta voluntate & ad eius preces in Germaniam profectus, Ecclesiam argento, veste, omni apparatu ornatuque visendo instructam summa religione cerimoniaque dedicauit. Reuersus in Italiam cum Henrico Augusto expeditionem aduersus Saracenos suscepit, & illos superauit totaque ferme Italia expulit, & inde Casinum cum eodem Imperatore progressus Monachos comitia creando Abbati habere iussit. Eis præsentibus conuocati Monachi Theobaldum legerunt, cumque postridie, qui dies erat S. Petro dicatus, Pontifex consecrauit. Calculi inde Henrico Imperarore dolore iactato, nocte cubanti apparuit S. Benedictus, & quoniam vulgari fama deceptus erat, Veréne ibi S. Benedicti corpus situm esset, id illi gloriosus Confessor asseruit & in signum huius rei futurum, vt mane surgeret & tres calculos qui morbi & doloris causa fuissent, eiiceret, & sanitati restitueretur. Id euentus comprobauit. Ille præsenti beneficio S. Benedicti sanatus Monasteriū magnifice munerauit. Rē omnibus audientibus contestatus, eam ipsam etiam diplomate quod adhuc legitur, voluit à Pontifice diuulgari. Inde sæuientibus ætatis caloribus, Romam Pontifex & inde Henricus Imperator in Germaniam concessit.

Possinianum quod Vallis Vmbrosæ dicitur, sub Ioanne XX. Benedicti VIII. fratre Germano & in Pontificatu successore proximo, originem simul & incrementum habuit anno 1030. authore Ioanne Gualberto Florentino viro sanctissimo. Is adhuc iuuenis cùm fraternam cædem magna armatorum manu vlcisci procuraret, casu hostem obuium in oppido S. Miniatis habuit, qui terrore perterritus illico Ioanni supplex factus, ad ipsius genua procidens veniam in Christi gratiam petebat, qui eum illæsum abire permittens, statim proximum templum ingressus est. Crucifixi imaginem ante quam orabat capite inclinato ob illud factum ei referre gratias & ipse & omnes qui aderant clare conspexere. Quo prodigio attonitus relictis omnibus Monasticam vitam elegit, & in loco qui vallis Vmbrosæ dicitur iuxta Apenninum secessit, inibique disciplinam sub S. Benedicto regularem instituit, quam Alexander I I. & Gregorius V I I. confirmarunt. Obiit anno Domini 1074. in Cœnobio Possiniano. I V. Idus Iulij, miraculis clarus ibidem sepultus, quem cum inter Sanctos à

Gregorio

Gregorio VII. relatum vulgo constaret, Cœlestinus III. idem certius approbauit.

De Massiliensis huiusce nostri instauratione & iterata Ecclesiæ S.Victoris dedicatione extat Benedicti IX. sæpe alias laudatum diploma, datum Massiliæ in eodem Monasterio, Idibus Octobris die eiusdem loci consecrationis anno 1040. Indictione 8. in hunc modum.

Supernæ diuinitatis potentia sicut nullo humanitatis ingenio in suæ stabilitatis substantia vt est comprehendi potest, ita nec vllius pro exili sagacitate in disponendis rerum ordinationibus inuestigari valet, &c. Hac diligentia muniendum censuimus prædicti Martyris Monasterium, apud Massiliensem vrbem, tempore Antonini Imperatoris fundatum quod postea à B. Cassiano Abbate constitutum, eodem rogante, vt fertur à maioribus natu, à Beatissimo Leone Romanæ sedis Antistite consecratum, & eius Apostolica benedictione atque authoritate sublimatum, in quo maiorem constituentes Ecclesiam in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli & omnium Apostolorum aliamque in honorem S. Dei genitricis Mariæ sanctique Ioannis Baptistæ, multorum Sanctorum collatis pignoribus conseruatur, quod multis ditatum honoribus & præceptis decoratum Imperialibus, videlicet Pipini, Caroli, Ludouici, & Lotharij Regum Francorum, nec non passionibus SS. Martyrum Victoris & sociorum eius, sed & aliorum specialiter duorum Hermetis & Adriani, sed & S.Lazari à Christo Iesu resuscitati, ac SS. Innocentium, quin imo innumerabilium aliorum SS. Martyrum & Confessorum sanctarumque virginum, plurimorum sacrorum voluminum testimonia produnt, &c. Hoc igitur à prædecessoribus nostris statutum. Ego Benedictus sanctæ sedis Romanæ Ecclesiæ Apostolicus, & Raiambaldus Arelatensis appellatus Trophimi Vicarius, cæterique præsules Galliarum, Pontius videlicet Massiliensis cuius tuitione & patrimonio prædicta consistit Ecclesia, & Leodegarius Archiepiscopus Viennensis, Pontius Valentinensis, Vdelricus Tricastrensis, Franco Carpentoractensis, & Benedictus Auenionensis, Petrus Aquensis, Clemens Cauallicensis, Stephanus Aptensis, Petrus Vasionensis, Hismido Archiepiscopus Ebredunensis, Feraldus Vapincensis, Petrus Sistaricensis, Hugo Digniensis, Bertrannus Rhegiensis, Anselmus Foroiuliensis, Deodatus Tolonensis, Eldebertus Antipolensis, Durandus Venciensis, Nectarius Niciensis, Amelius Senecensis, Pontius Glandatensis, cum omni Clero nobis commisso, nec non Abbatum & Monachorum caterua, qui in vinea Patris familiæ denario beatæ remunerationis laboraturi intrauimus portato pondere diei & æstus, ac clericorum plurimorum diuersorum graduum fideliumque Christianorum vtriusque sexus fere decem millium, ad eius thalamum reparandum venimus, & impenetrabili munitione firmamus & sanctificatum testamur, precibus iam dicti pastoris Isarni nec non Vicecomitum Vvillelmi & Fulconis, in idipsum assensum præbentibus Principibus Gaufredo & Bertranno, cum totius Prouinciæ nobilibus credentes saluatoris dictum dicentis, Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo in medio eorum sum,

sum, & quodcumque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Igitur in vnum congregati trifida benedictione Apostolico priuilegio prædictam Ecclesiam sanctificamus, atque in pristino absolutionis decore ponimus, quo omnis pœnitens qui ad eius limina tritis passibus venerit, Ecclesiæ fores sibi pateant & indultis facinoribus peccaminum, omnium criminum squaloribus absolutus libere redeat ad propria lætus, eo scilicet tenore vt transacta peccata sacerdotibus confiteatur & de reliquo emendetur. De aduenientibus verò ad hoc Monasterium ob honorem Sanctorum & reuerentiam loci præcipimus, vt quicumque quempiam aduenientium vel ibi commorantium vel ad propria remeantium læserit aut damnauerit in corpore aut in aliqua substantia, iram & maledictionem Dei & omnium Sanctorum incurrat, sitque Anathema Maranata, &c. Et vt hoc verius credatur multorum nomina testium subter iussimus conscribi. Actum publicè apud Massiliam in eodem Monasterio Idi. Octo. Die eiusdem loci consecrationis anno 1040. Incarn. Dominicæ. Indict. 8. Raiambaldus Arelatensis Archiepiscopus, Petrus Archiepiscopus Aquensis, Hismido Archiepiscopus Ebredunensis, Stephanus Episcopus Aptensis, Pontius Episcopus Massiliensis, Deodatus Episcopus Tolonensis, firmarunt. Desiderius Notarius scripsit.

80. Porro S. Isarni Abbatis, quem persamiliarem ac notum habebat Pontifex, non consiliis modo sapientissimis sed egregiis quoque vitæ exemplis multum profecisse, sed quantum, non plane scio quia muti fuerunt authores. De solemnibus dedicationis tunc Massiliæ celebratæ, quanta fuerit pompæ splendidissimo apparatu, frequentia populi, consessuque Præsulum Illustrissimorum, Dynastatum ac virorum Principum, & totius Prouinciæ nobilium vt res esset multorum oculis testatior, Benedicto author fuit Isarnus etiam diplomate quod mox legisti historiam posteris celebrare. Addo, quod supra omiseram Vuillelmum Vicecomitem supradictum Isarno dedisse villulam ad vsum domesticum vini atque etiam tritici quod satis esset.

Ex magno Chartario fol. 34. verso. *Ego Vuillelmus filius Guillelmi Vicecomitis Massiliæ vxorque mea nomine Adalgarda ac filij mei Guillelmus atque Fulco, donamus aliquid de hereditate nostra Deo omnipotenti sanctoque Martyri Victori suoque Monasterio apud Massiliam fundato omnibusque Monachis ibi manentibus futuris ac præsentibus, videlicet sextam partem de villa quæ vocatur Greascha in campis, vineis,* &c. *Facta donatio hac anno Domini* 1035. *regnante Domino nostro Iesu Christo. Ego Guillelmus, & Hugo, & Pontius, & Gaufredus fratres mei donamus & Guirpimus omnia supradicta.*

81. Anno 1048. erant in maximis luctibus Monachi, squalebat Monasterium, & Abbate iam duos omnino menses vacabat sedes, ex Isarni quem vnice diligebant omnes, ac magnificè circumspiciebant interitu acerbo. Nec alia suauiori consolatione sustentabantur, quàm quæ frequentissimo congressu, consuetudine victus, sermonibusque religiosissimis Pontij Massiliensis Episcopi adhibebatur, cuius tandem suasionibus

habita Comitia, nobilissimis testibus coram productis Rayambaldo Archiepiscopo Arelatensi & Monacho S. Victoris, Fulcone Vicecomite Massiliensi, eiusque vxore Odila, & Stephania ex marito sorore, eiusque liberis Aycardo, Guillelmo, Gaufredo, *Petrum* eximia prudentia & sanctitate virum præstantem elegerunt anno 1048. vt notatur in Iudice M. S. Abbatum, vbi rexisse dicitur annos 12. obiisseque anno 1060. Dicta eius aliqua simul & facta meminit in suis, literis Apostolicis Leo IX. qui ex Monacho Tullensi Ordinis S. Benedicti Episcopus Tullensis in Pontificem Maximum susceptus, Monachos Benedictinos ita semper elegit quos præcipuè coleret, vt vix alios Consiliarios rerumque gerendarum administros in vsu & consuetudine haberet. Damaso namque II. vita functo, cùm Henricus Imperator ipsum in eius locum inuitum intrusisset, in Italiam se recipiens Cluniacum venit, vbi Hildebrandus Soanensis ex Tuscia Gregorium VI. quem Henricus Imperator deturbarat in Galliam sequutus, eo deinde mortuo se in Cluniacense Monasterium coniiciens vitam religiosam profitebatur, vir memorabili pietate atque doctrina præditus, qui adhibitus in consilium hominem admonuit, caueret ne sacrosanctam dignitatem prophani hominis arbitrio delatam iniret, nisi se ante suffragiis cleri populique Romani ex antiquo instituto, tristi Damasi prædecessoris sui euentu condocefactus subiiceret. Quod vbi vix Sanctus audiuit, continuo purpuram dimisit, atque peregrini habitu sumpto, ipsoque Hildebrando secum adducto ad vrbem ire contendit, Romamque ingressus vt comitia de se rite haberentur postulauit, ibique Clero populoque Romano consentiente atque imprimis ipso etiam Monacho Hildebrando fauente ab Episcopis Cardinalibus consecratus, & ab Archidiacono Romanæ Ecclesiæ coronatus sedit annos 5. menses 2. dies 8. Cardinales quos creauit Principes sententiæ in Senatu, ac duces regendæ Ecclesiæ autoresque publici consilij, Monachi semper fuerunt. Priores tres etsi non ætate at certe dignitate ac meritis, qui post Leonem ipsum Romani Pontificij titulo coronaque donati sunt. Primus Hildebrandus Monachus Cluniacensis, quem tanquam virum prudentem & rebus gerendis strenuum subdiaconum Cardinalem, Romanæ Ecclesiæ Oeconomum, altaris S. Petri custodem & Abbatem Monasterij S. Pauli via Ostiensi creauit Leo eiusque consiliis & nutu Pontificatus munus perpetuo administrauit. Mox Victori II. Stephano IX. vt nihil sine ipsius quoque consilio gererent, maximè verò Alexander II. cui etiam in Pontificatu successit Gregorius Romani nominis 7. idque munus tanta cum dignitate & prudentia exequutus est, vt quidam authores hoc affirmare non dubitent ab Apostolorum ætate nullum fuisse Pontificem, qui maiores pro Dei Ecclesia labores molestiasque perpessus sit, aut qui acrius eius libertatem propugnarit. Alter Fridericus Lotharingus Gallus Gozzelonis Ducis Lotharingiæ filius, ex Canonico Regulari Ecclesiæ S. Lamberti S. R. E. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica, Bibliothecarius, & Cancellarius Apostolicæ sedis, postea Presbyter Cardinalis Abbas Casinas & demum Romanus Pontifex creatus Stephanus IX. vocatus est.

est. A Leone Constantinopolim Legatus Græcam Ecclesiam cum Latina conciliauit. Romam reuersus cùm Leonem mortuum offendisset, sæculum pertæsus in Cassinense monasterium se contulit, vbi nouam Christi militiam vir talis aggressus ita se omnibus probauit, vt vix biennio exacto eius loci Abbas electus fuerit. Quare cum confirmationis gratiâ ad Pontificem vt tum moris erat Victorem II. accessisset, non id modo obtinuit sed insuper iterum ab eo Cardinalis creatus paulo pòst eidem vita functo vniuersis suffragiis in Pontificatu suffectus est anno 1057. Tertius Dauferius Principis Beneuentani filius, qui adhuc adolescens vxorem accipere coactus priusquam eam contingeret profugit ad Monasterium Cassinense, vbi electus primùm loci Abbas deinde à Leone IX. Diaconus Cardinalis SS. Sergij & Bacchi, postea Presbyter Cardinalis creatus, demum Gregorio VII. demortuo aptissimus visus est cui Ecclesiæ cura committeretur. Et Papa Victor III. appellatus cum Beneuenti Concilium ageret, letali morbo correptus in Cassinum montem referri se voluit, vt quo loco spiritum religionis hauserat eodem securius & sanctius inter fratrum preces spiritum vitæ redderet, anno vno & mensibus 3. post susceptam curam pastoralem, vt mirum fuerit tam breui tempore tam multa præclare gesta, quæ in eius vita narrantur, ab vno modo perfici sed etiam cogitari potuisse.

82. Inter tot illustres Monachos Petrum quoque Abbatem nostrum imprimis dilexisse Leonem IX. & charum habuisse, eiusque Monasterium S. Victoris Massiliense decretis ac beneficiis amplissimis honestasse declarant ipsius Leonis ad eumdem Petrum quæ extant literarum Apostolicarum testimonia, quibus Ecclesiam ipsam S. Victoris cum domibus & officinis Monachis Cassianitis confert, & eumdem Conuentum in ius & protectionem Beatorum Petri & Pauli & Apostolicæ sedis recipit, ipsumque ab omni iurisdictione ac dominio Episcoporum Massiliensium aliorumque Ordinariorum eximit. Concilio Vercellensi contra Berengarij errorem præside Leone Pontifice Petrus interfuit, vt infra vberius exponam cap.28. De Monachis Cassianitis doctrina perillustribus. Munera non pauca quibus rem domesticam auxit à viris principibus accepta recitantur in instrumentis publicis ex Magno Chartario fol.42.

Ego Gotfredus Comes Prouinciæ & vxor mea nomine Stephania & filius meus Bertrannus donamus Domino Deo sanctoque Victori, de Alode nostro duas Pecias de terris in Tripontio, hæ vinea sunt in Comitatu Arelatensi in termino Tripontio, subter Ecclesiam S. Iuliani. Facta hæc donatio anno ab Incarnat. Domini 1055.

Ex eodem. *Ego Gaufredus Marchio siue Comes Prouinciæ & vxor mea Stephania & filius meus Bertrannus donamus & reddimus Domino Deo & S. Mariæ & S. Victoris Martyri terram quæ est in Rubiniano, vnam condaminam videlicet quam dedit auus meus Vuillelmus Marchio siue Comes Prouinciæ & auia mea Adalax Comitissa, cuidam homini Hugoni videlicet Blauie, &c.*

Ibidem. *Ego Petrus (cognomento Saumada) Guillelmi quondam Vicecomitis*

OOo 2

filius ex vxor mea Theucia & filij mei Vvillelmus, Iofredus, & alij duo, qui non sunt regenerati ex aqua & Spiritu Sancto, donamus atque vindicamus aliquid de Alode nostro Domino Deo & S. Andreæ pro remedio animarum nostrarum & est ille Alodis in Comitatu Foroiuliensi in territorio vel castro quod vocitant Ramatuela. Facta hæc donatio anno 1056. Indict. 7.

83. Per idem tempus non pauci è prima Prouinciæ nobilitate à Deo vocati Monasticum habitum suscepere, vitam religiosam in Monasterio S. Victoris sub Isarno ac Petro Abbatibus professi. Præcipui autem fuere inter hos Aycardus, Fulco, & Petrus Germani fratres, Patre Gaufredo Vicecomite Massiliensi, & Raimbaudus cognatione & affinitate iis deuinctus, de quibus hoc scribitur tantis luxisse inter Monachos virtutum exemplis ac vitæ sanctimonia, vt diu non licuerit in occulto latere, quin ex continuis Maiorum suorum honoribus ad sacras Infulas Archiepiscopatus, nempe Raimbaudus & Aycardus Arelatensis, Petrus verò Aquensis, euecti fuerint. De Petro & Fulcone in tabulis hoc habetur.

Ego Gaufredus Vicecomes Massiliensis donationem facio de ipsa parte quam habeo in Castro vel in villa quæ vocatur Sexfurnis, vel in eius tenemento cum consensu & voluntate vxoris meæ Rixendis & filiorum meorum, quorum nomina hæc sunt Guasfredus, Aycardus, & Hugo, Raymundus, Pontius, Fulco, Petrus, omnipotenti Deo & Monasterio Massiliensi, quod est constructum prope ipsam ciuitatem in honorem S. Genitricis Dei Mariæ & S. Victoris, &c. Hæc autem donatio facta est iure hereditario pro duobus filiis meis Fulcone & Petro, quos omnipotenti Domino offero, vt & in professione & habitu Monastico regulariter seruiant in supradicto Cœnobio, &c.

Raimbaudus Archiepiscopus officiis ac muneribus Canonicorum suorum Arelatensium animos sibi conciliaturus facilè induxit Guillelmum Massiliensium Vicecomitem, vt S. Martinum de Palude Maiori, Ecclesiam Virginis & S. Petri Galliculani, & S. Mariæ ædem de Capella cum amplissimis latifundiis in Craudi campo iisdem concederet, modo communiter viuerent regularemque vitam quam iam Raimbaudus instituerat profiterentur. Constat ex Autentico Capituli Arelatensis folio 75.

Ego Guillelmus Vicecomes Massiliensis prospexi molem meorum peccaminum, & prospexi peccata patris mei & matris vt Dominus Iesus Christus mihi & illis dignetur dimittere omnia peccata nostra, mihique & vxori meæ filiisque meis dignetur dare vitam & sanitatem in hoc sæculo, & in futuro sempiterna præmia, Dono Deo & Ecclesiæ sanctæ pretiosissimi Prothomartyris Stephani in qua requiescit Trophimus Apostolus almus, & eius Canonicis in vnum manentibus, in præsentia Domini Raimbaldi præclarissimi Antistitis, aliquid de meis beneficiis quæ iacent in ciuitate Arelatensi in suburbio eiusdem ciuitatis, hoc est Ecclesiam S. Petri de Galignano cum Ferto quæ Rostagnus tenet, &c.

84. Petro extincto sufficitur *Durandus* vita famaque egregius Monachus anno 1061. Alexandro II. Romano Pontifice & Henrico Imperatorum eo nomine IV. qui adhuc puer vix quinquennis regnum auspicatus est, maximoque Christianæ Reipublicæ damno ad duos & quinquaginta

perduxit

perduxit annos: prauis quippe domesticorum consiliis deprauatus sacerdotia ac numera Ecclesiastica Canonicorum, Abbatum, Episcoporum pessimo exemplo venalia habuit, quæ semina ingentium certaminum fuere inter Pontificem Cæsaremque. Sed illis inclusis dumtaxat in Germania & Italia pestibus, hoc liberiores ac solutiores erant clerici Prouinciales nostri, quod integra illis esset ad Ecclesiasticas dignitates eligendi potestas, & hac lege Durandus Monachorum suffragiis designatus Abbas, honoribus ac Reipublicæ muneribus aliquando defunctus senex anno regiminis V. Dominicæ Incarnationis 1065. mortem obiit, quamquam rexisse ad annum vsque 1069. scribitur in libro Magno Chartarum fol. 162. Huic Abbati donatio Monasterij Chiriaci constituta est ab Alberto Mimatensi Episcopo, tum aliæ id genus aliquot ab Abbate Ruthenensi, & ab eius Gentili ac coæuo Deodato de Canilhaco, ex consensu Alexandri Papæ II. ac Roberti Comitis Aruerniæ eiusque vxoris Berthæ Comitissæ anno 1062. vt supra meminimus c.20.n.4. & 5. Alias bonorum accessiones in gratiam Durandi Abbatis factas à Gosfredo Vicecomite Massiliensi describit Chartarium Magnum fol.32. verso.

Ego Gausfredus Accela quondam filius cum vxore mea Richisena & filiis meis, donamus Domino Deo & S. Victori Massiliensis Monasterij, Monachisque eiusdem loci tam præsentibus quam futuris, videlicet Ecclesiam S. Mariæ à Sallo in territorio de Porrerias cum suis altaribus & omnibus pertinentiis suis, &c. *Anno ab Incarnat. Domini 1065. Regnante Henrico Rege. Dominus Gausfredus & Rixendis vxor sua filiique eorum donauerunt & firmauerunt.*

Ibidem fol. 33. *Ego Gosfredus & frater meus Guillelmus iuuenis, & vxores nostræ cum filiis nostris & nepte nostra filia Aycardi fratris nostri*, &c. *donamus Deo & S. Victori Monasterij Massiliensis & sanctæ Mariæ sanctique Cassiani, & Abbatibus atque Monachis præsentibus futuris castrum quod nominant Baidum & alio vocabulo Guandalbertum ab integro, cum omnibus ad se pertinentibus Anno ab Incarnat. Domini 1065. Indict. 2. Epacta 6.*

85. *Bernardus* scientia rerum diuinarum insignis & moribus Durando prædecessori non impar, in officio subrogatus est anno 1066. Ab Alexandro II. Cardinalis Presbyter creatus rexit annos 15. mortuus est anno 1080. ineunte qui toto tempore quo Abbatiam administrauit, multa præclare constituisse dicitur vt infra vberius ac fusius commemorabimus cap. 27. de Cardinalibus Cassianitis. Fama est eodem Abbate illustrissimos Dominos Petrum cognomine Saumada, Guillelmum III. & fratrem eius Gosfredum amplissimis opibus & facultatibus domum S. Victoris extulisse. Porro eumdem Bernardum Abbatem sæpius à Gregorio VII. in diuersas Prouincias legatum fuisse docet Binius Tom. 7. Concilio. in Regesto Gregorij lib. 4. Episto. 23.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Bernardo S. R. E. Diacono, & Bernardo Massiliensi Abbati salutem & Apostolicam benedictionem.

F*Raternitatis vestræ notum esse non ambigimus, quia ideo ab vrbe, confisi de Dei misericordia & adiutorio B. Petri, egressi sumus vt ad Teutonicorum partes compositurі inter eos ad honorem Dei & vtilitatem S. Ecclesiæ pacem, transiremus*, &c. Quibus literis iniungitur vt ab Henrico & Rodulpho Regibus Germaniæ iter tutum petant, vt ad Teutonicorum partes se conferre possit. Quorum alter qui id præstare noluerit excommunicetur & regni gubernaculis interdicatur, qui verò paruerit in regia dignitate confirmetur.

Habes in Registro Epistolarum Gregorij VII. lib. 1. Epistolam 8. ad Monachos Massilienses S. Victoris, qua dolere se ait de obitu eorum Abbaris Bernardi, eorumque Monasterium quemadmodum Cluniacense Apostolicæ sedi vnit, & electionem Richardi Cardinalis ab eis factam confirmat.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis in Christo Massiliensis Congregationis fratribus salutem & Apostolicam benedictionem.

N*On dubitamus fraternitatis vestræ dilectionem mœroris & tristitiæ plenam super venerandi patris sui excessu vehementi dolore constringi. De cuius transitu profecto nemini maius incommodum, quàm nobis aut æque magnum euenisse putamus, qui talem tantumque adiutorem nobis è latere subductum sentimus. Intelleximus siquidem in ipsius prudentia & consilio. Si vita aliquandiu comes maneret, plurimum vtilitatis Deo fauente non solum in Transalpinis verum etiam in Italiæ partibus cum multorum salute S.R.E. peruenturum. Vnde nos quoque tanti culminis onus quod vltra vires est sustinentes, eiusmodi solatio sublato, cùm neminem aut vix paucos suffragatores similes inueniamus, quanto mentis angore teneamur liquido quidem potestis & ipsi percipere. Verùm quia omnipotentis Dei inæstimabilis prouidentia omnia iustè & sapienter disponit. Iudicia eius nimirum recta, & consilia ipsius æquitatis & misericordiæ plena nobis sunt, Fratres, æquanimiter ferenda. Et quoniam memoratus Pater Vester, quod viuendo promeruit obeundo incunctanter est Abrahæ sinu receptus, nos dulci illius memoria à vobis stricti, præcipuè etiam diuino amore monente locum vestrum specialiter diligere? iuuare, & ab omnibus violentiis sicut Romanæ Ecclesiæ specialiter hærentem defendere decreuimus, & quemadmodum Cluniacense Monasterium longo iam tempore sedi Apostolicæ constat esse vnitum, ita quoque vestrum deinceps vt eidem sedi similiter hæreat in perpetuum volumus atque sancimus. Audiuimus*

mus autem quod Charitas vestra filium nostrum & Presbyterum Cardinalem Richardum loco Germani ipsius in Abbatem velit eligere, quam denique electionem nos approbamus & Apostolica authoritate firmamus. In hoc item vobis obnoxij & quasi vinculis geminatis annexi, quod S. R. E. filium Rectorem vobis appetitis. Oportere igitur arbitramur omnium bonorum dispensatorem exorare, quatenus ipsum saluti vestræ ita vigilantem prouisorem efficiat vt is pro salubri cura & talentis multiplicatis æternæ hæreditatis dona percipiat, & præmia beata reportans matrem suam lætificet. Datum Romæ 5. Nonas Nouemb. Indict. 3.

In magno Chartario fol. 23. *Ego Petrus, Saumada cognominatus, Guillelmi Vicecomitis filius peccatis meis facientibus ipsius sæculi laqueis irreptus compulsus necessitate Domino Abbate Bernardo præsente. &c.*

Ex eodem. *Ego Petrus filius Guillelmi Vicecomitis & vxor mea Oddoara & filij mei Guillelmus, & Hugo, & Fulco, & Iratus, & Bertrannus, omnipotenti Domino & S. Mariæ & S. Victori Martyri & Abbati Bernardo & Monachis in Monasterio Massiliensi Domino seruientibus tam præsentibus quam futuris, propter redemptionem animarum nostrarum & parentum nostrorum in villa quæ vocatur Belgentiacus, totum quod ibi ad nos pertinet, &c. Facta donatio ista Calendis Ianua. anno ab Incarnat. Domini 1066.*

Ibid. fol. 14. verso. *Ego Gofredus Vicecomes ciuitatis Massiliæ filiique mei Aycardus ciuitatis Arelatensis Archiepiscopus, Iofredus, Hugo, Raymundus, Pontius, Fulco, Petrus nec non & frater meus Guillelmus cum filiis suis Pontio, Maluerio, Iofredo, Petro Saumada, cum filiis suis Hugone & Guillelmo, iustis Domini promissionibus incitati simul etiam nostrorum peccatorum immunitate tractanda, omnipotenti Deo ac S. Mariæ sanctoque Victori glorioso & præclaro fundatori Cœnobij Massiliensis Cassiano Dominoque Abbati Bernardo siue etiam Abbatibus & Monachis præsentibus atque futuris summo Deo famulantibus donationem facimus de aquæductu quæ vocatur Vvelnæ cum omnibus fontibus in eadem aqua descendentibus, omnemque scilicet terram per quam itura est ex apprehensione ipsius aquæ quæ est ad Ecclesiam S. Melne & omnem piscationem ipsius aquæ sine vllius hominis interpellatione vsque ad descensum eius in mare, hoc summopere firmantes & statuentes, vt nulla quælibet persona masculus aut fœmina eam deuiare aut retorquere præsumat, aut molendinos vel quælibet alia artificia & instrumenta in eadem vel de eadem aqua ad impediendum vel retardandum eius cursum construere vel facere præsumat. Sed sicut Dominus noster Iesus Christus de nihilo eam confirmauit, & ex profundo abyssi ad vtilitatem hominum manare iussit, ita recte cursu per intercessionem & merita Sanctorum inibi quiescentium & emendationem vel ablationem inibi Deo seruientium Monachorum, ipso donante & operante perueniat. Acta hæc donatio in solemnitate S. Victoris in cœtu omnium hominum illic astantium Episcoporum, Presbyterorum, Abbatum, Monachorum ex diuersis Prouinciis Congregatorum ad altare S. Petri Principis Apostolorum, in hoc ardentius & instantius laborante & insudante Reinaudo præposito eiusdem Cœnobij Patre, id fieri clamantibus, assentientibus Clericis & Laicis in præsentia Archiepiscopi sanctæ Ecclesiæ Arelatensis, ad perfectum*

perfectum peruenire optantibus & exorantibus omnibus. Si quis vero hanc donationem irrumpere tentauerit, Dei omnipotentis sanctorumque omnium iram incurrat, damnatus etiam in perpetuum maneat atque à regno Dei alienus existat, soluens in præsenti decem libras argenti donatione hac inconcussa manente, tempore hoc & omni. Ego Iofredus & filij mei hanc donationem scribere feci, & hanc testes firmare rogaui. Facta donatio hac anno Incarnat. Domini 1079. Epacta 15. & concurrente primo circulo Luna 14. regnante Domino N. Iesu Christo Gaufredo & Fulcone.

Ibidem. *Ego Raimundus filius Gofredi Vicecomitis Massiliæ dono Domino Deo & S. Mariæ & S. Victori Martyri & Monasterio Massiliensi aliquid de Alode meo*, &c. *Videlicet Ecclesiam S. Victoris quæ est in Castello quod dicitur Porcilis, & omnes Ecclesias quæ sunt in territorio eiusdem castelli supradicti, scilicet Ecclesiam S. Martini & aliam Ecclesiam S. Saluatoris, aliam quoque S. Perpetuæ cum sponsalitiis suis & omnibus rebus ad easdem Ecclesias pertinentibus*, &c.

Ibidem fol. 128. *Ego Vuillelmus cognomento Iuuenis & vxor mea nomine Adalgarda & filij mei Fulco, Gausfredus, Pontius, Aycardus, donamus & reddimus Domino Deo & S. Victori Martyri Massiliensi & Monachis tam præsentibus quam futuris quartam partem Villulæ quæ vocatur Burnis*, &c. *Facta hac anno Incarnat. Domini 1067.*

Hac fere ætate, qua Henricus Imperator à Romano Pontifice dissidio pene perpetuo disiunctus est quod Episcopos & Abbates partim pretio partim priuata authoritate constitueret, quam inuestituram appellant vulgo, Aycardus viuente adhuc Raimbaudo, Archiepiscopus Arelatensis ex Monacho S. Victoris designatus anno 1063. ac tandem renuntiatus, partium nihilominus Henrici Imperatoris fautor acerrimus & defensor ab Alexandro II. excommunicatione percussus est, quod fulmen contra ipsum renouauit Gregorius VII. & Arelatenses literis hortatus est vt consilio Hugonis Diensis Episcopi & sedis Apostolicæ Legati, aut Leodegarij Vapincensis Episcopi eligerent Archipræsulem, ad quem ipse pallium mitteret. Sed cùm speraret Aycardus se posse Pontificum minas magnamque iudicij expectationem ad suum arbitrium libidinemque eludere, ideoque officium ac numus Episcopale non intermitteret, Concilium Romæ indixit Gregorius in quo sententiam depositionis Archiepiscoporum Arelatensis & Narbonensis atque excommunicationis, per Legatos sedis Apostolicæ promulgatam his qui aderant collaudantibus firmauit.

86. *Hugonem* quoque in hoc ordine ac numero insignia sumpsisse regiminis tradit eiusdem M. S. autor qui liber paruus Bullarum inscribitur fol. 52. Hunc anno 1080. præfecturam iniisse paucos verò menses gessisse ex serie Chronologiæ coniicimus. Obiit eodem anno 1080. Neque de eo quicquam præterea reperi. Porro Massiliæ Guillelmus II. Vicecomes, *Grossus* vulgo appellatus, tanta cum laude prudentiæ ac moderationis regnauit, vt illo imperante circumflueret & abundaret res publica, omnibus bonis. Decessit anno 1047. filiorum octo numero duobus duntaxat

duntaxat Vvillelmo & Gofredo hæredibus ex asse relictis, nam Pontius vacabat à publico officio, & muneribus fungebatur Episcopi Massiliensis, Stephanus Bertrannus & Fulco iam è vita morte præiuerant patri, Aycardo vnica filia numerabatur superstes. Petrus natu minor cognomento *Saumada* ex Oddoara dicta etiam Theucia vxore peperit filios omnino quinque, Guillelmum Amielum, Hugonem Dupuiart, Fulconem, Gaufredum Iram, & Bertrannum. Primus in matrimonio habuit sed sterili, Sarsinam virginem clarissimo patre, auis, maioribus natam, Hugoni ex Garcina soboles extitere Petrus, Gaufredus, & Fulco, Iræ vero Aiglina matre natus filius vnicus Guillelmus. Duo alij cœlibes siue steriles in matrimonio vixerunt. Regnum igitur in Vicecomitatu administrando auspicati fratres Vvillelmus & Gaufredus omnibus in rebus fœlices æque ac pij, magno Christiani rei præsidio fuerunt decorique. Vvillelmus ex Adalgarda vxore Guillelmum, Fulconem, Gaufredum, Pontium, Malnerium, Aicardum suscepit, quorum vni dunxatat Pontio ex vxore Salome cognomento Burgundia, nati filij Guillelmus & Fulco parenti vtrique prædecesserunt. Quare Guillelmi familiam deficiente generis ac feminis stirpe legitima hæreditatis vniuersæ ius in Gaufredi ditionem potestatemque recidit. Ex ducta in matrimonium Rixende iam liberos susceperat, Gaufredum, quem immatura mors vix puberem sustulit, Aicardum, Hugonem, Raymundum, Pontium, Fulconem, & Petrum. De Aicardo, Fulcone, ac Petro, quemadmodum religiosam iam vitam in Monasterio S. Victoris amplexi, post aliquot annos ibi sancte exactos Aicardus ad Arelatẽsem Archiepiscopatum, Petrus ad Aquensem assumpti fuerint liquido constat ex dictis. Raymundus. Pontio auunculo in Episcopatu Massiliensi successit. Reliqui duo à Patre dicti hæredes ac Vicecomites renuntiati, Massiliensibus terra marique imperarunt. Obiit Guillelmus III. Hugone nostro Abbate, anno 1080. Gaufredus anno 1090.

87. Post Hugonem paucis tantum interiectis diebus *Richardus* natione Gallus Bernardi supradicti Abbatis & Cardinalis frater Germanus ex eodem item Cœnobio Massiliensi electus est anno exeunte 1080. qui primum Narbonensis Archiepiscopus tum Presbyter Cardinalis ab Alexandro II. creatus est, ac demum à Gregorio VII. Abbas Massiliensis ordinatus, eius nomine legationem Hispaniensem obiuit, cuius dum vixit partes constanter sequutus est. Præfuit septem supra viginti circiter annis, ac viuere desiit anno 1109. De eius electione scribit ad ipsum Gregorius VII. in Registro lib. 7. Epist. 7. qua constituit eum Abbatem à fratribus postulatum, hortaturque ad onus fideliter recipiendum.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Richardo Cardinali in Legatione Hispaniæ constituto salutem & Apostolicam benedictionem.

VNanimitas fratrum Massiliensium in literis suis sanctæ memoriæ fratris tui memorans obitum nouo me dolore sauciauit, petens insuper contemplatione amoris Sancti fratris tui, téque velut ipsum alterum futurum sperans, vti sibi te concederem in Abbatem quod & feci volo ergo vt fratres tuos nullo modo pertinaciter resistenda contristes, sed voluntati Dei & Sanctorum fratrum facilè acquiescas. Volumus etiam atque monemus vt in quantum potes, spes tantorum fratrum de te vana non fiat, sed Spiritum Sanctum fratris tui viriliter induas, sæcularia ac iuuenilia desideria vt mortem fugias, sanctæ regulæ medullitus te astringas, ne occasione tua iuuentutis Monasterium Sanctum, quod auertat Deus, patiatur aliquod detrimentum religionis. Notum autem tibi facio quia desiderium mihi est Monasterium S. Pauli Apostoli & Monasterium Massiliense tanta charitatis vnione constringere, vt & illud semper pro amore Beatissimi Pauli ex Apostolica authoritate succrescat, beatissimi Pauli Monasterium ad Sanctam religionem ex illius Monasterij religione proficiat. Postquam autem, Deo authore, Monasteria tua bene composueris, legationem tibi commissam ad Hispanias perficere non moreris. Data Romæ 4. Nonas Nouem. Ind. 3.

Alteram quoque dedit ad eumdem Cardinalem num. 6. libri 9. qua ipsi Monasteriorum Montis Maioris in Diœcesi Arelatensi, & S. Mariæ De Crassâ in Archiepiscopatu Narbonensi quæ sub Romanæ Ecclesiæ tutela sunt, curam committit. Postremum scribit ad eumdem lib. 9. Epist. 29. vt moneat quosdam qui Canoniam S. Saturnini Apostolicæ sedis patrocinio commissam infestabant, desistere, & quæ contra illam egerant emendare, nisi pareant vult audaciam eorum compescat, & dictæ Canoniæ curam habeat.

Sed de hoc alias vbi commodior erit locus, sequenti capite citato, *De Cardinalibus.* Paucas ex innumeris fundorum largitionibus ab Abbate Richardo, Illustrissimorum Principum ac Præsulum liberalitate acceptis carpere ac delibare sat erit, ne importunè videar insistere multitudini. Mitto quæ olim scripta superiori capite 20. & 18. num. 33. de Bullis Apostolicis, prima Gregorij VII. *Dilecto in Christo fratri Richardo S. R. E. Cardinali & Abbati Massiliensi, suisque successoribus*, &c. data Romæ 14. Calend. Maij anno Incarnat. Dominicæ 1080. Pontificatus VIII. Altera Vrbani II. ad eundem data Romæ 10. Calend. Martij anno 1088. Pontificatus anno 1. Postrema Placentiæ, pridie Nonas Aprilis anno 1096. Pontificatus VIII. quibus Richardo Abbati eiusque successoribus cura committitur destructa quædam Monasteria innouandi & ad pristinum virtutis ac sanctimoniæ statum, collapsa restituendis *vt in eis*, inquit, Pontifex *quæ amputanda sint amputetis, quæque corrigenda corrigatis, & quæ illic de disciplina tenore defuerint vestra vigilantia & labore confirmentur.*

Qua

Qua causa similiter Alphonsus Castellæ Rex, annuente vxore eius Constantia & Bernardo Archiepiscopo Toletano, Monasterium S. Seruandi Toletanæ Diœcesis Richardo Abbati eiusque Monasterio Massiliensi ea conditione subiecit, qua ipse Abbas pendendi Ecclesiæ S. Petri aureos decem in censum annuum fidem suam obligaret. Raymundus S. Ægidij Comes suasionibus Guillelmi Aruerniæ Comitis, & Bertrandi Biterrensis & Aicardi Massiliensis, partem dominij alteram in frequentissimum oppidum *Gibeletum* nomine Beritæ & Tripolis finibus coniunctum & continens, eidem Richardo dedit anno 1103. Guillelmus Sardiniæ Comes Monasterium S. Michaelis de Coxano Diœcesis Elnensis in Comitatu Rossilionensi; Pontius Episcopus Ruthenensis Monasterium SS. Petri & Pauli, tum aliud S. Amandi; Bernardus Comes Bisuldinensis Monaster. a Dominæ nostræ De Riuo populo, & S. Petri, ad S. Stephani de Balneolis Diœcesis Gerundensis: Constantinus Rex ac iudex Calaritanus Prioratus & sacella quamplurima Insulæ Sardiniæ; Attaudus Comes Balearium eiusque vxor Heilsonsis Comitissa Monasteria omnia quæ suæ ditionis essent in Comitatu Vrgelitano; Centulus eius nominis IV. Bigerronum Comes cum vxore Beatrice, consilio Dodonis Episcopi, Abbatiam S. Sauini de Ledonano Pyrenem propter anno 1087. Otto inferioris Aruerniæ Vicecomes eiusque coniux Adella Richardo census amplissimos & prædia testamento legauit, quibus noui Monasterij sedem & fundamentum, Ordinis sui religiosis constitueret. Odilo S. Ægidij Abbas ex Capituli conspiratione consensuque, de censibus suis certum ac proprium domicilium in oppido S. Ægidij Monachis S. Victoris Massiliensibus assignauit, quo in Occitaniam cæterasque remotiores Prouincias peregrinaturi ex itinere diuerterent. Plura in magno Chartario vbi viri principes Massilienses laudantur bene de Richardo Abbate olim sentientes, ac bene meriti aut merentes, fol. 37.

Nos Vvillelmus Amelij, & Hugo de Podio Arci, atque Gaufredus Iras fratres, filij Petri Saumada audientes aut recognoscentes quod auus noster dedit Monachis Massiliensibus de Monasterio S. Victoris Martyris ad Alodium quidquid in honore suo acquirere possent, ab iis etiam qui ad fœnus per manum illius suam terram tenebant, quam donationem nos infringere nolumus. Damus quoque Domino Deo & B. eius Genitrici Mariæ necnon S. Victori Martyri atque venerabili Richardo Abbati eiusdem Monasterij simulque Monachis, quidquid in honore nostro in terminis videlicet Massiliæ, & in terminis Castri de S. Marcello quidquid adquisierant vel in infinitum adquirere poterunt. Accipimus autem ab eis in pretium centum solidos Melgoriensis Monetæ. Si verò frater noster Fulco & Bertrannus redierint, sub fidei attestatione pollicemur vt illam eos donationem laudare & confirmare faciamus, &c. Facta hæc charta 18. *Calend. Septemb. anno Domini* 1097. *Ego Vvillelmus Amelij & vxor mea Sarazina donamus & confirmamus. Ego Hugo de Podio Arci & vxor mea Garcina & filij mei Petrus, & Gaufredus, & Fulco donamus & confirmamus. Ego Gaufredus Iras firmo & vxor mea Aiglina, & filij mei donant & firmant.*

Ibidem fol. 56. *Ego Pontius Malnerius & uxor mea Salome. Simulque filij nostri Guillelmus & Fulco, &c. Guirpimus atque donamus Domino Deo & S. Dei genitrici Mariæ necnon S. Victori Martyri & Domno Richardo Abbati Monasterij Massiliensis atque successoribus eius & Monachis ibidem Deo seruientibus tam præsentibus quam futuris, quidquid in honore nostro & ditione prædicti Cœnobij Abbates & Monachi quoquomodo à quibuscumque personis vbi adquisierint vel in futurum similiter adquirere poterunt propter sola capita castrorum nostrorum, sed & castra Olerias & Bulcodenos cum omnibus eis ex integro pertinentibus libere adquirere dimittimus. Et si aliquid nobis tam in iis quam in aliis iure competebat. Nihil nobis retinentes omnino Deo in iam dicto Monasterio condonamus, &c. Actum hoc est anno ab Incarnat. Domini 1094. Signum Pontij Malnerij & vxoris suæ Salome. Signum filiorum Pontij, Villelmi, & Fulconis, qui laudant & confirmant. Signum Raymundi Episcopi Massiliensis.*

Ego Petrus Gaufredi Aquensium Archiepiscopus & Monasterij Massiliensis B. Mariæ Sanctique Victoris Martyris licet peccator Monachus Seruus & filius dono ipsi Monasterio Ecclesias Parochiales S. scilicet Iacobi de Sparrono & S. Fidis de Artigna, &c.

88. Vacauit deinceps Abbatia per tres Annos neque mihi liquido constat vtrum casu magis & fœlicitate ab aliquo, quàm virtute & consilio gestum sit, vt extincto Cardinali Richardo in successore deligendo Patrum concordia scissa sit. Placuit tamen in tanto temporis interuallo ne qua dignitatis iactura fieret, curam regiminis partiri, ac duobus designatis Præfectis, Bonnassino & Ottoni deferre Monachis præstantibus virtutis & sapientiæ gloria, qui temporarium ius constituerent quo omnes vterentur.

Inter hæc ab Vrbano II. apud Clarummontem Aruerniæ oppidum celebrata Synodus est anno 1095. mense Nouemb. Indict. 5. in qua Pontifex ad sacram in Palæstinam expeditionem Christianos hortatus est, Petri Eremitæ Galli qui Hierosolymis vrgendæ rei causa venerat oratione commotus. Militiæ insigne, crux purpurea dextro humero assuta, ex quo Cruciatæ nomen factum, eoque veluti Classico excitus Occidens variis locis ac temporibus collectos ad eam militiam fudit exercitus. Principes expeditionis fuere ex Gallia Gothofredus è Lotharinga gente Dux Bullionis cum duobus fratribus Eustachio & Balduino. Hugo Magnus Philippi Franci Regis frater, Robertus Normanniæ Dux idemque frater Regis Angli, & alij complures. Ex Prouincia Massilienses magno numero Duce Hugone Gaufredi, Vicecomite generoso ac potenti de quo ista loquuntur annales in Magno Chartario S. Victoris, fol. 104. verso.

Quoniam religionis seu peregrinationis iter aggredi nullatenus expedit, nisi primum quis male quæsitis & illicitè detentis renuntiauerit. Idcirco notum sit hominibus præsentibus & futuris quod ego Hugo Gaufredi & vxor mea Dulcelina, vt diuina miserante gratia nostrorum mereamur consequi veniam peccatorum Hierosolymam ituri, Massiliensis Monasterij

Monasterij Capitulum cum quibusdam militibus nostris & amicis intrauimus, & terriam partem de Sexfurnis quam .... dispositione paterna euntes peccatis nostris exigentibus per aliquantulum temporis iniustè detinueramus, Domino Deo & S. Mariæ & S. Victori Martyri & Monachis ibi Deo seruientibus præsentibus & futuris sine retentione aliqua reddimus, cum suis pertinentiis omnibus, quam videlicet tertiam partem prænominati castri seu villæ Gaufredus pater meus cum duobus filiis suis Fulcone & Petro, pro salute animæ suæ eidem venerabili loco iam prædicto donauerat. Huic itaque paternæ dispositioni sicut prædiximus vlterius contra ire nolentes iam dicti castelli portionem integram restituimus, &c. Anno ab Incarnat. Domini 1110. Indict. 3.

Ex Archiuiis Massiliæ. Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Guido per Dei gratiam in sancta ciuitate Hierusalem Rex Latinorum VIII. & Domina Sibilla vxor mea per eamdem venerabilem reginam attendentes fidelitatem & seruitium quod nobis & toti Christianitati in obsidione Acconensi, tam in personis quam in rebus vestris exhibuistis vos Bertrandus Sarda, Anselmus de Marsilia, & Stephanus Ioannis, Raymundus de Pousquieres, Raymondus de Saona, Hugo Ferri nepos Ancelmi, & Petrus Anuda, & Giraudus Adroel, Gautelmus Anglicus, & Vvillelmus Beroaldi, Giraldus Cacci, & Bertrandus Caminali, & Vvillelmus de Pousquieres, & Pontius de Reuest, Berengerius & Fulco Rostagni, & Bertrandus Anuda ciues Marsiliæ, damus & concedimus vobis & per vos vniuersis hominibus Marsiliæ & iis qui infra vnam leugam circumquaque cōmorantur vel commorabuntur, libertatem intrandi tam per mare quam per terram cum vniuersis rebus vestris in Accon & vniuersis locis regni nostri, quæ proprij nostri iuris sunt, sicut vt per hæc omnia loca liceat vobis libere intrare & exire, commorari, & negotiari cum magnis nauibus & lignis paruis de riberia, per mare & per terram, cum vniuersis rebus vestris sine vlla directura & tertiaria vel anchoragio & absque omni exactione, pro vt quod de centum Bisannis vnum, cùm de Pelago veneritis, de rebus vestris venditis persolutis, nec vendere res vestras aliqua persona vos cogere possit. Si autem aliqua persona in aliqua nauium vestrarum fuerit, quæ diructa dare teneatur, cùm directuram dare voluerit à nostris in mora incongrua recipietur. Porro si frumentum vel aliud de terra extrahere aliquatenus fuerit interdictum, si dono aliquis extraxerit vobis similiter extraherere liceat libere vniuersis. Habeatis etiam potestatem naues vestras faciendi & recipiendi, destruendi, & conducendi quibus vobis placuerit, sine omni terciaria in omnibus locis supradictis. Damus vobis etiam curiam in Accon & vt Vicecomites & Consules de hominibus vestræ gentis habeatis, ita quod si aliquis extraneus contra quemlibet de vestris querelam mouerit, ante Vicecomites vestros debeat deuenire & ibidem iudicium recipere, excepto furto, homicidio, tradimento, & falsamento monetæ, violatione mulierum (quod rapt vulgariter dicitur) quæ omnia curiæ nostræ reseruamus. Vicecomes autem quem vobis ibidem ordinare placuerit Sacramentum

fidelitatis nobis faciet, & iurabit quod secundum terræ consuetudinem curiæ vestræ causas iudicabit & discernet. Porro si hominibus Mōtis pessulani vel S. Ægidij nos maiorem libertatem dedisse contigit, concedimus vt eadem gaudeatis libertate. Hanc autem libertatis concessionem concedimus vobis omnibus & vniuersis successoribus vestris in perpetuum, excipimus tamen à libertate ista Arnaldum Salomon & hæredes suos & res eorum, vt in nullo illorum priuilegium istud proficiat, nec per illud ab aliqua directura possit se tueri, vt autem huius nostræ donationis & concessionis authoritas vobis rata permaneat, præsentem paginam testibus supra scriptis manu & sigillo nostro fecimus corroborari. Huius rei testes sunt Comes Iicelinus Regius Seneschalus, Aimericus Regius Conestabularius, Vgo Thibaudus, Gaufridus Tortus, Galganus de Seneche, Ancelmius Bellus, Raimundus Babinus. Factum est anno ab Incarnat. Domini 1190. Indict. 8. Datum in obsidione Acconi.

Ex iisdem proferuntur literæ Pontificiæ quibus in eodem bello Massiliensium fortitudinem & magnanimitatem commendat & laudibus extollit Gregorius VII.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi & Antipolitano & Tolonensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CVm dilectos filios vniuersos cruce signatos & cruce signandos Massilienses, cum familiis nauibus & aliis bonis eorum sub B. Petri & nostra protectione susceperimus speciali, statuentes vt postquam in primo generali passagio iter arripuerint transmarinum, ea omnia donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta. Fraternitati vestræ per Apostolica scripta nudamus, quatenus non permittatis eosdem contra protectionis & constitutionis nostræ tenorem ab aliquibus molestari, molestatores eorum indebitos, si qui fuerint, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, quod si non omnis iis exequendis potueritis interesse duo vestrum eam nihilominus exequantur. Datum in Lateranensi 3. Idus Ianuarij. Pontificatus an. 1.

Per idem tempus Ordo Carthusianorum initium sumpsit authoribus Hugone Gratianopolitano Episcopo & Brunone Coloniæ Agrippinensis siue Scholarum magistro, qui Bruno, cùm Doctoris cuiusdam mortui vox audita esset (*Iusto Dei iudicio damnatus sum*) ab ordine Benedictino Cartusianorum vitam produxit Biennio post anno nempe 1098. ortum habuit Cistertiensis ordo, vt Sigebertus est autor, à S. Roberto Molismēsi Abbate cœptus, qui cùm in Molismensi Abbatia subditos suos præ diuitiis & copia à primæuo instituto degenerare animaduerteret, cōsilio cum aliquot ex perfectioribus communicato, Cabillonem se contulit præcipuam eo tempore

tempore Burgundiæ vrbem. Hic in solitario quodam loco cui Cistertium nomen erat, domicilium fixit idque ideo Cistertiense appellatum.

SÆCVLVM VIII.

Annus Christi 1120. *A Conditu Monasterij 700.*

89. TRiennio Duumuiratus exacto non multo post id est 1113. *Otto* natione Italus claro loco natus & stirpe ortus, vt aiunt, Galliæ Regum antiquissima potentissimaque, ex Monacho similiter factus Abbas rexit annos quinque. Ad ea quæ ab ipso quæsita fuerant respondet Paschalis II. & vniuersa priuilegia Monasterio S. Victoris Massiliensi à prædecessoribus suis concessa, recenti atque honorifico diplomate confirmat, inscriptionis anno 1114. Pontificatus anno 4. Donationem quoque Monasterij S. Petri Diœcesis Ruthenensis à Richardo Ruthenensi Comite iteratam impetrauit, quam olim patruus eius Bernardus & Hugo ac Raimundus Vicecomites testamento legauerant. Denique anno 1117. in Episcopatum Ianuensem assumptus ea præclara facta, eamque virtutem & pietatem quam in Cœnobio imbuerat, deinde in Pontificio munere cum dignitate præstitit, quibus in operibus aliquot annos versatus ad cœlestia præmia euolauit.

Clareuallense Cœnobium eo sedente constitutum est, cuius primus Abbas fuit S. Bernardus anno 1115. Præmonstratensis ordo cœpit anno 1120. authore S. Norberto. Floruit eodem tempore Hugo à S. Victore & cognominis alter Gratianopolitanus Episcopus, qui anno 1132. moritur vir sanctissimus.

A Gaufrido Vicecomite Massiliæ scripti hæredes filij gemini, Hugo Gaufredi ac Pontius II. cognomine *De Peinier* quorum hic natu minor ex Guerreiada vxore Aicardum & Gaufredum filios habuit. Aicardus ad sacram illam Christianorum in Palæstinam expeditionem Raimundo Comitis S. Ægidij omnium itinerum, nauigationum, periculorumque, militiæ socium se adiunxit, ac eiusdem Raimundi testamento subscripsisse memorant historiæ in membranis capitularibus Ecclesiæ Arelatensis num. 1. sub verbo *De Argentia.*

Testamentum Raimundi Comitis S. Ægidij.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Quoniam multis & manifestis sacri eloquij testimoniis Christiana religio salubriter edocetur, nullius temporis angustia, nulla quorumlibet criminum immensitas vere pœnitentibus veniam denegat. Idcirco Ego Raimundus S. Ægidij Comes fragilis & multipliciter reus peccator de ineffabili misericordissimi Dei benignitate confisus in ipso mortis meæ articulo, vtiliter & vt docet Christianum consultus de multis, quæ ipse ego contra S. Ecclesiam Arelatensem inique egi & à meis quoque progenitoribus inique acta vsque in hodiernum iniuste concessi, pœnitentia ductus hac

hæc pauca pro redemptione animæ meæ emendare studeo. Igitur in terra, quæ Rhodano contermina (Argentia vocatur) quam totam proprij iuris prædictæ Ecclesiæ esse cognosco, & manifestè confiteor contra hoc quod necesse esset nimia adhuc carnalitate detentus, filiis meis maiorem portionem, sub spe tamen emendandi, atque S. Trophimo atque S. Stephano ius suum id est totam ipsam Argentiam in integrum restituendi relinquo. Ad præsens autem pro remedio animæ meæ hanc portiunculam Arelatensi ipsi Ecclesiæ atque venerando eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopo Gibelino & successoribus eius & Clero restituendo, absque omni calumnia concedo, scilicet villam quæ vocatur Furcæ cum omnibus his suis appenditiis, videlicet de Rhodano & paludibus, de vineis, & arboribus tam fructiferis quam non fructiferis, de terris tam cultis quam incultis, De portu Rodanet, & de pascuis, & de omnibus terrarum redditibus, & etiam omnes decimas & omnes Ecclesias totius Argentiæ ei reddo. Præterea libere reddo & concedo eidem Ecclesiæ in Castellis Albarone & Fos quartam partem eorum, quam à maioribus meis iniustè possessam ego quoque post illos mea culpa possedi. In Arelatensi quoque ciuitate dono eidem Ecclesiæ meam quartam partem de pascuis, & Lesdis, & Montationibus, precor denique Bertrannum & omnes successores & homines & amicos meos vt, si forte debiti vel cuiuslibet occasionis impedimentum in prædictis honoribus factum est, pro amore Dei & pro remedio animæ meæ & pro recordatione beneficiorum quæ erga eos aliquando exhibui illud exsoluant, & ad vsus S. Arelatensis Ecclesiæ illud restituant, & amodo inde ei veri amici & fideles adiutores & firmissimi defensores in perpetuum existant. Si quis verò mortalium huius mei constitutionem cassare vel infirmare tentauerit, districti iudicis Dei ineuitabilem iram incurrens æternis gehennæ incendiis perpetuo plectatur, & tanquam sacrilegus parricida omni honore meo indignus habeatur. Hoc testamentum factum est apud Montem peregrinum in Syria, regnante Domino nostro Iesu Christo, Domino Paschali Papa S. R. Ecclesiæ præsidente, anno Incarnat. Dominicæ 1105. Indict. 13. die vltima mensis Ianua. feria 3. videntibus & præsentibus honestis personis Clericis & Laicis, videlicet Aymino Tolonen. Ecclesiæ Episcopo, Aycardo de Massilia, Raymundo de Balthio, Decano de Poscheriis, Bertranno Porceleto, Vvillelmo Arnei, Pontio de Fos, Rostagno de Port, Gaufredo de Penis, & multis aliis quos dinumerare longum est. Geruila Comitissa firmauit, Adelphonsus filius eius fir. Pontius de Brosio scripsit.

Fratrum altero Gaufrido patre natus est Pontius eius nominis 3. à pago Fossensi in quo sedem & domicilium fixerat *Pontius de Fos* cognominatus. Is habuit ex matrimonio liberos quatuor Gaufredum Irat, Gui Carmelenc, Guillelmum De la Garde, & Pontium De Fos, qui quasi vasarij nomine in venditione patrimonij oppidum Yeram, Brecançonum, aliasque id genus ditiones Massiliensi ciuitati adscripserunt. Paschalis II. communionem sacrorum supradicto Pontio II. interdixit, donec agrorum possessionibus, quas Monasterio S. Victoris fraude ac dolo subripuerat, in integrum restitutis ab Episcopo Massiliensi Raimundo Paschalis Pontificis indulgentia reconciliatus est.

Ex

Ex Archiuis Ecclesiæ Massiliensis. *Dominus Pontius de Podio Nigro Vicecomes Massiliæ & vxor eius Guerreiada à Bertrando Episcopo Massiliensi vinculo Anathematis secundum sententiam Domini Papæ .... pro se ac filiis Aycardo & Gaufrido*, &c. *Anno ab Incarnat. Domini* 1121.

Hoc tempore Gibelinum Monachum S. Victoris ad Archiepiscopatus Arelatensis infulas assumptum ac postmodum inter cruce signatos vocatum in Orientem, Vrbani Papæ II. tum Paschalis II. legatum renuntiatum fuisse dicemus infra cap.27. De Episcopis, qui ex ordine S.Cassiani prodierunt.

90. Anno 1117. *Rodulphus* curationem & administrationem Monasterij auspicatus, quam magno Reipublicæ emolumento ad sex primùm produxit annos in priuato Monachorum suorum conuictu, postea factus Archiepiscopus Arelatensis, Attonis proximus successor plures fortè alios æque atque vitam prorogauit. Quamquam in Indice vulgari Archiepiscoporum vel expungitur omnino, vel omittitur scriptorum incuria dixerim vel potius ignorantia. De eo scribit ac de rebus Monasterij luculenter tractat in diplomate Calixtus II. quem instante Rodulpho ad Archiepiscopos Arelatensem simul & Ebredunensem rescripsisse ferunt ac præscripsisse vt suprema Ecclesiæ authoritate ac potestate, quam ipsis delegaret, Monasterio S. Victoris bonorum possessionem, quæ iam olim à 30. annis possessa habuissent, contra maleuolorum & obtrectatorum occultos insultus vindicarent ac tuerentur: eos verò qui ad forum prouocarent, & iniuriæ intenderent litem, audirent pro tribunali, & æqui bonique consulentes ius suum cuique redderent. Chiriaco Monasterio Ordinis S. Cassiani in Diœcesi Miniatensi Rodulphi Generalis Abbatis suasionibus ea omnia priuilegia, quibus nunc fruitur, idem Calixtus indulsit anno 1123. quo similiter anno Adelbertus Senescensis Episcopus ea bona quæ in sua Diœcesi Monasterium S. Victoris data olim acceperat, publicis tabulis confirmare & rata habere voluit. Hoc insuper Abbate facta est concordia inter Monasterium & Episcopalis Ecclesiæ Capitulum Massiliense, vt notatur in libro paruo Chartarum fol. 100. Sedebat tunc Massiliæ Raimondus Episcopus eius nominis II. Hic suauis videri maluit, quàm grauis, & suauitate ea qua persuaderet animos non qua perfringeret, pacemque vel iniustam vtiliorem quam iustissimum bellum in ciuibus præsertim clericis aut Monachis esse ducebat. Arbitri & iudices controuersiæ designati fuerunt Atto Archiepiscopus Arelatensis & Richardus Narbonensis, quos in Autentico transactionis instrumento inter primarios testes subscriptos reperies.

Quod ad Prouinciæ Comites spectat Vuillelmo II. cuius memini supra, numero proximo 76. successit in Comitatu Odo eius filius anno 1039. obiitque anno 1090. relicto filio & hærede Gilberto, qui Tiburgiam filiam Comitis Ruthenensis & Giualdensis matrimonio sibi iunxit, ex qua duas suscepit filias, Phaitidem quam Idelphonso Tolosano Comiti dedit in matrimonium, & Dulciam quam Raimundus Berengarius Comes Barcinonensis vxorem habuit, à qua salutis anno 1112. Comitis

Prouinciæ nomen & dignitatem accepit. Hæ vero vnà cum viris anno salutis 1125. Comitatum Prouinciæ familiæ hercifcundæ arbitrio, tunc longius latiusque quam nunc diffusum diuiserunt, hunc enim Isara, Rhodanus, Mare Mediterraneum, & Alpes naturali interiectu interpositúque, à vicinis populis disterminabant. Qua ex diuisione Phaitidi & Comiti Tolosano coniugibus obuenerunt hi Comitatus, & quidquid Druentia, Rhodano & Alpium iugis interclusum est, vnà cum Bellicadro, solo Argenteo, Vallebergensi, & media parte Ciuitatis Auenionensis, Caluimontis, Tauri & Pontis Sorgiæ. Altera verò pars Auenionis, Caluimontis, Tauri, & Pontis Sorgiæ cum altera parte Prouinciæ quæ Mari Mediterraneo, Alpibus, Druentia, & Rhodano fluminibus clauditur, quæ *Marchia* etiam appellatur Dulciæ & Raimondo Comiti coniugibus contigit. Porro hic vltimus Comes Prouinciæ Gilbertus ex Illustrissima Burgundiæ Regum familia regnauit. Dulciæ igitur Raimondi vxoris nomine Prouincia regebatur, sed honorem, dignitatem, & nomen Comitis Prouinciæ anno 1112. Marito sponte cessit. Ex ea tres suscepit liberos masculos, Raimundum primogenitum, cui nupsit Petronilla Regis Aragonum filia, quæ Patri successit in regno, & cui Raimundo Pater testamento Barcinoniæ Comitatum donauit; Gilbertum secundo genitum cui patentes Comitatum Prouinciæ reliquerunt, his conditionibus vt si decederet sine liberis masculis Comitatus ad Berengarium filium tertio genitum & suos masculos perueniret, masculisque deficientibus Raimundum substituit.

91. *Gancelinus* Abbas vir haud vulgari doctrina parique morum integritate, post Rudolphum decessit eodem quo excepit anno 1125.

92. *Petrus* huius nominis II. Cognomento *Salomonis* iniit anno 1126. commodis moribus ac prompto in pietatem animo, qui singularem honorem sententiis ac suffragiis Innocentij II. adeptus est, datis ad ipsum literis, Pisæ anno 1136. Pontificatus VII. quibus priuilegia ab antecessoribus suis Monasterio S. Victoris generaliter ac specialiter concessa, statutaque omnia iura, quibus bona aliqua vbique terrarum possessa haberent Cassianitæ, confirmat & perficit. Ecclesiæ Arelatenses SS. Genesij & Honorati de Aliscampis ab Archiepiscopis Raimbaudo & Gibelino iisdem Monachis concessæ, ne in alienam ditionem distraherentur, cauerat quidem Innocentius, ad quem tamen appellatione indicta anno 1141. Guillelmus I. Archiepiscopus Arelatensis tanquam Apostolicæ sedis Legatus eos expulisse dicitur in Autentico Capituli Arelatensis fol. 110. Verùm non multo post amissas Ecclesias & contra ius ereptas recuperasse demonstraui aliàs cap. 18. num. 23. Rexit Petrus annos 20. Obiit anno 1146. Sub hoc Abbate fœdum in Ecclesia Romana dissidium fuit, post Honorij II. Papæ obitum, in odium Innocentij electus est Petrus Leonis qui se Anacletum appellauit, à quo Roma pulsus est Innocentius. Sed cum ei pars Orbis Christiani maxima pareret, Bernardi opera potissimum Claraeuallensis Abbatis viri omni præconio maioris, qui in recuperanda Ecclesiæ concordia, authoritate ac miraculis multorum instar fuit, Lothariuss

tharius Romam adiens cum eodem Bernardo Clareuallensi, Innocentium reduxit ac sedi suæ cum dignitate restituit, à quo ipse Imperij corona insignitus est. Cæterum Prouinciam ferro & flammis ardere vidit Petrus, certantibus de iure comitatus Raymundo Berengario & Balthicis. Anno 1131. in Comitatu successit Gilbertus qui vxorem Gilbergam sibi pactus est, ex qua filiam vnicam Stephanidem suscepit quam matrimonio coniunxit Raymundo Baucio, ex qua suscepit Hugonem, Guillelmum, Bertrandum, & Gilbertum filios. Defuncto Gilberto Comite anno 1140. mox bellum atrox in Prouincia oritur, Berengario tertiogenito ex dispositione parentum de qua supra num. 90. Comitatum vendicante. Contra vero Stephanide & Raymundo Baucio coniugibus cum suis filiis armis sese defendentibus, Arelatenses & maior pars ciuitatum Prouinciæ & hominum fauebant. Nec prius bellum illud remisit, quàm luctu miserabili, incendio, clade, calamitate decennali Prouinciam funditus euertisset. Rei tamen publicæ administrationem auspicatus Berengarius Raymundus anno 1140. continuis id genus bellis ciuilibus pressus, nullo vnquam tempore quietè regnauit, quoniam Arelate vrbs potentissima & tunc caput Prouinciæ & vrbium oppidanorumque maior pars Stephanidi defuncti Comitis filiæ commeatu & armis suppetias ferebant, dumque pugnat fortiter Berengarius occiditur anno 1145. Deinde Barcinonæ Comes Raymundus Berengarius defuncti Berengarij frater audita fratris nece vt illam vlcisceretur, & Raymundo Berengario ex fratre Berengario mortuo nepote Comitatum Prouinciæ confirmaret, resque pene desperatas in meliorem statum restitueret, magno cum exercitu è Barcinonia in Prouinciam venit, & anno 1146. à Baronibus cæterisque Prouinciæ proceribus Comes salutatus, hominia & fidei clientelaris Sacramenta suo nomine recepit, fœdus inter Stephanidem eiusque filios (Raymondo Baucio marito iam defuncto) & Raymundum ex fratre nepotem solicite ac religiose sanciuit anno 1150. Calend. Septem. Eius fœderis ea fuit præcipua conditio, vt Stephana deinceps ab omni tumultu cessaret, seque in tranquillo modestè contineret. Hi retentis centum oppidis Raymundo patruo Comiti Barcinoniæ cesserunt. Nihil post hac iuris sibi arrogatum in ipso Comitatu, quin & Berengario vt patruo & seniori familiæ atque ex fratre nepoti Sacramentum fidei & clientelare obsequium tanquam Prouinciæ Comitibus præstiterunt, & Stephana & filij. Autor est de Claperiis in Epitome Prouinciæ Comitum historica.

93. *Guillelmus* siue Guibertus extincto Petro Salomonis generalium comitiorum suffragiis eligitur anno 1147. cùm se hactenus fastidiosus honoris ac dignitatis vita priuata & quieta se contineret. Vetus extat in tabulario Monasterij transactionis instrumentum, cum Chronicis editi scripti characteribus in hunc modum. *Domini nostri Adriani IV. Romani Pontificis præsulatus anno 1. Indict. 3. 3. Calend. Iunij Luna 15. ab Incarnat. Domini 1155. Præsulatus Adelberti Mimatensis Episcopi anno 5. regnante Ludouico Rege Francorum, Inter Adelbertum Mimatensis Ecclesiæ Episcopum & Guillelmum Massiliensem Abbatem & vtriusque Ecclesiæ Con-*

gregationes, &c. Massiliæ moritur Guillelmus anno 1163. Præfecturæ suæ 16. In eius gratiam Eugenius 3. anno Christi 1150. Pontificatus 6. antecessorum suorum immunitates ac beneficia Monasterio S. Victoris Massiliensi tributa luculento diplomate rata esse iussit, ac deinceps aliis super alia diplomatis impensè cumulauit. Petrus Episcopus Foroiuliensis Ecclesiam nostræ Dominæ de Cillas dedit eidem Abbati, decem solidorum Melgoriensium tributo in singulos annos indicto. Paucis ante mortem mensibus litem cum Petro Ruthenensi Episcopo habuit contestatam, pro Ecclesia Boaddenensi Ruthenensis Diœcesis, quam dominio Canonicorum suorum vi ac violentia ereptam & censibus Monachorum contra ius adscriptam contendebat Episcopus. Causa ad Romanum Pontificem Alexandrum III. delata, & Monachis abiudicata, Episcopo & Canonicis per iudicium Pontifex attribuit. Felicius cum Gaufredo huius nominis I. Vicecomite Massiliæ, à Guiberto nostro in forensibus negotiis decertatum; hic enim Patre Hugone Gaufridi & matre Dulcia siue Dulcelina filia Gaufredi Domini De Lers & de Roquelaure, cùm tertiam dominij partem in Castro Sexfurnis ab auo suo Gaufredo, Monachis S. Victoris pro remedio animæ suæ donatam, & à patre Hugone ante suum in Palæstinam discessum, vt paulo ante dictum est num. 88, testamento iterum legatam iisdemque confirmatam, illicite nihilominus detineret, prouocante ad forum Guiberto causaque diu iam ante quæstionis iudicem Berengarium Barcinoniæ & Prouinciæ Comitem agitata, per destinatos ex consensu partium arbitros, Rostagnum Tarasconensem, Hugonem sacristam, & Berengarium Bertrandum placuit conuenire. Qua verò sententia & opinione steterint arbitri, docent in Magno Chartario sæpe laudato, Monasterij annales.

Notum sit omnibus præsentibus & futuris quod Abbate Massiliensis Monasterij & Monachis conquerentibus in curia Domini Raimundi Berengarij Barchinonensis Comitis, de Raimundo Gaufrido eo quod tertiam partem Castelli de Sexfurnis Massiliensi Monasterio auferret, & in duabus partibus reliquis ipsius castelli (quæ siquidem duæ partes sine contradictione aliqua prædicti Monasterij iuris sunt) in possessionibus plurimis infestaret, assensu vtriusque partis electi sunt de curia tres viri sapientes & discreti videlicet Rostagnus de Tharasco, Hugo Sacrista, Berengarius Bertrandus, quorum arbitrio prædicta querimonia decideretur. Asserebant itaque Monachi, quod illam tertiam partem, de qua quæstio erat, Gaufridus Vicecomes Massiliensis præfato Monasterio donauerat pro remedio animæ suæ & pro hereditaria portione duorum filiorum suorum videlicet Fulconis & Petri, quod ex affectione deuotionis eidem Monasterio Monachandos obtulerat, hanc siquidem tertiam partem Hugo Gaufridus prædicti Gaufredi Vicecomitis filius contra dispositionem patriam veniens, per quoddam temporis spatium abstulerat, iturus verò Hierosolymam instrumento & testibus idoneis monstratum fuit in curia, quod illam tertiam partem prædictus Hugo iam dicto Monasterio restituisset. Deinde testes alij ab iisdem Monachis producti sunt, qui iureiurando præstito affirmarent, se post restitutionem illam vidisse Massiliense Monasterium,

nasterium, prædictum Castellum de Sexfurnis totum integrum possedisse & habuisse. Allegabatur præterea de hac iniuria, quam super his iam dictus Raimundus Gaufridus eisdem Monachis faciebat, iterum atque iterum diuersis temporibus querimoniam ante Comitem factam esse. Cæterum licet hæc & alia Monachi facerent, & Raimundum Gaufridum grauare iudicio forsitan possent, supradicti tamen prudentes viri, grauitate & modestia sua quieti Monasterij consulentes, pro bono pacis memorato Abbati & Monachis pro arbitrio dixerunt, vt medietatem quam Monasterium habebat in Castello de Oleriis, & tertiam quam habebat de Bulcodeuis præfato Raimundo Gaufrido donarent, & è conuerso idem supra nominati viri pro arbitrio mandauerunt Raimundo Gaufrido, quod illam tertiam partem de Sexfurnis, quam iure siue iniuria possederat de qua Monachi conquerebantur, integre eis donaret & restitueret, & quidquid ibi tenuerat vel possederat ex toto derelinqueret. Cum igitur ea quæ transactionibus finiuntur non minoris authoritatis habeantur rebus iudicatis, & iuris æquitatis ratio suadeat, quod inter partes conueniunt sine retractatione perpetuo custodiri. Ea propter anno Incarnat. Dominicæ 1156. Ego Raimundus Gaufridus & vxor mea Poncia & filij mei, donamus & restituimus Domino Deo & S. Mariæ & S. Victori & Monasterio Massiliensi & tibi Guillelmo Abbati & successoribus tuis, quidquid habuimus vel habemus vel possidemus in Castro de Sexfurnis, & accepimus à te & à Monachis tuis propter hoc, prædicte Guillelme Abbas, titulo permutationis supradictam dimidiam partem, quam habetis in Oleriis, & tertiam quam habetis in Porcilis, & quod habetis in Castellario & in Rosseto & in Bulcodenis, &c.

94. Porro Raimundum illum Berengarium, compellatum quæstionis iudicem, aio fuisse Berengarium patruum, qui solus dicebatur Barchinoniæ Comes, nam desiderato in acie Berengario Dulciæ filio tertiogenito, vt supra dictum est, à Prouincialibus occisum indicat Vignerius, Zurita verò in Melgoriensi portu à prædonibus mactatum, filio superstite Raimundo Berengario, qui patri nondum pubes successit. Interim dum ipse adolesceret, publica negotia patrui Raimundi Barcenonensis Comitis imperio gerebantur, induciæ cum Balthiis in annum quintum firmatæ, iuramentum à clientibus præstitum, res ad summum in tuto collocatæ. Iunior Comitis Prouinciæ nomen, senior Marchionis tulit. Verùm cum Balthios pœniteret Berengariis pacem dedisse, nec obseruarentur induciarum leges vt testantur omnes, Raimundus, Conradum Imperatorem adiit, à quo Prouinciam iure fiduciario impetrauit. Stephanetæ igitur vxoris & Conradi concessionis iure subnixus maioribus in Berengarium insurrexit animis, ac Prouinciam iterum armata manu occupauit, quem bello insequutus est Raimundus Berengarius senior, iunioris patruus. Princeps, inquit Zurita, magno comparato exercitu Prouinciam inuadit, & Hugoni Balthio & eius fratribus qui rebellionem fecerant acre bellum infert, causam belli explicat. Hi eius ditionis dominari contendunt, ex priuilegio quod ab Imperatoribus Conrado & Frederico Conradi fratris filio, Hugoni irrogatum fuerat, ditionem omnem à Gil-

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Richardo Cardinali in Legatione Hispaniæ constituto salutem & Apostolicam benedictionem.

VNanimitas fratrum Massiliensium in literis suis sanctæ memoriæ fratris tui memorans obitum nouo me dolore sauciauit, petens insuper contemplatione amoris Sancti fratris tui, téque velut ipsum alterum futurum sperans, vti sibi te concederem in Abbatem quod & feci volo ergo vt fratres tuos nullo modo pertinaciter resistenda contristes, sed voluntati Dei & Sanctorum fratrum facilè acquiescas. Volumus etiam atque monemus vt in quantum potes, spes tantorum fratrum de te vana non fiat, sed Spiritum Sanctum fratris tui viriliter induas, sæcularia ac iuuenilia desideria vt mortem fugias, sanctæ regulæ medullitus te astringas, ne occasione tuæ iuuentutis Monasterium Sanctum, quod auertat Deus, patiatur aliquod detrimentum religionis. Notum autem tibi facio quia desiderium mihi est Monasterium S. Pauli Apostoli & Monasterium Massiliense tanta charitatis vnione constringere, vt & illud semper pro amore Beatissimi Pauli ex Apostolica authoritate succrescat, beatissimi Pauli Monasterium ad Sanctam religionem ex illius Monasterij religione proficiat. Postquam autem, Deo authore, Monasteria tua bene composueris, legationem tibi commissam ad Hispanias perficere non moreris. Data Romæ 4. Nonas Nouem. Ind. 3.

Alteram quoque dedit ad eumdem Cardinalem num. 6. libri 9. qua ipsi Monasteriorum Montis Maioris in Diœcesi Arelatensi, & S. Mariæ De Crassà in Archiepiscopatu Narbonensi quæ sub Romanæ Ecclesiæ tutela sunt, curam committit. Postremum scribit ad eumdem lib. 9. Epist. 29. vt moneat quosdam qui Canoniam S. Saturnini Apostolicæ sedis patrocinio commissam infestabant, desistere, & quæ contra illam egerant emendare, nisi pareant vult audaciam eorum compescat, & dictæ Canoniæ curam habeat.

Sed de hoc alias vbi commodior erit locus, sequenti capite citato, *De Cardinalibus*. Paucas ex innumeris fundorum largitionibus ab Abbate Richardo, Illustrissimorum Principum ac Præsulum liberalitate acceptis carpere ac delibare sat erit, ne importunè videar insistere multitudini. Mitto quæ olim scripta superiori capite 20. & 18. num. 33. de Bullis Apostolicis, prima Gregorij VII. *Dilecto in Christo fratri Richardo S.R.E. Cardinali & Abbati Massiliensi. suisque successoribus*, &c. data Romæ 14. Calend. Maij anno Incarnat. Dominicæ 1080. Pontificatus VIII. Altera Vrbani II. ad eundem data Romæ 10. Calend. Martij anno 1088. Pontificatus anno 1. Postrema Placentiæ, pridie Nonas Aprilis anno 1096. Pontificatus VIII. quibus Richardo Abbati eiusque successoribus cura committitur destructa quædam Monasteria innouandi & ad pristinum virtutis ac sanctimoniæ statum, collapsa restituendi, *vt in eis*, inquit, Pontifex *quæ amputanda sint amputetis, quæque corrigenda corrigatis, & quæ illic de disciplina tenore defuerint vestra vigilantia & labore confirmentur.*

Qua

Qua causa similiter Alphonsus Castellæ Rex, annuente vxore eius Constantia & Bernardo Archiepiscopo Toletano, Monasterium S. Seruandi Toletanæ Diœcesis Richardo Abbati eiusque Monasterio Massiliensi ea conditione subiecit, qua ipse Abbas pendendi Ecclesiæ S. Petri aureos decem in censum annuum fidem suam obligaret. Raymundus S. Ægidij Comes suasionibus Guillelmi Aruerniæ Comitis, & Bertrandi Biterrensis & Aicardi Massiliensis, partem dominij alteram in frequentissimum oppidum *Gibeletum* nomine Beritæ & Tripolis finibus coniunctum & continens, eidem Richardo dedit anno 1103. Guillelmus Sardiniæ Comes Monasterium S. Michaëlis de Coxano Diœcesis Elnensis in Comitatu Rossilionensi; Pontius Episcopus Ruthenensis Monasterium SS. Petri & Pauli, tum aliud S. Amandi; Bernardus Comes Bisuldinensis Monaster a Dominæ nostræ De Riuo populo, & S. Petri, ad S. Stephani de Balneolis Diœcesis Gerundensis: Constantinus Rex ac iudex Calaritanus Prioratus & sacella quamplurima Insulæ Sardiniæ; Attaudus Comes Balearium eiusque vxor Heilsonsis Comitissa Monasteria omnia quæ suæ ditionis essent in Comitatu Vrgelitano; Centulus eius nominis IV. Bigerronum Comes cum vxore Beatrice, consilio Dodonis Episcopi, Abbatiam S. Sauini de Ledonano Pyrenem propter anno 1087. Otto inferioris Aruerniæ Vicecomes eiusque coniux Adella Richardo census amplissimos & prædia testamento legauit, quibus noui Monasterij sedem & fundamentum, Ordinis sui religiosis constitueret. Odilo S. Ægidij Abbas ex Capituli conspiratione consensuque, de censibus suis certum ac proprium domicilium in oppido S. Ægidij Monachis S. Victoris Massiliensibus assignauit, quo in Occitaniam cæterasque remotiores Prouincias peregrinaturi ex itinere diuerterent. Plura in magno Chartario vbi viri principes Massilienses laudantur bene de Richardo Abbate olim sentientes, ac bene meriti aut merentes, fol. 37.

Nos Vuillelmus Amelij, & Hugo de Podio Arci, atque Gaufredus Iras fratres, filij Petri Saumada audientes aut recognoscentes quod auus noster dedit Monachis Massiliensibus de Monasterio S. Victoris Martyris ad Alodium quidquid in honore suo acquirere possent, ab iis etiam qui ad fœnus per manum illius suam terram tenebant, quam donationem nos infringere nolumus. Damus quoque Domino Deo & B. eius Genitrici Mariæ necnon S. Victori Martyri atque venerabili Richardo Abbati eiusdem Monasterij simulque Monachis, quidquid in honore nostro in terminis videlicet Massiliæ, & in terminis Castri de S. Marcello quidquid adquisierant vel in infinitum adquirere poterunt. Accipimus autem ab eis in pretium centum solidos Melgoriensis Monetæ. Si verò frater noster Fulco & Bertrannus redierint, sub fidei attestatione pollicemur vt illam eos donationem laudare & confirmare faciamus, &c. Facta hæc charta 18. Calend. Septemb. anno Domini 1097. Ego Vuillelmus Amelij & vxor mea Sarazina donamus & confirmamus. Ego Hugo de Podio Arci & vxor mea Garcina & filij mei Petrus, & Gaufredus, & Fulco donamus & confirmamus. Ego Gaufredus Iras firmo & vxor mea Aiglina, & filij mei donant & firmant.

Ibidem fol.56. *Ego Pontius Malnerius & vxor mea Salome. Simulque filij nostri Guillelmus & Fulco, &c. Guirpinus atque donamus Domino Deo & S. Dei genitrici Mariæ necnon S. Victori Martyri & Domno Richardo Abbati Monasterij Massiliensis atque successoribus eius & Monachis ibidem Deo seruientibus tam præsentibus quam futuris, quidquid in honore nostro & ditione prædicti Cœnobij Abbates & Monachi quoquomodo à quibuscumque personis vbi adquisierunt vel in futurum similiter adquirere poterunt propter sola capita castrorum nostrorum, sed & castra Oleriæ & Bulcodenos cum omnibus eis ex integro pertinentibus libere adquirere dimittimus. Et si aliquid nobis tum in iis quam in aliis iure competebat. Nihil nobis retinentes omnino Deo in iam dicto Monasterio condonamus, &c. Actum hoc est anno ab Incarnat. Domini 1094. Signum Pontij Malnerij & vxoris suæ Salome. Signum filiorum Pontij, Vuillelmi, & Fulconis, qui laudant & confirmant. Signum Raymundi Episcopi Massiliensis.*

Ego Petrus Gaufredi Aquensium Archiepiscopus & Monasterij Massiliensis B. Mariæ Sanctique Victoris Martyris licet peccator Monachus Seruus & filius dono ipsi Monasterio Ecclesias Parochiales S. scilicet Iacobi de Sparrono & S. Fidis de Artigua, &c.

88. Vacauit deinceps Abbatia per tres Annos neque mihi liquido constat vtrum casu magis & fœlicitate ab aliquo, quàm virtute & consilio gestum sit, vt extincto Cardinali Richardo in successore deligendo Patrum concordia scissa sit. Placuit tamen in tanto temporis interuallo ne qua dignitatis iactura fieret, curam regiminis partiri, ac duobus designatis Præfectis, Bonnassino & Ottoni deferre Monachis præstantibus virtutis & sapientiæ gloria, qui temporarium ius constituerent quo omnes vterentur.

Inter hæc ab Vrbano II. apud Clarummontem Aruerniæ oppidum celebrata Synodus est anno 1095. mense Nouemb. Indict. 5. in qua Pontifex ad sacram in Palæstinam expeditionem Christianos hortatus est, Petri Eremitæ Galli qui Hierosolymis vrgendæ rei causa venerat oratione commotus. Militiæ insigne, crux purpurea dextro humero assuta, ex quo Cruciatæ nomen factum, eoque veluti Classico excitus Occidens variis locis ac temporibus collectos ad eam militiam fudit exercitus. Principes expeditionis fuere ex Gallia Gothofredus è Lotharinga gente Dux Bullionis cum duobus fratribus Eustachio & Balduino. Hugo Magnus Philippi Franci Regis frater, Robertus Normanniæ Dux idemque frater Regis Angli, & alij complures. Ex Prouincia Massilienses magno numero Duce Hugone Gaufredi, Vicecomite generoso ac potenti de quo ista loquuntur annales in Magno Chartario S. Victoris, fol. 104. verso.

Quoniam religionis seu peregrinationis iter aggredi nullatenus expedit, nisi primum quis male quæsitis & illicitè detentis renuntiauerit. Idcirco notum sit hominibus præsentibus & futuris quod ego Hugo Gaufredi & vxor mea Dulcelina, vt diuina miserante gratia nostrorum mereamur consequi veniam peccatorum Hierosolymam ituri, Massiliensis Monasterij

Monasterij Capitulum cum quibusdam militibus nostris & amicis intrauimus, & tertiam partem de Sexfurnis quam .... dispositione paterna euntes peccatis nostris exigentibus per aliquantulum temporis iniustè detinueramus, Domino Deo & S. Mariæ & S. Victori Martyri & Monachis ibi Deo seruientibus præsentibus & futuris sine retentione aliqua reddimus, cum suis pertinentiis omnibus, quam videlicet tertiam partem prænominati castri seu villæ Gaufredus pater meus cum duobus filiis suis Fulcone & Petro, pro salute animæ suæ eidem venerabili loco iam prædicto donauerat. Huic itaque paternæ dispositioni sicut prædiximus vlterius contra ire nolentes iam dicti castelli portionem integram restituimus, &c. Anno ab Incarnat. Domini 1110. Indict. 3.

Ex Archiuiis Massiliæ. Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Guido per Dei gratiam in sancta ciuitate Hierusalem Rex Latinorum VIII. & Domina Sibilla vxor mea per eamdem venerabilem reginam attendentes fidelitatem & seruitium quod nobis & toti Christianitati in obsidione Acconensi, tam in personis quam in rebus vestris exhibuistis vos Bertrandus Sarda, Anselmus de Marsilia, & Stephanus Ioannis, Raymundus de Pousquieres, Raymondus de Saona, Hugo Ferri nepos Ancelmi, & Petrus Anuda, & Giraudus Adtoel, Gautelmus Anglicus, & Vvillelmus Beroaldi, Giraldus Cacci, & Bertrandus Caminali, & Vvillelmus de Pousquieres, & Pontius de Reuest, Berengerius & Fulco Rostagni, & Bertrandus Anuda ciues Marsiliæ, damus & concedimus vobis & per vos vniuersis hominibus Marsiliæ & iis qui infra vnam leugam circumquaque cōmorantur vel commorabuntur, libertatem intrandi tam per mare quam per terram cum vniuersis rebus vestris in Accon & vniuersis locis regni nostri, quæ proprij nostri iuris fuit, sicut vt per hæc omnia loca liceat vobis libere intrare & exire, commorari, & negotiari cum magnis nauibus & lignis paruis de riberia, per mare & per terram, cum vniuersis rebus vestris sine vlla directura & tertiaria vel anchoragio & absque omni exactione, pro vt quod de centum Bisannis vnum, cùm de Pelago veneritis, de rebus vestris venditis persolutis, nec vendere res vestras aliqua persona vos cogere possit. Si autem aliqua persona in aliqua nauium vestrarum fuerit, quæ diructa dare teneatur, cùm directuram dare voluerit à nostris in mora incongrua recipietur. Porro si frumentum vel aliud de terra extrahere aliquatenus fuerit interdictum, si dono aliquis extraxerit vobis similiter extraherere liceat libere vniuersis. Habeatis etiam potestatem naues vestras faciendi & recipiendi, destruendi, & conducendi quibus vobis placuerit, sine omni terciaria in omnibus locis supradictis. Damus vobis etiam curiam in Accon & vt Vicecomites & Consules de hominibus vestræ gentis habeatis, ita quod si aliquis extraneus contra quemlibet de vestris querelam mouerit, ante Vicecomites vestros debeat deuenire & ibidem iudicium recipere, excepto furto, homicidio, tradimento, & falsamento moneræ, violatione mulierum (quod rapt vulgariter dicitur) quæ omnia curiæ nostræ reseruamus. Vicecomes autem quem vobis ibidem ordinare placuerit Sacramentum

PPp 3

fidelitatis nobis faciet, & iurabit quod secundum terræ consuetudinem curiæ vestræ causas iudicabit & discernet. Porro si hominibus Mōtis pessulani vel S. Ægidij nos maiorem libertatem dedisse contigit, concedimus vt eadem gaudeatis libertate. Hanc autem libertatis concessionem concedimus vobis omnibus & vniuersis successoribus vestris in perpetuum, excipimus tamen à libertate ista Arnaldum Salomon & hæredes suos & res eorum, vt in nullo illorum priuilegium istud proficiat, nec per illud ab aliqua directura possit se tueri, vt autem huius nostræ donationis & concessionis authoritas vobis rata permaneat, præsentem paginam testibus supra scriptis manu & sigillo nostro fecimus corroborari. Huius rei testes sunt Comes Iicelinus Regius Seneschalus, Aimericus Regius Conestabularius, Vgo Thibaudus, Gaufridus Tortus, Galganus de Seneche, Ancelmius Bellus, Raimundus Babinus. Factum est anno ab Incarnat. Domini 1190. Indict.8. Datum in obsidione Acconi.

Ex iisdem proferuntur literæ Pontificiæ quibus in eodem bello Massiliensium fortitudinem & magnanimitatem commendat & laudibus extollit Gregorius VII.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Narbonensi & Antipolitano & Tolonensi salutem & Apostolicam benedictionem.

CVm dilectos filios vniuersos cruce signatos & cruce signandos Massilienses, cum familiis nauibus & aliis bonis eorum sub B. Petri & nostra protectione susceperimus speciali, statuentes vt postquam in primo generali passagio iter arripuerint transmarinum, ea omnia donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur, integra maneant & quieta. Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus non permittatis eosdem contra protectionis & constitutionis nostræ tenorem ab aliquibus molestari, molestatores eorum indebitos, si qui fuerint, per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, quod si non omnis iis exequendis potueritis inter esse duo vestrum eam nihilominus exequantur. Datum in Lateranensi 3. Idus Ianuarij. Pontificatus an. 1.

Per idem tempus Ordo Carthusianorum initium sumpsit authoribus Hugone Gratianopolitano Episcopo & Brunone Coloniæ Agrippinensis siue Scholarum magistro, qui Bruno, cùm Doctoris cuiusdam mortui vox audita esset (*Iusto Dei iudicio damnatus sum*) ab ordine Benedictino Cartusianorum vitam produxit Biennio post anno nempe 1098. ortum habuit Cistertiensis ordo, vt Sigebertus est autor, à S. Roberto Molismēsi Abbate cœptus, qui cùm in Molismensi Abbatia subditos suos præ diuitiis & copia à primæuo instituto degenerare animaduerteret, cōsilio cum aliquot ex perfectioribus communicato, Cabillonem se contulit præcipuam eo tempore

tempore Burgundiæ vrbem. Hic in solitario quodam loco cui Cistertium nomen erat, domicilium fixit idque ideo Cistertiense appellatum.

SÆCVLVM VIII.

Annus Christi 1120. *A Conditu Monasterij* 700.

89. TRiennio Duumuiratus exacto non multo post id est 1113. *Otto* natione Italus claro loco natus & stirpe ortus, vt aiunt, Galliæ Regum antiquissima potentissimaque, ex Monacho similiter factus Abbas rexit annos quinque. Ad ea quæ ab ipso quæsita fuerant responder Pascalis II. & vniuersa priuilegia Monasterio S. Victoris Massiliensi à prædecessoribus suis concessa, recenti atque honorifico diplomate confirmat, inscriptionis anno 1114. Pontificatus anno 4. Donationem quoque Monasterij S. Petri Diœcesis Ruthenensis à Richardo Ruthenensi Comite iteratam impetrauit, quam olim patruus eius Bernardus & Hugo ac Raimundus Vicecomites testamento legauerant. Denique anno 1117. in Episcopatum Ianuensem assumptus ea præclara facta, eamque virtutem & pietatem quam in Cœnobio imbuerat, deinde in Pontificio munere cum dignitate præstitit, quibus in operibus aliquot annos versatus ad cœlestia præmia euolauit.

Clareuallense Cœnobium eo sedente constitutum est, cuius primus Abbas fuit S. Bernardus anno 1115. Præmonstratensis ordo cœpit anno 1120. authore S. Norberto. Floruit eodem tempore Hugo à S. Victore & cognominis alter Gratianopolitanus Episcopus, qui anno 1132. moritur vir sanctissimus.

A Gaufrido Vicecomite Massiliæ scripti hæredes filij gemini, Hugo Gaufredi ac Pontius II. cognomine *De Peinier* quorum hic natu minor ex Guerreiada vxore Aicardum & Gaufredum filios habuit. Aicardus ad sacram illam Christianorum in Palæstinam expeditionem Raimundo Comitis S. Ægidij omnium itinerum, nauigationum, periculorumque, militiæ socium se adiunxit, ac eiusdem Raimundi testamento subscripsisse memorant historiæ in membranis capitularibus Ecclesiæ Arelatensis num. 1. sub verbo *De Argentia*.

Testamentum Raimundi Comitis S. Ægidij.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Quoniam multis & manifestis sacri eloquij testimoniis Christiana religio salubriter edocetur, nullius temporis angustia, nulla quorumlibet criminum immensitas vere pœnitentibus veniam denegat. Idcirco Ego Raimundus S. Ægidij Comes fragilis & multipliciter reus peccator de ineffabili misericordissimi Dei benignitate confisus in ipso mortis meæ articulo, vtiliter & vt docet Christianum consultus de multis, quæ ipse ego contra S. Ecclesiam Arelatensem inique egi & à meis quoque progenitoribus inique acta vsque in hodiernum iniuste concessi, pœnitentia ductus hac

hæc pauca pro redemptione animæ meæ emendare studeo. Igitur in terra, quæ Rhodano contermina (Argentia vocatur) quam totam proprij iuris prædictæ Ecclesiæ esse cognosco, & manifestè confiteor contra hoc quod necesse esset nimia adhuc carnalitate detentus, filiis meis maiorem portionem, sub spe tamen emendandi, atque S. Trophimo atque S. Stephano ius suum id est totam ipsam Argentiam in integrum restituendi relinquo. Ad præsens autem pro remedio animæ meæ hanc portiunculam Arelatensi ipsi Ecclesiæ atque venerando eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopo Gibelino & successoribus eius & Clero restituendo, absque omni calumnia concedo, scilicet villam quæ vocatur Furcae cum omnibus his suis appenditiis, videlicet de Rhodano & paludibus, de vineis, & arboribus tam fructiferis quam non fructiferis, de terris tam cultis quam incultis, De portu Rodanet, & de pascuis, & de omnibus terrarum redditibus, & etiam omnes decimas & omnes Ecclesias totius Argentiæ ei reddo. Præterea libere reddo & concedo eidem Ecclesiæ in Castellis Albarone & Fos quartam partem eorum, quam à maioribus meis iniustè possessam ego quoque post illos mea culpa possedi. In Arelatensi quoque ciuitate dono eidem Ecclesiæ meam quartam partem de pascuis, & Lesdis, & Monstationibus, precor denique Bertrannum & omnes successores & homines & amicos meos vt si fortè debiti vel cuiuslibet occasionis impedimentum in prædictis honoribus factum est, pro amore Dei & pro remedio animæ meæ & pro recordatione beneficiorum quæ erga eos aliquando exhibui illud exsoluant, & ad vsus S. Arelatensis Ecclesiæ illud restituant, & amodo inde ei veri amici & fideles adiutores & firmissimi defensores in perpetuum existant. Si quis verò mortalium huius mei constitutionem cassare vel infirmare tentauerit, districti iudicis Dei ineuitabilem iram incurrens æternis gehennæ incendiis perpetuo plectatur, & tanquam sacrilegus parricida omni honore meo indignus habeatur. Hoc testamentum factum est apud Montem peregrinum in Syria, regnante Domino nostro Iesu Christo, Domino Paschali Papa S. R. Ecclesiæ præsidente, anno Incarnat. Dominicæ 1105. Indict. 13. die vltima mensis Ianua. feria 3. videntibus & præsentibus honestis personis Clericis & Laicis, videlicet Aymino Tolonen. Ecclesiæ Episcopo, Aycardo de Massilia, Raymundo de Balthio, Decano de Poscheriis, Bertramno Porceleto, Vuillelmo Aruei, Pontio de Fos, Rostagno de Port, Gaufredo de Penis, & multis aliis quos dinumerare longum est. Gernila Comitissa firmauit, Adelphonsus filius eius fir. Pontius de Brosio scripsit.

Fratrum altero Gaufrido patre natus est Pontius eius nominis 3. à pago Fossensi in quo sedem & domicilium fixerat *Pontius de Fos* cognominatus. Is habuit ex matrimonio liberos quatuor Gaufredum Irat, Gui Carmelenc, Guillelmum De la Garde, & Pontium De Fos, qui quasi vasarij nomine in venditione patrimonij oppidum Yeram, Brecançonum, aliasque id genus ditiones Massiliensi ciuitati adscripserunt. Paschalis II. communionem sacrorum supradicto Pontio II. interdixit, donec agrorum possessionibus, quas Monasterio S. Victoris fraude ac dolo subripuerat, in integrum restitutis ab Episcopo Massiliensi Raimundo Paschalis Pontificis indulgentia reconciliatus est.

Ex

Ex Archiuis Ecclesiæ Massiliensis. *Dominus Pontius de Podio Nigro Vicecomes Massiliæ & vxor eius Guerreiada à Bertrando Episcopo Massiliensi vinculo Anathematis secundum sententiam Domini Papæ....... pro se ac filiis Aycardo & Gaufrido*, &c. *Anno ab Incarnat. Domini* 1121.

Hoc tempore Gibelinum Monachum S. Victoris ad Archiepiscopatus Arelatensis infulas assumptum ac postmodum inter cruce signatos vocatum in Orientem, Vrbani Papæ II. tum Paschalis II. legatum renunciatum fuisse dicemus infra cap. 17. De Episcopis, qui ex ordine S. Cassiani prodierunt.

90. Anno 1117. *Rodulphus* curationem & administrationem Monasterij auspicatus, quam magno Reipublicæ emolumento ad sex primùm produxit annos in priuato Monachorum suorum conuictu, postea factus Archiepiscopus Arelatensis, Attonis proximus successor plures fortè alios æque atque vitam prorogauit. Quamquam in Indice vulgari Archiepiscoporum vel expungitur omnino, vel omittitur scriptorum incuria dixerim vel potius ignorantia. De eo scribit ac de rebus Monasterij luculenter tractat in diplomate Calixtus II. quem instante Rodulpho ad Archiepiscopos Arelatensem simul & Ebredunensem rescripsisse ferunt ac præscripsisse vt suprema Ecclesiæ authoritate ac potestate, quam ipsis delegaret, Monasterio S. Victoris bonorum possessionem, quæ iam olim à 30. annis possessa habuissent, contra maleuolorum & obtrectatorum occultos insultus vindicarent ac tuerentur: eos verò qui ad forum prouocarent, & iniuriæ intenderent litem, audirent pro tribunali, & æqui bonique consulentes ius suum cuique redderent. Chiriaco Monasterio Ordinis S. Cassiani in Diœcesi Mimatensi Rodulphi Generalis Abbatis suasionibus ea omnia priuilegia, quibus nunc fruitur, idem Calixtus indulsit anno 1123. quo similiter anno Adelbertus Senescensis Episcopus ea bona quæ in sua Diœcesi Monasterium S. Victoris data olim acceperat, publicis tabulis confirmare & rata habere voluit. Hoc insuper Abbate facta est concordia inter Monasterium & Episcopalis Ecclesiæ Capitulum Massiliense, vt notatur in libro paruo Chartarum fol. 100. Sedebat tunc Massiliæ Raimondus Episcopus eius nominis II. Hic suauis videri maluit, quàm grauis, & suauitate ea qua persuaderet animos non qua perfringeret, pacemque vel iniustam vtiliorem quam iustissimum bellum in ciuibus præsertim clericis aut Monachis esse ducebat. Arbitri & iudices controuersiæ designati fuerunt Atto Archiepiscopus Arelatensis & Richardus Narbonensis, quos in Autentico transactionis instrumento inter primarios testes subscriptos reperies.

Quod ad Prouinciæ Comites spectat Vuillelmo II. cuius memini supra, numero proximo 76. successit in Comitatu Odo eius filius anno 1039. obiitque anno 1090. relicto filio & hærede Gilberto, qui Tiburgiam filiam Comitis Ruthenensis & Giualdensis matrimonio sibi iunxit, ex qua duas suscepit filias, Phairidem quam Idelphonso Tolosano Comiti dedit in matrimonium, & Dulciam quam Raimundus Berengarius Comes Barcinonensis vxorem habuit, à qua salutis anno 1112. Comitis

Prouinciæ nomen & dignitatem accepit. Hæ vero vnà cum viris anno salutis 1125. Comitatum Prouinciæ familiæ herciscundæ arbitrio, tunc longius latiusque quam nunc diffusum diuiserunt, hunc enim Isara, Rhodanus, Mare Mediterraneum, & Alpes naturali interiectu interposituque, à vicinis populis disterminabant. Qua ex diuisione Phaitidi & Comiti Tolosano coniugibus obuenerunt hi Comitatus, & quidquid Druentia, Rhodano & Alpium iugis interclusum est, vnà cum Bellicadro, solo Argenteo, Vallebergensi, & media parte Ciuitatis Aueniononensis, Caluimontis, Tauri & Pontis Sorgiæ. Altera verò pars Auenionis, Caluimontis, Tauri, & Pontis Sorgiæ cum altera parte Prouinciæ quæ Mari Mediterraneo, Alpibus, Druentia, & Rhodano fluminibus clauditur, quæ *Marchia* etiam appellatur Dulciæ & Raimondo Comiti coniugibus contigit. Porro hic vltimus Comes Prouinciæ Gilbertus ex Illustrissima Burgundiæ Regum familia regnauit. Dulciæ igitur Raimondi vxoris nomine Prouincia regebatur, sed honorem, dignitatem, & nomen Comitis Prouinciæ anno 1112. Marito sponte cessit. Ex ea tres suscepit liberos masculos, Raimundum primogenitum, cui nupsit Petronilla Regis Aragonum filia, quæ Patri successit in regno, & cui Raimundo Pater testamento Barcinoniæ Comitatum donauit; Gilbertum secundo genitum cui parentes Comitatum Prouinciæ reliquerunt, his conditionibus vt si decederet sine liberis masculis Comitatus ad Berengarium filium tertio genitum & suos masculos perueniret, masculisque deficientibus Raimundum substituit.

91. *Gancelinus* Abbas vir haud vulgari doctrina parique morum integritate, post Rudolphum decessit eodem quo excepit anno 1125.

92. *Petrus* huius nominis II. Cognomento *Salomonis* iniit anno 1126. commodis moribus ac prompto in pietatem animo, qui singularem honorem sententiis ac suffragiis Innocentij II. adeptus est, datis ad ipsum literis, Pisæ anno 1136. Pontificatus VII. quibus priuilegia ab antecessoribus suis Monasterio S. Victoris generaliter ac specialiter concessa, statutaque omnia iura, quibus bona aliqua vbique terrarum possessa haberent Cassianitæ, confirmat & perficit. Ecclesiæ Arelatenses SS. Genesij & Honorati de Aliscampis ab Archiepiscopis Raimbaudo & Gibelino iisdem Monachis concessæ, ne in alienam ditionem distraherentur, cauerat quidem Innocentius, ad quem tamen appellatione indicta anno 1141. Guillelmus I. Archiepiscopus Arelatensis tanquam Apostolicæ sedis Legatus eos expulisse dicitur in Autentico Capituli Arelatensis fol. 110. Verùm non multo post amissas Ecclesias & contra ius ereptas recuperasse demonstraui aliàs cap. 18. num. 23. Rexit Petrus annos 20. Obiit anno 1146. Sub hoc Abbate fœdum in Ecclesia Romana dissidium fuit, post Honorij II. Papæ obitum, in odium Innocentij electus est Petrus Leonis qui se Anacletum appellauit, à quo Roma pulsus est Innocentius. Sed cum ei pars Orbis Christiani maxima pareret, Bernardi opera potissimum Claræuallensis Abbatis viri omni præconio maioris, qui in recuperanda Ecclesiæ concordia, authoritate ac miraculis multorum instar fuit, Lotharius

tharius Romam adiens cum eodem Bernardo Clareuallensi, Innocentium reduxit ac sedi suæ cum dignitate restituit, à quo ipse Imperij corona insignitus est. Cæterum Prouinciam ferro & flammis ardere vidit Petrus, certantibus de iure comitatus Raymundo Berengario & Balthicis. Anno 1131. in Comitatu successit Gilbertus qui vxorem Gilbergam sibi pactus est, ex qua filiam vnicam Stephanidem suscepit quam matrimonio coniunxit Raymundo Baucio, ex qua suscepit Hugonem, Guillelmum, Bertrandum, & Gilbertum filios. Defuncto Gilberto Comite anno 1140. mox bellum atrox in Prouincia oritur, Berengario tertiogenito ex dispositione parentum de qua supra num.90. Comitatum vendicante. Contra vero Stephanide & Raymundo Baucio coniugibus cum suis filiis armis sese defendentibus, Arelatenses & maior pars ciuitatum Prouinciæ & hominum fauebant. Nec prius bellum illud remisit, quàm luctu miserabili, incendio, clade, calamitate decennali Prouinciam funditus euertisset. Rei tamen publicæ administrationem auspicatus Berengarius Raymundus anno 1140. continuis id genus bellis ciuilibus pressus, nullo vnquam tempore quietè regnauit, quoniam Arelate vrbs potentissima & tunc caput Prouinciæ & vrbium oppidanorumque maior pars Stephanidi defuncti Comitis filiæ commeatu & armis suppetias ferebant, dumque pugnat fortiter Berengarius occiditur anno 1145. Deinde Barcinonæ Comes Raymundus Berengarius defuncti Berengarij frater audita fratris nece vt illam vlcisceretur, & Raymundo Berengario ex fratre Berengario mortuo nepote Comitatum Prouinciæ confirmaret, resque pene desperatas in meliorem statum restitueret, magno cum exercitu è Barcinonia in Prouinciam venit, & anno 1146. à Baronibus cæterisque Prouinciæ proceribus Comes salutatus, hominia & fidei clientelaris Sacramenta suo nomine recepit, fœdus inter Stephanidem eiusque filios (Raymondo Baucio marito iam defuncto) & Raymundum ex fratre nepotem solicitè ac religiosè sanciuit anno 1150. Calend. Septem. Eius fœderis ea fuit præcipua conditio, vt Stephana deinceps ab omni tumultu cessaret, seque in tranquillo modestè contineret. Hi retentis centum oppidis Raymundo patruo Comiti Barcinoniæ cesserunt. Nihil post hac iuris sibi arrogatum in ipso Comitatu, quin & Berengario vt patruo & seniori familiæ atque ex fratre nepoti Sacramentum fidei & clientelare obsequium tanquam Prouinciæ Comitibus præstiterunt; & Stephana & filij. Autor est de Claperiis in Epitome Prouinciæ Comitum historica.

93. *Guillelmus* siue Guibertus extincto Petro Salomonis generalium comitiorum suffragiis eligitur anno 1147. cùm se hactenus fastidiosus honoris ac dignitatis vita priuata & quieta se contineret. Vetus extat in tabulario Monasterij transactionis instrumentum, cum Chronicis editi scripti characteribus in hunc modum. *Domini nostri Adriani IV. Romani Pontificis præsulatus anno 1. Indict. 3. 3. Calend. Iunij Luna 15. ab Incarnat. Domini 1155. Præsulatus Adelberti Mimatensis Episcopi anno 5. regnante Ludouico Rege Francorum, Inter Adelbertum Mimatensis Ecclesiæ Episcopum & Guillelmum Massiliensem Abbatem & vtriusque Ecclesiæ Con-*

gregationes, &c. Massiliæ moritur Guillelmus anno 1163. Præfecturæ suæ 16. In eius gratiam Eugenius 3. anno Christi 1150. Pontificatus 6. antecessorum suorum immunitates ac beneficia Monasterio S. Victoris Massiliensi tributa luculento diplomate rata esse iussit, ac deinceps aliis super alia diplomatis impensè cumulauit. Petrus Episcopus Foroiuliensis Ecclesiam nostræ Dominæ de Cillas dedit eidem Abbati, decem solidorum Melgoriensium tributo in singulos annos indicto. Paucis ante mortem mensibus litem cum Petro Ruthenensi Episcopo habuit contestatam, pro Ecclesia Boaddenensi Ruthenensis Diœcesis, quam dominio Canonicorum suorum vi ac violentia ereptam & censibus Monachorum contra ius adscriptam contendebat Episcopus. Causa ad Romanum Pontificem Alexandrum III. delata, & Monachis abiudicata, Episcopo & Canonicis per iudicium Pontifex attribuit. Felicius cum Gaufredo huius nominis I. Vicecomite Massiliæ, à Guiberto nostro in forensibus negotiis decertatum; hic enim Patre Hugone Gaufridi & matre Dulcia siue Dulcelina filia Gaufredi Domini De Lers & de Roquelaure, cùm tertiam dominij partem in Castro Sexfurnis ab auo suo Gaufredo, Monachis S. Victoris pro remedio animæ suæ donatam, & à patre Hugone ante suum in Palæstinam discessum, vt paulo ante dictum est num. 88, testamento iterum legatam iisdemque confirmatam, illicite nihilominus detineret; prouocante ad forum Guiberto causaque diu iam ante quæstionis iudicem Berengarium Barcinoniæ & Prouinciæ Comitem agitata, per destinatos ex consensu partium arbitros, Rostagnum Tarasconensem, Hugonem sacristam, & Berengarium Bertrandum placuit conuenire. Qua verò sententia & opinione steterint arbitri, docent in Magno Chartario sæpe laudato, Monasterij annales.

Notum sit omnibus præsentibus & futuris quod Abbate Massiliensis Monasterij & Monachis conquerentibus in curia Domini Raimundi Berengarij Barchinonensis Comitis, de Raimundo Gaufrido eo quod tertiam partem Castelli de Sexfurnis Massiliensi Monasterio auferret, & in duabus partibus reliquis ipsius castelli (quæ siquidem duæ partes sine contradictione aliqua prædicti Monasterij iuris sunt) in possessionibus plurimis infestaret, assensu vtriusque partis electi sunt de curia tres viri sapientes & discreti videlicet, Rostagnus de Tharasco, Hugo Sacrista, Berengarius Bertrandus, quorum arbitrio prædicta querimonia decideretur. Asserebant itaque Monachi, quod illam tertiam partem, de qua quæstio erat, Gaufridus Vicecomes Massiliensis præfato Monasterio donauerat pro remedio animæ suæ & pro hæreditaria portione duorum filiorum suorum videlicet Fulconis & Petri, quod ex affectione deuotionis eidem Monasterio Monachandos obtulerat, hanc siquidem tertiam partem Hugo Gaufridus prædicti Gaufredi Vicecomitis filius contra dispositionem patriam veniens, per quoddam temporis spatium abstulerat, iturus verò Hierosolymam instrumento & testibus idoneis monstratum fuit in curia, quod illam tertiam partem prædictus Hugo iam dicto Monasterio restituisset. Deinde testes alij ab iisdem Monachis producti sunt, qui iureiurando præstito affirmarent, se post restitutionem illam vidisse Massiliense Monasterium,

nasterium, prædictum Castellum de Sexfurnis totum integrum possedisse & habuisse. Allegabatur preterea de hac iniuria, quam super his iam dictus Raimundus Gaufridus eisdem Monachis faciebat, iterum atque iterum diuersis temporibus querimoniam ante Comitem factum esse. Caterum licet hac & alia Monachi facerent, & Raimundum Gaufridum grauare iudicio forsitan possent, supradicti tamen prudentes viri, grauitate & modestia sua quieti Monasterij consulentes, pro bono pacis memorato Abbati & Monachis pro arbitrio dixerunt, vt medietatem quam Monasterium habebat in Castello de Oleriis, & tertiam quam habebat de Bulcodeuis præfato Raimundo Gaufrido donarent, & è conuerso idem supra nominati viri pro arbitrio mandauerunt Raimundo Gaufrido, quod illam tertiam partem de Sexfurnis, quam iure siue iniuria possederat de qua Monachi conquerebantur, integre eis donaret & restitueret, & quidquid ibi tenuerat vel possederat ex toto derelinqueret. Cum igitur ea qua transactionibus finiuntur non minoris authoritatis habeantur rebus iudicatis, & iuris æquitatis ratio suadeat, quod inter partes conueniunt sine retractatione perpetuo custodiri. Ea propter anno Incarnat. Dominica 1156. Ego Raimundus Gaufridus & vxor mea Poncia & filij mei, donamus & restituimus Domino Deo & S. Maria & S. Victori & Monasterio Massiliensi & tibi Guillelmo Abbati & successoribus tuis, quidquid habuimus vel habemus vel possidemus in Castro de Sexfurnis, & accepimus à te & à Monachis tuis propter hoc, prædicte Guillelme Abbas, titulo permutationis supradictam dimidiam partem, quam habetis in Oleriis, & tertiam quam habetis in Porcilis, & quod habetis in Castellario & in Rosseto & in Bulcodenis, &c.

94. Porro Raimundum illum Berengarium, compellatum quæstionis iudicem, aio fuisse Berengarium patruum, qui solus dicebatur Barchinoniæ Comes, nam desiderato in acie Berengario Dulciæ filio tertiogenito, vt supra dictum est, à Prouincialibus occisum indicat Vignerius, Zurita verò in Melgoriensi portu à prædonibus mactatum, filio superstite Raimundo Berengario, qui patri nondum pubes successit. Interim dum ipse adolesceret, publica negotia patrui Raimundi Barcenonensis Comitis imperio gerebantur, induciæ cum Balthiis in annum quintum firmatæ, iuramentum à clientibus præstitum, res ad summum in tuto collocatæ. Iunior Comitis Prouinciæ nomen, senior Marchionis tulit. Verùm cum Balthios pœniteret Berengariis pacem dedisse, nec obseruarentur induciarum leges vt testantur omnes, Raimundus, Conradum Imperatorem adiit, à quo Prouinciam iure fiduciario impetrauit. Stephanetæ igitur vxoris & Conradi concessionis iure subnixus maioribus in Berengarium insurrexit animis, ac Prouinciam iterum armata manu occupauit, quem bello insequutus est Raimundus Berengarius senior, iunioris patruus. Princeps, inquit Zurita, magno comparato exercitu Prouinciam inuadit, & Hugoni Balthio & eius fratribus qui rebellionem fecerant acre bellum infert, causam belli explicat. Hi eius ditionis dominari contendunt, ex priuilegio quod ab Imperatoribus Conrado & Frederico Conradi fratris filio, Hugoni irrogatum fuerat, ditionem omnem à Gil-

berto Comite & Gisberga Principis auis possessam concesserant. Contendit Hugo eo priuilegio Marcham & Prouinciæ Comitatum contineri. Hostiles subinde motus innuit atque indicat à quibus Arelatensium agri, nec ipsa vrbs fuere immunes. Balthium oppidum pluresque arces expugnantur, nec vllus erat locus quem non hostilis gladius penetraret. Trencataiarum Castrum fortissime à nostris oppugnatum, hybernis tempestatibus ingrauescentibus, in rebellione permanet. Raimundo interea decedente Stephaneta animos demisit, legauitque ad Raimundum Berengarium oratores, qui de pace agerent, conuenere Arelate vt regia, & inter alias conditiones & concordiæ leges Stephaneta & filij iuri Prouinciæ renuntiarunt. Nil tamen est, quòd magis Balthios à spe debellandæ Prouinciæ deiecerit Federici Cæsaris cum Raimundo Berengario affinitate, de qua his verbis Zurita loco citato. *Federici Imperatoris Legati ad Principem missi (Raimundum scilicet Berengarium seniorem) nuptias Raimundi Berengarij fratris Principis filij, & Richæ siue Richildis Augustæ Castellæ reginæ, Federici consanguineæ paciscuntur. Vtrique dominatus & ditio Prouinciæ honorario fidelitatis iure ab Imperatore attribuitur. Statuit vti ea obtineant conditione, qua maiores, à Druentia flumine ad nostri maris oras, & Alpium iugis ad Rhodanum possederant, iisdem finibus quibus terminata fuerant, pacto cum Alphonso Iordane Comite Tholosate conuento. Ad hæc adiiciuntur eis. Druentiam arces, & quæ Auenione obtinuerunt, Arelatem præterea vrbem eodem iure attribuit, receptis Ecclesiæ Arelatensi & Archiepiscopo vectigalibus & possessionibus, quas intra 100. annos obtinuerant. Forcalquerij Comitatus, Prouinciæ Comitatui eadem subiicitur conditione, & qui eius ditionis dominatur, quod Imperatori non paruisset neque eius dicto audiens esset, ab ipso deiicitur. Quod Prouincia & regnum Arelatense in ditione Romani Imperij essent, tributum quindecim Marchatum auri ponderis Coloniensis in singulos annos indicitur. Addo insuper ex eodem diplomate, nullas esse Conradi & Federici concessiones in Balthiorum vtilitatem factas, quod contra ipsiusmet Federici mentem eas Balthij explicarent. Acta sunt hæc Christi anno 1162. Indict. 10. regnante Domino Federico Romanorum Imperatore gloriosissimo, anno Regni eius 10. Imperij VIII. Datum apud Taurinum post destructionem Mediolani 15. Calend. Septembris.*

95. In *Fredolo* seu Friderico post Guibertum salutato Abbate, summa ad omne decus indoles fuit. Hic à pueritia Massiliæ in Monasterio institutus tum doctrina tum etiam virtute, in vtraque magnos progressus habuisse dicitur, quibus deinde cum rerum vsus prudentiam adiunxisset, ad Episcopi Foroiuliensis officium ac munus sustinendum adhibitus est. Hortatur eum per literas Alexander III. ac monet de ordinis disciplina accuratè seruanda, Ecclesias Arelatenses SS. Genesij, & Honorati, quas olim Petro Salomonis Abbate, Guillelmus Archiepiscopus Arelatensis eripuerat, Monachis suis recuperauit. Ab Archiepiscopo Pisano Primate ac Legato in Sardinia, simul atque à Constantino Archiepiscopo Calaritano

rano Ecclesiæ S. Saturnini donationem confirmatam habuit, quam aliàs ab Arelatensi Episcopo Benedicto in eadem insula Monasterii S. Victoris acceperat. Regere cœpit Abbatiam anno 1163. certè id habuisse operis ac muneris anno consequente 1165. conuincitur ex libro Chartarum discooperto fol. 137. Decessit anno 1166. cùm sedisset annis 3. mensibus 4.

Berengarius iunior Prouinciæ Comes prœlio cum Niciensibus qui rebellionem fecerant commisso decessit. Zurita & verus historiarum Aragonensium scriptor id tradunt, aiunt enim Raimundum Prouinciæ Comitem ex illa acie saucium elatum, accepti vulneris plaga fuisse confossum. Ex Richarda siue Richilde Friderici Imperatoris huius nominis I. nepte ex fratre, quam duxerat vxorem, Alphonsum & filiam suscepit. De filia tacent annales Prouinciæ, meminit Zurita traditque pactos esse Raymundum Comitem Prouinciæ & Raymundum Tolosanum vti filia Comitis Prouinciæ, Tolosatis filio nubat. Porro decessit Alphonsus sine liberis seniori Berengario patruo suo prædefunctus. Solus is Comes & Marchio Prouinciæ regnauit, atque ex Petronilla vxore regina Tarasconensium quatuor filios suscepit, Ildefonsum primogenitum qui fuit Rex Tarasconensium, & Comes Barcinoniæ ac Prouinciæ, Raymundum Berengarium secundogenitum, Petrum, & Sanchium. Defuncto Raymundo Patre anno salutis 1164. successit Ildefonsus in dictis regno & Comitatibus, qui eùm in Barcinoniam redirum destinaret, fratri suo secundogenito Raymundo Berengario Prouinciam commendauit eumque Prouinciæ Comitem declarauit, recepta prius obligatione & cautione solenni, adiecto iureiurando, eamdem se restituturum, quoties à fratre vel ab eo delegatis postularetur. Quamobrem nec ab eo tempore Ildephonsus nomen Comitis Prouinciæ assumpsit, Marchionis, Prouinciæ nomine contentus, nam aliunde & regio Tarasconensium nomine & Barcinoniæ Comitatu illustrabatur. In Catalauniam profecto Ildephonso Raymundus tanquam Comes Commendatarius Ildephonsi nomine omnem Prouinciam regebat. Nec vero defuerunt qui assererent Raymundum hunc fuisse, qui in expugnatione Niciæ ciuitatis rebellis, telo percussus interiit, cuius nece audita Ildephonsus in Prouinciam cum exercitu reuersus, Nicienses ad deditionem coegit, solutis primò octo millibus & quingentis solidis, illos in homines suos fidemque suam recepit. Certe fuisse ipsum Arelate testantur Acta publica in Tabulario Arelatensi ex autographo Episcopali rubeo fol. 215. *Ego Ildephonsus Rex Aragonensis, sponte & sine omni coactione Castrum de Grauis & Castrum de Aurons cum omnibus territoriis suis tibi Raymundo Arelatensis Ecclesiæ Archiepiscopo & successoribus tuis dono, & pro cambio me deuestio & te & Arelatensem Ecclesiam inuestio. Præterea aquæductum & aquam fluminis Druentiæ ad deducendum lectum ipsius aquæ à Druentia vsque Salonem, & inde vsque ad mare dono, concedo.* In Prouincia igitur dum esset Ildephonsus aduersantem habuit Sanctium fratrem, qui ex paterna voluntate Comitatum sibi deberi contendebat. Sed quia bello impar erat, Prouinciam fratris subregulus administrandam suscepit, vnde à Prouincialibus Tyrannus & incubator dictus est.

Vnio

Vnio Sanctij filius, patrem sequutus est in præfectura, vtriusque dominatus breuis æui fuit. Obiit enim Sanctius in Catalaunia anno 1165. cui Vnio filius vix plures 15. annos superstes vixit.

Massiliæ anno 1165. Raymundus Gaufredi Vicecomes ex vxore Pontia tres liberos suscepit Hugonem Gaufredum huius nominis II. Bertrannum & Gaufredum de Marsilia, qui ad componendam litem pro iure dominij in superiorem Massiliæ partem, dudum contra ipsos ab Episcopo & Republica Massiliensi intentatam, per arbitros Raymundum à Bolena Archiepiscopum Arelatensem, & Raymundum Episcopum Carpentoractensem incredibili ac singulari populi voluntate transegerunt. Gaufredus de Marsilia Sardæ nobilissimæ virgini nupsit, ac duos filios Gaufredum Sarde, & Hugonem reliquit. Ex Hugone Gaufredo II. quem Dominum de Trectis appellabant, & vxore Cæcilia deinceps propagati sunt Hugo Gaufredus III. Guillelmus Grossus, Barralis, Raymundus, Gaufredus, & Roncelinus qui Patris Vicecomitatum inter se partiti regnare ceperunt anno 1170. Pacta sunt cum ipsis à Raymundo Berengario fratre Ildephonsi Comitis Prouinciæ certa fœderis conuenta & stipulationes, quibus liceret Massiliæ Vicecomiti stare dominio suo & eo quidem expedito, libero soluto, & nullis censibus aut vectigalibus implicato, iis tamen conditionibus, vt Prouinciæ Comiti obequitando illud peragrare aut in eo venari pro arbitrio fas esset.

Ex Archiuis Ecclesiæ Massiliensis. Hæc est memoria de...... & desemparatione quam fecerunt Hugo Gaufridi & Bertrandus Gaufridi fratres Vicecomites Massiliæ & Domini Trictis, filij videlicet Raymundi Gaufredi & Dominæ Pontiæ. Raimundo Massiliensi Episcopo de Choris omnibus...... infra ambitum Massiliæ constructis de quibus, &c. *præsentibus istis Bertrando de Aquis Canonico & Petro Bremundo*, &c.

Ex iisdem hoc est translatum cuiusdam Chartæ per album diuisæ, cuius tenor talis est. In nomine Domini nostri Iesu Christi tam præsentibus quam futuris pateat hominibus, quod de controuersiis seu querimoniis quæ inter Petrum Massiliensis Ecclesiæ Episcopum, & inter Vicecomites Massilienses scilicet Hugonem Gaufridi & Bertrandum fratrem eius & inter nepotem eorum Hugonem Gaufredi filium Gaufredi de Massilia, &c.

E paruo Chartario S. Victoris Cæcilia Mater Guillelmi Grossi & Roncelini Vicecomitum Massiliæ, &c.

96. *Petrus* interim eius nominis III. De Nogareto dictus, ab Ordinis proceribus post varia tot mentium dissidia creatur Abbas anno 1166. Friderico Ænobarbo (Barbarussa vulgo appellatur) è Sueuiæ Duce renunciato Augusto, & Alexandro III. summo Pontifice, qui ad ipsum literas dedit grauissimis verbis sententiisque plenas; statutaque Ordinis recens condita à Capitulo Generali & promulgata, diplomatis appositione comprobauit, censuræ grauissimas pœnas interminatus iis, qui Abbatias & Prioratus Monasterio S. Victoris Massiliensi iure adscriptas in alienæ ditionis siue Monachorum siue Laicorum vsus distraherent, cui tamen priuilegio derogare aliquando placuit eidem Pontifici, & ad leuandam

Patriarchæ

Patriarchæ Antiocheni à barbaris pro defensione fidei patria eiecti summam inopiam & egestatem, prioratus id genus perpaucos in Prouincia sine præiudicio tamen abalienare. Ildefonsus Aragonum Rex & Prouinciæ Comes à Petro nostro exoratus agros omnes fructuarios cum domiciliis, quos Monachi Cassianitæ vbique ditionum suarum possidebant, vectigalibus regiis & quorumcumque subsidiorum pensitationibus immunes ac liberos reddit, & cambio dominiorum inter Raymundum à Bolena Archiepiscopum Arelatensem & Petrum Abbatem hunc nostrum transacto, nomen, fidem, & authoritatem suam interposuit.

Ex Archiuis Ecclesiæ Arelatensis. In Iesu Christi nomine. Anno eiusdem 1178. tam præsentibus quam futuris pateat hominibus, quod ego Raymundus Archiepiscopus Arelatensis honorem de Vaqueriis sicut in instrumento vestro per Alphabetum diuiso continetur, à vobis fratre & dilecto Petro Massiliensis Monasterij Abbate & ab ipso Conuentu recipio, & tempore procedente concambium videlicet Ecclesiam S. Gabrielis cum omni iure & pertinentiis vobis & Massiliensi Monasterio perpetuo & libere habendam dabo & tradam & defensor in omnibus existam vel in perpetuum, quod hactenus facere distulimus, intuitu religionis Monasterij & honestatis & pro salute animæ nostræ. Placitum pro Ecclesia S. Honorati quod inter vos & Canonicos nostros quondam nobis mediantibus factum fuit, vobis & Monasterio laudamus & confirmamus, ita tamen vt deinceps non solum à Canonicis Arelatensibus verum etiam à nobis & successoribus nostris, Ecclesiam prædictam S. Honorati saluo nostro dominio libere habere & in perpetuo possidere ac retinere valeatis. Et vt fides perpetuo habeatur, hanc Chartam laudamus, & sigillo nostro signare & munire facimus.

In nomine Iesu Christi Domini. Anno eiusdem 1178. tam præsentibus quam futuris pateat hominibus quod ego Petrus Massiliensis Abbas, & ego Guillelmus de Mezeiras Prior eiusdem Monasterij, & totus Conuentus honorem de Vaqueriis cum omni iure suo sicut in chartis nostris continetur, vobis Domino Raymundo Arelatensi Archiepiscopo concedimus, donamus, & laudamus. Verumtamen quia honor iste dominij incultus & quasi deperditus extitit, & vos ad culturam deducere & expensas in eodem facere oportebit, hoc addimus & concedimus quod si vsque ad quinquennium præfatum honorem vobis & Arelatensi Ecclesiæ perpetuo habere ac retinere placuerit, pro concambio huius honoris, sicut condictum & promissum est, eamdem Ecclesiam S. Gabrielis cum omni iure suo & pertinentiis nobis & Monasterio Massiliensi perpetuo & libere habendam concedetis, laudabitis, & tradetis. Et nos eam Ecclesiam recipere ac retinere tenebimur. Si autem intra prædictum quinquennium concambium de prædicto honore nobiscum facere vobis non placuerit, prædictum honorem de Vaqueriis nomine nostro possideatis & teneatis. Post mortem vero nostram prædictus honor cum omni augmento & melioratione absque omni contradictione successoris vestri aut cuiuslibet alterius personæ, ad Monasterium Massiliense libere reuertatur.

Verùm vt inter nos & vos prædicta firmius permaneant, & chartas huius honoris vobis tradimus, & si quid ratione possessionis vel dominij incommoditatis seu controuersiæ fortè contigerit, authoritatem & defensionem Monasterij cum opus fuerit præstabimus. Et hanc chartam & quæ in ea scripta sunt vobis laudamus & sigillo nostro firmamus. Huius rei sunt testes Guillelmus de Mazerias Prior maior, Guillelmus de Astorge, Ioannes de Mauris, Fredolus de Moreriis, Bernardus Guillermi, Stephanus de Calatione. Hi omnes sunt Monachi, Petrus Gantelmi, Petrus Ferreoli, Petrus Filiolus, Petrus Fulco filius Ioannis Fulconis, Raymundus Guillermi de Salone, Dulcianus qui hanc chartam scripsit.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno eiusdem 1178. tam præsentibus quam futuris pateat hominibus quod ego Ildefonsus Rex Aragonensis Comes Barchinonensis & Marchio Prouinciæ laudo & confirmo Arelatensi Ecclesiæ & tibi Raymundo eiusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, & successoribus tuis Concambium honoris de Vaqueriis, quod fecisti cum Monachis Massiliensibus, eo videlicet tenore absque omni exactione & albergi honore concedo, vt præfatum honorem in aquis & in terris cultis & incultis & in cæteris omnibus, sicut in chartis acquisitionis Monachorum continetur, liberum perpetuo habeas & sine omni contradictione & Dominorum de Mories & Monachorum, perpetuo nomine Arelatensis Ecclesiæ, in pace, nostra authoritate possideas. Verum vt hæc charta omni tempore inconuulsam firmitatem habeat & retineat, eam signo nostro munimus & sigillo proprio firmari facimus.

Notum sit omnibus quod ego Petrus Prior S. Honorati cum consilio & voluntate Domini nostri Massiliensis Abbatis & Monachorum nostrorum donaui atque laudaui; tibi Clementi & vxori tuæ, filiis & filiabus vestris, omnique posteritati vestræ omnem Eremum quæ est de Cargarono vsque ad cetum [illegible] tali pacto donamus vobis, vt rumpatis terram & laboretis, & reddatis Deo & S. Honorato de inferiori terra, quæ est ex parte paludis, quartam partem & dimidiam, & de superiori tasquam & dimidiam, & debetis sequi fronteriam ex parte paludis, &c. Abbas laudauit.

Ildefonsus diuina gratia Rex Aragonensis Comes Barchinonensis Marchio Prouinciæ Dilectis in Christo amicis Abbati Massiliensi & toti Conuentui salutem. Concambium de Vaqueriis quod cum venerabili nostro & dilecto Raymundo Arelatensi Archiepiscopo iam fecistis, nos & libere & absolute & cum omni integritate cum omnibus finibus suis & terminis laudamus & confirmamus, & quod factum est firmum & ratum habemus, vnde maxima dilectione qua nobis tenemini vos monemus attentius & volumus, vt & vos similiter firmum & ratum inuiolabiliter habeatis & nullam contrarietatem vel molestiam præfato Archiepiscopo vel successoribus eius in his faciatis, neque in quantum poteritis fieri permittatis. Quod si non feceritis indignationem nostram sine dubio reportaretis.

Ildefonsus diuina gratia Rex Aragonensis Comes Barchinonensis & Marchio

Marchio Prouinciæ fidelibus Hugoni de Monterapho, Elsiario & fratribus suis, atque Pontio Gaufredi & fratri suo salutem. Notum vobis fieri volumus quod charo nostro & dilecto Raymundo Arelatensi Archiepiscopo & Ecclesiæ Arelatensi concambium de Vaqueriis, quod cum Monachis Massiliensibus fecit, sicut in instrumentis prædictorum Massiliensium Monachorum continetur liberè & absolutè & cum omni integritate laudamus & confirmamus. Vnde vobis mandamus & in ea fidelitate qua nobis tenemini vos monemus, vt nullam contrarietatem vel molestiam præfato Archiepiscopo & successoribus eius in his aliquo modo faciatis neque in quantum poteritis fieri permittatis. Quod si faciatis indignationem nostram sine dubio reportaretis.

Per id tempus Thomas Cantuariensis Archiepiscopus Ecclesiastica iura defendens, à Rege Anglo Henrico I I. in exilium actus, Senone in Gallia apud Alexandrum I I I. Romanum Pontificem de iniuriis conquestus ad Pontiniacum Cœnobium se contulit. Interea Rex filium suum Henricum à Rogerio Eboracensi Archiepiscopo, absente tum Cantuariense, cuius id muneris fuerat, 17. Calend. Iulij anno 1170. in regem coronandum curat; de qua iniuria Thomas Cantuariensis apud Alexandrum Papam conquestus ita eum mouit vt is Eboracensi & aliis qui istiusmodi coronationi interfuissent sacrorum administratione interdixerit. Sed anno tandem 7. exilij sui Thomas, reconciliato vt putabatur Rege in Angliam reuersus 4. Calend. Ianua. coniuratorum gladiis in templo confossus occiditur anno 1171. ab Alexandro Papa postea Martyrum Catalogo adscriptus.

Cæterum Petrus Abbas annos non plures 12. supra menses 4. in hoc regimine constitit cum magna subditorum vtilitate & approbatione. Hinc ad Deum abiit anno 1179.

97. Tulit patem dignitatis & sanctimoniæ laudem *Deodatus de Seneriaco* consecratus Abbas anno Alexandri I I I. vigesimo, Dominicæ Incarnationis 1179. quem ab iustitia, charitate, vitæque religiosæ virtutibus & exemplis multum fama prædicat. Breui est extinctus anno 1182. Præfecturæ 3. mense 2. Hac ætate sacro Resurrectionis Dominicæ die, vt autor est Zurita, Bertrandus Balthius ex insidiis crudelissime à suis interimitur, qui in terra Gallia præpotens Prouinciali bello Regi se aduersus Raymundum Comitem Tolosatem & S. Ægidij addixerat, atque in asserenda & vindicanda ea ditione egregiam operam nauauerat. Nam cum Alberonensi in arce Rex esset interclusus, fideli & præstanti eius opera ex periculo est ereptus, bonamque eius dicionis partem Regi tradiderat. Eius vlciscendi causa, vti supplicium de sceleratis proditoribus sumeret Rex in Prouinciam proficiscitur. Morallum castrum obsidet atque expugnat. Acre bellum aduersus Tolosatem geritur pluraque oppida diruuntur.

98. Clarere cœpit inter hos ignes *Asторgius Abbas* pietate, humanitate, munificentia egregius anno 1182. vt habetur in libro Chartarum fol. 56. Causam Foroiuliensem pro dominio Ecclesiæ de Calars, cuius de-

cimarum medietatem sibi assumebant Monachi Cassianitæ, ex pacto & Conuentu tractatum habuit cum Fulcone Episcopo Foroiuliensi, iisque obstrinxit ac definiuit conditionibus; vt Episcopus certos ac vectigales rei frumentariæ modios Abbati S. Victoris ac Monasterio penderet quotannis. Rexit annos 4. ac tandem in humanis esse desiit anno 1186. Eadem porro tempestate Iudæi mense Iunio anni 1182. coacti regno Franciæ excedere. In Asia terræ motus ingens, aliquot vrbes & in Sicilia viginti quinque hominum millia deleuit. Arelate Canonicos S. Trophimi tunc vitam regularem professos esse, quam autore Raimbaldo Archiepiscopo & Monacho S. Victoris auspicati erant vt supra monuimus, testatur Vrbani III. Bulla quæ in horum confirmationem venit, vbi enumeratis quæ Conradus Federicus aliique Principes Arelatensi Ecclesiæ contulerant ait Pontifex, *Statuentes vt ordo Canonicus quem nuper secundum B. Augustini regulam Domino professi estis, in Ecclesia vestra perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruetur.* Extat insuper in Archiuio & in M. S. codice Ildephonsi Regis Aragonum & Comitis diploma, quo Arelatensis Respublica immunitatis amplissimo priuilegio cohonestatur.

Anno Domini 1184. *Manifestum sit omnibus hominibus, quod ego Ildephonsus Dei gratia Rex Aragonum Comes Barcinonensis & Marchio Prouinciæ; dono & concedo omnibus militibus, Burgensibus, proceribus, totique populo Arelatensi, quod de cætero in vllo loco terræ meæ Leudam vel pedaticum non donent per terram siue per aquam: præterea recipio in protectione & defensione mea omnes homines prædictos, vt eant salui & securi per totam meam terram; & nemo audeat eos grauare aut disturbare, dum per meam terram transierint, vel aliquod prorsus vsaticum ab eis exigetur. Datum apud Arelatem mense Martij anno quo supra. Testes sunt Petrus Eymardus Arelatensis Archiepis. & Coss. Arelatenses, Guillelmus Gros, Rostagnus de Monte Arbone, & Guillelmus de Borgedono & Comes Fuxensis.*

99. Annuum haud amplius regimen *Bertrando de Monte Murato* post Astorgium contigit anno 1187. homini propter ætatem ac rerum peritiam maximè omnium idoneo. Sed talem scilicet Capituli Generalis Conuentus eo consilio delegerat, vt esset qui honoris non tantum contentus specie susceptam prouinciam pro sua fide & diligentia ex voluntate bonorum omnium, qui ipsi rem magnam difficilemque commiserant, gerere posset. Inter hæc Saladinus genere Turca nouus Sultanus Ægypti, Calypha interfecto, inuasit imperium, ita Ægyptus in Turcarum venit potestatem. Et Saladinus ab rebus secundis ferox Syriam inuasit. Itaque Balduino Hierosolymitano Rege victo captoque bellum circumferens pleraque oppida, ipsamque Hierosolymam in deditionem accipit anno ferme 90. quam recepta de barbaris fuerat. Quo tristi nuntio accepto Vrbanus III. mense Septemb. anno 1187. ac præsertim de Cruce Domini, quæ in direptione vrbis ad manus impiorum peruenisset, tantum ille doloris hausit vt sustinere non potuerit, ac Ferrariæ ad Padum flumen 14. Calend. Nouemb. obierit.

100. *Astorgius* deinceps cognomine de Caniliac ad Abbatiæ sum-

mum apicem peruenit Clemente III. Romano Pontifice quod & nobilitate & sapientia præstaret. Orsus est anno 1188. serieque continuata fœliciter 5. annorum, rebus humanis eximitur anno 1192. Nihil fere hac ætate memoria dignum gessit magis, quàm quod iuri reluctantem Abbatem Monasterij Syluecanensis ac detrectantem annuum vectigal modiorum frumenti 4. ac 12. solidorum Melgoriensium; cui propter acceptam fiduciario titulo Ecclesiam S. Victoris De Gontardo, Druentiam propter, obligabatur, soluere Monasterio S. Victoris, qua iudiciis forensique contentione, qua virorum primariorum & amicorum Imberti præsertim De Aqueria Arelatensis Archiepiscopi consilio & authoritate, in totum ad suam voluntatem redegit. Eodem sedente Astorgio, Massiliæ Hugo Gaufredus III. filius Hugonis Gaufredi II. Vicecomitis, matre Cæcilia subrogatus est Patri, & hæreditatis nomine Dominium de Trectis & Vicecomitatum Massiliensem ex parte adiit. Portorium pro viginti millibus solidorum regalium coronatorum oppignerasse Guillelmo Viualdo ac Botino Iudæo, eisque Ruffum de Castronouo & Guillelmum de Montolieu pro vadimonio sponsores constituisse affirmant historici.

Ex Archiuis Massiliæ anno 1193. Ego Hugo Gaufridus Dominus de Triclis Dominus Massiliæ & Vicecomes obligo pignori tibi Guillelmo Viuando & tibi Botino Iudæo, quartam partem meam totius portus Massiliæ pro viginti millibus solidorum regalium coronatorum, quos integre pro me in redemptione Massiliæ persoluistis, &c.

Ex hoc Hugone fuere Rostagnus de Agouto, Raymundus Gaufredus, & Gaufridus fratres, & Adalatia siue Alasadia soror, cui nupsit Raymundus de Baucio, & in dotem, Vicecomitatus partem eidem Hugoni pro portione descriptam accepit, quæ tamen pars à Baucio venit deinceps paruo pretio, & in perpetuum alienata est. Guillelmus IV. cognomento Grossus eiusdem Hugonis Gaufridi frater secundò genitus filiam Vnicam Mabiliam habuit nuptam Gerardo Adhemario viro potentissimo & clarissimo oppidique Montiliensis supremi iuris Domino. Haud leuem pecuniæ summam eius testamento legatam sibi obtinuerunt Monachi S. Victoris, de quo in Monasterij tabulario instrumentum istud est.

Ex paruo Chartario S. Victoris. Incarnationis Dominicæ anno 1188. Notum sit cunctis tam præsentibus quam futuris, quod Guillelmus Grossus Massiliæ Vicecomes diem suum obiens duo millia solidorum regalium reliquit Monasterio Massiliensi, de quibus ipsi Monasterio honor emeretur aut redimeretur, & de reditibus ipsius honoris certo die Conuentui fieret annua procuratione, ita honorificè sicut in anniuersario Abbatis fieri consueuerunt. Et idem Conuentus memoriam ipsius & parentum eius singulis annis vltimo die Maij facere teneretur, ita solenniter sicut in anniuersario quoque Abbatis fieri consueuit. Itaque sciendum est quod Conuentus ipsius Monasterij honorem S. Petri de pecunia prædicta redemptum nec verò hortum Monasterij qui ibi est Dominis Massiliensibus tam præsentibus quam futuris obligauerunt, vt de reditibus in eo prouenientibus per dictum anniuersarium honorificè celebraretur, &c.

Ex Archiuis Ecclesiæ Massiliensis. Manifestum sit omnibus quod nos Geraldus Adhemary Dominus Montily & Vicecomes Massiliæ, & Mabilia eius vxor Domina Montily & Vicecomitissa Massiliæ, cum hac publica charta approbamus, laudamus, confirmamus vobis Petro Massiliensi Episcopo & Hugoni Massiliensi Preposito compositionem iam dudum factam inter Petrum Massiliensis Ecclesiæ Episcopum ex vna parte, & inter Vicecomites Massiliæ scilicet Hugonem Gaufridi Dominæ Mabiliæ auum, & Bertrandum fratrem eiusdem Hugonis, & Hugonem Galfridi, Sardum nepotem eius, & filium Galfridi de Massilia ex altera, &c.

Barralis fratrum alter tertio genitus filiam vnicam Barralam nomine despondit Hugoni Baucio. Hic Monachorum S. Victoris studiosus & fautor Castrum de Cireste leuauit omni vectigali onere ac munere, perlustrandi facultate duntaxat, & in causa criminis iudices constituendi, Domino integra reseruata. Ildefonsi Regis Aragonum vicem in vniuersæ Prouinciæ regimine gessisse aliquando, reperitur in publicis instrumentis.

Ex Archiuis Artacellæ. Ego Vuillelmus de Pennis vendidi bona fide & iusto venditionis titulo Bermundo Priori & Monialibus De Arcellis duo millia solidorum Nouorum regalium, medietatem Castri De Pennis & alterius medietatis quartam partem cum territorio culto vel inculto, &c. Volens itaque venditionem istam Monasterio de Artacella, Priori, & Dominabus omni firmitate in perpetuum constare, in præsentia Barralis Massiliæ Vicecomitis vicem Ildephonsi Illustris Regis Aragonum in Prouincia gerentis, iuri proprio renuntians quod quid habeo vel teneo in Castro De Pennis & eius territorio totum in ius Monasterio De Arcella, Prioris & Dominarum libere transfero omni exceptione sublata. Vt autem omnis iniquæ fallionis suspicio de medio tollatur & omnis calumniæ fomes procul abscedat, omnia quæ huius tenor exprimit instrumentis, tactis sacrosanctis Euangeliis, me saluaturum promisi. Ego Barralus Massiliæ Vicecomes vicem Domini Ildephonsi Regis Aragonum in Prouincia gerens, in cuius præsentia factus est huiusmodi contractus venditionem istam laudo, & concedo & sigilli nostri impressione confirmo. Factum est autem hoc instrumentum Anno Incarnationis 1190.

Raymundus Gaufredus superiorum frater quartogenitus ex Marchesia Ixmila vxore duos filios habuit Gofredum Reforciatum & Burgundionem. Hunc Monachos S. Victoris merito ipsorum amasse plurimum officiique genus omne ac cultus tribuisse loquuntur Annales. Maior verò Dominus de Trectis & de Tolono cognominatus, ducta in vxorem Guillelma, filiam vnicam Sibillam peperit nuptam Cassiano ciui Massiliensi clarissimo ac nobilissimo, quæ prolis expers ac sine liberis defuncta Carolum Andegauensem hæredem suum testamento instituit anno 1262. De Ronselino quatuor aliorum fratre natu minore dicemus suo loco, capite sequenti 28.

Per id tempus Fridericus Ænobarbus Imperator audito quod Hierosolyma à Saladino capta esset, tanti vt sceleris aboleret inuidiam, eò cum Germanorum viribus insignis cruce contendit, ac multis in Thracia &

Asia

Asia contra Imperatorem Constantinopolitanum ac Saracenorum regulos fortiter gestis, Tarsi in præfrigida Cydni vnda, per æstiuos calores feruidum abluens corpus extinguitur anno 1190. Cuius filius Henricus VI. Rogerij I. Siciliæ Regis filiam duxit vxorem, cùm enim Celestinus III. Pontifex æque ferret Tancredum spurium, Ecclesia Romana inuita, regno Siciliæ cum filio potiri, actionem à Clemente III. inchoatam perficere decreuit. Quod vt facilius præstaret, opera Panormitani Archiepiscopi Constantiam Tancredi Sororem, sed legitimo matrimonio ex Rogerio Apuliæ Duce Rogerij Regis primogenito qui ante patrem obierat natam, occultè ex Monasterio Panormitano eduxit, eamque iam quinquagenariam Deo dicatam & eius Cœnobij Abbatissam dispensatione Apostolica Henrico VI. Imperatori in vrbe præsenti in matrimonium dedit. De quibus innuptis vt aiunt nuptiis, Ioachimus Abbas vaticinatus dicitur, eas funestam Italiæ facem parituras. Iam Tancredus Rogerij Regis expellice nepos fauore Siculorum regnum Siciliæ obtinebat, cùm Henricus in Italiam ingentem traduxit exercitum regnum dotale recepturus.

101. *Rossolinus* vir sapientia inclytus rexit super vno mense annum, vnum, qui fuit Christi 1193. Cælestini Papæ tertius sunt qui per id tempus Teutonicorum militum ordinem à Germanis in Syria institutum tradant bellicis operibus atque opibus insignem. Eadem fermè tempestate duo sacræ militiæ ordines in Hispania extitere Calatrauæ & S. Iacobi, rebus gestis aduersus Mauros inclyti. Quod ad res Prouinciæ attinet Ildephonsus Rex Aragonum & Comes Prouinciæ ex vxore Sanxia filia Regis Castellæ, liberos suscepit masculos tres, totidemque filias, Petrum primogenitum, quem Pater Regem Tarasconensium & Comitem Barcinoniæ inaugurauit. Ildephonsum secundo genitum Comitem & Marchionem Prouinciæ declarauit, Ferrandum tertio genitum Monasterio Populeti destinauit in Monachum. Constantiam Regi Hungariæ matrimonio copulauit, quo mortuo, secundò nupsit Friderico huius nomini II. Imperatori, Elionoram autem & Sanxiam iunxit Raymundo Patri & Raymundo filio Comitibus Tolosanis, Sanxiam quidem Raymundo filio, Elionoram Raymundo Patri. Defunctus est Ildephonsus Pater anno Christi 1195. cui successit eodem anno in Comitatu Prouinciæ Ildephonsus filius, huius nominis II.

102. *Raymundus* nobili & antiqua familia de Aureilha Rossolinum proximè excepit anno Christi 1194. Dignitatis Abbatis venerandam imaginem ad annum vnum menses 4. sustinuit, obiitque anno 1195. Cælestinus Papa Ioannem Galbertum in Sanctorum numerum retulit Calend. Septemb. anno 1195. Rogerius adolescens, quem Pater Tancredus regni sui consortio Regem creauerat, anno imperij VIII. moritur, cuius immaturo obitu Tancredus mœrens, animi dolore anno 1194. excessit. In cuius locum omnium regni procerum consensu eius 2. filius Guillelmus III. Rex VI. creatur: contra quem Imperator Henricus maximo cum exercitu ex Germania paulo post veniens nullo negotio totum regnum

anno

anno 1195. obtinuit. Cæsar Guillelmum nepotem, ne prolem haberet, castratum luminibus priuauit, atque ita Northmannorum regnum defecit, & in potestatem Sueuorum venit. Ciaconius in Cælestino III.

103. *Hugo II.* cognomine de Dolon, Generalis eiusdem sanctione capituli, delatum Abbatis nomen accepit anno 1195. retinuit annum 1. menses 6. Viuere desiit inter mortales anno 1196. Tempore istius Hugonis, vt ad M. S. Indicis marginem adiicitur, fuit reformatum Monasterium per Dominum Bernardum Cardinalem anno 1195. tempore Cælestini Papæ 3. patet in libro paruo chartarum & in statutis antiquis fol. 83. De quo Bernardo Ciaconius in indice Cardinalium quos Cælestinus III. Papa creauit, tum in vita Clementis III. Dominus Bernardus, inquit, Canonicus regularis Congregationis S. Frederici, Lucensis, Diaconus Cardinalis S. Mariæ nouæ, postea Presbyter S. Petri ad Vincula tit. Eudoxiæ, à Cælestino III. creatus. Cum Pandulpho Cardinali Basilicæ Apostolorum anno 1. Innocentij III. in Tusciam legatus pactiones ciuitatum Etruriæ inconsulta Apostolica sede inuitus firmauit. Ita Innocentij III. registrum sub quo migrauit. Per id tempus Congregatio Monachorum Montis Virginis authore Guillelmo Vercellensi sub protectione sedis Apostolicæ recipitur, & approbatione Pontificia Cælestini III. decoratur.

104. *Mainerius* eius nominis primus Abbas anno 1196. magnæ vir authoritatis erat. Generalem Conuentum indixit ad annum 1202. & literas dedit ad Ordinis proceres, Abbates, Priores quibus suffragij ius esset, vt sine mora & abiecta cunctatione Massiliam iter arriperent; ibi futuro consessu, quod magis esset sanctitati loci consentaneum, tum quod id more ageretur institutoque maiorum; Bonum commune familiæ bonamque ac prosperam muneris, quod nequisset detrectare, sibi impositi administrationem Deo sacrificiis ac precibus commendarent. Denique conarentur quam frequentissimi quamque paratissimi conuenire, quia in huius Capituli statum coniecti forent Innocentij Pontificis oculi & animus, cuius paterna cura in ordinis conseruationem & labantis disciplinæ instaurationem studiosissimè incumberet. Tum præter correctionem morum & negligentiæ veteris emendationem res tractandæ grauissimæ. Ac summa erat manus imponenda nouis aliquot decretis & constitutionibus, quas nuper iussu Cælestini Papæ Bernardus Cardinalis legatus Apostolicus promulgarat quidem, & ad vsum traduxerat, quia tamen posteris opportunitate vtentium magis quàm authoritate sua sancitas vellet, noluisse omnino ratas haberi, priusquam experimenti sequutus prærogatiuam, Generalis Conuentus communi suffragio comprobaret. Nec cessit infœliciter Abbati suscepta cura & expectatio Comitiorum, breui enim Massiliam peruenere magno numero ordinis primarij Patres, ex longinquis circumquaque diuersisque regionibus profecti, omnes cùm doctrina tum Sanctitate rebusque gestis insignes. Et suauissimum erat spectaculum & acre ad imitationem incitamentum, singulorum in dicendo moderationem modestiamque intueri? Tempus id erat,

erat, quod ex percepta ante notitia statuere quemque apud se oportebat, quid de rebus cum tranquillitate pacis & otij transactis perfectisque, ea lege à iudiciis causisque atque à se ipsis inuicem discesserunt, vt Deo propitio sperarent, firmitatem atque constantiam, si modo fuisset aliquando in ipsis, eamdem semper ex animi voto futuram, quam tot institutis nouis ac legibus posteritati commendatam reliquissent. Plura in ordinis amplificationem gesta & in commune bonum Ecclesiæ ac restitutos mores, lapsosque ab errore deductos, & alia id genus quæ per famulum suum diuina sua gratia Christus egerit, ex hoc coniicere licet quod in maximis suis occupationibus nunquam intermitteret studia diuini honoris ac pietatis promouendæ. Præfuit annos circiter 7. obiitque mense Februario anni 1203.

105. *Guillelmo II.* cognomine *De Petra* mainetius Moriens imperium reliquit anno 1203. quod cum sapientissimè administrasset annos 5. menses 3; cessit è vita exeunte anno 1207. Ad indicis marginem adiicitur. *Tempore istius Guillelmi De Petra fuit maxima diuisio in Monasterio præsenti, & sedata per Dominum Ioannem Regiensem Episcopum Legatum Apostolicum & Dominum Fulconem Tolosanum Archiepiscopum & Dominum Guillelmum De Aligno Priorem S. Honorati Arelatensis, qui postea successit Domino Guillelmo De Petra, vt patet in statutis antiquis præsentis Monasterij cap. Præsentibus pateat.* Quo autore vel qua causa tam repente grauissimæ domi procellæ ortæ sint, cælauit antiquitas curiosos lectores, quas nihilominus vulgare operæ pretium duxit, vt Dei patrocinium intelligant quo assiduè ab intestinis externisque oppugnantibus suam hanc Cassiani familiam defenderit; tum vt ij qui futuri præsides subrogarentur, si quid huiusmodi in sua administratione tempus ferret, non modo antiquis & alienis hominum Sanctissimorum contra quos seditiones acerrimæ extiterunt, sed etiam domesticis ac recentibus exemplis ad tuendam in aduersis rebus constantiam se communirent. Hoc tempore Michaël de Motesio seu de Motesiis Archiepiscopus Arelatensis per literas Comprouinciales suos Episcopos monuit, desolatam esse penitusque destructam ædem S. Honorati extra muros quam possidebant Monachi Cassianitæ, in qua præter Trophimi sepulchrum, cuius reliquias Raymundus de Monte Rotundo intulit in Ecclesiam vrbanam D. Stephano sacram, quamplurimi asseruabantur Sanctorum cineres, Mausoleum & Ossuarium erat Archipræsulum procerum, Regumque Burgundiæ & Arelates, ideoque liberius impertiendas ab illis eleemosynas esse, vt antiquum illud reuerendumque templum exurgeret. Dedimus autem hanc Epistolam ex Autographo Episcopali nigro fol. 139. totidem Verbis descriptam capite superiori 18. num. 21.

Ildephonsus II. Prouinciæ Comes. vxorem Garsendam Guillelmi Comitis Forcalquerij filiam sibi pepigit, in cuius hæreditatem successit, ex qua Raymundum Berengarium habuit & Garcendam, quæ Viennensi nupsit Delphino. Hic primus omnium comitatum Prouinciæ & Forcalqueris, ob Garsendæ hæredis matrimonium, iunxit. Huius quod ra-

rum est & Petri Regis Tarasconensium fratris extant in regiis Prouinciæ Archiuiis duo testamenta, eadem forma, charta vna, Notario eodem, & testibus iisdem conscripta anno 1204. mense Octob. in quibus quilibet fratrum filium instituit hæredem, eoque moriente sine liberis masculis fratrem exclusis filiabus substituit, & Raymundo filio impuberi Petrum fratrem tutorem designauit. Moritur Ildephonsus, Guillelmo socero Comite Forcalquerij & Garcenda superstitibus, qua de causa Garcenda donec filius impubis esset, omnem procurationem vtriusque Comitatus Prouinciæ & Forcalquerij in se vertit. Singulare verò illud quod in sigillo Cancellariæ lilium Gallicum manu gestasse Alphonsum, vt hoc emblemate Prouinciam supremo dominatus iure non Cæsares imo Francos Reges spectare significaret. Obitum eius an. 1206. contigisse volunt Prouinciales historici. Zurita reiicit in annum 1209. Ildephonsus, inquit, Prouinciæ Comes Barcinone soluens Constantiam reginam sororem ad Federicum maritum Siciliæ Regem magno Prouincialium & Cathalanorum procerum Comitatu deducens, in Siciliam Februario mense appellit. Funestæ eæ nuptiæ morte Ildephonsi & plurium procerum, qui magna vi morbi ingrauescente Panormi decessere.

106. *Guillelmus* interim huius nominis III. *De Aligno* nuncupatus post aliquot annorum dissidia mortuo Guillelmo De Petra creatur Abbas anno 1208. decessitque anno principatus sui 3. supra menses 7. anno Incarnationis 1212. Nemo tamen parum diu vixisse existimauerit qui virtutis tam perfecto functus est munere, cùm enim versa & mutata in peiorem partem essent omnia & inter Monachos de iure præsertim electionis ac de nominando Abbate illa, quæ consanuisse videbatur dissensionum ægritudo recrudesceret in dies, pene iam ad sexcennium ducta, Innocentius III. ad morum hanc corruptelam & alias id genus repurgandas, innouandumque primigeniæ pietatis feruorem qui aliquantulum remiserat, conuertit animum. Instituendæ igitur noui ordinis nouæ formæ inspectores & iudices designat in Regesto 14. libri 2. Episto. 80.

Episcopo Vticensi Apostolicæ sedis Legato, & Petro De Monte Lauro Aquensi Archidiacono, & Magistro Tedisio Nuntio nostro Canonico Ianuensi.

Committit Inquisitionem & Correctionem Monasterij Massiliensis.

CVm super reformatione Monasterij Massiliensis de cuius lapsu multa nobis fuerant intimata Ve. F. N. Tolosano & Aurasicen. Episcopis & dil. fil. Priori S. Honorati Arelaten. dudum direxerimus scripta nostra. Priusquam fuisset illorum authoritate in negotio memorato processum, D. Monachus Massiliensis ad sedem Apostolicam veniens pro se ac magna parte

parte Conuentus nobis denuntiando monstrauit. Quod cum in eodem loco videret per Abbatis incuriam enormia quam plura committi, vt pote furta, periuria, simonias, & dissolutionem ordinis miserabilem, bonaque ipsius loci multiplici nihilominus dilapidatione vastari, & alia plurima fieri contra Monasticam honestatem, & apud Abbatem quem super his charitatiue monuerat nullatenus profecisset, ad sedem Apostolicam appellauit. Vnde Venerabilibus FF. NN. Regensi, Massilien. & Arausicen. Episcopis dedimus in mandatis vt ad Monasterium ipsum personaliter accedentes inquirerent super præmissis & aliis plenius veritatem, & appellatione remota corrigerent tam in capite quàm in membris quæ corrigenda viderent. Interim autem priores iudices ad Monasterium accedentes, cùm multorum discretorum consilio inter Abbatem & Monachos amicabiliter componere curauerunt, interposito à Monachis iuramento vt contra compositionem huiusmodi non venirent, & si quas literas dictus D. reportaret, qui ad sedem Apostolicam venerat, essent cassæ. Cum autem postea iidem Massilien. & Arausicen. Episcopi, cùm interesse tertius nequiuisset, literis nostris acceptis, quas præfatus Monachus reportauit, procedere vellent super articulis in eisdem expressis, eiusdem loci Monachi ad nostram audientiam appellarunt. Abbas quoque post citationes multiplices in eorum comparens præsentia, vocem ad nos appellationis emisit, allegans quod illæ literæ nullius prorsus erant momenti, in quibus de prioribus quarum authoritate compositio inter Abbatem & Monachos facta fuerat, mentio non fiebat. Sed cum iudices exceptionem huiusmodi & quasdam alias friuolas reputantes intenderent in inquisitione procedere ac recipere à fratribus iuramenta ...... Maior Prior ac quidam alij responderunt, se super hoc nullum posse iuramentum præstare, vt pote qui se iuramento astrinxerant compositionem interpositam obseruare, ac non vti literis à præfato Monacho impetratis. Vnde iudices propter exceptiones propositas & intricationem negotij dubitantes procederent in eodem, nos super ipso consulere curauerunt. Nosque dilecto filio ...... Arelaten. Præposito qui ob hoc nostram præsentiam adiit, dicimur respondisse quod propter causas huiusmodi iudices supersedere negotio non debebant. Qui amissis in via literis, quas super hoc à nobis recepisse proponitur, tam viua voce quàm suis literis, dictis iudicibus nuntiauit, vt nonobstantibus exceptionibus supradictis in negotio procederent memorato. Vnde iudices in negotio procedentes receptis testibus super articulis prænotatis, Abbatem ipsum tandem ab Abbatiæ regimine remouerunt. Porro dilectis filiis P. Camerario Arcellæ & S. Priore Muræ eiusdem Abbatis, & P. Priore de Tritis & D. Monacho partis aduersæ procuratoribus propter hoc nuper in nostra præsentia constitutis, petierunt procuratores Abbatis processum iudicum prædictorum, qui contra eum sententiam tulerant, irritum iudicari, tùm quia post appellationem ad nos interpositam per antedictas literas in quibus de prioribus mentio non fiebat; tùm quia consultatione ad nos directa priusquam Apostolicæ responsionis oraculum per nostras literas recepissent in

eodem negotio processerunt, cùm assertioni dicti Præpositi iudices minime stare debuerint in hoc casu, super quo nostræ responsionis literas expectabant, tum etiam quia conspiratores excommunicatos, periuros, & capitales etiam inimicos in testimonium aduersus Abbatem admiserant memoratum. Sed ad hæc procuratores partis responderunt aduersæ, quia cum priores literæ super lapsu Monasterij generales fuerint, & posteriores extiterint super certis excessibus speciales, in subsequentibus non oportuit fieri de præcedentibus mentionem, cum speciale mandatum deroget generali. Adiiciens quod etsi consultatione ad nos delata, non fuerit super responsione nostra supradicti Præpositi verbo standum, quia tamen iuramento, quod Monachi super seruanda compositione præstiterant, iuramentum quod super illis excessibus præstabatur nullatenus occurrebat. Nec promissio de non vtendis literis à D. Monacho impetratis, mandatum nostrum potuit impedire quod super inquisitione dictorum excessuum feceramus. Iidem iudices de consilio peritorum non immerito procedere in negotio potuerunt, & asserens nihilominus falsum esse quod conspiratores excommunicati, periuri, & capitales inimici aduersus Abbatem admissi fuerint, memoratum. His igitur & aliis quæ fuerunt coram nobis vtrimque proposita intellectis, quia cognouimus dictum Cœnobium in spiritualibus & temporalibus grauiter collapsum existere, per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus cum prouidendum sit non tam personis in Ecclesiis, quàm Ecclesiis in personis, si per hanc viam facilius & vtilius ad restaurationem ipsius Monasterij poterit perueniri, vt videlicet de alia persona idonea iam probata eidem Monasterio consulatur. Vos authoritate nostra suffulti, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, id exequi procuretis. Alioquin præfatum restituatis Abbatem & in vtroque casu exclusis de ipso Cœnobio personis indignis, quas merito videritis excludendas, inducatis in illud ex aliis Monasteriis, personas idoneas, per quas idem Monasterium debeat reformari. Contradictores si qui fuerint vel rebelles, appellatione remota censura Ecclesiastica compescendo. Taliter autem mandatum Apostolicum exequamini, vt in nouissimo districti examinis die super hoc dignam Deo possitis reddere rationem, quod si non omnes, &c. duo vestrum ea, &c. Datum Lateran. 7. Idus Iunij Pontificatus nostri anno 14. Christi 1211. Verum indicto iterum super hoc capitulo vix dum tamen aliquid vel nihil inter conuocatos primarios Patres de confirmatione Guillelmi, vel de noui Abbatis electione conueniebat, aliis ad Priorem S. Honorati, ad Abbatem Bononiensem aliis omnia trahentibus.

Qua pugna tantum Monasterij rebus non temporalibus modo sed diuinis etiam ac spiritualibus detrimenti accessit, quantum euenisse alias non meminerant. Hos postmodum tempestatis fluctus sedasse per duos à se legatos Presbyteros Cardinales Guidonem Gallum Abbatem Cisterciensem tit. S. Mariæ trans Tyberim, & Petrum Placentinum tit. S. Cæciliæ testatur idem Pontifex Regesti 15. libro 3. Episto. 49.

Archie-

Archiepiscopo Arelaten. & S. Ægidij & Salmodij Abbatibus Nemansen. Diœcesis.

Vt de plano cognoscant de electione Abbatis S. Victoris Massiliensis.

Dilecti filij G. Abbas S. Pontij & B. Monachus procuratores Monasterij S. Victoris Massilien. ad nostram præsentiam accedentes postulationem ac electionm quam per se ac alios confratres eorum de . . . . . Abbate S. Stephani Bononiensis Canonice celebratam ac approbatam à delegatis nobis iudicibus asserebant, postulabant authoritate Apostolica confirmari. Plurimas & diuersorum literas deprecatorias exhibentes, quarum interuentu promouere petitionem propositam cum instantia nitebantur qui nobis demum eorum petitionem non admittentibus in hac parte, cùm fratres ipsos etsi super hoc zelum Dei non tamen secundum scientiam nouerimus habuisse, porrexerunt alias literas continentes quod dicti Monasterij fratres, duas electiones seu nominationes eodem tempore successiuè tamen Canonice ac concorditer celebrarant. Vnam videlicet de Abbate prædicto puram. Aliam verò de . . . . . Priore Sancti Honorati viro vtique honesto bene literato & ad singula circumspecto conditionem huiusmodi apponentes si videlicet Abbatem eumdem non possent forsitan obtinere. Vnde supplicabant instanter vt cum conditio iam extaret, eorum à nobis postulationem super dicto Abbate repulsa, electionem Prioris ipsius confirmare misericorditer dignaremur. Eis igitur & B. De Nouis quondam Monacho & Maiori Priori dicti Monasterij ac aliis duobus Monachis qui se super hoc opponebant, eisdem electionem ipsam minus Canonicam asserentes, tum quia de persona minus idonea, tum quia eis absentibus fuerat celebrata, dilectos filios nostros Guidonem tit. S. Martini & Petrum tit. S. Cæciliæ Presbyteros Cardina. concessimus auditores. In quorum præsentia procuratores prædicti processum electionis, sicut dictum est superius, proponentes confirmari promissam electionem cum instantia postulabant. Monachi vero præfati contra electionem eamdem, quod eis absentibus fuerat celebrata, contra vero personam electi quædam honestati contraria proponentes, excommunicationis sententiam à dictis iudicibus in se latam ipso iure non tenere dicebant, tum quia post appellationem ad nos legitimè interpositam lata fuit, tum quia ex tribus iudicibus quibus fuerat causa commissa duo tantummodo processerunt, tertio quod decisioni causæ interesse volebat per suas literas protestante, contra quos sic procuratores excipiebant præfati, quod non tenebantur imo potius non debebant super his prædictis Monachis respondere cùm & omnes excommunicationis vinculo tenerentur, & duo ex eis nihil haberent cum Monasterio ipso

commune, à quo eos sententia iudicialis exclusit, sicut ex literis eorumdem iudicum & tenore sententiæ apparebat. Ex abundanti tamen ad prædicta taliter respondebant. Primò quia ex prædicta causa non poterat nec debebat obesse, quod electioni non interfuerant Monachi memorati, consequenter ea quæ in personam electi obiecerant penitus falsa erant, super ipsius honestate ac idoneitate testimonia plurima fide digna & valde idonea in nostra præsentia offerentes, & confitentes post appellationem iudices processisse quos ea potuisse procedere ratione dicebant, quia interdicta fuerat appellatio in rescripto, & quia in appellationis libello nullum allegabant Monachi supradicti grauamen, sicut eius series ostendebat. Duos quoque processisse sine tertio fatebantur, & ex eo ipsos procedere potuisse asserebant, quia mandatum Apostolicum continebat in fine quod si omnes interesse non possent duo exequi negotium procurarent, nec sibi retinuisse poterat iudex tertius, vt decisioni negotij interesset, in exequutionis mandati Apostolici præiudicium, & tam graue ipsius Monasterij detrimentum cum res videlicet talis esset cuius dilatio ipsum Monasterium in confusionem maximam adducebat. Quod iidem procuratores ratione multiplici ostendere nitebantur; asserentes quod & hoc ipsum fuerat præsente Capitulo à quibusdam fratribus sanioris consilij coram dictis iudicibus propositum & petitum ne ab eis decisio causæ ac ordinatio Monasterij celerius prouiderent. Vnde ipsos asserebant non tam voluntarios quam coactos ad supplicationem Capituli processisse. Nos igitur his & aliis quæ nobis fideliter relata fuerant ab eisdem Cardinalibus intellectis, per Apostolicum vobis scriptum mandamus, quatenus cæteris Capitulis quæ in sententia iudicum continentur, in suo robore duraturis summatim & sine omni iudiciorum strepitu inquirentes, sed electione solicite veritatem, si eam inueneritis Canonice de persona idonea celebratam, non obstantibus his quæ sæpe dicti Monachi opponebant, ipsam sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo confirmetis. Alioqui de alia persona idonea & honesta eidem Monasterio faciatis authoritate Apostolica infra quadraginta dies per electionem Canonicam prouideri. Mandatum Apostolicum taliter impleturi quod in nouissimo districti examinis die dignam retributori omnium super hoc possitis reddere rationem. Quod si non omnes, &c. Duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Lateran. 12. Calend. Iunij Pontificatus nostri Anno 15. Christi 1212.

Archiepiscopus Arelatensis tacito nomine innuitur Michaël de Moresio seu de Moresiis, Patricius Arelatensis, Præpositus Collegij Canonicorum Arelatensium, electus Imberto defuncto successit qui 1. sedis suæ anno fratribus Redemptionis captiuorum profitentibus, ex assensu Capituli & probante Innocentio III. domum inhabitandam dedit sub annuo Marchæ argenti censu. Ex Autographo Episcopali viridi fol. 342. & Autentico Capituli fol. 112.

De Cardinalibus Legatis vide Ciaconium in Lucio 3. Petrus Placentinus Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano, postea Presby-

ter

ter tit. S. Cæciliæ à Clemente III. factus, sub Cælestino III. legatus Apostolicus in regno Siciliæ, quando Henricus Cæsar id obtinuit, & sub Innocentio III. anno I. in Germania in multis controuersiis auditor datus fuit, sub quo obiit. Sepultus in Ecclesia S. Cæciliæ cum hoc Epitaphio.

Hic iacet ille Petrus, quem docta Placentia mundo
Edidit insignem sanguine, mente, fide.
Presbyter & sacro sublimis cardine Patrum,
Moribus excessit culmen & officium.
Prouidus, & constans, humilis, pius, atque pudicus
In fragili carne cœlitus emicuit.
Tot meritis latè venerando Roma Beatæ
Cæciliæ titulum contulit & tumulum.
Terra suum corpus animamque recepit Olympus,
Sic bene diuisum seruat vtrumque Petrum.

Tum in Clemente III. Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium, Guido vel Vuido de Doré Gallus, Monachus & Abbas Cistercij S. R. E. Presb. Cardin. tit. S. Mariæ Transtiberin à Clemente III. creatus anno 1190. Demum Episcopus Cardinalis Prænestinus ab Innocentio III. factus, vir eruditionis & pietatis fama celebris. Itaque totius ordinis Cisterciensis Abbas Generalis electus, per aliquot annos sanctissimè tantæ molis negotium rexit. Tandem in numerum Cardinalium assumptus est, quod munus egregiè adimpleuit, quemadmodum docent Legationes eius quas pro Ecclesiæ sacrosanctæ negotiis obiuit. Ab Innocentio III. in Galliam & in Germaniam Apostolicæ sedis à latere Legatus missus ad confirmandam electionem, quæ facta fuerat, contra Sueuum Philippum in Othonem Imperatorem. Duo egregia instituta in Coloniam inuexit, Coloniam enim attingens optimam illic consuetudinem instituit, eamque suo præcepto firmauit, nempe vt ad eleuationem hostiæ sacrosanctæ omnis populus in Ecclesia constitutus ad sonitum campanæ, quam hac de causa altari attigi iussit, veniam peteret & ad Calicis quoque eleuationem prostratus iaceret. Mandauit etiam vt quoties venerabile altaris Sacramentum ad infirmum deferendum esset, campanarius sacerdotem præcedens per nolam illud proderet, vt eo sonitu admonitus populus Christum transeuntem adoraret. Contigit hæc institutio in anno 1200. quo Guido Legatus Philippum Sueuum & omnes complices eius excommunicauit. Leodij manens Hugonis electionem in Episcopum Leodiensem confirmauit, eumque sacrauit, clerum reformauit. Tandem operibus & sanctitate conspicuus Gandaui ex peste decessit anno 1220. 13. Calend. Iunij. Inde Cistercium translatus in maiori templo humatus fuit. Calendarium Cisterciense inter Beatos numerat, eumdemque obiisse asserit 20. Maij. Catalogus Abbatum Cistercij plura de eo & 13. Calen. Iunij decessisse ait. Hunc ergo Guidonem siue Vuidonem Cardinalem & Abbatem Generalem, totumque Cistertiensium ordinem, Gaufredus eius nominis II. Vicecomes Massiliensis, fortè rogatu Fulconis

tunc

tunc Episcopi Massiliensis, Ordinis Cistertiensis, non modo in Vicecomitatu Massiliensi sed in omni circumquaque alia ditione sua, à tributis & muneribus omnibus eximium semper haberi voluit, quam deinceps perpetuam vacationem, ab eodem Carthusienses similiter nacti sunt. Chrysostomus Henriques in Menologio Cistertiensi, exscriptum Priuilegij exemplum hoc affert, in Priuilegiis Priuile. 13.

Reuerendissimo Guidoni Dei dispositione Cistertiensi Abbati, vniuersoque Sanctorum Patrum Capitulo Barralis, Gaufredus eiusdem gratia Vicecomes Massiliæ.

INdeficientem in sancta perfessione letitiam, quoniam teste humani generis redemptore, non habent opus sani medico sed qui male habent, multis & immensis peccatorum depressus grauaminibus, diuina fauente gratia remedia à potentibus subueniendi expostulo, siquidem ab omnipotenti Dei ineffabili bonitate, ingenti impietate & iniquitate mea longè factus, nisi fortè in eo dixerim esse mecum, quod gratia ipsius iniquitatem meam ego cognosco & peccatum meum contra me est semper, ad eius assessores & collaterales atque ipso testante amicos, id est ad vos orationum vestrarum suffragia implorando confugio. De vestri ergo Ordinis abundanti charitate confisus, absens licet corpore, præsens tamen mente, instanti deuotione deposco, vt me in fratrem & fidelem recipiatis, & pro anima bonæ memoriæ fratris mei Guillelmi Grossi, iuges Domino preces fundatis, & vtriusque omnium bonorum vestrorum participem faciatis, atque ingens missarum debitum quod pro eo teneor persoluere intuitu charitatis si placet ex parte reuelare curetis, vt à nobis semper impleatur quod Apostolus præcipit, alter alterius onera portate. Ego enim qui spiritualia à vobis requiro non quidem indignum sed paruum duco, cùm temporalia vobis porrigo, hoc tamen concedo, laudo, & iure perpetuo confirmo, quod sicut Abbates vestri Ordinis, qui mihi vicini sunt, ita & omnes longè & prope positi, liberi & securi ab omni exactione in vrbe Massilia & per omnem terram meam, exeant & redeant, vendentes & ementes quæcumque sibi fuerint necessaria.

Hactenus de amplissimis non dico Officiis vel meritis potius Innocentij III. in familiam S. Cassiani, sequuntur alia in cæteras id genus familias, non pauca. Clausula haud iniucunda lectori, vt enim rara inter homines lucra non damnis immista sunt; Quo tempore Massiliæ dissipari ac etiam defecisse aliquantulum videbatur religiosus ordo, eodem Romæ & hominum & institutorum numero multiplicato, stirpes florentissimas in prope iam quingentesimum annum propagauit. Illud certè constat natum esse Franciscanum ordinem anno post Christi aduentum 1212. Hoc enim anno legitur regulam à Francisco ad Innocentium III. delatam & ab eo confirmatam tenui quidem ac debili eius ordinis principio,

cipio, sed qui tam celeriter quasi miraculo excreuerit, vt paulo pòst in generali Conuentu Assisinate, numerata sint quinque millia capita, atque eo ipso tempore quingenta simul adiuncta. Dominicani paucis post annis id est quatuor, cepere Tolosæ, vbi S. Dominicus coactis aliquot eiusdem consilij sociis, nouam formam nouumque institutum excogitauit quod Euangelio prædicando sese impenderet, quam ob causam Prædicatorum ordinem appellari voluit, quæ vitæ ratio prius ab eodem Innocentio III. Concilij Lateranensis tempore voce approbata traditur, deinde etiam scriptis ab Honorio 3. anno 1216. Ordo fratrum Eremitarum S. Pauli Eremitæ in Hungaria à B. Eusebio Strigonensi instituitur sub Innocentio III. Pontifice anno 1215. Ordinis S. Trinitatis autor fuit Ioannes de Mata qui regulam suam ab Innocentio III. confirmari petens, Pontifex re maturius considerata totam laudauit, at Honorius III. Pontificatus sui anno 4. solenni ritu Romæ probauit, cuius munus fuit vt fratres eius ordinis sub potestate Ministri, de cuius obedientia in castitate sine proprio viuerent. Ex quorum bonorum tertia parte captiui à Saracenis redimerentur. Fœlix sæculum non horum modo quatuor ordinum illustrissimorum propagatione, sed aliorum etiam de quibus mox infra dicemus institutione.

Hoc Abbate Roncelinus partem Vicecomitatus Massiliensis, quæ sorte cum Hugone De Baucio & Gerardo Adhemario eorumque vxoribus Barrala & Mobilia Vicecomitissis ducta, ei obtigerat, Monachis S. Victoris large effuseque donauit ex commentario, ac paulo pòst Castellum de Iulhans pretio librarum regalium centum coronatarum mercatus, eisdem vendidit.

Ex Archiuis S. Victoris Anno Incarnationis 1212. *Manifestum sit omnibus quod ego Roncelinus Vicecomes & Dominus Massiliæ*, &c. *do Domino Deo & Monasterio S. Victoris Massiliæ & tibi Guillelmo Abbati totum Dominium & ius & rationem quod vel quam habeo vel habere debeo in Massilia & in in portu Massiliæ & in eorum toto tenemento*, &c.

SÆCVLVM IX.

Annus Christi 1220. *A Conditu Monasterij* 800.

107. Obitum Guillelmi III. subsequuta est *Bonifilij Abbatis* inauguratio anno 1213. Innocentio III. summo Pontifice Imperatore Friderico II. Ænobarbi nepote. Exactis Bonifilius in imperio annis nouemdecim migrauit anno 1232. Erat Abbas anno 1220. tempore Honorij Papæ III. vt habetur in libro Instrumentorum fol. 101. Cum enim Massilienses à Vicecomitum suorum dominio & potestate pecunia se liberassent, atque adeo pro ea Vicecomitatus parte, quam Roncelinus Guillelmo III. Abbati donauerat, multæ & magnæ contentiones essent inter ipsos & Monachos S. Victoris in iuris controuersia positæ, quod

Massilienses à Roncelino partem illam Vicecomitatus mercari & coëmere non potuissent, quam priori iam donatione penitus à se abalienauerat, prouocante Bonifilio ad Apostolicam sedem, Honorius III. Legatos tres causæ cognitores ac iudices, Regiensem & Antipolitanum Episcopos, atque Abbatem Toroneti designauit, à quibus pro iuris defensione Monachorum contra Massilienses de sella & tribunali pronuntiatum est, terroribus insuper ac minis Censurarum iactatis, si quis latæ sententiæ non suam vim modo sed etiam suum scelus aut nomen opponeret. De vindiciis libertatis suæ tutelaribus, quam Massilienses pretio sibi compararunt ex subiecto diplomate lector certius agnoscet,

Ex Archiuis Massiliæ. Ad omnia consilia omnesque actus nostros progredimur per ipsum zelum, ciuitatis nostræ libertatem sumus consequuti, & per ipsum Rempublicam nostram decorauimus & eiusdem ciuitatis iuri & commodo magnum dedimus incrementum, & per ipsum ciuitatis nostræ pacem conseruamus, ipso volente conseruabimus in futurum, Deo Gr. nobis actore nostram gubernante ciuitatem, Massiliæ prælibatæ ciuitatis nostræ emolumenta tractantes, volentes eidem ciuitati in posterum prouidere, habito nostro communi consilio consiliariorum & capitum ministeriorum ad sonum campanæ congregato. Nos Rectores, &c.

Hac tempestate Guillelmus Comes Folcalquerij bonorum legationem à quodam ciue Forcalqueriensi factam Monachis S. Victoris non assensu modo sed sigilli ac nominis sui præsidiis maioribus muniuit atque firmauit. Generalem Ordinis Conuentum celebrauit Bonifilius Calend. Nouemb. anni 1216. in quo sigillatim statutum & decretum de nouis legibus condendis, quarum vsu sperarent vsque ad memoriam deinceps vitæ Monasticæ disciplinam & gloriam remansuram.

Porro duo sunt ad rem nostram quæ Pontificatum Honorij maximè illustrarunt. Primum fuit confirmatio plurium Ordinum Religiosorum, scilicet Prædicatorum ac Minorum à SS. Dominico & Francisco constitutorum quos Christianæ Reipublicæ vtilissimos à sede Apostolica approbari oportuit, vt corruptis hominum moribus disciplinæque Christianæ pene ruenti consulerent ac mederentur. Præterea ordinem Vallis Scholarium anno.3. Pontificatus sui confirmauit, Christi anno 1218. quem Guillelmus quidam Anglicus qui Parisiis scholaris fuerat, & postmodum in Burgundia Rex erat, & tandem cum Scholaribus suis ad Eremum confugit & formam viuendi ex diuersis religionibus & sibi & suis elegit. Carmelitarum regulas ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano renouatas & vtiliter admodum auctas confirmauit & sanxit Honorius Pontifex nocturno vt fertur B. Virginis viso admonitus, nec multo post eam quoque familiam Innocentius IV. amplissimis decretis complexus est & in sedis Apostolicæ tutelam & patrocinium recepit. Clara quoque virgo suum ordinem tunc auspicata est qui Minoritis subiicitur. Paucis post annis Seruitæ quod se B. Virginis Mariæ seruos esse profiterentur, cepere Florentiæ, quo tempore Federicus II. Imperator Ecclesiæ & Gregorio IX. infensus omnibus modis totam eius ditionem vexabat. Ferunt

enim,

enim Philippum Tudertum Florentinum mercatorem aliosque sex nobiles ac locupletes viros voce cœlesti admonitos in propinquum montem secessisse, vbi cùm aliquandiu delituissent ipsa coram sanctitatis luce se prodente manifestatos esse mundo. Quamobrem multos ad eorum societatem se aggregasse, ipsosque in varias partes euocatos in eam quam videmus auctos esse multitudinem. Alium præterea militarem Ordinem in Hispania confirmauit Honorius III. titulo militum De Calatraua Ordinis Cistertiensis anno 1220. à Sanctio Rege in agro Toletano institutum, à loco & regione Calatrauæ nuncupatum, vbi Cœnobium Templariorum fuerat. Templarij enim cum Saracenis resistere non possent, nouis his militibus cedere sunt iussi, nigrum amictum cum rubra cruce gestantibus. Tertium in Hispania militarem Ordinem idem Pontifex probauit militum cruce viridi signatorum, qui Alcantaræ dicitur ab oppido regni Castellæ iuxta Tagum Alcantara vocatum, quod per hæc eadem tempora conditum fertur. Alterum fuit coronatio duorum Imperatorum Orientalis & Occidentalis: rogatus namque à Petro Altisiodorensi Flandrocomitem & Iolam vxorem Romæ in æde S. Laurentij, quæ extra muros via Tiburtina insignis visitur, Imperiali diademate condecorauit, qui fuit III. Latinorum Orientis Imperator anno 1216. Alterum Othone IV. olim Imperatore vita functo anno 1218. Imperiali deinde corona Fridericum II. donauit in Basilica Vaticana per Hugolinum Ostiensem Episcopum Legatum suum 10. Calend. Decemb. 1220. Licet postea eidem Friderico, cum fatali generi suo in Romanum Pontificem odio, fidem datam fefellisset, ei decus & nomen Augusti ademptum fuerit ab Honorio, adiectaque solemnis ignominiæ nota, scilicet Interdictum piorum congressu sacrisque. Verum in dies magis ac magis crescente potentia Turcarum & retrolabente fortuna Christianorum Romam venit Ioannes, qui Regis Hierosolymitani titulum adhuc tenebat, ac opem ab Honorio Papa petiit, impetrauitque vt ab eodem absolueretur Fridericus anathemati obnoxius. Itaque consenserunt vltro Fridericus & Germaniæ principes ad exercitum parandum pro Ierosolymæ vrbis liberatione, & Rex Hierosolymitanus tradidit Iolem filiam suam in matrimonium Friderico Cæsari, vnde id quoque hodie est quod regni Hierosolymitani titulum vendicant sibi Siciliæ Reges. Proinde ingenti exercitu instructo Ierusalem petebat Cæsar cum multis Germaniæ Principibus inter quos & Ludouicus Lantgrauius fuit cui Elisabetha nupserat & is in ea expeditione Brundusij obiit.

Arelatæ Friderici II. de quo supra, priuilegio quodam ciues innixi ac suffulti Reipublicæ fundamenta iecerunt, antiquam repetentes libertatem, viro illustri electo qui sub Potestatis titulo Rempublicam non solum curabat sed reliqua munia supremo iure obibat. Primus qui hac dignitate functus legitur, Isnardus est de Entrauenis. Consignabantur gesta publica eorum nomine in hunc modum. *Federico regnante & Isnardo de Entrauenis Potestate Arelat. existente*. Cæterum tanto honore Archiepiscopi maiestas in vrbe colebatur vt ex assensu ciuium aut ex pri-

uilegio Cæsaris omnia ad se totiusque ciuitatis procurationem reuocaret. Electus enim *Potestas* à Comitiis Vrbanis, Consules ab Archiepiscopo, ipsi Iudices Sacramentum fidelitatis in Archiepiscopi manibus præstabant officiumque & dignitatem constituto tempore eiurabant imo absente Episcopo vel sede vacante consules creauit Capitulum, vt habetur in Autographo Episcopali rubeo fol.94.

Denique Bonifilius Honorium adeo sibi veteri sua in omnes Præsules reuerentia insitaque affabilitate deuinxit, vt non modo eum suis literis Honorius sed ædem quoque S. Victoris nouis priuilegiis beneficiisque decorare molitus sit. Quanta cum fruge testati sunt, si qui potentes inter Monachos factiosi, quorum mutuas & implacabiles leniuit iras & vitia inueterata curauit.

108. Bonifilio demortuo Abbas salutatus est *Petrus Guillermy* anno 1233. Pontificatus Gregorij IX. 7. Friderici II. Regis Germanorum anno 25. Imp. XIII. doctrinarum vsu famaque clarus sed familiæ nobilitate & antiquitate clarior. In vita & rebus gestis Alexandri Papæ II. alium reperio Petrum Guillelmum inter Cardinales, quos idem Pontifex creauit anno 1062. annumeratum, ætate quidem hoc nostro Abbate superiorem nomine tamen & cognomine supparem, an vero etiam consanguineum aut certè eiusdem Monasterij Massiliensis alumnum (nam Vuionus affirmat fuisse Monachum Benedictinum) Tu lector si allubet, iudex & arbiter esto.

Vuion. lib. 1. Ligni &c.

Raymundus Berengarius Prouinciæ Comes huius nominis IV. Patri Ildephonso pupillus successit anno 1207. qui in patrui Tarasconensium Regis tutela & administratione fuit, ac Beatricem Thomæ Sabaudiæ Comitis sororem in vxorem duxit an.1219. ex qua Raymundum patrio dictum nomine suscepit qui patre adhuc viuo prædecessit an.1241. Iacobus Tarasconensium Rex Tolosatum Comes & noster hic Berengarius ab Episcopis à Pontifice Maximo delegatis, addito iuramento sollicitati sunt, Pontificiam sedem atque adeo vniuersam Ecclesiam se aduersus Fridericum Imperatorem vindicaturos. Ex Beatrice quatuor suscepit filias miræ pulchritudinis, quæ omnes in reginas deuenere, Margaritam primogenitam, quam Diuo Ludouico Galliarum Regi, Helionoram secundò genitam Henrico Anglorum Regi, Sanxiam tertiò genitam Richardo Cordubæ Duci qui Augustus postea salutatus est, in vxorem dedit, & Beatricem quam hæredem testamento instituit & patre defuncto nupsit Carolo Andegauensi eiusdem D. Ludouici fratri, qui vtriusque Siciliæ beneficiarius & Rex coronatus fuit. Numeratur hic Berengarius Comes vltimus ex illustrissima Regum Tarasconensium familia. Moritur anno 1244. ætatis suæ 45. Regni 29.

Dato ad eum libello supplice Petrus Abbas literas impetrauit, quibus Monasterio S. Victoris iurisdictiones, priuilegia, immunitates à vectigalibus, portoriis, stipendiis aliàs concessas, non solum veteres confirmauit sed nouas etiam condonauit, ad eximendos animi aculeos omnes & scrupulos quos de publicis exactionibus vel à se vel à suis maioribus

contra-

contra ius Monasterij olim collecta pecunia iniicere posset. In huius etiam manibus Sacramentum præstitit Bernardus Gerrensis Abbas ac se suumque Monasterium Abbati S. Victoris Massiliensi Generali Ordinis, beneficiarium subditumque esse palam forensi scripto diuulgatum voluit. Decessit Petrus Guillelmus ex morbo annos 1239. cum sedisset annos 7.

Hoc Abbate & S. Ludouico Francorum Rege Robertus Sorbona Theologus Collegium Theologorum instituit, quod hactenus illius nomen retinet circa annum 1243. Nec illud istic omiserim inter externa, quod Fridericus Henricum filium in Germania rebellantem redegerit in potestatem & in Apuliam relegauerit anno 1235. vbi sequente anno decessit. Cum autem nihil de odio in Romanam sedem ac peruicaciam remitteret, eum Innocentius IV. qui Gregorio IX. eiusque successori Cælestino anno 1241. functis post biennij interregnum substitutus est, à Christianorum societate submouit in Lugdunensi Concilio, quod generale habitum est anno 1245. eique abrogauit imperium. In eodem Concilio Pontifex nobili duodecim excellentium Cardinalium electione, & ordini proprium insigne, pileum vel Galerum rubrum dedit, quo significaretur eius ordinis homines caput suum cum opus esset pro Ecclesiæ libertate tuenda gladio offerre paratos esse, & præsertim hoc tempore quo Romana sedes à Friderico II. vehementer agitabatur. Reliqua eius ordinis insignia posteriores Pontifices excogitarunt, in his præcipuus fuit Paulus II. Subinde affertur Parthos patria sede à Tartaris pulsos in Syriam penetrasse & Hierosolyma capta dirutaque augustissimum Christi sepulchrum indignis modis polluisse. Hæc fama Ludouicum IX. Franciæ Regem sanctitate inclytum ad maturandum iter in Syriam accendit. Ex templo igitur ingenti classe claustra Ægypti aggreditur, & satrapa debellato Damiata potitur. Protinus ad Chayrum belli moles transiit. Iamque accisæ erant cladibus Ægypti Calyphæ vires, cùm castra Francorum ex locis palustribus lues inuasit, quæ ipsum quoque corripuit Regem. Itaque malis victus captusque conditiones accepit, vt tradita Damiata incolumen deportaret exercitum. Inter hæc Fridericus tot in Italia cruentis & continuis bellis exhaustus cùm nulla amplius ex Germania sperare subsidia posset, præterea captus esset Encius filius eius, qui & periit in carcere, variè afflictus est & contulit se in Apuliam, vbi haud dubia superum ira atroci morbo extinguitur annos 1250. Sunt qui scribant veneno necatum esse, alij à Manfredo quem ex concubina genuerat compresso in stratis ore præfocatum fuisse. Imperauit anno 23. Imperatoris nomine quo bis iure exutus est prorsus indignus. Neapolitanum regnum hæredi filio suo Cunrado reliquit. Exinde Italia in duas partes diuisa, vni quæ Pontifici studebat Guelphorum nomen inditum, Gibellinorum alteri quæ Fridericum sequebatur.

Eadem tempestate S. Ludouicum Galliæ Regem ad illam transmarinam expeditionem Massiliæ nauem conscensurum prius S. Balmam Magdalenæ reliquias veneraturum adiisse, & ad Monasterium S. Victoris hospitem diuertisse ac Petrum Abbatem habuisse familiarem, quo cum de

rebus piis ac religionis studio frequentes conferret sermones, ita factum asseritur vt eius facti probabilis aliqua coniectura & ratio reddi possit. Arelate illud accidit memorabile quod in Comitiis Ordinis Minorum generalibus concionante B. Antonio de Padua, S. Franciscus in forma Seraphici apparuerit B. Monaldo spectante. *In Arelate*, inquit, autor in libro 1. Conformitat. Vitæ B. Francisci, *iacet Frater Monaldus qui vidit B. Franciscum in aëre ad ostium Capituli, dum B. Antonius prædicaret ibidem de titulo crucis, fratres consignantem ac benedicentem.* In eodem loco Hugo Boardy Archiepiscopus Monachorum S. Geruasij Phocensis municipij, de quo aliàs scripsimus, in scandala prouentium Abbatiam supprimi à Gregorio IX. Summo Pontifice per Conradum Portuensem Episcopum & S. R. E. Legatum obtinuit, assignatis Archidiacono quem instituerat Arelatæ, eorum reditibus. Idem Hugo permisit Raymundo Berengario Comiti Prouinciæ, vt in regione clientelæ suæ municipium Marticense ad mare construeretur, quamplurimis conditionibus appositis, ea præsertim vt Arelatensis Ecclesiæ subditi à Comitalibus subsidiis per vniuersam Prouinciam redderentur immunes. In autographo Episcopali rubeo fol. 444. & sequentibus.

109. Alter à Petro Guillelmy fuit Abbas *Guillelmus De Petra* huius nominis II. anno 1240. qui de Monachis suis Massiliensibus Raymundum de Mairosio virum longè præstantem omnibus ingenio, iustitia, integritate ad Tarbiensem Diœcesim destinauit, vt eius opera & studio collapsa vetustæ disciplinæ ratio, quam olim à Cassianitis Monachis acceperant, in pristinum statum & spiritus vigorem restitueretur. Nec inanis hæc fuit aut frustra suscepti consilij species. Raymundus enim vsus prudentia imprimis & authoritate Abbatis Fortancerij, quem sibi adiutorem conciliatat rerum gerendarum, eam correctionem adhibuit & emendationem, vt nouus Conuentus & alia multo etiam seuerioribus astricta legibus familia per ipsum instaurata esse videretur. Tertio demum præfecturæ suæ anno Christi 1242. diem clausit extremum & in æde S. Victoris collocatus est.

110. *Petrus V.* è viuis sublato Guillelmo, comitiorum suffragiis solennibus eligitur anno 1243. quo Giroldus Abbas S. Mariæ de Iosaphat Diœcesis Hierosolymitanæ Massiliam appulsus, & apud Monachos S. Victoris diuersatus hoc pro coniunctione & beneuolentia vtriusque Monasterij deinceps futura sibi sumpsit, vt cum Petro faceret ex pacto & stipulatione suas suorumque Monachorum pias preces & bona opera communia, quæ merito propria essent. Regnabat in Prouincia tunc temporis Innocentio IV. summo Pontifice, Beatrix Raymundi Berengarij Comitis quondam & Marchionis Prouinciæ filia & hæres, quæ puella & immatura adhuc virgo patri successerat in summam rerum anno 1244. Cauerat enim Pater dum suprema ordinabat, vt filia ex consilio Romei Villanouæ & Alberti Tarasconensis omnia gereret donec illa matrimonium contraxisset. Anno igitur vno sola regnauit, cuius tempore Priuilegia publica, documenta, elogia, diplomata principalia sic exordiuntur. *Nos Beatrix*

iuuenis

iuuenis Dei gratia Comitissa, & Marchionissa Prouinciæ, & Comitissa Forcalquerij, filia & heres Domini Raymundi Berengarij Comitis quondam & Marchionis Prouinciæ, assistentibus & consentientibus nobis Romeo De Villanoua & Alberto De Tarascono administratoribus & Gardiatoribus datis nobis à Berengario Patre, &c. Anno sequenti 1245. Carolus eamdem Beatricem duxit vxorem. Vignerius enim id tradit. Beatricem, inquit Raymundi Berengarij Prouinciæ Comitis filiam postremam Comes Tholosanus in matrimonium petiit, cum verò pater virginis non abnueret, propinquitas autem intercederet, Pontificem Romanum Lugduni hoc anno Generale Concilium contra Fridericum Imperatorem celebrantem Innocentium IV. adierunt, vt has nuptias vinculo legum sacroque impedimento solueret. Sed dum res per impedimenta sororum virginis trahitur, Prouinciæ Comes obiit. Ideo paulo pòst ipsos autore Sabaudo auunculo suo, Carolo Franci Regis fratri iuniori nupsit, quem Rex Andium & Cænomanorum Ducem creauerat. Exinde commune vtrique coniugi imperium in Prouincia cepit anno 1245. quo geniali matrimonij fœdere Beatrix Carolo iuncta est. Tunc edicta, rescripta, constitutiones, priuilegia, diplomata quæ ab eis promiscue decernebantur & proponebantur ante regni Siculi adeptionem sic incipiunt. Carolus Regis Franciæ Dux Andegauiæ Comes & Marchio Prouinciæ & Comes Forcalquerij, & Illustris Domina Beatrix Ducissa Andegauiæ, Marchionissa Prouinciæ, & Comes Forcalquerij, &c.

Vignerius in Chron. Burg.

111. *Rossolinus II.* Petro suffectus est anno 1251. seditque supra sex menses annis 3. quo tempore Carolus Andegauensis post nuptias cum Beatrice matrimonij dignitate coniunctas, à Prouincialibus Comes salutatus multiplici iure Arelatem suam contendebat. Toti penè iam dominabatur Prouinciæ, in qua Arelate sita est imo quæ Prouinciæ princeps & primaria habebatur, nec eum latebat, Berengarium à Friderico Imperatore Arelatem feudi iure recepisse. Ad hæc accedebat Episcopum & ciues in Berengarium iurisdictionem contulisse, imo Arelatem Francos semper Reges spectasse. Legatos igitur Arelatem misit vt ciuium animos pertentarent, absoluti dimissique sunt infecto negotio. Quamobrem Arelatensium agros populatus est, ciuesque leuibus aliquot prœliis fatigauit. Hosti fortiter restiterunt Arelatenses, sed sanioribus vsi consiliis cum fluentem procumbentemque discordia ciuium Rempublicam viderent, pactis vtrimque fœderibus per legatos & oratores se Caroli potestati submiserunt anno 1251. Extinctaque est Respublica quæ annos 37. inter ciuium simultates & discordias durauerat.

112. Sub *Stephano* deinceps Abbatiæ imperium stetit anno 1254. clausit autem is diem extremum vt ex vetustis monumentis colligitur anno 1259. exactis in imperio annis omnino sex. Hunc mirificè coluit & amauit Alexander IV. ipsumque cum Monasterio in sedis Apostolicæ tutelam ac patrocinium suscepit, vt habetur in Diplomate anni 1257. Pontificatus Alexandri IV. anno 5. quod concessum Sacristæ S. Victoris continet priuilegium. Cum, inquit, Alexander, generale interdictum

dictum terræ fuerit, liceat vobis clausis ianuis exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce diuina officia celebrare.

Hac ætate Carolus Andegauensis vt generis nobilitate fulgens ita virtutum gloria insignis in imperio constitutus ad decessorum Comitum præclara gesta, quibus de Prouinciæ statu fuerant bene meriti, maiora etiam incrementa superaddere constituit, toto enim 39. annorum quo regnauit tempore, plures Comitatui suo acquisiuit Toparchias ac multa dominia. In his Guido Delphinus Viennensis anno 1257. hominij iura & fidei Sacramenta omnium ciuitatum & oppidorum, quæ in solo Vapincensi possidebat, tanquam Comiti Forcalquerij præstitit. Hoc eodem anno 4. Nonas Iulij Carolus pacem cum Massiliensibus pepigit hi enim eorumque confœderati, spreto aut vt alij volunt expulso Raymundo Berengario Prouinciæ Comite, ad iuniorem Raymundum Tolosæ Comitem defecerant superiore anno 1230. sed Arelatenses, Aquenses ac reliqui penè vniuersi Prouinciæ municipes, Comitis sui Berengarij tanquam legitimi Principis signa sequuti, obiecerunt se coniuratorum insidiis, & ad omne periculum atque ad omnem inuidiam Massiliensium viriliter magnoque animo sese opposuerunt. De his bellorum tot incertis ac variis casibus quæ Massilienses contra Carolum pro Reipublicæ suæ nuper institutæ libertate pugnarunt, nobile illud antiquitatis monumentum ne pereat hic exscribo.

Ex Guillelmo de Podio Laurentij cap. 42. & ex Chronico incerti autoris sub titulo Præclara Francorum facinora, &c. Fuit autem dicta guerra causa, quia ciues Massiliæ cum proprio Episcopo & Comite Prouinciæ discordiam habentes, adierunt Comitem Tolosanum eumque fecerunt suum Dominum vt ciuitatem contra Comitem & Episcopum ampararet.

Ex Archiuis Massiliæ. Vt emptiones & aquista, quæ per retrorsum facta sunt à communi ciuitatis inferioris Vicecomitalis Massiliæ, in dominio & Seignoria ipsius ciuitatis, & etiam alicubi ab illis dominis qui solebant dominari ipsam ciuitatem, & qui partes habebant in dominio & Seignoria ipsius ciuitatis, vel aliis rate, firme, & inconcusse in perpetuum habeantur, & in aliquo non possint nullo tempore irritari, pro bono & vtilitate communi Massiliæ & omnium & singulorum in eadem ciuitate habitantium, & pro retinendis libertatibus & franquesiis ipsius ciuitatis. Ideo præsenti constitutione decernimus perpetuo inuiolabiliter obseruandum, quod aliquis qui vnquam fuerit diu Dominus ciuitatis inferioris Massiliæ, vel partem aliquam habuerit in dominio & Seignoria ipsius ciuitatis Massiliæ, & qui ius, dominium ac Seignoriam, quod & quod habebant in ciuitate Massiliæ & communi eiusdem ciuitatis, vendiderunt vel in ipsum commune ex quacumque causa transtulerunt, vel qui sit vel fuerit de genere seu progenie illorum Dominorum, nullatenus possit eligi, statui, vel poni in regimine vel vicaria ciuitatis inferioris Massiliæ, nec esse Vicarius vel Baiulus, Rector, aut Consul eiusdem ciuitatis, & quod aliquid noui non fiat ordinetur vel statuatur deinceps in ciuitate Massiliæ, per quod dominium & Seignoria quod & quam habet & habere

debet

debet commune ciuitatis Massiliæ, in eadem ciuitate vel alibi in aliquo minuatur, & vt hæc ita perpetuo inuiolabiliter obseruentur, statuimus quod vniuersi & singuli homines ciuitatis inferioris Massiliæ Sacramento Trinico & incommutabili ad hæc obseruanda specialiter teneantur.

Verum sedatis tandem bellorum fluctibus & tempestate commutata fœdus ea conditione cum Massiliensibus sanciuit Carolus, qua hi quæcumque extra vallum mœnia construxerant se demolituros, fossasque impleturos sponsionem facerent, ac se suosque in ditionem & Comitis Prouinciæ Imperium dederent, conuentionibus ab vtraque parte iuratis. Atque hi scopuli fuerint ad quos Massilienses Reipublicæ suæ nauem afflictam, quæ ab annis circiter 40. secundissimè cursum tenuerat, & in quibus fortunarum ac libertatis suæ naufragium viderunt. Cæterum Cunis, Alba, Cairatium & plures Pedemontium ciuitates, quæ intra imperij conseruauerant, ad illa tempora in fœdus, protectionem, fidem, potestatem, & iurisdictionem eiusdem se receperunt, hominiumque & fidei Sacramentum recipiente nomine procuratorio Caballolo eius Cancellario, præstiterunt anno 1259.& 1260.Quin Alexandria Lombardiæ anno 1278. & Parma, & Picenti sequenti anno similiter fecerunt.

Per eadem tempora Alexander IV. Ordinem Eremitarum S. Augustini, approbauit quos iam olim Innocentius IV. aggregauerat insuper etiam in ciuitatibus habitare iusserat vt proximis quoque prodessent, hoc eius consilium multo etiam diligentius nunc exequutus Alexander eius successor cœlesti quadam visione impulsus, cum ei apparuisset B. Augustinus grandi capite, membris exilibus vniuit eisdem Congregationes quasdam fratrum Eremitarum quæ appellabantur Ioannis de Brutinesaga *De Pœnitentiâ Iesu Christi*, quæ vnio facta est die 11. Aprilis 1258. Cui primò præfecit Pontifex Venerabilem Lanfrancum Soteram Mediolanensem: tum multis quoque aliis Congregationibus adiunctis ita ordinem amplificauit & confirmauit, vt hoc tanto incremento accepto familia illa magnopere adaucta, & deinde magis etiam multiplicata vigere ceperit, vt videmus in Ecclesia, nomenque Eremitarum quod ab initio ex solitudine habuit nunc etiam in mediis vrbibus seruet.

113. *Guillelmus IV.* cognomine *De Grese* pietate humanitate, munificentia egregius Stephano sublectus est anno 1260. præfuit annis 15. mortuusque est anno 1275. Eo sedente Carolus de quo supra S. Ludouici Francorum Regis Germanus & Dux Andegauensium & Prouinciæ Comes primùm ab Vrbano IV. (cuius edicto anniuersarius Dominici Corporis institutus est festus dies) in regnum accitus deinde Clemente IV. sedente cum 30. triremibus Massilia soluens, Tiberi amne subuectus Romam ingressus tandiu senatorium munus mandato Pontificis obiuit, quoad superuenere quatuor Cardinales à Pontifice missi, qui hominem cum Beatrice vxore in Lateranensi Basilica Regem Hierusalem & vtriusque Siciliæ declararent & inungerent, hac conditione, vt Carolus Sacramento adactus quotannis feudi nomine quadraginta millium nummum aureorum Ecclesiæ Romanæ persolueret. Anno 1268. Carolus Rex Bene-

uento capto & sæuissime direpto Nuceriam oppugnare adorsus, quò se noui veteresque Saraceni receperant, eos tandem diuturna obsidione pressos in deditionem accipit, vt suis ritibus in Italia viuerent, & transfugas omnes traderent, in his Maufredi vxorem & filium in carcere postea misere necatos, nam Maufredus ipse pulcher aspectu, crine flauus, decorusque vultu captus & occisus erat à Carolo. Interea Gibelini Coradinum adolescentem Henrici fratris Regis Castellæ filium, Friderici secundi Impetatoris nepotem contra Guelphos & Carolum Regem sollicitare non cessabant, de quo Carolus certior factus bellum aduersus ipsum cum exercitu in Italiam venientem adornabat. Locus pugnæ campi patentes fuere *Placenti* vocati, inter lacum Fucinum & altissimos Marsorum montes. Prœlio Carolus impressione facta omnes fudit fugauitque, magna in fugiendo edita hostium strage. Henricus Coradini pater, qui Carolo sanguine iunctus tamen ab ipso defecerat, Reate in fuga captus est. Coradinus & Austriæ Dux mutata veste in fuga à Ioanne Frangipani agniti capiuntur, & Carolo Regi traduntur. Is Henrico custodiæ perpetuæ mancipato Coradinum & Austriæ Ducem Neapolim adductos anno 1269. capitali supplicio affecit. Fama Clementem Romanum Pontificem inspecto Coradini exercitu exclamasse. *O infelix adolescens qui vt victima ad cædem duceris:* Nouerat enim Caroli in re bellica scientiam prudentiamque. Victoria potitus Carolus & toto regno nemine repugnante in potestatem redacto, grauissima de sontibus & rebellibus supplicia sumpsit, nobilissimum quemque securi percussit, infimorum ordinum pene infinitos strangulauit, & totum regnum cædibus & luctu repleuit.

Lugduni Gregorius X. indicto generali Concilio anno 1274. in quo Thomas Aquinas & Bonauentura duo Ecclesiæ lumina enituere, plerosque Christianorum Principum conciuit, adfuerunt frequentes cum Episcopis quingentis. Nec Palæologus Græcus Imperator defuit, Græcique Antistites cum Patriarchis Hierosolymitano & Constantinopolitano, & Tartarorum proceres nonnulli. Ibi Græci Palæologo autore de Spiritu sancto Latinis assensi Romanum Pontificem communem humani generis parentem agnouerunt. Tartari sacro baptismate expiati Palæologo Græcum Imperium adiudicarunt. Tunc profectus Lugdunum Petrus de Moron Cœlestinorum religiosæ familiæ institutor, formulam ac leges sui ordinis à Gregorio X. approbandas curauit anno 1274. Quod autem ordo Cœlestinus appellatus sit ex eo factum est quod is eius fundator & auctor aliquot post annis id est 20. ad summum euectus Pontificatum, Cœlestini V. nomen accepit idque nomen deinde in eius familia mansit.

Massiliæ ordo Patrum de Pœnitentia S. Mariæ Magdalenæ fundatur anno 1272. per Bertrandum virum pium & ciuem Massiliensem, qui suis virtutibus hunc totum illustrauit ordinem confirmatum sub regula D. Augustini à Nicolao III. summo Pontifice. Tota Gallia & Germania admisit hos Patres qui in salutem proximorum incumberent, ac præsertim in redimendis de meretricio questu mulierculis suum quisque munus studiosissime:

fissime amplecterentur. Pro sigillo & insigni Ordinis habebant vas plenum carbonibus ardentibus & inflammatis, vt ostenderent quo ardebant desiderio sequendi pœnitentiam D. Magdalenæ, & conuertendi fœminas perditas quibus multa ædificarunt Cœnobia illorum strictissimus legibus subdita. Sed de his plura in Magdalena nostra Massiliensi aduena.

Cap.10.n.8.

114. Proximè superiori Guillelmo IV. accessit Abbas *Ioannes De Commis* siue *De Cominis* vir probitate clarus, ac summa prudentia celebris anno 1276. rexitque annos 10. post renuntiatus Abbas S. Germani de Pratis, apud Parisios anno 1287. Inter hæc abeunte Carolo & Massilia soluente, quos reliquit Magistratus in Prouincia præfectos, breui eosdem experta est Respublica tyrannos. Extat lugubris lamentatio fletusque mœrentis plenissimæ literæ, quibus Clerici Arelatenses summum Pontificem, & Congregationem Cardinalium aduersus Carolum ab eodem Pontifice Siciliæ Regem declaratum interpellarunt, quas si legere allubet, ex Membranis capitularibus in Commentarium suum retulit Autor Pontificij Arelatensis, sub Florentio Archiepiscopo. Id verò causæ fuit quod subita defectio Prouincialium & alienatio in Carolum maximas turbas factura videbatur in vrbibus, nisi aduentu suo Princeps vigilantissimus ferocitatem istam compressisset, fregisset audaciam, impetus retardasset. Vignerius enim. Hoc anno, ait, Prouinciæ populos dicto sibi minimè audientes Carolus Andium & Prouinciæ Comes ducto in eos exercitu ad officium reduxit. Eadem tempestate Ioannes 21. cum Viterbij dormiret repentina cubiculi recens constructi ruina oppressus est, quod in palatio Viterbiensi fabricauerat, atque inter ligna & lapides inuentus 7. die acceptis omnibus Ecclesiæ Sacramentis obiit Pontificatus sui mense 8. die 8. anno 1277. Quo casu ab autore vitæ monemur, ne Romanos quidem Pontifices ab humanis fati periculis exemptos esse, quia vt sint Pontifices, homines tamen esse non desinunt. Martinus V. Michaëlem Palæologum Imperatorem Constantinopolitanum Concilij Lugdunensis decreta non seruantem, pariter ac Græcos, instante Carolo Siciliæ Rege Palæologi acerrimo hoste, excommunicauit, Palæologum enim imperio exigere conabatur Carolus cupiditate augendæ ditionis in Græcia, vbi multa oppida in Achaia obtinuerat. Sed Ioannis Procidæ opera clam fœdus cum Pontifice Martino V. & Rege Aragonum initum est, quo quisque sibi à Siculo Rege caueret. Fuerat olim is Procidas Manfredi Regis Medicus, eiusque suasu & miro astu in Carolum & Gallos omnes validam coniurationem habuerunt Siculi, dicta die ad expediendam rem, vt cum primum vesperarum nola exaudiretur, vbique Galli nullo sexus, ætatis, ordinis discrimine facto, ad internecionem tota Insula cæderentur. Qua in re ita sæuitum est ab hostibus vt mulieres à Gallis compressæ & prægnantes ne vlla infensi generis proles superesset necatæ traderentur. Hinc *Vesperarum Sicularum* prouerbium manauit. Accidit Gallis tanta clades anno Christi 1281. Caroli regni 49. feria 2. Paschatis rerum nouarum initio à Panormitanis facto. Carolus autem audita Siculorum defectione & sæuitia cum magnis copiis in Siciliam traiiciens, primò

Vignerius in Chron.Burg.

Messanam vrbem obsidet, quam certè per deditionem tandem cepisset, nisi Galli vltionis cupidi deleturos se vrbem minati fuissent. Tum verò Petrus Arago tantos motus expectans & ea de re certior factus, è Sardinia prope in Siciliam cum ingenti classe Panormum profectus, ingenti totius Insulæ concursu Rex Siciliæ salutatur. Inde cum Carolus maritimis terrestribusque copiis ita venienri insisteret, vt acrius non posset ex vtraque parte pugnari, Rex Hispanus præsens periculum noua arte discussit, Carolo ad equestre paucorum certamen Burdigalæ prouocato elusoque. Ad hæc Rogerius Doria classis Hispaniæ Præfectus Carolum Claudum Caroli Regis filium iuuenem improuidum haud procul Neapoli ad certamen elicuit, eumque nauali prœlio victum cepit, priusquam pater qui haud longè aberat cum Regia classe adesset. Captiuus igitur in Siciliam abductus primùm arci Metagryphoniæ Messanensi, tum Cephaleditanæ Mamertinorum inclusus detinetur. Quod verò Siculi eius vitæ grauissimis & frequentissimis insidiis imminerent, Constantia Regina & Aragonis vxor sanguinariis eorum manibus subductum in Aragoniam clam transmisit. Vbi cum in vinculis Barcinone haberetur, certamque mortem à Rege Aragonio omni humana spe destitutus breui expectaret, à Magistro Guillelmo De Tonais Confessore suo admonitus, Mariam Magdalenam venerabundus implorat, idque vbi fecisset dat se lectulo ad quietem, spei & fiduciæ plenus. Nec vana spes fuit, eadem enim nocte se illi dormienti obtulit Magdalena, quam cùm è specie qua coli solet à Christianis, agnouisset supplex adorauit in somnis, vitæque vindicem magna spe & prope explorata suscepit. Dum interim eiusdem Magdalenæ auspicio victa melioribus consiliis Regis Aragonij obstinatione, & diuina luce caliganti animo oborta ad clementiam mansuetudinemque inclinare cepit, ac paci cum hoste captiuo quæ nihil habitura esset insidiarum consulere. Interea Carolus Pater ætate, luctu, tædio rerum aduersarum, dum Calabrorum Apulorum, Lucanorum, Picenorum vrbes ad confirmandos animos circuit morbo correptus decessit anno 1284. ætatis suæ anno 56. cui successit in Comitatibus Carolus eius filius adhuc captiuus.

115. *Raymundus Bolerdeti* seu Bocardeti vir pietate insignis, & acerrimus Monasticæ libertatis propugnator inde Abbas fuit anno 1288. quo ineunte Generalia indixit Ordinis Comitia, quæ maximè maiores iusta dici haberique voluerunt. Præfuit annos 5. menses sex. Vita fungitur anno 1293. Eodem Abbate conciliati inter se Reges Aragoniæ & Siciliæ, adhortante Nicolao IV. summo Pontifice, opera vero Edoardi Anglorum Regis. Pacem certis conditionibus ineunt, quibus nisi intra triennij spatium Carolus satis fecisset, in carcerem se rediturum pollicebatur, datis ob eam rem obsidibus tribus filiis, Ludouico secundo genito qui piè acta in Ordine Minorum vita inter Sanctos referri meruit, & Roberto quarto genito qui postea Neapoli regnauit, & Ioanne Peloponesi Principe qui iuuenis obiit. His legibus quinto Carolus anno dimissus in Gallias primum accessit, vt Comitem Valesium conueniret, à quo nihil de

Aragoniæ

Aragoniæ Regum iuribus remittendis impetrare potuit. Deinde in Italiam profectus ad Pontificem Nicolaum IV. accessit à quo honorifice susceptus regni confirmatione obtenta die Pentecostes, vtriusque regni diadema Pontificis manibus suscepit 3. Calend. Iunij beneficiario iure, cùm in Pontificis verba iurasset vtriusque Siciliæ Rex appellatus anno 1289. Tum Prouinciam regressus, vt qui Magdalenæ non modo vitæ sed etiam libertatis suæ vindici vota deberet, omnia collustrare animo attente cepit, omnia circumspicere si qua reperiret sacra eius lipsana, quæ diu in obscuro latuerant loco, mox honestius sepelienda, quodque assidue multi alias optassent ac fortè tentassent nullo successu, optimis tandem auspiciis Carolus Princeps sacrum corpus in suo tumulo Sammaximinensi commostratũm, & omni apparatu ornatuque visendo in altum locatum habuit.

Præsente igitur Raymundo Abbate in villa & Prioratu S. Maximini, qui tunc cum Prioratu S. Balmæ seu S. Mariæ Magdalenæ De Balma pars & membrum erat Monasterij S. Victoris, ac fuisse olim dicebatur per sexcentos aut septingentos circiter annos, celebrata fuit reuelatio ista simul & inuentio atque translatio corporis B. Mariæ Magdalenæ 3. Nonas Maij 1280. Pontificatus Nicolai Papæ III. tertio & vltimo, eodemque die statuto futuris temporibus celebranda. Fidem historiæ fecimus in Magdalena nostra ex M.S. Tabularij Sammaximinensis, cuius verba sic habent. Cap. 23. n. 2.

Anno Gratia Domini nostri Iesu Christi 1289. (sic enim corrigo cum Amanuensis mendose vt puto indixerit 1279.) *mense Decembri Carolus Princeps filius Caroli Regis Sicilia, Comes Prouincia, & postea vero Rex Sicilia corpus B. Magdalena perquisiuit tam sollicite quam deuotè in sancto illo oratorio in quo S. Maximus vnus ex 72. discipulis B. Nostri Iesu Christi venerandus Protopresul Aquensis olim tradiderat sepultura, sicut in antiquis & authenticis vtriusque actis latius continetur, in Villa qua ab ipso denominata Pontifice nunc S. dicitur Maximinus. Apertisque omnibus tumulis qui erant in vtroque latere hinc & inde, nec non effossa humo qua erat in oratorio memorato, inuentum est corpus S. Maria Magdalena non quidem in tumulo de alabastro, in quo primum conditum fuerat qui adhuc ibi cernitur cum historiis & sculpturis, sed in alio tumulo marmoreo ibidem è regione ad dextram introëuntibus collocato, cum ingenti odoris fragrantia tanquam si aperta fuisset suauium aromatum apotheca, sequentibus signis & multis miraculis gloriosis quorum non pauca euidentia habentur ibidem literarum memoria & testimonio commendata. Ex lingua autem sanctissima eiusdem S. Maria Magdalena adhuc tunc quod est admirabile suo capiti & gutturi inherente, exibat radix quadam cum ramusculo quasi fœniculi & exterius preminebat in longum, quem qui præsentes aderant admirantes suis oculis clarius inspexerunt & manibus tetigerunt, qua radix cum ramusculo diuisa postmodum in particulas à diuersis personis & in diuersis locis ex deuotione pro reliquiis conseruatur. In eodem quoque tumulo iuxta corpus sacrum ad assertionem & testimonium perpetua veritatis cartellus quidam vetustissimus conclusus in*

ligno quodam pro conseruatione à putrefactione repertus fuit, continens hanc scripturam. Anno Natiuitatis Domini 896. mense Decembri in nocte secretissima regnante Ottone piissimo Rege Francorum, tempore infestationis gentis perfidæ Saracenorum, translatum fuit hoc corpus charissimæ ac venerandæ Mariæ Magdalenæ de sepulchro suo Alabastrino in hoc marmoreum ex metu dictæ gentis perfidæ Saracenorum, & quia securius est amoto corpore Cedonij, &c. Istum ego Cartellum vetustissimum legi qui hæc scribo & vidi ibi in sacrario reseruari in testimonium veritatis. Memoratus autem Princeps & Comes Carolus postmodum Rex Siciliæ, præmissis omnibus perscrutatis diligentius & inuentis conuocatisque postmodum & præsentibus Narbonensi Arelatensi & Aquensi Archiepiscopis, & pluribus aliis Episcopis & Abbatibus religiosis & nobilibus suis cum clero & populo congregatis, die ad hæc statuta videlicet 3. Nonas Maij anno Domini 1280. leuauit inde sacrum corpus B. Mariæ Magdalenæ & in capsa petiosa auro & argento & plurimis lapidibus pretiosis primitus præparata digno cum honore collocauit. Caput verò ipsius postmodum in concha pretiosissima ex auro puro & lapidibus pretiosis miro artificio ac decoro fabrefacta inclusit, vbi deuotè corpus & caput reseruatur & miraculis euidentibus declaratur. Tunc & reperta fuit per eumdem Carolum cum Prælatis in tumulo memorato scriptura alia vetustissima in quodam Cartello cera vndique exterius cooperta quæ vix præ vetustate legi poterat, quæ talis erat. Hic requiescit corpus Mariæ Magdalenæ.

116. *Guillelmus V.* dictus de Sabrano vita & doctrina insignis ex Sabrana familia inter Salyos nobilissima & antiquissima præfecturam adiit anno 1294. vocatus ad infulas Diniensis Ecclesiæ anno 1325. postquam rexisset annos 32. Indicis autor hæc de illo paucis annotat in margine. Iste Dominus De Sabrano tenuit quatuor Capitula Generalia, primum anno 1294. secundum 1298. tertium 1305. quartum 1312. Fratrem habuit Hermeniandum De Sabrano Atiani Comitem, cuius filius Elzearius de Sabrano patrui Abbatis curæ commissus eius opera in Monasterio S. Victoris institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, mirum quantum in virtute ac religionis pietate profecit. Pluribus infrà cap. 29. vbi de his qui ex hoc Monasterio prodiere Ecclesiæ oraculo *Sancti* renuntiati. Interea Carolus, Rex Siciliæ iam effectus, memorque sibi diuinitus in somnis à Diua Magdalena prænuntiatum, vt Monachis S. Victoris Cassianitis fratres Prædicatores substitueret & venerandas suas reliquias eorum curæ committeret, cum Abbate Guillelmo & Capitulo generalis Conuentus qualibet dummodo tolerabili conditione transigere statuit. Sed ab his cum semel atque iterum ac sæpius repulsam tulisset, facile fuit appellanti ad summum Pontificem, iacturæ Monachorum Cassianitarum quanta foret æquali statura compensatione causam vincere. Indulsit postulatis eius, ac voluntati & gratiæ deditus fuit Bonifacius VIII. cuius executorias literas ad Durandum Episcopum Massiliensem simul & ad Episcopum Sistaricensem exscripsimus incorruptę atque integre in Magdalena nostra cap. 29. num. 5. Extat instrumentum in tabulario S. Victoris quo inter Carolum II. Siciliæ Regem & Guillelmum De Sabrano

Abbatem

Abbatem transfigitur, de quarumdam ædium in vrbe Aquensi vectigalium Monasterio S. Victoris, quas Monialibus Nazaretanis ibidem Rex dono dederat, pro quadraginta librarum censu ac pretio à quæstoribus regiis ex dominio Castelli de Phos & Brinoniæ quatannis eidem Monasterio pendendo. In laudando Guillelmo nunquam Rex nisi honorificentissimè *Sobrinum* & sanctioris Conclauis consiliarium atque administrum compellat.

Hoc tempore Cœlestinus V. paulo pòst coronationem suam, rogatu Regis Caroli Neapolim accedens in arce noua cum Rege habitauit, cuius precibus proximo mense Septembri anni 1294. duodecim Patres legit viros doctrina & vitæ integritate præstantes, in his pene omnes Gallos & Regis amicos. Eximium vnum tulit Massilia Guillelmum Ferrarium Gallum, qui ex Præposito Massiliensi Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis creatus à Cœlestino migrauit Romæ Calend. Maij anno 1295. Cui non tantum nomine sed etiam ætate ac dignitate suppar Guillelmus Longus Bergomensis Regis Caroli II. Siciliæ Cancellarius vocatus ab eodem Cœlestino & in eadem creatione ad purpuram, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano dictus est. Huius familia Bergomensis nobilis antiquitus de longa Spata vocabatur. Ipse adolescens altæ indolis in Regis Caroli curia notus eiusdem Caroli Cancellarius fuit, quo rogante Cardinalis à Cœlestino V. creatur. In Concilio Viennensi Bonifacij VIII. famam à Rege Francorum Philippo Pulchro, qui eius acerrimus hostis fuerat impetitam, tuendam in iure Canonico suscepit, idque egregie cum Richardo Petrone Cardinali S. Eustachij præstitit. Insignis vtriusque iuris Doctor animi integritate & pietate præstans magnæ apud Bonifacium VIII. authoritatis fuit. Difficiles ab eo Legationes obtinuit & accuratè gessit. Eiusdem Bonifacij VIII. iussu sextum Decretalium librum cum duobus aliis præclarissimis viris condidit. Obiit Auenione 5. Idus Aprilis 1319. Cardinalatus 25. Corpus Bergomum relatum ad Minorum Ecclesiam in sacello S. Nicolai marmoreo tumulo ab se condito sepultum est, cum hac inscriptione.

Hic iacet corpus piæ memoriæ Guillelmi De Longis Cardinalis.

Anno 1305. Benedicto II. demortuo declaratus est Papa Clemens V. genere Gallus Vasco Burdegalensis Episcopus, qui Lugduni quò ipse ex Aquitania & Cardinales ex Italia conuenerant, anno 1305. pridie Idus Nouem, die Dominico ante fores S. Iusti extra muros suæ coronationis insignia suscepit per manus Matthæi Rubei Vrsini Diaconi Cardinalis S. Mariæ in Porticu S. R. E. Archidiaconi cæteris Cardinalibus, Episcopis, Clero, & innumera populi multitudine astantibus. Porro silentio inuoluendum non est coronationem huius Pontificis multò celeberrimam, adde & funestam etiam quibusdam fuisse. Illi siquidem interfuere Philippus Rex Franciæ cognomine Pulcher, eius frater Carolus nuper ex Italia reuersus, Ioannes Britanniæ Dux, qui ruina muri oppressus moritur cum plerisque aliis dum pompa coronationis vt fit per vrbem ducitur. Philippus quoque ex ea ruina aliqua ex parte debilitatus est. Pontifex autem

tem in tanta trepidatione ex equo deturbatus solum carbunculum ex tiara amisit pretio aureorum sex millium. Ecclesia autem S. Iusti in qua coronatus est Clemens Papa V. extra muros vrbis, ciuilibus Francorum bellis à Caluinianæ sectæ defensoribus planè euersa est anno 1562. Atque hac ratione Romana curia in Gallias translata est, vbi ad annos 70. remansit. Sedit Clemens V. annos 8. menses 10. dies 16. Cæsare Alberto & Imperatore Henrico VII. Augustis. Quadriennio post Clementis inaugurationem Philippus Pulcher Rex Francorum Parisios reuertitur Clemens verò Papa ex eius dominio & potestate exiens, Auenionem tunc primum accessit, quæ in Regis Siciliæ Caroli II. ditione erat.

Anno 1306. die 13. Februa. Carolus Rex Comitatus Pedemontis, Prouinciæ, & Forcalquerij æque,quod aiunt Iurisconsulti, principaliter vniuit, æquoque fœdere coniunxit, vt vniri sibi mutua auxilia præstarent. Anno 1308. die 11. Calend. April. icto prius fœdere Bertrandus Baucius Auriacæ Princeps seipsum ciuitatemque suam & principatum suum sponte Comiti Prouinciæ submisit, & Carolo vt fidei Comiti Sacramentum, hominio quod aiunt ligio, pro ipsa ciuitate & principatu præstitit. Moritur Carolus Neapoli 1309. ætatis 60. cuius corpus in Prouinciam delatum sepelitur Aquis Sextiis in Monasterio Monialium Nazareti fani, quod fundauerat & dotauerat. Insigni pietate princeps, religionis amantissimus, Monasteriorum & templorum fundationibus & ædificiis addictissimus. Robertus Dux Calabriæ eius filius Auenionem profectus vtriusque Siciliæ Rex à Clemente V. coronatus est, qui fidei Sacramentum præstitit. Sed ecce mira contentio Carolus enim Humbertus Caroli Martelli Caroli II. primogeniti filius, se iure primogeniti in successione regni sperabat, cum Roberto prædecessisset Carolus Martellus, & eo tempore quo deferebatur patris Caroli II. successio, priorem se gradu & potiorem contendebat. Longa contentio & obscura quam Clemens V. in cuius arbitrium patruus & nepos consenserant, pro patruo definiuit, Baldi Perusini summi illo tempore Iurisconsulti iudicium sequutus. Quod idem iam responderat Bonifacius VIII. cùm enim Rex ipse Carolus II. pater dicti Roberti Ducis Calabriæ & auus præfati Humberti pupilli Regis Hungariæ, petiisset à Bonifacio Papa declarari, quis post mortem suam esset sibi in prædicto regno Siciliæ successurus, an videlicet prædictus Robertus filius suus vel dictus Humbertus nepos eius, declarauit Pontifex in Breuibus, Robertum esse prædicto suo Patri in præfato regno Siciliæ successurum.

SÆCVLVM X.

Annus Christi 1320. *A Conditu Monasterij 900.*

117. *GVillelmus VI. De Cordaillaco* sedere cepit anno 1325. quo ad diem Pentecostes Comitia Ordinis generalia indixit, quatuor inde

inde circiter annis exactis Episcopus Sampapulensis creatus præfecturæ nuntium remisit anno 1327. Ped id tempus occasione hæresis Fraticellorum & concionatoris cuiusdam egregij nominis, ex Ordine Minorum, qui Christum & Apostolos nihil in communi proprium habuisse asseuerabat, declarauit Ioannes 22. eos hæreticos & pertinaces esse censendos, qui affirmarent Christum eiusque discipulos, ea quæ] habuisse sacræ Literæ testantur, vendendi, donandi, testandi, & acquirendi ius non habuisse. Earum constitutionum literas Apostolicas ad Gymnasia publica transmisit, ne amplius scholastici disputare de ea re auderent. Damnauit in Consistorio Glossema quoddam Fratris Petri, quorum de numero multi damnati & exusti fuere. Item alij ex Congregationibus Minorum oppositam Ioannis Papæ sententiam professi, & vltrò hæresis ipsum arguentes multas ab eo calamitates acceperunt. Fuere etiam tunc Massiliæ ob eam hæresin de Christi paupertate, quatuor fratres Minores exusti teste Ciaconio in vita Ioannis Papæ XXII. anno 1323.

Interim diuisa Germanorum procerum in Cæsare creando studia diuiserunt Imperij vires. Duo erant Cæsares paribus suffragiis lecti, Ludouicus Bauariæ & Federicus Austriæ Duces, qui ingentes conciuere turbas. Extincto Henrico Lucemburgensi Imperatore in agro Senensi non sine veneni à Dominicano Monacho dati suspicione, vt referunt historici teste Petauio, conuenerant Francofordiæ electores Principes in die S. Luciæ, à Moguntino & Treuerensi Episcopis & Bohemiæ Rege & Marchione Brandemburgensi electus est Ludouicus Bauarus, & contra hunc delegerunt Fridericum Austriacum Coloniensis Episcopus, Palatinus, & Saxoniæ Dux. Ludouicus Aquisgraui coronatus est. Fridericus Bonnæ Imperij insignia accepit. Austriæ Dux fautores habuit Pontificem, Franciæ & Hungariæ Reges, Sueuos, Palatinum, Argentinenses, & alias multas vrbes. Ludouicum autem qui viribus infirmior erat & destitutus humano præsidio fortunauit Deus, imperauit annos 35. Anno 1323. collatis signis pugnatum est inter eos ad Necharem fluuium, & vtrinque multi occubuerunt in prœlio. Victor tamen Ludouicus capto imperij æmulo, & carceri mancipato Romam venit sed cum eum fortè insolentius exultantem & suis denuntiationibus minus obsequentem diris execratus esset Ioannes 22. an. sequente ausus est in cœtu populi Romani Ioanni XXII. Pontificatum nequiquam abrogare, & Petrum Corbarium Franciscanum Pontificem legere, qui Nicolaus V. est appellatus. Ab eo Bauarus Augustalibus insignibus ornatur. Cæterum captus honos vtrique probro fuit. Pseudopontifex Pisis à Bonifacio Pisano Comite comprehensus in catenis Auenionem ad Pontificem mittitur, & Bauari imperium à Pontifice non probatum.

Peta. in Rationa. ad annum 1300.

118. *Ratherius* exinde *de Lenacho* prudentia insignique doctrina præstans rexit annos 6. cum dimidio, præfecturam auspicatus anno 1328. functus verò anno 1333. Duo, inquit autor Indicis, fecit Capitula generalia, primum anno supradicto 1328. alterum 1330. postea ad Massiliensis Episcopatus sedem potestatemque euectus, quandiu eam administrauit

XXx

multarum virtutum specimen dedisse, vitæque Apostolicæ dignitatem magnopere amplificasse fertur. Robertus Rex Neapolitanus & Comes Prouinciæ Carolum vnicum filium suscepit, vulgo *sine terra* dictum sed ex Maria Valesia coniuge Ioannam primogenitam & Mariam. Carolus filius patri prædecessit. Robertus Ioannam testamento fecit hæredem, quam iussit nubere Andreæ filio Humberti nepotis Caroli Martelli Regis Pannoniæ, mense Septemb. anno 1333. Dehinc paulo ante mortem quæ Ianua. 19. anno 1344. accidit Ioannæ Andreæque nuptias peregit, cùm per annos 35. regnum produxisset sepultus in sua Neapoli cum hoc elogio. *Aspice Robertum nulla virtute refertum.* Hic iurisdictionis & iuris studiosus, quo die Carolum filium vnicum maximæ spei adolescentem vnicamque spem regni amisit, nullo luctu, qui acerbissimus erat, potuit debilitari, quin eo die regni negotia explicuerit, edixerit, lites audierit atque diremerit, vt testis est & ait ille qui aderat doctissimus illius temporis scriptor Petrarcha. Hunc denique Regem doctissimum & humanissimum tradit historia.

119. *Gilbertus de Cantabrio* siue de Contobon Ratherio Episcopo suffectus est vita integer & doctrina insignis anno 1333. qui exactis in imperio annis omnino sex Ruthenensis Episcopi munus cepit anno 1339. De ipso in Indice hæc habentur. Iste Dominus Gilbertus fuit vnus de Compositoribus Constitutionum Domini Papæ Benedicti XII. quæ fuerunt factæ anno 1337. vt patet in fine Constitutionum, harum dicti Papæ, & fecit suum Capitulum Generale anno 1334. Item iste Dominus Gilbertus fuit reformator præsentis Monasterij, & Dominus Raymondus Abbas Montis Maioris qui fuerunt deputati ad reformandum illud per Dominum Benedictum Papam XII. quæ reformatio fuit facta anno 1337. die 10. Decembr. cuius reformationis instrumentum vocatur in Monasterio vulgariter *Talamentum*. Fuit Benedictus XII. virorum doctorum & bonorum ingeniorum studiosus & præcipuè Poëtæ præstantissimi Petrarchæ, & magnorum Theologorum & Canonistarum illius temporis, Gregorij Ariminensis, Thomæ Argentinensis, & Guiberti huiusce nostri Abbatis. Scripsit de statu animarum ante generale iudicium Tomos 2. Quæstiones 11. eiusdem argumenti. Decretalem religiosorum. De reformatione Benedictinorum. De statu nigrorum Monachorum. Carmina quædam Prophetica. Epistolas ad Eduardum III. Angliæ Regem. Eiusque Regesti & Constitutionum extant Volumina decem in Vaticana Bibliotheca. Qualis verò fuerit supradicta reformatio meminit Ciaconius in Actis eiusdem Benedicti XII. Ordinem, inquit, S. Benedicti nigrorum Monachorum de consilio S.R.E. Cardinalium & multorum doctissimorum Abbatum consensu reformasse, habetur ex Bulla quæ *Benedictina* dicitur ad Guillelmum Cistercij Abbatem, Pontificatus anno 1. vide Bullarium tomo 1. Item Trithemius in Chronico Hirsang. Benedictinos & Cistercienses reformauit Constitutione Benedictina, quæ in Comitiis S. Germani à Prato anno 1337. die 21. Iunij habitis, quibusque ducenti circiter Abbates Rhemensis & Senonensis Diœceseon interfuere, tunc enim

Cœnobiis

Cœnobiis non præficiebantur sæculares. Multum aurj Benedictum Ecclesiæ reliquisse testatur Cardinalis Ægidius Viterbiensis, & dixisse sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, si verus futurus sit, sine patre, sine matre, sine genealogia esse oportere. De Ioanne XXII. eius proximo decessore narrant historici, milliones septemdecim auri cusos & septem rudes inelaboratos reliquisse. Quod nullus vnquam Romanus Pontifex fecit. Auenione in palatio Apostolico ex hac vita, nonagenario maior migrauit anno 1334. Sepultus cum magna funeris pompa ibidem, in Cathedrali Ecclesia S. Mariæ de Domnis.

120. *Allemandus De Roqualaura* homo frugi vitaque seuera, titulo Abbatis infulaque donatur Benedicti XII. Pontificatus anno 5. Christi 1339. Ludouico Bauaro Imperij iura obtinente. Moritur anno 1346. cum sedisset annos 8. Hic prædiatoriæ subscriptionis Acta Monasterij in nouum Codicem retulit, & agrariæ clientelæ plerosque obnoxios ad nouam censionem adegit. Per id tempus Robertus Rex Siciliæ & Comes Prouinciæ Claudi filius, sine virili stirpe moriens Ioannam ex filio neptem hæredem reliquerat. Ea Andreæ Caroli Hungariæ Regis minori filio desponsa, sed nouo sponso per insidias interfecto nupserat Ludouico Patrueli suo Tarentini principis filio. Igitur Ludouicus Hungariæ Rex infesto exercitu in Italiam venit indignam fratris necem vltutus. Regnum Neapolitanum à Regina nouoque Rege destitutum sine certamine subigit, verumtamen Clemente VI. Pontifice deprecante, regnum deinde Ioannæ Reginæ ab Hungaro redditum. Susceperat ex vxore Violante Regis Aragonum filia Ludouicum & Carolum Calabrum Rex Robertus, qui Patre superstite obierunt, ille prior annos natus nouem, cuius sepulchralis inscriptio Neapoli legitur. *Hic iacet Dominus Ludouicus filius illustris Regis Roberti qui obiit anno Domini 1310. die 12. Mensis Augusti. Indict. 8. cuius anima requiescat in pace.* Iste posterior bis nupsit, primò cum Catherina Alberti Austriaci filia, siue vt aliis placet sorore, ex quibus nuptiis nulla proles. Secundò Mariam Caroli Valesij vxorem tulit tribus superstitibus filiabus, Ioanna, Maria, & Margareta. Ioanna vt mox diximus ab auo Roberto dicta hæres anno 1344. aliis 1340. quater nuptias contraxit, primò cum Andrea nepote Martelli, quem Neapoli laqueo interemit, continuoque nupsit Ludouico Tarentinorum Principi Consobrino, cui regium nomen communicauit, in eamque causam Clementi VI. Romano Pontifici & Romanæ Ecclesiæ Auenionem ciuitatem cum territorio omni & iurisdictione, octoginta millibus Florenorum auri Florentiæ vendidit, anno 1348. die 9. Iunij vt illa venditione pellectus Pontifex, nomine Regio Ludouicum maritum cohonestaret. Sed postea morte Ludouici soluto matrimonio, tertiò nupsit Iacobo Aragono Maioricaram hæredi, eximiæ pulchritudinis viro. Sed nec hic diu superstes, post cuius mortem Othoni Brunsinco ex Saxonum antiquissima nupsit familia.

121. *Amaluinus* Allemando successit anno 1347. à quo pro conuenientia conseruationeque Prioratus S. Amandi Ruthenensis Diœcesis sta-

tuta quædam emanarunt. Obiit anno 1349. quo Humbertus Delphinatium Princeps Dominicanorum institutum sequutus, nunc Regi Franciæ plene Delphinatum permisit vili quidem pretio, sed ea lege vt inter Regum Francorum filios natu maximus Delphini nomen gereret & Principatum. Anno superiori Ludouicus Hungariæ Rex Andreæ Neapolitani Regis ab vxore regina laqueo interempti, vt supra diximus, regnum Neapolitanum vi occupat pulsa Ioanna, quæ se in Prouinciam recepit, vbi Auenione Clementem VI. Pontificem Romanum conuenit. In hac expeditione occidit Ludouicus Carolum Dyrrachinum qui pro Regina stabat, confectisque rebus quarum causa venerat celeriter in Hungariam transmisit, ducto secum Carolo infante, non Ioannæ vt vult Massonus sed Caroli Durazzi filio, cuius patrem capite damnarat. Sed Carolo infante mortuo pertæsi Hungarici Imperij Neapolitani Ioannæ & Tarentino eius marito scribunt vt redeant. Collecta pecunia non erat satis rei bene gerendæ, vendidere igitur Auenionem pretio octoginta millium Florenorum, Ecclesiæ Romanæ, & collecto milite Neapolim peruenere summo à proceribus plausu recepti. Interea Tarentinus Tarentini Principis filius illis absentibus Proregis nomine Prouinciæ res curabat, & cum Balthij rebellionem facerent, pugnanti contra eos Tarentino affuere Arelatenses, quorum armis, Balthiorum arx oppugnata expugnataque est, in cuius rei gratiam Ludouicus & Ioanna Reges Arelatensibus facultatem dederunt, vt animalia in agros Balthiorum immitterent ad 10. annos propter nauatam egregie operam in Balthiorum bello. Huius rei gestæ fidem facit diploma datum anno 1358. asseruatumque in vrbis Arelatensis tabulario, in membranis pascuorum publicorum sub litera G.

122. *Stephanus II.* cognomento *De Claperiis* exinde præesse occepit vir pius, scientia & bonitate præditus, Clementis VI. Pontificatus anno 8. Christi 1349. Carolo 4. Augusto Imperatore, rexit annos 10. migrauit Massiliæ anno 1359. ibique sepultus. Traditur in Indice tempore istius statuta, esse modificata, de quibus supra, quod sint facta 1348. die S. Gregorij. Franciscum De Claperiis historicum nobilissimũ, quæ Stephani huius Abbatis cognominis ac consanguinei sui ætate acciderint, bene sane narrasse aiunt in Tractatu de Prouinciæ Phocensis Comitibus Cap. 17. Porro Clemens VI. Pontifex rogatu populi Romani sæcularem Iubilæi celebritatem ad quinquagesimum annum reuocauit, egitque anno eius sæculi 50. Eam celebritatem deformauit lues qua non alia fœdior ac funestior memoratur. Anno 1356. Pictauiense prœlium initum est Gallica clade nobile, pugnatum est acriter 13. Calend. Octobris non procul Augustorito Pictonum, cùm Rex Francus numero superior conditiones oblatas respuisset, vincit Anglus, capti Rex ipse Ioannes & Philippus filius, perductique in Angliam; cum his quingenti è præcipua nobilitate. Carolus Delphinus fuga elapsus Lutetiam tenuit, tandem post annos 4. pace composita dimittitur Rex Ioannes in Galliam.

123. Vacuam Stephani morte Abbatiam possessione adiit *Guillelmus VII.* eius nominis *Grimoardi* anno 1359. doctrina, prudentia, moribus, & vitæ

& vitæ sanctitate præstantissimus & tanto magistratu dignus. Hoc in Indice de ipso habetur. Fuit originarius Monachus Monasterij præsentis & de Abbate fuit electus & assumptus in verum vnicum & indubitatum Papam, qui dictus fuit Vrbanus V. anno Christi 1302. 5. Calend. Nouemb. Habitum Monasticum ac nomen Abbatis S. Victoris vsque ad mortem etiam Pontifex continuo, gestauit, interea dum Vicarias eius dominationis partes in Monasterio ageret Pontius de Vlmo. Rexit Abbatiam simul cum Papatu annos 8. menses duos, dies 9. & quieuit fœliciter in Domino Auenione. Cuius corpus statim anno 1372. Nonas Iunij fuit translatum ad Monasterium præsens vbi honorifice conseruatur. Sed de hoc mox pluribus infra cap. 27.

124. *Stephanus III.* cognomento Alberti Lemouicensis nouus creatur Abbas 1370. quo Auenione (non Massiliæ vt inaccuratè quidã scripserunt) post obitum Vrbani V. die 19. Decembr. Petrus Monstrius oppido Malmonte Lemouicensis agri, in Galliæ Prouincia Tolosana nobili genere ortus, Comes Bellafortis antea dicti, Clementis VI. fratris filius, scrutinio inito omnium suffragiis Romanus Pontifex renuntiatus est die 29. eiusdem mensis Decembris. Quem cum adhuc adolescentem vix 17. annum egressum Diaconum Cardinalem S. Mariæ nouæ creasset Clemens VI. ne videretur Pontifex carni & sanguini magis quam Ecclesiæ consuluisse eumdem ad exquisitissimos Doctores maximè vero ad Baldum egregium Iurisconsultum, qui tum ius Pontificium Perusij publicè profitebatur, disciplinæ gratia statim, misit, vbi tantum in omni doctrinarum genere profecit summa cum omnium admiratione, vt & idem Baldus, eius authoritate & sententia & scriptis in rebus dubiis confirmandis plerumque in Cathedra vteretur. Singulari vitæ modestiæ tantam morum majestatem, pietatem, & humanitatem adiunxit, vt ab omnibus dilectus summo Sacerdotio dignus semper habitus & à nouemdecim Cardinalibus vnanimiter Pontifex Maximus Romanus creatus sit.

Hoc Abbate translatum fuit corpus Vrbani V. de Auenione ad sacrum Cœnobium S. Victoris Massiliensis & positum in capella S. Petri prope maius altare anno 1372. Nonas Iunij. Extat ea de re in Tabulario Massiliensi plenissimæ certissimæque authoritatis scriptum his verbis.

In Dei nomine Amen.

NOtum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod anno Domini 1372. Indict. 10. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Gregorij diuina prouidentiæ Papæ II. anno 2. die verò 5. Mensis Iunij hora matutinali qua officium Matutinorum celebrabatur de B. Virgine in choro Venerabilis Monasterij S. Victoris Massiliensis, post horam 5. noctis tractam per horologium ipsius Monasterij, in mei & Magistri Ioannis Hoëni Notariorum publicorum & testium infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum præsentia, Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus D. Anglicus Dei gratia Episcopus Albanensis

S. R. E. Cardinalis, germanusque Sanctæ ac recolendæ memoriæ Domini Vrbani Papæ V. existens, indutus Pontificalibus ornamentis ante monumentum dicti D. Vrbani sanctæ memoriæ, cuius corpus inter manus suas & brachia tunc tenebatur, præsentibus R. Patre in Christo Domine Stephano miseratione diuina Abbate Monasterij S. Victoris prælibati & nobilibus viris Ægidio Bonifacij, & Petro de Langres, Domicellis ciuibus Massiliensibus ac Scindicis ipsius ciuitatis, ac etiam præsentibus aliis Dominis Prælatis infrascriptis atque etiam populi multitudine copiosa præfatus Reuerendissimus Pater Dominus D. Albanensis tam dicto Domino Stephano Abbati S. Victoris quam suo Conuentui, quod etiam præfatis DD. Scindicis proposuit verba sequentia seu similia in effectu. Videte Domini & intelligite cum Sanctiss. in Christo Pater & Dominus noster D. Vrbanus sanctæ memoriæ Papa V. transiens ab hoc mundo suum corpus huic venerabili Monasterio reliquerit, quiescendo in eo Ecclesiasticam sepulturam eligendo. Ego volens suam voluntatem deliberatam exequi, vt teneor, reuerenter & iuxta mandatum Domini nostri D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XI. qui nunc est, corpus suum integrum & absque diminutione vt patet per publica & legitima instrumenta inde scripta per mandatum D. Ioannis Rosseti Notarij D. Camerarij D. nostri Papæ, cùm idem corpus Sanctæ memoriæ receptum fuit de Ecclesia B. Mariæ de Domnis Auenionensi, à qua nunc translatum est ad vestrum Monasterium antedictum, vobis D. Stephano Abbati & Conuentui vestro in præsentia Scindicorum Massiliæ, corpus præsens S. M. Domini nostri D. Papæ Vrbani V. assigno & realiter trado huic præsenti tumulo reponendum, postquam præfati nobiles Ægidius Bonifacius & Petrus de Lengres Scindici præsentes personaliter proposuerint se huiusmodi traditionem & assignationem nomine suo & ciuitatis gratam & acceptam habere, & ipsum corpus S. M. credebant ipsum præsens esse integrum, prout idem D. Albanensis proposuerat, intra quamdam capsam formæ quadratæ coopertam de Velluto rubeo, quam pro tunc idem D. Albanensis inter ambas suas manus vt prædicitur reuerenter tenebat. Protestantes dicti DD. Scindici contra dictum D. Stephanum Abbatem & Conuentum Monasterij S. Victoris Massiliensis prædicti quantum eis inter erat& tãgere poterat de omni damno & periculo quod in futurum euenire posset, quod absit, si dictum corpus S. M. non custodiretur pro vt decet. Requirendo nihilominus præfatum Reuerend. Patrem D. Albanensem vt suas oppottunas literas de assignatione & traditione dicti corporis S. M. concedere dignaretur. Qui quidem D. Albanensis se dictis Scindicis gratiosè obtulit ad dictas literas concedendas. Deinde verò præfatus D. Stephanus Abbas dicti Monasterij S. Victoris ibidem personaliter præsens, vnà cum aliquibus de suo Conuentu cuius maior pars tunc occupata erat circa celebrationem Matutinorum prædictorum, vt est dictum, præfatum corpus sanctæ & recolendæ memoriæ suo nomine & successorum suorum & Conuentus sui nudo capite & flexis genibus recepit humiliter & deuotè dicens, quod quanto studio quod poterit cum

solli

sollicitudine & deuotione custodiet & faciet custodiri dictum corpus iuxta posse, regratiando corde humili, affectione totali præfato Domino Vrbano S. M. quod dignatus fuit cùm in humanis ageret se ipsum relinquere & donare huic Monasterio prælibato. Et etiam regratiando ipsi Reuerendiss. Patri & Domino. D. Albanensi, quod sibi placuit præfatum corpus Domini Vrbani S. M. iuxta suam ordinationem sibi & suo Conuentui realiter assignare. Et tandem ipsius corporis sanctæ & recolendæ memoriæ assignatione & reali traditione per supradictum Reuerendiss. in Christo Patrem ac Dominum D. Albanensem dicto D. Stephano Abbati & suo Conuentui facta, in præsentia D. D. Scindicorum testiumque infra scriptorum & magna multitudine gentium vt est permissum. Venerabiles viri DD. Petrus Boërij Acolytus D. nostri Papæ, & Bertrandus de Nogarolis Canonicus Aquensis magisterque operis Apostolici palatij, ac Ioannes Ioglarij lapicida magister latomus ipsius sepulchri dicti D. Vrbani S. M. testes inferius descripti, dictum corpus S. M. intra prædictam capsam de Velluto rubeo coopertam inclusum & repositum vt prædicitur, intra quoddam monumentum nouum fixum in pariete dextro, in qua parte cantatur Euangelium prope altare maius S. Victoris me Notario subscripto personaliter præsente & diligenter attendente incluserunt & sollicitè posuerunt. Quo pacto incontinenti sine aliquo interuallo prænominatus Magister Ioannes Ioglarij lapicida de certis lapidibus decisis sepulchrum clausit, & tandem desuper posuit quandam magnam imaginem alabastri ad formam D. Vrbani Papæ prædicti sanctæ & recolendæ memoriæ in Pontificali habitu permanentis figuratam. De quibus omnibus, & singulis tam dictus D. Abbas suo nomine & successorum suorum ac Conuentus quam etiam prænominati DD. Scindici nomine Scindicatus petierunt sibi fieri vnum vel plura publicum instrumentum vel publica instrumenta per me Notarium infra scriptum.

Acta fuerunt hæc ante dictum monumentum ipsius D. Vrbani Papæ S. M. iuxta dictum altare magnum S. Victoris Monasterij præfati anno, die, hora, mense, indictione, & Pontificatu, quibus supra, præsentibus Reuerendiss. in Christo Patribus & Dominis

Geraldo de Promeyaco Episcopo Aquensi
Gantelmo De Deutio Episcopo Magalonensi
Bernardo de Castro nouo Episcopo Sampafulensi
Bernardo de S. Stephano Episcopo Vticensi
Raymundo de Alliaco Abbate Conquensi Diœcesis Rutenensis
Pontio De Vlmo Abbate Montis Maioris Diœcesis Arelatensis
Hugone Seguini Abbate de Salmo Diœcesis Nemausensis

Et venerabilibus ac circumscriptis DD. Geraldo Testa Decretorum Doctore Præposito Ebredunensi, Petro Boërij Præcentore Mimatensi Acolytho D. nostri Papæ, Bertrando de Nogarolio Canonico Aquensi, Nec non venerabilibus & religiosis viris DD. Gansselino De Spinassono Priore De Tritis prædictæ Aquensis Diœcesis, Ioanne Boniuini Priore de Saletes Regensis Diœcesis, Vitale Belliparij Priore de Valerna Vapincensis Diœcesis,

cesis, Vesiano De Crozo Camerario dicti Monasterij S. Victoris. Et etiam Nobilibus viris Ioanne de Montiliis, Saluaytono Gaustriæ Domicellis de Massilia, Iacobo Mercerij Apothecario ciue Massiliæ, ac Ioanne Ioglarij lapicida prædicto testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et me Ioanne Polieri Clerico Claremontensis Diœcesis publico authoritate Apostolica Notario, qui prædicti corporis S. M. Domini Vrbani Papæ V. & reali traditioni prædictum Reuerendiss. Patrem & Dominum D. Albanensem præfato R. Patri in Christo D. Stephano Abbati ipsius Monasterij S. Victoris & suo Conuentui humilique receptioni ipsius corporis S. M. factæ per eumdem D. Albanensem, tumulationi, imaginis superpositioni nec non protestationi factæ per DD. Scindicos ac aliis omnibus vniuersis & singulis supra dictis prout dictum est, & permittitur per eumdem D. Albanensem vt coram eo agerentur & fierent, vna cum prænominatis testibus & multitudine populi copiosa anno, mense, die, hora, indictione, Pontificatu, & loco præscriptis præsens personaliter interfui & ea sic fieri vidi & audiui ex qua hoc præsens publicum instrumentum in formam publicam redigendo fideliter extraxi, manu propria scripsi, publicaui, signum meum solitum apposui, hic me subscribens requisitus & rogatus in testimonium omnium præmissorum.

Cæterum quinquennio post celebrauit Stephanus Massiliæ Capitulum Ordinis Generale obiitque anno exeunte 1378. Affinem & propinquum genere, vti & cognominem habuit Albertum Cardinalem & Episcopum Carcassonensem.

Anno 1376. Gregorius XI. sedem Pontificiam Auenione Romam transtulit, intelligens enim Pontifex mala quæ in Italia quotidie ob suam absentiam perpetrabantur, profectionem suam eò accelerauit. Ipsum autem maximè mouere cuiusdam Episcopi verba qui interrogatus à Pontifice dum simul obambularent cur non rediret ad Ecclesiam suam quam haud par erat tandiu sine pastore nudam relinqui. Cur inquit tu summe Pontifex cæteris exemplum daturus tuum Episcopatum non repetis Ecclesiamque Romanam? Frossardus tamen Gallicæ scriptor historiæ, qui tunc viuebat, in Annalibus suis refert nulla re magis motum quam Catharinæ Senensis literis eum ad profectionem magnopere excitantis. Extant enim apud eum 14. Epistolæ eiusdem argumenti. Consilium verò eius vbi Carolus V. Rex Francorum cognouisset fratri Audegauensium Duci qui Tolosæ tunc erat statim scripsit, vt Anenionem pergat Pontificemque Galliæ relinquendæ consilio dimoueat. At dimoueri à cœpto non potuit etsi erat imbecillo corpore ac valetudinario. Hanc profectionis suæ causam esse dicebat, quod pollicitus esset immortali Deo se in Italiam ad Romanam D. Petri sedem quam primum posset profecturum. Itaque 4. Cardinalibus Auenione relictis quibus Ecclesiastica negotia commisit è Gallia abiit maiore Cardinalium dolore quam suo. Soluens è portu Massiliæ mense Septembri paratisque vna & triginta triremibus Genuam primò inde Cornetum contendit. Vnde terrestri itinere nauigationis pertæsus hyeme præsertim Romam peruenit, anno Domini 1377.

Pontificatus

Pontificatus sui anno 7. & vltimo. Migrationis verò Romanæ curiæ in Gallias 70.

124. Sublato è viuis Stephano suffectus est *Pontius De Vlmo* Abbas Monasterij Montis Maioris Arelatésis pietatis & doctrinæ titulis insignis anno 1379. De quo Tabularium Montis Maioris hæc sigillatim refert Pontius de Vlmo post promotionem Petri de Banhaco ad Cardinalatum donatus Abbatia Montis Maioris ab Vrbano V. cuius erat Vicarius Generalis in regimine Monasterij Massiliensis. Ædificauit maiorem Monasterij Montis Maioris turrim. Instituit in vrbe Monspessulana Collegium, in quo studiis vacarent Monachi Montis Maioris nec non alia plurima beneficia eidem Monasterio præstitit. Electus est deinde Abbas Massiliensis, & vtrique simul Monasterio paucis annis præfuit, mortuus enim est anno 1382.

Per id tempus schisma exortum adeo fœdum & diuturnum vt eo nullum aut deterius aut prolixius quove maioribus odiis & acrioribus dissensionibus certatum sit, humana possit memoria recordari. Durauit hoc schisma annis circiter 40. ad Concilium Constantiense cùm alij Romæ, Auenione alij Pontifices sederent. Nam post Gregorij mortem cum Vrbanus VI. Romæ in Pontificem electus 14. Calend. Maij anno 1378. cunctis Cardinalibus approbantibus, Episcopis astantibus, cum Clero & populo ante fores Basilicæ S. P. per Iacobum Vrsinum Romanum S. R. E. Archidiaconum suæ coronationis insignia suscepisset, sederetque in Petri Cathedra, Cardinales hominis ingenium durum, agreste, & ad iniurias inferendas inexorabile pertæsi, exitialis schismatis consilia agitare ceperunt. Ante igitur omnia eorum consilio Petrus de Croso Archiepiscopus Arelatensis factus olim per Gregorium XI. Papæ Camerarius, tum à Clemente VII. Antipapa creatus Cardinalis anno 1386. in cuius potestate erant omnia sacra Pontificum ornamenta, thiaræ, cruces, vestes, nulla abeundi venia à Pontifice petita Anagniam omnia secum afferens contendit, atque illuc sub exitum mensis Iunij qui tertius erat ab electione Vrbani, specie vitandi caloris æstiui & pestilentis aëris Romani Gallis maximè aduersi, Cardinales omnes Galli qui in vrbe erant bona venia à Pontifice obtenta similiter accesserunt, ibique prius inter ipsos & Honoratum Fundorum Comitem Campaniæ pro Ecclesia Romana præfectum percusso fœdere, vt sub eius tutela quæ cogitauerant agerent, frustra tentatis per Guillelmum De Vouta Episcopum Massiliensem aliosque præsules viros sapientissimos & vltro citroque habitis consiliis ac propositis conciliandæ pacis conditionibus, ad 5. Idus Augusti iussu ipsorum 13. Cardinalium Gallorum ex authoritate verò Camerarij sedis vt aiebant vacantis, Iacobus Archiepiscopus Hidruntinus post sacra in maiore Ecclesia Anagnina celebrata ascenso vmbone astantibus Cardinalibus tredecim & innumera Prælatorum, Clericorum, Procerum ex cuncta regione multitudine, Baltholomæum Prignanum Archiepiscopum Barensem in Pontificatum intrusum, qui se vocari faciebat Vrbanum, non esse nec vnquam fuisse legitimum Pontificem sed Antichristum,

nec pro legitimo Pontifice haberi debere cùm eius electio per impressionem, vim, ac metum populi Romani furentis in loco non tuto facta fuisset.

Tum ad nouam electionem in palatio Comitis Fundaui Comitiis initis ad 10. Calend. Octob. eiusdem anni 1378. Pseudopontificem secreto scrutinio quemadmodum antea conspirauerant, in schismate delegerunt Robertum ex Gebbenensibus Comitibus summo genere ortum, qui ante fores Ecclesiæ Maioris Fundanæ multis proceribus astantibus coronatus Clementis VII. nomen assumsipt. Sequenti anno 1379. Cum Britones & Vascones qui ipsi militabant prope vicum Manna in Latio, ab Vrbani exercitu cæsi fugatique essent, Antipapa in tuto se esse minime ratus 11. Calend. Iunij aptam triremium classem conscendens Massiliam nauigauit, qui à Prouinciæ Præfecto & omnibus propinquis regulis & prælatis tanquam Pontifex susceptus Auenionem demum adiit Cardinalibus obuiam prodeuntibus. Creauit Cardinalem Petrum de Luxemburgo Guidonis filium, Gallum, Comitem S. Pauli, Diaconum S. Georgij in Velabro, qui pie obiit 3. Nonas Iulij an. 1387. sepultus Auenione in Monasterij Cœlestinorum cœmeterio, dicto aliàs S. Michaëlis clarus miraculis quæ primis duobus ab illius morte annis nouem, sexaginta quatuor contigisse Ioannes Molanus aliique affirmarunt.

125. Proximè Pontium De Vlmo sedit *Sanericus Christiani* Monachus Montis Maioris Decretorum Doctor Prior primùm S. Orientij Auxitanensis, Abbas postea S. Andreæ prope Auenionem, tandem S. Victoris Massiliensis Abbas creatus anno 1383. Eius acta libellis & Chirographis Monasterij Montis Maioris nota & firma habentur. Obiit anno 1387.

126. *Ioannes Boninini* patria Massiliensis vir pius, prudens, & bene doctus quem Maria Regina Ludouici II. Regis Siciliæ & Comitis Prouinciæ mater in consilij publico de statu Senatorem allegerat, Abbas fuit S. Victoris & in sacerdotalis census, ac muneris possessionem missus anno 1387. Imperauit annos ab obitu Sanerici propemodum 18. excessit anno 1405. De Ioanna Regina Neapolitana quemadmodum partibus Clementis aduersus Vrbanum Romanum Pontificem, eius seueritatem & in Germaniæ Principes singularem beneuolentiam verita studeret, narrat Franciscus De Claperiis in breui historia Comitum Prouinciæ sæpe laudata. Hinc Vrbanus odio excandescens Ioannam lata sententia regno Siculo & Neapoli priuauit illudque in beneficium Carolo Duracio quem hostem Ioannæ infestissimum nouerat concessit. Duracius magno cum exercitu in Italiam peruadens regni Neapolitani possessionem conatur inuadere. Omnia tunc misere arma spectabant. Ioanna vt à Francis auxiliares milites euocaret Ludouicum Andegauensem Ioannis Regis Gallorum filium & post mortem Ludouicum filium Comitatus sui & Regni hæredes instituit, dictato testamento Neapoli in Castro nouo anno 1380. penultima Iunij. Interim Ioanna Neapoli obsidione premitur. Nulla multis sæculis acrior tenuit oppugnatio. Ludouicus vt Ioannam obsidione

Cap. 17.

dione liberaret cum exercitu in Italiam traiecit, sed in Apulia habet cum exercitu obuium Carolum Duratium. Pugnatur vndique, ardebant milites, & summis viribus prœliatur, adsunt animo, consilio, corpore, assiduitate. Sed Ludouicus impar eiusque exercitus viribus inferior dum inclinat, graui vulnere ipse saucius è prœlio vix euasit. Ioanna omni spe & auxilio destituta dum in dies magis obsidione premitur, salutem pacta sui deditionem & ciuitatis suæ facit Duratio. Sed is promissæ salutis immemor Ioannam laqueo interemptam, eo vbi Andreas fuerat interfectus, loco suspendi iussit anno 1382. regni anno 39. Mariam vero Ioannæ sororem quæ Comiti Artesiensi nupserat, capite truncat. Et hic finis stirpis Roberti cuius regnum ad Ludouicum Ducem Andium tanquam ad hæredem Reginæ Ioannæ iure delatum est hæreditario.

Hac ætate Carolus cognomento Benenatus Francorum Rex Aueniomem ad Pseudopapam salutandum accessit ducens secum Ludouicum patruum suum Ioannis Francorum Regis filium, vt diadema regium à Pontifice susciperet, eum enim vt supra dictum est Ioanna Siciliæ Regina filium adoptauerat & Comitatus Prouinciæ regnique Siciliæ hæredem crearat. Erant cum regibus Duces Turenæ frater Regis Francorum, Dux Borbonius frater Regis Nauarræ, & omnes fere Galliæ principes cum octo millibus equitum, quibus Cardinales omnes obuiam exiere vsque Rocamauram. Pontifex eos in Consistorio publico honorificentissimè suscepit. Rex Francorum Clementis pedes, manum, & os osculatus ab eius latere dextero sedit Calend. Nouemb. In sacris Missarum solemniis idem Clemens, cuius manibus aquam Rex Francorum dedit, Ludouicum Ducem Andegauensem Regem Siciliæ coronauit & fidei Sacramentum ab eo suscepit magna ceremoniarum pompa, cui celebritati tota Galliæ nobilitas interfuit. Verùm traiectis Alpibus cum triginta millium equitum exercitu in Apuliam ad illius regni cuius coronam acceperat iura sibi asserenda profectus, morbo ad Barium Apuliæ vrbem quam oppugnabat contracto 12. Calend. Octob. 1394. defunctus est superstitibus duobus liberis, quorum maior natu Ludouicus in iura titulosque regni Siciliæ tum Comitatus Prouinciæ & Andij successit. Hic dum tutelæ Mariæ Matris Reginæ commissus in vrbe Andij impubes educaretur, Duratius per suæ factionis homines sibi & suis, Prouinciæ Comitatum & Forcalquerij confirmare nititur. Discordiis & bellis ciuilibus erat plena Prouincia, Arelatensibus & Massiliensibus Regis Ludouici ius & causam tutantibus, cæteris Duratio fauentibus. Quare Grimaldum Buellium qui à partibus eius stabat, Duratius Procomitem Prouinciæ creat. Dum hæc geruntur omnia armis, latrociniis, strage bonorum, ruinis, incendiis miserè ferebantur. Sed has omnes factiones ciuium breui tempore Maria regina Ludouici mater composuit, Prouinciamque in pacato collocauit, consilio Georgij Marliensis viri clarissimi magni Seneschalli, nam factionem Aquensem ad sui principis obedientiam reduxit, & vt animos degeneres excitaret, & discordes ad pacem exciperet, oppidis quam vellent immunitatem & priuilegia quasi vltro concessit, pacis capitula vt vocant

cum Aquensibus pacta sunt anno 1397. Quæ Ludouicus Maior factus rata habuit & quæcumque Maria mater & custos gesserat. Atque his artibus cepit quiescere Prouincia.

Clemens VII. Antipapa obiit Auenione 16. Calend. Octob. anno 1394. cui successit Petrus De Luna Benedictus XIII. appellatus. Romæ Bonifacius IX. Vrbano VI. sublectus, tum Bonifacio Innocentius VII. Sulmonensis Iurisperitus, cui successit Gregorius XII. anno 1407. Is promisit cessurum se Pontificatu, si Benedictus de quo supra item cedere non recusaret, cæterum fugiente Benedicto in Hispanias relicta Auenione, reuocauit promissum suum Gregorius de resignando Papatu. Proinde Concilio Pisis habito, vterque & Gregorius & Benedictus Pontificatu sunt depositi, & in locum eorum subrogatus est Alexander V. Cretensis anno 1410. Gregorius profugit Ariminum vbi mansit vsque ad Constantiensis Concilij tempora, Alexander V. Bononiæ egit. Nam Hungari occupata tum vrbe Roma tyrannidem exercebant & bellum gerebant cum Gallis propter Neapolim.

127. *Petrus IV.* cognomento *Flamenqui* vita integer & doctrina insignis post Ioannis obitum annos circiter nouemdecim administrauit imperium & excessit anno 1423. 12. Ianua. quique assumptus fuerat in Abbatem per Benedictum Pseudopapam XIII. Innocentio VII. Romano Pontifice. Per id tempus Benedictus ipse cùm vagus & exul erraret atque vndique Gallia excluderetur, exercitum inuictum ex Hispanis militibus conduxit, quos ad Auenionem imprimis ac cæteras ciuitates depopulandas in Prouinciam prima nauigatione transmitteret. Iolanda Ludouici II. Siciliæ Regis & Comitis Prouinciæ vxor quæ præsens aderat per Vicecomitem de Raillane & Baronem de Grimaud, Petrum Dacigne, magnum Prouinciæ Senescalum conscriptis subitaria opera militibus, tamen viribus impar serò ac nequicquam hosti occurrere ac tam fortiter obsistere potuit, quin centum quinquaginta equitum cataphractorum turma portum tenuerit, quæ ingentem vastitatem agris & pene vniuersis Prouinciæ, oppidis Druentiam vsque intulit, & Auenionem quo non pauci Antipapæ Benedicti partium sectatores in editiora maioris palatij, secesserant firmissimoque aggere se contra ciues circumsepserunt, obsidione tentauit. Verùm Senescalus maioribus copiis, & maiore studio, maioréve ex animo pugnam aduersus hostes iterum aggressus, propter Druentiæ ripam partim alios cecidit, captiuos alios & dedititios ad Iolandam Reginam Aquas Sextias in triumpho traduxit. Cæteri qui in nauibus remanserant Arelatas profecti excursionibus & latrociniis circumquaque omnia infesta reddiderunt. Ac ne oppidum Ciuitatense aliquid acciperet id genus calamitatis, Senescalus Abbati Petro Flamenqui mandarat illud probe, ne pateretur quantum in ipso esset, arcem ex inopinato ab hostibus opprimi, eamque quamprimum auxiliaria cohorte muniret. Quod cùm Abbas falsa veri specie contentus (fortè in gratiam Benedicti Antipapæ à quo Abbatiam acceperat) rem ipsam improuidè ac negligenter tractasset, Iolanda Regina facta iratior & stomachum

machum erumpens Petrum nocentem ac pecuniosum reum, ducentorum florenorum aureorum mulcta nummaria puniuit, qui ad recuperandum ab Hispanis occupatum oppidum, stipendij loco in militum quæstum & fœnerationem translati sunt. Ladislaus tunc in Apulia regnabat Caroli Dyrrachini Regis Apuliæ ac deinde Pannoniæ filius, quem per schismatis occasionem Romam haud semel occupare conatum Alexander V. tanquam Pontificiæ ditionis inuasorem sacra ignominia notatum regno Neapolitano exuit, Ludouico Andium Rege, Ludouici eius qui contra Carolum Dyrrachinum in Apulia bellum mouens decesserat, in spem regni euocato, à quo victus ac regressus est Ladislaus anno 1410. sed victoria vti nesciens Ludouicus infecta re in Gallias reuertitur.

Post Alexandrum V. factus est Papa Bononiæ Ioannes 23. anno 1410. qui sedit annos 4. menses 10. Itaque hic Ioannes XXIII. Bononiæ, Gregorius Arimini, Benedictus in Hispania, tres simul Romani Pontifices superstites vixerunt vsque dum Constantiæ publica Synodus cogeretur, autore Sigismundo Caroli IV. Imperatoris filio & Vuenceslai Imperatoris fratre nuper ex Hungariæ & Bohemiæ Rege à Septemuiris designato Imperatore, qui vt Ecclesiæ pacem redderet legatos circumquaque misit ad Principes, tum Galliam, Hispaniam, Angliam, Italiam adire non dubitauit ipse, nec prius acquieuit quàm Ioannem XXIII. qui Alexandro V. suffectus erat ad cogendam Synodum adduxit. Cœptum igitur est Concilium Constantiæ 5. Nouemb. & quinto inde anno terminatum Christi 1418. Aprilis 22. In quo postquam Ioanni XXIII. Gregorio XII. & Benedicto 13. Pontificatus abrogatus est, Odo Columna eorum loco deligitur, anno 1417. Nouemb. 11. qui dies S. Martino sacer est. Ob id Martinus V. appellari voluit. Cui Germaniæ Franciæque populis sedem deferentibus, in Italiam protinus transiit dictitans *Rectorem nauis in puppi non in prora esse oportere*. Ita post annos 40. schisma sublatum est, repugnante licet Benedicto qui cùm anno 1424. decessisset in Hispania, ab duobus reliquis eius factionis Cardinalibus sublectus Clemens VIII. quarto post anno coactus est in ordinem. Alij duo Gregorius & Ioannes à Martino V. in numerum Patrum cooptati sunt vt eadem ætas duos videret ex Pontificibus Cardinales.

SÆCVLVM XI.

Annus Christi 1420. *A Conditu Monasterij* 1000.

128. G*Villelmus III.* dictus *De Lacu* proximè Petrum excepit. Quantæ virtutis fuerit, prudentiæ, modestiæ, mansuetudinis non est dicere, audies ab historico in Indice Abbatum qui eo nomine Guillelmum extollit, quod in Abbatem assumptus anno 1424. sponte magistratu se abdicauit, sicque de turba & subselliis in ocium solitudinemque conferre quàm cũ potestate esse maluerit anno regiminis 18. Christi 1442.

Vicarij Generalis in munere Abbatis iurisdictionem detulit Percinali De Clauoro primario Monasterij largitionum Præfecto, qui anno Christi 1431. Eugenij 4. Pontificatus anno 1. Condictis Monastici sodalitij generalibus Comitiis, matronæ honestissimæ ac religiosissimæ Mariæ De Espinosiis orbæ viro Dionysio de Lumere Equite nobilissimo ac generosissimo, Prioratum quemdam ruralem siue sacram Cellulam dedit in Diœcesi Massiliensi, nomine *Ecclesia ruralis S. Mariæ Virginis siue Spelunca minoris De Balma*, quam olim Maria Magdalena in transcursu præsentia sua cohonestasse dicebatur. Peragrarat mulier iam vniuersam Ægyptum & tota ferre Palæstina & Syria peregrinata erat, vt se Anachoreticis oblineret moribus. Sed in Prouinciam demum Hierosolymis reuersa nullam solitudinem, quam ob Christi amorem persequebatur aptiorem aut votis suis conuenientiorem eo Magdalenæ secessu, sine spelunca *Minori De Balma* se reperisse hactenus affirmabat. Donatio igitur vbi ad pactionem venit, stipulata est mulier, vectigalem fundum ita se accepturam, vt oboli aurei censum indictiuum Monasterio Massiliensi S. Victoris quotannis penderet, tum etiam aram & sacellum S. Cassiano, ac præterea Xenotrophium votiuæ peregrinationis viatoribus construeret. Parthenonem insuper virginibus ad vitam Monasticam aspirantibus, ac iis præcipuè mulieribus vagis ac profugis recipiendis, quas Angli tum Galliam occupantes è patria eiecissent, agros ac domicilia vastassent atque exinanissent, condituram certisque vectigalibus annuis instructuram se receperat, si optatis perficiendis copiam facultatemque fortuna largita esset. Prioratum Maioris Balmæ siue S.Balmæ, vt vocant, authoritate Caroli II. Siciliæ Regis ac Comitis Prouinciæ à Monasterij S. Victoris iurisdictione distractum venisse in possessionem Fratrum Prædicatorum anno 1294. Abbate Guillelmo De Sabrano, supra meminimus num. 116. Academia Louaniensis in Brabantia à Ioanne Burgundiæ Duce instituta à Martino V. Pontifice confirmatur anno 1426. In Italia Ladislao defuncto anno 1414. soror eius Ioanna regni hæres, probrosam agebat vitam quæ Iacobo Borbonio Marchiæ Comiti nupta eumdem postea summum sibi ius in regno vindicantem fugere coëgit in Galliam, vbi contemptis opibus Vesontione in Franciscanum ordinem est allectus. Ioanna Martini V. Pontificis alienatum ab se animum & Sfortiæ Ducis fortissimi conuersi in se arma metuens, Alfonsum Aragoniæ Siciliæque Regem in auxilium euocat, quo cum de adoptione ac regni successione paciscitur anno post obitum Ladislai 7. Cæterum Alphonsus mulieris inconstantiam veritus maritimi regni arcibus in potestatem redactis Reginam in ordinem cogit, ipse regno potitur. Quare Ioanna Alphonso exhæredato Ludouicum Andegauensem eius nominis III.& ex Iolanda Tarasconensi matre secundi filium adoptione legitimum hæredem adsciscit, quam Martinus Pontifex Maximus consentiente sacro Collegio Romæ confirmauit anno 1424. Calend. Octob. quin simul & suos consentiente eodem Cardinalium Collegio anno 1459. pridie Nonas Decemb. volente eadem Regina in Regem vtriusque Siciliæ inuestiuit, decedente sine liberis Regina, aut quouis modo

modo regno ad Pontificiam sedem consolidato. Quod beneficiarium diploma infeudationémve Eugenius I V. Pontifex Maximus Florentiæ anno 1436. die 14. Calend. Martij consentiente eodem ordine approbauit. Sed & Ioanna Ludouicum iam antea hæredem instituerat, regnique Siculi successorem destinauerat anno 1422. & regium nomen Ducatumque Calabriæ ab Vrsinis occupatum donauit. Itaque eò deuentum est, vt Ducatum ab Antonio Vrsino Tarentinorum principe recuperarit. Re perfecta pacatoque regno sine liberis moritur anno 1433. Tum verò Renatus in prouinciam rediit, eoque ex tempore Alphonsus sine competitore regnauit placatoque Eugenio I V. qui Martino V. vita functo sublectus erat anno 1431. ius sibi ac Ferdinando post se notho filio ratum accepit.

Anno 1427. Aurelianenses ab Anglis obsessos Ioanna Lotaringa puella armata commeatu iuuat, coactisque hostibus obsidionem relinquere ad 8. Idus Maij anno 1429. Anglos viriliter expellit, & diuina prouidentia Francicam rem mira prorsus ratione restituit.

129. Abdicatione Guillelmi fratris *in Petrum De Lacu* per adeptæ ab Eugenio I V. supremæ signaturæ rescriptum Abbatia transiit anno 1442. Pontificatus Eugenij vndecimo, præfuisse dicitur annos 20. decessisse anno 1462. Comitia Ordinis Generalia ex more institutoque maiorum indixit anno 1446. Quo tempore in oppido Trimariano territorij Arelatensis inuentæ sunt reliquiæ SS. Mariarum Iacobi & Salomæ, opera imprimis ac studio Renati Ierusalem & Siciliæ Regis ac Comitis Prouinciæ, qui cum Ecclesiastem de B. Virginis & Mariarum laudibus disserentem aliquando audisset, vehementi & arcano erga Marias sensu pietatis affici se sensit, remque ei quem tunc à confessionibus habebat aperuit. Cui Confessarius in eo Prouinciæ loco, cui ab *Domina Maris* nomen impositum est Diuarum iacere corpora alias se legisse respondit. Responso Rex mirificè delectatus misit continuo qui sacrum locum inuiserent supplicémque ab se Nicolao V. Pontifici Maximo libellum offerri curauit, de literis ad quæstionem de mulierum sanctitate habendam impetrandis. Regis postulatis Pontifex subscripsit nullaque mora datæ Pontificiæ literæ ad Petrum De Fuxo Cardinalem, qui tunc Auenione Gallias & Hispanias Legatus Pontificius obtinebat, cuius authoritate coacta Synodo Prouinciali inter plures Episcopos, Abbates, Prothonotarios & alios magno numero Theologiæ Doctores, qui inuentioni adfuerunt eique tanquam certæ & autenticæ subscripserunt testes viui ac præsentes anno 1448. aut 1449. numeratur hic noster *Petrus De Lacu* Abbas Sancti Victoris Massiliensis, vir bonus moribus, & vitæ integritate conspicuus.

His temporibus hoc est ab anno 1431. vsque ad annum 1447. vbique à doctis & indoctis pariter disputatur, sit ne Pontifex Concilio an Concilium Pontifici subiectum, quos Papa anathemate notauit, nam & ipse Concilium Basileense literis suis approbauit primò, postea verò abrogare conatus est reuocato inde Iuliano Cæsarino Legato. Concilium Bononiam,

niam, inde Florentiam transtulit, vbi Palæologus Græcorum Imperator præsens de S. Spiritus processione Latinis consentit, conueniuntque cum Romanis Armenij, & Indij. Græcis purgatorium, & Romanum esse vniuersalem Episcopum suadetur, quod tamen domum reuersi suasu Marci Ephesini Antistitis denuo negarunt. Sed inter Basileensis Concilij decreta illud numeratur, quod Eugenio Pontificatum abrogare & Amadeo Sabaudiæ Duci (is cum paucis familiaribus studio sanctioris vitæ in Ripalia secesserat) deferre ausi essent. Felici nomen inditum omine infelici. Quippe Basilea Basilicum peperisse vulgo ferebatur, qui tamen Amedeus Eugenij factione impeditus est, quo minus Romanam sedem ascenderet, adeo vt Schisma maximum in Ecclesia sit ortum. Porro defuncto Eugenio substitutus est Nicolaus V. Lucensis ex humili loco, vtpote primo Magister, postea Subdiaconus tandem ob rem in Basileensi Synodo bene gestam Papa creatus. Is Amadeum Sabaudum Cardinalibus annumerat, & Germaniæ Legatum creat. Bernardinum Senensem Catalogo Sanctorum adscribit, literas humaniores instaurat, stipendia viris doctis assignat, & summa liberalitate fouet non solum eruditos Italiæ sed & eos qui Constantinopoli profugerant Romam, Gazam nimirum Trapezuntium Argyropilos quorum opera omnes meliores artes renouatæ sunt & redditæ emendatiores. Nicolaum Calixtus III. excepit, eoque functo Pius II. vir doctissimus qui Æneas Siluius antea vocabatur anno 1458. Pontificatum iniit, cuius ad bellum Turcis inferendum consilia deinceps omnia spectarunt. Obiit Anconæ anno 1464. breui tempore magna collecta gloria, sex enim dumtaxat annis præfuit. Hunc Paulus qui II. numerabatur est sequutus. Anno 1453. die 29. Maij Constantinopoli post diutinam obsidionem grauissima tandem oppugnatione potitus est Mahometes Amuratæ filius cognomento Magnus Turcarum Imperator vrbe Constantinopoli, in eaque tantam crudelitatem exercuit, vt nulla id queat oratione explicari. Cæsar Constantinus inter fugiendum prope portam ciuitatis trucidatus est, eius amputatum caput cuspidi infixum circumferri per vrbem voluit Turca, iussit & crucifixi Christi imaginem erigi in vrbe & super inscribi. *Is Christianorum Deus est.* Præcepit autem eam stercoribus proiectis ignominiæ causa conspurcari. Cæsaris coniux & filiæ vna cum aliis honestioribus matronis in conuiuium pertractæ sunt, atque ibi primum constupratæ postea frustulatim dissectæ.

130. *Ogerius De Anglura* electus Abbatiæ dignitatem adeptus est anno 1463. quem prudentia, magnitudine animi, liberalitate, ac cæteris amplissima fortuna dignis ornatum fuisse virtutibus ferunt. Sic vt Episcopus Massiliensis factus sit anno 1496. 27. Decembris. Abbatialis verò præfecturæ 33. Hoc Abbate Paulus II. bello sacro Matthiam Hungariæ Regem præposuit, Cardinalibus purpuram insigne dedit. Georgius Scanderberchus vir bellicosus in Græcia Turcis restitit. Franciscus à Paula Ordinem Minimorum, Ludouicus II. Rex Franciæ Ordinem equitum S. Michaëlis instituit. Xistus inde IV. Pontifex Paulo subrogatus

anno

anno 1471. Iubilæum in 25. annum reduxit & celebrauit ipse primus. In Galliis Anglorum excusso dominatu respirabat Carolus, nisi quod à bello quiete parta, domesticas in turbas incidit. Nam Ludouicus eius filius offensus patri ad Philippum Burgundiæ Ducem receptum habuit anno 1456. nec inde in Franciam rediit ante illius obitum, qui incidit anno 1461. Iulij 22. Carolus subinde Burgundiæ Dux vincitur & occiditur propè Nansem vrbem à Lotaringicis & Heluetiis, nam Lotaringiæ Duci Nausen eripuerat Carolus & in Heluetia Gransem ciuitatem & oppidula alia occuparat, præterea & in Gransen oppido quingentos & duodecim numero Germanos laqueo iusserat strangulari. Ast vbi Ludouicus XI. Franciæ Rex contra communem hostem cum Heluetiis ac Renato Lotaringiæ societatem fecisset, clade ab Heluetiis accepta, Renatus non modo Prouinciam suam recuperauit, sed etiam aduersus Carolum contendit in Lotaringiam; ibi dum Nanceium obsidet ab Renato Germanicis & Heluetiis instructo victus Carolus in acie cecidit anno 1477. vnica relicta filia Maria, quæ Maximiliano Friderici Imperatoris filio nupta. Ludouicus Franciæ Rex extemplo Burgundiam veterémque in Belgica ditionem audita Caroli morte potestati sua subiecit. Obiit Turone anno 1483. cum prius ad se Franciscum de Paula acciuisset ex Italia virum Sanctissimum ac miraculis inclitum, à quo Minimorum Ordinem institutum alias meminimus.

Alter Hierusalem & Siciliæ ac Prouinciæ Comes Renatus vixit summè à Prouincialibus desideratus, inter suorum temporum putatus Delicias Ex Isabella Lotaringa vxore septem suscepit liberos, mares quatuor & puellas tres. Ioannem Calabrorum Ducem & ex eo nepotem Nicolaum, Ludouicum Pontis Marchionem, Carolum Guisiæ Comitem, & Renatum, qui omnes naturæ ordine turbato patri prædecesserunt, nullis liberis superstitibus. Filias habuit Iolandam Lotaringiæ Ducatus hæredem, quæ filio Vaudemontio consobrino nupsit; Margaritam Henrici VI. Anglorum Regis vxorem, & Blancam quæ in ipso virginitatis flore decessit. Itaque nullos habens masculos quos hæredes institueret Carolum ex fratre nepotem filiabus anteposuit, & eum testamento sibi hæredem instituit. Moritur Calend. Iunij anno 1480. ætatis anno 73. regni 47. Aquis sextiis in sua Metropoli cuius corpus Andegauium delatum in Maritiano fauo sepultum est. Vixit optimus Princeps adeo vt *Boni Regis* elogio publicè etiam num à nostris hominibus vulgo donetur.

Subinde Renati optimi Principis ex fratre nepos Carolus ex patrui testamento successit anno 1480. & regnauit 18. menses, testamento condito anno 1481. die 10. Decemb. Ludouicum XI. Gallorum Regem hæredem instituit, & post mortem eius Carolum filium & omnes regni Francici successores. Defunctus est eodem mense Massiliæ eiusque corpus Aquas sextias delatum in Diui Seruatoris æde sacra honorificè sepultum est. Successit igitur ex testamento Caroli supradicto Ludouicus XI. Gallorum Rex anno 1481. Sed quoniam initio nonnulli, filiæ Lotaringiæ partibus fauebant. Franciæ Rex vt erat prudentissimus vt Comitatus

possessionem adipisceretur, eximium virum Palamedem Forbinum hominem Prouincialem & qui suorum mores nouerat, Proregem constituit summa cum potestate & imperio, literis datis vt criminis reos aut capitis postulatos restitueret, & quæ summi essent imperij, quod nullis posthæc concessum est Proregibus.

113. *Robertus de Calach* aliàs *De Gicibè* Britto in Ogerij Abbatis locum venit anno 1496. Pontificatus Iulij II. anno 3. spectatæ virtutis & multiplicis eruditionis rerumque variarum cognitione insignis, qui primò Redonensis & paulo pòst Nannetensis Episcopus ac demum Reginæ Annæ studiis à Pontifice Iulio Cardinalium numero adscriptus, de quo plura capite sequenti de Cardinalibus. Is erat Ludouici XII. Regis Gallorum apud Iulium secundum orator. Et quidem humili loco natum ad tantam dignitatem nõ modo virtus sed principum fauor imprimis euexit, ad quem tamen tanquam ad scopulos socordia sua atque desidia ita infœliciter appulit, vt breui se Gallia expulsum naufragumque viderit, quippe delatis apud Regem æmulorum criminibus gratiæ Iulij Romani Pontificis affectatæ supra suam suspectus, cùm studiosius partes aduersariorum tueri ac diligentius aliena quam propria sibique à Rege commissa suscipere negotia videretur, simul honore ac sacerdotalium beneficiorum omnium quibus in Gallia fruebatur redditibus exutus est. Quo fastigio deiectus in eam paupertatem vel potius egestatem ac mendicitatem redactus est, vt ad vsus vitæ necessarios stipem à Collegio Cardinalium susciperet. Romæ mortem obiit gloriosæ fortunæ exitum sortitus inglorium anno 1513. die 9. Nouembr. Præfecturæ Abatialis 18.

Quis toto hoc tempore status esset regni Siciliæ ac Comitatus Prouinciæ nostræ, annales loquuntur. Carolus VIII. Franciæ Rex suscepta belli expeditione ad Neapolitanum recuperandum regnum, quod ab Renato Andegauensium Duce in Ludouicum XI. patrem eiusdem Caroli translatum Ferdinandus occupabat Alphonsi magni filius & alterius Alphonsi pater Regis Aragonum anno 1494. superatis Alpibus in Italiam descendit, quam cum repentino terrore compleßet, expeditum per Tusciam Romam vsque & Neapolim deinceps iter habuit. Romæ ab Alexandro VI. Constantinopolitani Imperij titulum accepit anno 1495. cum superiore Ferdinandus iam excessisset, cuius filius Alphonsus aduentu Caroli perterrefactus in Siciliam traiecit, ac regno se abdicans id Ferdinando filio reliquit. Ferdinandus metu Francorum in Ischiam insulam sese recepit. Carolus Neapolim ingressus die 22. Februarij breui toto regno potitus est. Sed extemplo in Franciam remigrans, documento fuit quanto difficilius sit tueri res quàm parare. Tam fœlix victoria omnes fermè Christianos Principes sibi metuentes in Francum armauit. Haud procul Parma dubio marte dimicatum est. Rex Francus amisso exercitus robore ac flore discessit. Itaque Ferdinandus Rex qua fauore procerum qua auxiliis Regis Hispaniæ, Consalui eximij Ducis opera regnum Neapolitanum facilius penè quam amiserat recepit. Carolus primus omnium anno 1486. mense Octob. Comitatus Prouinciæ & Forcalquerij & terras quæ illi

illi adiacent regno (quoad protectionem tantum) vniuit, hac lege vt Comitatus ipsi proprium nomen, dignitatem, statuta, consuetudines, mores, priuilegia, libertates & immunitates retinerent. Hinc in omnibus principalibus literis quas solent optimi principes decernere, se Regem Gallorum & Comitem Prouinciæ ac Forcalquerij terrarumque adiacentium nuncupat. Quoniam Comitatus Prouinciæ & Forcalquerij terræque illis adiacentes vt vulgo dicuntur in regnum cooptatæ sunt, non accessoriè sed æque principaliter vt fuse lateque disputat Declaperiis in Epitome historica de Prouinciæ Comitibus & alibi. Carolus mortuus est anno 1497. cui successit Ludouicus XII. tunc Aurelianensium Dux qui anno 1498. eamdem confirmauit vnionem & denuo principaliter adiunxit. Est vero 25. Comes Prouinciæ & Forcalquerij. Quod autem superest de Francisco I. Henrico II. Francisco II. Carolo IX. Henrico III. Henrico IV. Ludouico XIII. & Ludouico XIV. nunc fœlicissime regnante ex Francica repetes historia.

132. *Claudius de Carsonuille* vacantem Roberti morte Abbatiæ titulum accepit anno 1514. Diu Monasterij Chiriaci in Diœcesi Mimatensi, tum S. Amantij in Ruthenensi nec non Parthenonis Artacellæ in Aquensi Prior fuit plurimaque scientia ornatus, & in negotiis sæcularibus versatus sedit annos 4. viuendique finem fecit anno 1517. Hic postremus censetur inter Abbates titularios vt vocant, quique dominio natiuo gentilitioque iure per Monachorum suffragia & institutionem beneficium adepti Abbatiam administrarunt. Nam cæteri deinceps sola Pontificum aut Regum voluntate administrationem ac possessionem facultatum Monasterij fiduciario duntaxat titulo adiere. Hoc tempore post Iulium II. factus est Papa Leo X. Florentinus Laurentij Medicis filius. Is Ducem Vrbinatem deiecit, musicorum studiosissimus Anno 1515. 8. Calend. Februa. Franciscus Valesius apud Remos Rex inauguratur tum anno 1516. expeditione Mediolanensi suscepta cum Heluetiis pugnans victor euadit, Mediolanum recipit, Maximilianum Sfortiam Ducem captum in Franciam mittit, cum Heluetiis fœdus init. Anno 1517. remissio & venia scelerum omnium indulta à Leone Pontifice iis qui aut nomina darent aut bona sua erogarent in expeditionem Turcicam, quæ *Cruciata* vocitata est. Qua occasione Martinus Lutherus Saxo Ordinis D. Augustini primum aduersus Indulgentias Pontificis scripsit, mox peiora ausus vnde non pauci nec parui in Ecclesia Germanica tumultus orti sunt. Quare ipse cum suis sectatoribus à Romano Pontifice & Cardinalibus anno 1520. die 37. Iulij hæreticus renuntiatus est.

SÆCVLVM XII.

Annus Christi 1520. *A Conditu Monasterij* 1100.

133. A*Vgustino Triuultio* Mediolanensi Papæ Iulij II. cubiculario ac deinde Leonis X. summus Abbatiæ Magistratus mandatur

anno 1517. studio Francisci Regis Christianissimi, ad quem ius lectionis nominationisque spectabat & authoritate eiusdem Leonis qui hominem non solum sacerdotalibus prædiis sed etiam purpura ornauit. Nam Triuultios tunc fuisse Gallicarum in Republica partium liquido constat ex Annalibus Ludouici XII. vbi dicitur Triuultium qui Insubres eiusdem Regis nomine gubernabat quod Guelphicæ factionis esset, Mediolanenses odisse, nam hæc ciuitas Gibellinorum parti ex antiquo fauebat, propterea Ludouicum Sfortiam apud Maximilianum degentem clam reuocasse seque illi tradidisse anno 1500. Verùm paulo pòst captus Ludouicus à Francis cum Cardinali Ascanio fratre ad arcem Lochiensem, id oppidum in Turonibus situm est, in custodiam mittitur in qua 10. annos vixit. Egit verò Augustinus Romæ apud summum Pontificem Galliæ patronum ac præsidiarium tutorem, vt vocant, ac Comiti Ioanni Ludouico De Fiesco occulta illa, quæ inierat consilia, in quibus haud exigua rei Gallicæ vertebantur commoda & momenta, designauit ac tandem suasit. Præest Augustinus Abbatiæ annos triginta supra vnum fœlici vero exitu diem obiit Romæ 13. Calend. Augusti anno 1548. Pontificatus Pauli III. anno 14. sepultus ad Populum. Inter hæc Leo Pontifex moritur Adrianus VI. Traiectensis præceptor Caroli Imperatoris moderatæ vitæ homo in eius locum sufficitur, sedit menses 20. Pontificatum eius Rhodiensis clades funestum fecit. Rhodus quippe dum Christianorum Principum cunctantur auxilia à Solimano in deditionem accepta est anno 1522. Inde Rhodiis Equitibus Melita assignata. Per idem tempus Belgradum quoque Hungariæ propugnaculum amissum. Anno 1523. Clemens VII. Florentinus Leonis X. patruelis summus Pontifex salutatus, præest rebus annos 11. Qua eadem ætate Iesuitarum societatem à viro Sancto & nobili Ignatio De Loyola in Cantabria nato institutam Paulus III. confirmandam duxit, quod præclaro pietatis exemplo & religionis augmento S. Ignatij asseclas in dies excrescere, & à tam pia iam tum optimorum hominum Societate, maiora semper Christianæ Reipublicæ incrementa expectari posse sapientissimus Pontifex animaduerteret. Annus 1525. Francorum clade insignis fuit. Franciscus Rex Franciæ dum Papiam obsidet amisso exercitu in Cæsarianorum potestatem venit. Inde abductus in Hispaniam sese filiis traditis, filios vicies centenis aureorum millibus redemit.

134. Sublato è viuis Triuultio sublegitur Abbas *Iulius de Ruuere* siue à Robore Ducis Vrbinatis filius ideoque Cardinalis Vrbinas dictus anno 1548. qui humanitate, iustitia, mansuetudine etiam ante purpuram effulsit. Factam habuit ab Henrico II. Rege Christianissimo designationem & nominationem tum à Paulo III. qui iam eum in Cardinalium munerum cooptauerat, beneficij collationem. De hoc præconium faciendi locus erit infra cum de Cardinalibus. Mortem obiit Forosempronij III. nonas Septemb. anno 1578. Cadauer eius Vrbinum translatum in templo S. Claræ conditum fuit. Secundum hæc S. Franciscus Xauerius è Societate IESV à Paulo Legatus in Indiam non modo Indiæ vltimique

Orientis

Orientis oras & Molucas Mauricasque Insulas Christianis excoluit institutis, sed etiam Iaponiam regionem satis amplam in vltimo Orbis terræ-angulo sitam Euangelio imbuit primus.

135. In amici *Petri Rodulphi* gratiam commodumque abdicauit Abbatiam Iulius De Runere apud Iulium III. summum Pontificem anno Christi 1550. Præfuit Rodulphus annos 5. duntaxat, nam placuit viro religiosissimo ad tranquillioris vitæ portum appellere, & Abbatis munere quo perhonorifice fungebatur ea lege decedere, qua posset ius eius possessionémque gratis Laurentio Strozio amico suo transferre. Fuit Rodulphus patria Florentinus peræque nobilis & eruditus, Mediceorum familiæ cognatione proximus. A Gallorum Rege Henrico II. amplissimo & doctissimo Episcopatus Albiensis censu auctus, nunc aspirante eadem Regij fauoris aura nostrorum Abbatum iuribus ac titulo cooptatur.

Secundum hæc Caluini per Gallias nouus increbuit error, & qui illum spargebant, fictæ integritatis fuco ac specie haud paucos illexerant. Contra hos omnes Tridenti per id tempus Synodus habebatur, anno cœpta 1545. Paulo III. Romano Pontifice sed ob ciuilia Christianorum Principum dissidia in longum extracta, sub Pio denique IV. anno 1563. finem accepit. Tum etiam Carolus V. Imperator rerum humanarum tædio & amore secessus, anno 1555. apud Bruxellas regno se imperioque abdicans illud in Philippum filium huius verò administrationem in Ferdinandum fratrem transtulit. Hoc velut onere leuatus in Hispaniam nauigauit, ibique se S. Iusti monasterio sepsit, vbi anno 1558. Ferdinando per septemuiros renuntiato Imperatore viuere desiit.

136. *Laurentius Strozius* Florentinus Philippi Strozij perillustris ac præpotentis viri ac Clarices siue Claræ Mediceæ Leonis X. neptis ac principis filius ea qua dictum est lege successit anno 1555. Is castrensi virtuti ac militati, cui primium incubuerat nuntio remisso cùm se ad Clericorum sacrum Ordinem ac numerum aggregasset, Henrici Regis Christianissimi Consiliarius primùm tum Episcopus Biterrensis, tam nobilitatis quàm prudentiæ ergo, Presbyter Cardinalis S. Balbinæ absens creatus est Romæ à Paulo IV. anno 1557. Idibus Martij ac deinde Episcopus Albiensis, mox Archiepiscopus Aquensis & vniuersitatis Cancellarius renuntiatus, Massiliæ iuramentum præstitit in manibus Primicerij Domini Nicolai De Flotte in suprema Aquensi curia Senatoris integerrimi anno 1566. Obiit Auenione 1571. 19. Calend. Ianua. præfecturæ suæ Abbatialis anno 15. Hoc Abbate Marcellus II. Veteri Sanctitate Pontifex à Deo ostensus magis quam datus anno 1555. vix trium hebdomadatum Pontificatum gessit, quo tempore tot tamque illustria Pontificiarum virtutum documenta dedit, vt in plurimos annos desiderium reliquerit sui, Paulus IV. inde successit Ordinis Theatinorum conditor idémque Orthodoxæ religionis vindex acerrimus. Multa & præclara eius instituta etiam nunc vigent, ex quo numero illud est vt Iudæi certis septis inclusi habitent croceis pileis insignes. Cæterum Christiana religio in Oriente & India magnis auctibus crescebat. Itaque Paulus Lusi-

tani Regis rogatu aliquot inibi sedes Episcopales instituit. Angliæ regnum Mariæ Reginæ morte ad Elizabetham Bolenæ filiam deuolutum est & Angli ad errores pristinos reuoluti. Anno 1558. Henricus Franciæ Rex pacem cum Philippo Rege affinitatémque iunxit, filia nupta & data in coniugium eidem Philippo anno 1559. Iunij 29. verum vt humanæ res sunt tanta hilaritas breui ingenti mœrore compensatur Henrici Regis obitu, qui per ludicrum certamen equitum, lethale in capite vulnus accepit, obiitque Iulij X. ætatis 43. regni 13. Pius IV. Pontifex Paulo successit anno 1560. Is Ferdinando Cæsari Augustales titulos detulit, in Pauli IV. cognatos grauiter animaduertit. Tridentinum Concilium à Paulo III. inchoatum, integratum à Iulio, ab se renouatum absoluit ingenti rei Christianæ bono. Post infœlicem Henrici Regis casum Christiana religio ruere cepit, nam cum Francisci II. ac deinde Caroli IX. Regum pueritia contemptui esset, Caluiniani ingentes exciuere motus. Etenim Principe Condensi & Admiralio Franciæ Ducibus multas vrbes Regi ademptas sua peste oppleuerant, atrocissima supplicia Catholicis inferentes sacraque omnia populantes. Pius exinde V. subrogatus anno 1566. Elizabethæ Anglorum Catholicis infestæ anathematis notam inussit regnique ius ademit. Ad hæc perfecit vt Carolus IX. Rex Franciæ decretum Aurelianense de libertate religionis aboleret.

137. Altero circiter ante obitum anno nempe 1570. Strozius cognato suo nobili ac noto *Iuliano De Medicis* Abbatiam S. Victoris Massiliensem simul atque Archiepiscopatum Aquensem gratuita muneris traditione detulit. Magnam Mediceorum familiam prisca & insigni nobilitate Hetruriæ, Sceptro Imperatorum & Regum affinitatibus claram quemadmodum Cardinalitius apex sed magis Apostolicæ sedis fulgor illustret, fuse capioseque testantur sacri & prophani annales. Sæculo integro non vertente quatuor in summa ea sede collucentes Christianus orbis aspexit, Cardinales ætate penè suppares omnino octo. Si regium requiras diadema duas recens habuit Gallia reginas Mediceas, Catharinam Henrici II. coniugem ac trium in paterno regno Valesiorum fratrum sibi succedentium optimam parentem; Mariam alteram quæ Ludouicum Iustum Henrici Magni filium Galliarum atque Europæ delicias, edidit. Sed hic de Iuliano nostro est quod breuiter dicam. Strozio graui iam annis ac meritis consanguineo, attributum esse à Pio V. Pontifice ex Regis Caroli IX. nuncupatione Iulianum de Medicis, ex Biterrensi primum Episcopo, tuum ex Albiensi successorem Archiepiscopatus Aquēsis & Abbatiæ S. Victoris Massiliensis ad annum 1507. Quem præsulem qui norit fateatur necesse est non solum prudentia, sed & magnitudini animi, liberalitate ac cæteris amplissima fortuna dignis virtutibus ornatum fuisse. Monumenta Vniuersitatis Aquensis inter magnæ notæ Cancellarios Iulianum De Medicis Archiepiscopum adscribunt anno 1571. Pater illi fuit Petrus Franciscus De Medicis, Mater Maria Soderini pietatis ac religionis studio clarissima fœmina & inter Florentinas familias illustrissimo ac nobilissimo genere orta, quorum sollicitudine iam inde à puero libe-

ralibus

ralibus disciplinis imbutus & pari morum elegantia ornatus magna optimæ indolis & futuræ magnitudinis haud obscura argumenta præ se ferebat. Maiorum vestigia persequutus, quos fœderatos & necessitudine atque armorum societate iunctos habuit Gallia ad hanc sibi à Carolo Rege Christianissimo promerendam gratiam viam aperuit. Sed & maioribus donis auctus digna tanto præsule purpura gentilitia effulsisset, si temporum ratio & valetudo corporis siuissent illum amplius superuiuere. Gessit munus officiumque Abbatis annos 16. cessitque dignitatis iure ac possessione Roberto Frangipani anno quo cessit è vita 1588. eius corpus datum est ad Sepulturam in Monasterio S. Victoris Massiliæ.

Hoc tempore pugnatum est nauali prœlio contra Turcam ad Naupactum Corinthiaci sinus oppidum. Pio V. summo Pontifice certam à Deo pollicente victoriam, & manifestum inita pugna cœleste auxilium fuit. Ventus qui aduersus nostris erat, in hostem versus: hostilis classis victa captaque est memorabili ad posteros victoria, qua fusi fugatique barbari, ducentæ triremes partim captæ partim depressæ, Turcarum cæsa vel captiua fuere ad 25. millia, viginti Christianorum libertati reddita. Atque hoc vltimum Pij V. mortalium operum fuit. Gregorius X I I I. deinde Pontifex summis Patrum studiis lectus 3. Idus Martij anno 1570. cuius Pontificatus initio perduelles Hugonoti qui in apertam rebellionem eruperant, magno numero Lutetiæ trucidati sunt cum ad celebrandas Henrici, Borbonij Nauarræ Regis qui tum illarum partium erat, cum Margareta sorore Caroli nuptias eò frequentes aduenissent. Pari in plerisque Galliæ vrbibus cæde mactati sunt hæretici. Ea Lutetiæ inchoata est 9. Calend. Septemb. anno 1572. die S. Bartholomæo sacro, à quo deinceps nomen inuenit. Anno 1585. Gregorio sublectus Sixtus V. publico in Senatu Nauarræ Regem Henricum Borbonium, Principem Condensem Anathemate percussit, & Oratorem Galliæ Regis quod ab eo Apostolicus Nuntius à Sixto missus non reciperetur Roma excedere iussit. Inter hæc conspiratio Francorum procerum de profligandis hæreticis ingentes turbas conciuit in Gallia, eoque res demum erupit vt Henricus Guisius conspirationis princeps, & Ludouicus Cardinalis eius frater per Blesensia totius regni Comitia iussu Henrici I I I. Galliæ Regis interfecti sint. Cardinalis Borbonius Archiepiscopus Lugdunensis, Dux Nemorensis aliique eius factionis proceres in custodiam dantur. Sequutus Sixtum Vrbanus V I I. anno 1590. qui die à Pontificatu X I. diem clausit extremum. Subrogatus Vrbano Gregorius X I V. Pontificatum propè annum gessit. Innocentius I X. deinde creatus Pontifex trimestris, cui sublectus Clemens V I I I. anno 1592. clauum tanti imperij tenuit, & Reipublicæ Christianæ gubernacula tractauit annis omnino tredecim.

138. *Robertus Frangipany* Romanus abdicationis ope nactus Abbatiam à Iuliano Mediceo anno 1588. rexit annos circiter 34. viuendique finem fecit 17. Aprilis 1622. Ex gente Frangipany non minus egregiis belli facinoribus quàm perillustri & supra sexcentos atque amplius annos per antiqua nobilitate inclyta natus est. Robertus literarum studia

post

post peractam pueritiam in patria cum transegisset Philosophiæ aliarumque bonarum artium cupidus in Academias peregrinatus est, quibus bene cultus mox Romanam curiam petiit vbi rerum ciuilium vsum comparauit ac nobilissimæ familiæ suæ morumque commendatione omnibus acceptus præsertim Clementi VIII. & Henrico IV. Francorum Regi, quorum fœderati stipendiariique vt plurimum fuere Frangipany municipes, vtriusque animum & gratiam sibi in eo conciliasse videtur quod cum Iulianus Medices optasset de Abbatis S. Victoris Massiliæ Officio decedere, atque illud mox paulo ante mortem in Regis, cuius beneuolentia ad se profectum erat, libera potestate reposuisset nihil abfuit quin illo statim munere Frangipany nostri virtutem ornaret.

Hoc Abbate Henricus IV. Galliæ Rex vxorem duxit Mariam Mediceam Francisci olim magni Etruriæ Ducis filiam, cum enim anno iam superiore 1597. Clemens VIII. matrimonium quod inter Regem & Margaritam Valesiam sub Carolo IX. contractum fuerat de partium consensu nullum esse declarasset, tum propter, consanguinitatem de qua nulla sufficiens extitisset dispensatio, tum propter aliàs allatas atque probatas causas, rex hoc anno 1598. prædictam despondit sibi Mariam, quæ mense Nouemb. Massiliam appellens Regio Comitatu Lugdunum ad Regem deducitur, vbi exeunte anno nuptiæ conficiuntur, solennia celebrante Legato Aldobrandino Anno 1603. Societas IESV ante annos IX. Lutetia aliisque ciuitatibus Senatus consulto iussa cedere pristinas in sedes Regis edicto reuocatur, exeunte anno 1603. quod edictum Senatus Parisiensis 4. Nonas Ianua. sequentis anni ratum habuit. Eadem Societas à plerisque regni ciuitatibus expetita summa Regis humanissimi voluntate passim scholas aperire cœpit. Anno 1610. Martij 14. Lutetiæ Parisiorum vnius detestandi sicarij parricidium abstulit Henricum IV. postridie quam incredibili apparatu Mariam coniugem apud D. Dionysij oppidum, vt reginas mos est, vngendam coronandamque curauerat. Successit in regnum Ludouicus XIII. eiusdem Henrici filius natu maximus, qui necdum annum ætatis nonum impleuerat. Collata est regni administratio reginæ eius matri donec ipse adolesceret, qui interim Octobri sequenti inauguratus est Rhemis & sacro Chrismate vnctus à Cardinale Ioieusio, qui & ipsum baptisauerat & reginam inaugurauerat.

SÆCVLVM XIII.

Annus Christi 1620. *A Conditu Monasterij* 1200

139. Caducam morte Roberti Abbatiæ possessionem iniit *Antonius Borbonius* Regio Francorum genere ortus, cum enim Henrici III. morte Valesiorum stirps regno idonea defiisset Borboniorum in familiam vt agnatione proximam iam rerum summa deflexerat, cuius origo ab Roberto Claromontano Comite, S. Ludouicis secundo filio deducitur. Is

Is Ludouici XIII. frater creatus, primùm Abbatiæ Parisiensis S. Germani De Prato, tum huius Massiliensis S. Victoris amplissimo censu fuit auctus anno 1623. Præfuit annos circiter 10. longioraque imperij spolia sibi pollicentem anno 1632. vita destituit. Ætate ineunte puerili conceptam omnium opinione spem ratam exploratamque reddidit, tot illis præstantium virtutum indiciis, quæ vel id temporis haberet. Præstabat ingenio peracri excellentique cuius fuit ad omnes artes tanta industria, vt in Flexiensi Collegio Societatis IESV vbi scholarum officia diligentissimè obiuit, non modo in eloquentiæ schola eruditionis facundiæque palmam tulerit, sed & in Philosophia & Theologia æquales inter, omnium rerum quibus ornari studia ista solent, principatum obtinneret. Animus item honestæ laudis ac gloriæ incitatus stimulis, natura docilis & ad fingentis arbitrium tenera, candidi mores & amabilis indoles, cuius officio & vsu penè quotidiano tantam sibi beneuolentiam, conciliauerat ab Rege Ludouico, vt ipsum præ cæteris in amoribus & deliciis Rex haberet. Hæc & alia id genus quamuis magna per sese tamen in Antonio non nisi semina erant & initia quibus ad dignum principe decus sensim perficerentur, & adolescerent eius præclara merita.

140. Alter ab hoc Abbate fuit *Ludouicus De Nogareto* anno 1633. vir admodum literatus & literatorum valdè amans, multarumque rerum scientia instructus. Sic enim puer nobilissima stirpe atque, indole siue parentis hortatu, siue suaptè sponte in nostro Flexiensi Collegio literarum studia exercuit, non vt eas oblectamenti & acroamatis duntaxat adhiberet loco, quod plerisque ordinis illius vel palam vel vsu tacito ac iudicio persuasum videtur, vt quisque summo loco natus est, ita nimirum oportere cum otiosis illis & inertibus studiis habere commercij: sed ad gymnasij ædes vltrò accederet ipse quotidie neque in scholarum officiis obeundis proprium sibi quicquam præter cæteros assumeret, ac demum ea quæ pars virilis postulat onera curationésque suscipiens, pietate, prudentia, rerum ciuilium agnitione & eloquentia cùm excolleret, ab eminentissimo Cardinali Armando Du Plessis De Richelieu primum à Secretioribus consiliis exceptus magnam sibi apud Ludouicum XIII. gratiam & beneuolentiam conciliarit, cuius authoritate designatus Archiepiscopus Tolosanus postremò absens Romæ in Cardinalium Senatum ab Vrbano VIII. adlectus fuit. Vnde non vulgarem in gerenda Republica authoritatem, quippe in eum grauis sæpe negotiorum moles inclinabat, & nominis singularem amplitudinem habere cœpit. Regij exercitus in Italia primario quasi iure præfectus multos consilio suo egit victor ex Hispanæ factionis auxiliaribus copiis triumphos. Quo in munere obeundo decessit in Italia præfecturæ Abbatialis anno 7. Christi 1639.

141. *Alphonsus Du Plessis De Richelieu* Armando fratre Cardinali natu Prior visus est Ludouico XIII. qui Romano Pontifici nominaretur successor Ludouici in Abbatiæ nostræ infulis paulo ante demortui. Et Regis quidem beneficium amplexus & veneratus Alphonsus an. 1640.

ea vitæ integritate & in amplissima fortuna moderatione suis quasi luminibus resplendet, vt eius radiis & colore purpuræ omnes vsquequaque superiorum Abbatum infulæ collustrentur. Aquensem primo Archiepiscopatum regere iussus hanc laboriosam Prouinciam ita suscepit, vt quod Pontificij esset muneris nihil prætermissum pateretur. Paucis inde post annis ad primariam Galliarum sedem. Lugdunum traductus, omnes eius officij partes accuratissimè est perfunctus. Hinc euocatus ad Romanam purpuram quam anno 1629. exeunte, ab Vrbano VIII. est promeritus, posteaquam & honorificis Regis literis fuisset flagitatum, & legi, quæ fratres duos simul in Cardinalium Senatum cooptari vetat, in gratiam Armandi fratris, & eius in Ecclesiam præclara merita Pontifex derogasset. Sed hæc tarda licet ac sera nimis imperij fœlicitas fuerit, ita tamen fortunent superi, vt sit fama & laude perenni.

CAPVT XXVI.

Quo tempore, qua occasione in S. Cassiani regulam, Regula S. Benedicti sese religiosa, quadam insitione transmisit?

1. ABbatum ac Prælatorum viuæ voci accedere debet proximè, scripta vox regularum, sunt enim quasi ossa neruique religionis vt sine iis nulla possit bene consistere. Quo regulæ nomine vtitur Apostolus ad Galatas scribens. *Quicumque hanc regulam sequuti fuerint pax super illos & misericordia & super Israël Dei.* Doctrinam scilicet Christianam ipsis expositam & enucleatam intelligit. Large fuseque Bonauentura ad particulares religiosorum familias traducit, quoniam in his regulis Christi doctrinâ perfectius interpretatam quam sæcularibus tradi soleat, & consiliorum Euangelicorum exactissima obseruatione magis vt ita dicam expolitam esse perspicimus. Et quidem Regula, si ad eius primam significationem attendamus, norma est qua lineas rectè ducimus & in destinatum punctum dirigimus. Inde verò ad præceptiones religiosas hoc nomen translatum est, quia vt actiones nostras velut lineas quasdam in Deum finem nostrum ducamus his institutis quasi regulis ne exorbitent, attente metimur. *Hæc præcepta*, inquit Hugo Victorinus, de regulis Augustini loquens, *ideo regula appellantur, quia videlicet in eis nobis rectè viuendi forma exprimitur. Regula autem dicitur eo quod rectè regat vel doceat.*

Cap. 6. n. 16.

Bonauent. in Regu. S. Frãcisc. cap. 2.

Hugo ad Regulas August.

2. Verum enim & scitum est quod Aristoteles scriptum habuit in libro De legibus, eas omnino ad regendam & administrandam Rempublicam necessarias esse, reddit autem causam, Hieronymo Plato interprete in libro de bono status religiosi vbi de vtilitate ex regulis scriptis, quia virtus bonum est arduum ac difficile ac laboriosum, non enim eiusmodi est quod nobis ingeneretur aut nobiscum nascatur, sed studio ac sudore acquirendum est. Itaque cum plerique hominum laborem fugiant & vtilitatem quæ tam carò constet negligant, aliquid requiritur quod

Platus lib. 1. cap. 25.

quod eos impellat ac penè cogat hanc autem bene viuendi necessitatem à lege imponi, qua tamen illud assequimur vt cum initio necessitate hac coacti bene viuere cæperimus, assuetudo deinde & ipsa exercitatio & quasi experientia quædam eius suauitatis quæ in virtute latet, eam nobis voluntariam amabilémque reddat. Quod confirmat Hieronymus in Epistola ad Rusticum. *Tibi cum in Monasterio fueris hæc facere non licebit, & inolescente paulatim consuetudine quod primum cogebaris, velle incipies, & delectabit te labor tuus oblitusque præteritorum semper priora sectaberis.* Quare idem Philosophus Reipublicæ formam, quam optimam quærit, sic instituendam putat. Vt lex ipsa vigeat, & quodammodo sola regnet ac regat. Magistratus autem & princeps sint tantum ministri & custodes legum, sed ita vt authoritatem habeant eas & interpretandi & supplendi etiam si quid emergat, quod sermone illo generali, quo lex vtitur, minus prouideri aut comprehendi possit.

Episto. 4.

3. Præterea regulam non modo rectè regere sed rectè etiam docere addit Victorinus cui sententiæ omnino congruit ille Platonis locus in quo differit necessarium esse vt hominibus leges ponantur quo secundum leges viuant. Quoniam nullius hominis ingenium ita natura institutum sit, vt quæ ad humanæ vitæ bonum conferunt sufficienter cognoscat, aut si cognouerit semper exequi possit, aut si possit velit. Ita autem descriptæ itaque factæ sunt religiosorum regulæ, vt nullam partem vitæ nostræ relinquant quam non informent, interiora, exteriora, animum, corpus, publicè & priuatim, domi & foris ideoque similitudinem in iis ducit Hieronymus Platus ibidem ex Aphorismis Medicorum ad tuendam sanitatem vel ex eo quod in longo accidit ac dubio itinere, si quis accuratam totius viæ descriptionem & indicem secum ferat vt enim illud ad morbos hoc ad errores vitandos plurimum conferat, ita ad animum suis item erroribus suisque langoribus qui multo sunt grauiores liberandum, incredibilem in modum prodest, talem inuenisse vitæ degendæ rationem ac methodum, ex qua te ipsum componere & quasi ad speculum fingere queas, & in qua meditari quid tibi amandum & inquirendum, quid contra exuendum quídve fugiendum sit.

Plato. Dialo. 9. de legi.

4. Atque his tum rationibus quas dixi, tum aliis adducti veteres Monachi qui sacros Ordines fundarunt ab ipso familiarum ortu hoc aggressi sunt statim, vt leges suas conscriberent ac vitæ religiosæ tyrunculos suis institutis temperarent. Regulam Pachomij quæ ab Angelo fertur dictata apud Palladium in historia Lausiaca capite de Tabennesiotis, de Ægyptiaca lingua in Græcam translatam, fecit Latinam Hieronymus, ac tempore Athanasij & occasione aduentus eius in vrbem publicatam ac susceptam in Italia fuisse colligitur ex eodem Hieronymo Epist. 16. ad Principiam dicente. *Nulla eo tempore nobilium fœminarum nouerat Romæ propositum Monachorum, neque audebat propter rei nouitatem ignominiosum, vt tunc putabatur, & vile in populis,* nomen assumere. *Hæc ab Alexandrinis prius sacerdotibus Papaque Athanasio & postea Petro qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes quasi ad tutissimum communionis suæ portum*

AAaa 2

Romam confugerant, vitam B. Antonij adhuc tunc viuentis Monasteriorumque in Thebaide Pachomij & virginum ac viduarum didicit disciplinam. De Pachomio & eius regula plura Sozomenus & Gennadius in Catalogo. Regula Orsiesij habetur excusa tomo 4. Bibliothecæ Patrum vbi liber inscribitur *Regula de institutis Monasticis.* Fuit S. Pachomij discipulus vt multis in locis eiusdem regulæ videre est quibus S. Pachomium patrem suum appellat. De eo agit Gennadius in Catalogo vbi eum vocat collegam Pachumij & Theodori. Græci autores mentionem faciunt, Socrates, Sozomenus, Palladius Regula Macarij & aliorum SS. Patrum quam ex antiquis tabulis & MM. SS. se collegisse testatur Autor Concordiæ regularum apud Hugonem Menardum. Atque hunc titulum præfert. *Incipit regula Monasteriorum vel Deum timentium discipulorum id est Serapionis Macarij Paenuti & alterius Macarij.* Autores vero huius regulæ prænominati videntur esse duo celebres illi Macarij, quorum alter Ægyptius alter Alexandrinus dicitur, de quibus agunt fere omnes historici supra laudati. Serapion qui prope Arsenoitem circiter decem millibus Monachis præfuit in Ægypto, de quo Sozomenus. Paphnutius vero Abbas Monasterij in Thebaide & anachoreta vltimæ solitudinis in regionibus Heracleos, de quo in vitis Patrum. De eo etiam agunt Cassianus, Palladius in Lausiaca, illius item & duorum Macariorum meminit Sidonius ad Faustum Reiensem. *Nunc duo Macarij nunc & Paphnutius heros.* Ratio est quia eodem tempore in Ægypto vt liquet ex præfatis authoribus vixerunt & simul de componenda regula conuenire potuerunt. Regula Pauli & Stephani extat in codice M. S. Bibliothecæ Floriacensis vnum & 40. capitula complectens sub hoc quidem titulo. *Incipiunt capitula pro quibus sunt ammonendi fratres Pauli & Stephani.* Et initio regulæ hæc habentur. *Incipiunt tituli pro quibus sunt fratres ammonendi Pauli & Stephani.* Regulam Tarnatensis Monasterij asserunt nonnulli esse regulam celeberrimi illius Monasterij Agaunensis, quod in Heluetia de nomine S. Mauritij & sociorum conditum est, eo quod Tarnadæ locus cuius meminit Antoninus Augustus in Itinerario, idem sit cum Agauno horum Sanctorum passione celebrato. Regulæ S. Cæsarij Arelatensis Episcopi meminit Fortunatus ad S. Martinum Galliciæ Episcopum. *Atque ascita sibi seruetur in vrbe Genesi Regula Cæsarij præsulis alma pij. Qui fuit antistes Arelas de sorte Lerini.* Tum alibi. *Regula Cæsarij linea nota tibi est.* Et infra. *Concipiente fidem Christi Radegundis amore Cæsarij lambit regula quidquid habet.* Mentio fit apud Gregorium Turonicum in Epistola Episcoporum ad S. Radegundem. *Tamen specialiter definimus si qua sicut dictum est de locis sacerdotalibus nostra gubernationi commissis, in Pictauiensi ciuitate vestro Monasterio meruerit sociari, secundum beatæ memoriæ Cæsarij Arelatensis Episcopi constituta nulli sit vlterius discedendi licentia.* Et capite sequenti. *Arelatem vrbem expetunt de qua regula S. Cæsarij atque Cæsaria Beata suscepta Regis se tuitione munierunt.* Item capite sequenti in Epistola S. Radegundis. *Insuper Congregationi per me Deo præstante collecta regulam sub qua S. Cæsaria degit quam sollicitudo B. Cæsarij antistitis*

Sozome. li. 3. cap. 13.

Socra. lib. 4. cap. 14. Sozom. lib. 3. cap. 13. Palla. in Lausiaca c. 18.

Sozo lib. 6. cap. 18 Cassia. Coll. 3. Palla. c. 115. Sido. Carm. 16.

Fortu. lib. 5. car. 1. & lib. 8. car. 1. & 4.

Greg. lib. 9. histo. c. 41.

antistitis Arelatensis ex institutione SS. Patrum conuenienter collegit adsciui. Hanc regulam vt clarum est ex locis citatis S. Cæsarius sorori suæ S. Cæsariæ eiusque sanctimonialibus scripsit. Duas regulas scripsit Aurelianus Episcopus Arelatensis & Cæsarij successor, alteram sanctimonialibus alteram Monachis vt videre est apud Tritemium libro de proprietate Monachorum. Regula S. Ferreoli à Tritemio ibidem laudatur sub nomine S. Ferreoli Episcopi & Martyris, verùm huius regulæ autor se in præfatione quidem Episcopum nominat, martyrem nemo alius à Tritemio appellat. Fuit Vticensis Episcopus in prima Narbonensi, nepos & in ea sede successor S. Firmini vt habetur in eiusdem Firmini vita M S. Erat autem cum institutus optimè tum etiam perfectè eruditus, qui Epistolas instar Sidonij composuit, teste Gregorio Turonensi. Porro Lucretio Diensi Episcopo regulam suam inscribit viro sibi coniunctissimo officiis, vsu, consuetudine. Regula S. Isidori Hispalensis Episcopi extat inter eius opera Coloniæ edita anno 1617. Hanc recenset inter S. Isidori scripta S. Braulio Episcopus Cæsaraugustanus. *Monastica regulæ librum vnum pro patriæ vsu & inualidorum animis decentissimè temperauit.* Regula S. Fructuosi Bracarensis Episcopi quæ complectitur quinque & 20. capita vt est in Codice M S. Abbatiæ Crassensis, quibus statuitur vna quadragesima ieiunanda ante festum SS. Iusti & Pastoris, quam sanè instituit S. Fructuosus quod eius Monasterium dedicatum esset sub patrocinio horum SS. Martyrum. Regula S. Columbani Abbatis Luxouiensis, cuius nomine multa proferuntur ex Pœnitentiali eiusdem S. Columbani quod extat M. S. in Bibliotheca Floriacensi, & citatur à Tritemio capite supra laudato libri de proprietate Monachorum. Regulam Vigilij Diaconi memorat Gennadius in Catalogo. *Vigilius*, inquit, *Diaconus composuit ex traditione Patrum Monachorum regulam quæ in Cœnobio ad profectum fratrum in Conuentu legitur, breuiato & aperto sermone totius Monasticæ perfectionis in se tenentem disciplinam.* Regula S. Basilij nihil aliud continet quam illius constitutiones tam fusius quam breuius disputatas quæ diuiduntur vt plurimum in 200. Interrogationes. Regula S. Augustini sumpta tota est ex eiusdem Doctoris Epistola 109. ad Sanctimoniales. Diuiditur in 40. capita vel in quinque supra 40. etsi in recentioribus editionibus vulgo diuidatur in pauciora. Sed & in Bibliotheca Corbeiensi extat M. S. Vetustissimis characteribus exarata sine vlla capitum diuisione, etiam ad vsum virorum mutato genere accommodata.

Trite. cap. 5.

Gregor lib. 6. hist. cap 8.

5. Quod ergo de his religiosorum Ordinum principibus & authoribus historici, hoc sapientissimus quisque de Cassiani nostri prudentia atque consilio credere similiter ac profiteri debet, vt ipsa nascentis familiæ suæ religiosæ, quæ iam tum ad quinque millium Monachorum excreuerat, institutione, ex Dei mente certoque instinctu & afflatu regulas suas conscripserit. Meminit Gregorius Turonensis in libris historiæ. *Cœnobium*, inquit, *fundauit in quo non modo Cassiani verum etiam Basilij & reliquorum Abbatum qui Monasterialem vitam instituerunt cele-*

Greg. lib. 10. histo. cap. 18.

brantur regulæ. Constat certè ex Epistola Castoris Aptensis Episcopi ad ipsum Cassianum, quæ refertur in præfatione librorum De institutis renuntiantium, quod cum in Occidente nullis ante legibus nullisque certis formulis plerique Monachi astricti essent, nisi quas vel interior vnctio vnicuique suggereret, vel Rectorum viua vox præscriberet, primus ipse Cassianum literis suis induxit vt leges conderet sanctissimas, quæ totam hanc vitæ rationem salubriter conformarent. Quod ita fœliciter & gloriosè assequutus est præsertim libro 4. de Institutis, & libro 2. ac 3. de diurnis & nocturnis orationibus & libro 1. de vestitu Monachorum, quibus eo nomine regulæ nomen imponitur, quod in iis non tantum Monachorum Ægypti mores & instituta narrantur sed quid faciendum sit præcipitur, vt viros quosque etiam sapientissimos qui legerint traducat ad magnam admirationem.

6. Ex quibus in quæstionis quæ proposita est difficultates dilabimur, an post Benedicti institutionem manserit inter Monachos veluti religionum distinctio, & vtrum Monasteria omnia non solum quæ ab ipso duxere originem, sed alia etiam quæ ab aliis religiosarum familiarum fundatoribus vel ante Benedictum vel eodem tempore in Occidente, præsertim in Italia ædificata erant, Benedicti institutionem susceperint, & ad eius regulam sese accommodauerint?

Suar. li. 2. c. 2. num. 6. & 7.

Respondet Suares, Operis de Religione tomo 4. & verisimile ac probabile demonstrat vel statim vel paulo pòst institutam & diuulgatam regulam Benedicti omnes Occidentis Monachos ad illam se conformasse.

Antoni par. 2. tit. 15. cap. 14.

Antoninus in historiali. *Post Benedictum omnes Monachi Occidentis militant sub regula B. Benedicti & ipsum habent in Patrem exceptis Carthusiensibus.*

Antoni. 3. par. tit. 16. cap. 1. §. 7.

Similia habet in Theologali. Veterem etiam approbationem refert ibidem Suares D. Gregorij dicentis se confirmasse regulam S. Benedicti in sancto Concilio, & subdit. *Et obseruari præcipi ab omnibus qui sæculo renuntiare & ad Deum conuerti voluerint in omnibus regionibus seu Prouinciis Ecclesiæ Latinæ.* Causa erat cur id agerent antiquiores Monachi, 1. quia regula S. Benedicti sola inter omnes illas veteres supra laudatas, approbata ab Ecclesia censetur in iure, cap. Perniciosam 18. quæst. 2. & alibi passim. Vnde eam laudat Gregorius Papa libro 2. Dialogorum & à monumentis eiusdem Ordinis citatur specialis approbatio eiusdem Gregorij Papæ & alia Zachariæ 1. & quando illæ deessent, generali traditione & acceptatione tot Pontificum & totius Ecclesiæ satis approbata esset. Aliud præterea testimonium & grauior quædam confirmatio recitatur à Gregorio ibidem cap. 37. Cùm enim S. Benedictus vita functus est, eodem die duobus ex eius grege Monachis visum est videri viam quamdam amplam & rectam, palliis stratam innumerisque luminibus coruscantem; & senem quemdam astantem qui diceret. *Hæc est via qua dilectus Domini Benedictus ascendit in cœlum.*

Bernar. hom. Ecce nos reliquimus.

Hanc igitur viam Bernardus nihil ait aliud esse quam vitæ formulam ab eo institutam, quam vt ille seruans ascendisset in cœlum, sic omnes qui eum sequerentur. *Neque enim*, inquit, *venire in dubium aliquatenus potest quin omnino sacer sit modus*

dui conseruationis & diuina magis inspiratione atque consilio quàm humana prudentia vel adinuentione formatus, quo nimirum tantam in vita gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam fœlicitatis idem Benedictus obtinuit. Quare vt Conciliorum decretis, quæ Monachorum regulis id genus magnam authoritatem attribuunt, obsequio congruerent & secundum ea conuenientius viuerent, placuit ad suas consuetudines generales ac priuatas leges Benedicti regulam insinuare, ea tamen Monasteriorum ac Monachorum seruata semper distinctione, quæ citra omnem rationem subiectionis, communionem tantum quandam legis ac consociationem iuris admitteret. Gregorius in Decretalibus lib.3. tit.36. cap.8. ex Concilio generali sub Innocentio I I I. anno 1215. *Ne nimia religionum diuersitas grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero nouam religionem inueniat, sed quicumque ad religionem conuerti voluerit vnam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de nouo fundare, regulam & institutionem accipiat de approbatis.* Tum ibidem in 6. lib. 3. tit. 16. cap. vnico ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. anno 1273. *Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret, Generale Concilium consulta prohibitione vetauit, sed quia non solum importuna petentium inhiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit, verum etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diuersorum ordinum præcipuè mendicantium (quorum nondum approbationis meruere principium) effrænatam quasi multitudinem adinuenit, repetita constitutione districtius inhibentes ne aliquis de cætero nouum Ordinem aut religionem adinueniat, vel habitum nouæ religionis assumat.* Et infrà. *Ad hæc personis ordinum (ad quos constitutio præsens extenditur) transeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concedimus generalem, ita quod nullus ordo ad alium vel Conuentus ad Conuentum se ac loca sua totaliter transferat, sedis eiusdem super hoc permissione specialiter non obtenta.* Vnde in Decreti 2. par. dist.29. cap.2. Regulæ, inquit Gregorius, Sanctorum Patrum pro tempore, loco, & persona, & negotio, instante necessitate traditæ sunt.

7. Secundò, vt legitimi ac Pontificij iuris priuilegia tutò sibi vindicarent, antiqua enim omnia Canonis decreta quæ de Monachis aliquas leges statuunt, præcipuè ad Benedictinos Monachos diriguntur vt patet ex c. *Cum ad Monasterium* & C. *In singulis* & C. *Ea quæ de statu Monachorum* & Clemen. *Ne in agro*, eodem tit. quæ de Monachis nigris specialem mentionem faciunt, quorum appellatio solis Benedictinis conuenit. Lex verò lata pro solis Monachis S. Benedicti, quando eo tempore lata est, quo non erat alia religio Monachorum vel in quo omnia illorum Monasteria sub regula S. Benedicti militabant, quamuis verba Canonis indifferentia sint solumque de Monachis mentionem faciant, tunc ex vi dispositionis legis obligatio extenditur ad omnes Monachos, etiam si postea aliqui exorti, quia hæc est natura perpetuæ legis vt ad omnes extendatur qui postea nascuntur, si sub verbis & tenore legis comprehenduntur. Quæ Tritemio fortè argumentum dedere ad scribendum de numero virorum illustrium Ordinis Benedictini, quod omnia quæ in historiis

Trite. lib. 1. cap. 2.

historiis referuntur de sanctitate, dignitate, aut qualibet alia singulari excellentia alicuius Monachi qui post Benedictum vixit in Occidente, vsque ad ea tempora in quibus constat religiones Monachorum fuisse multiplicatas, omnia inquam attribuantur religioni S. Benedicti etiam si historici non semper in speciali referant illam religionem sed Monachatum. Si enim sermo tantum sit, vt verò interdum esse oportet, de religione S. Benedicti præcise, vt à suis fœderatis vltro aliorum Monachorum municipiis & quasi auxiliaribus copiis distinguitur, in hoc per inconsiderantiam excessit Tritemius quod suæ religioni attribuit Pontifices, Episcopos, Abbates, vel Sanctos aliquos aut Benedicto antiquiores aut non ad Occidentales sed ad Orientales Monachos pertinentes, vt annotauit Baronius tomo 6. anno Christi 494. sub finem.

8. Non prætermitto Suaris sententiam in euoluendis annalium monumentis minus hic fortè accuratam arguere, cùm pernegat Monachos ante S. Benedictum habuisse certam aliquam regulam in Europa, si excipias, inquit, regulam S. Basilij in Oriente & Augustini in Africa, nec fere vnitatem religionis inter diuersa Monasteria, sed vnumquodque iuxta suas consuetudines & propria statuta vel iuxta prudentiam sui Abbatis institutos fuisse. Liquet enim ex dictis longè ante S. Benedictum, Pachomij, Macarij, Cassiani & aliorum antiquiorum Patrum varias regulas à Monachis acceptas & obseruatas tunc esse in vsu ipso & tractatione viuendi, & ex quibus etiam, quod quisque illorum commodissime præcipere visus est, S. Benedictus in suis regulis excerpserit.

CAPVT XXVII.

Summos Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Episcopos Abbates plures Ecclesiæ peperit, educauit S. Cassiani familia.

1. SPlendere inter homines munerum administrationes & dignitates & à Deo tanquam solem accendi, qui non suo tantum sibi lumine luceat, sed à quo lustrentur etiam & compleantur vniuersa, docuit iam nos vita longa, vsusque rerum maximarum, vt teneremus. *Corona senum,* inquit Sapiens, *filij filiorum & gloria filiorum patres eorum.* Quantas enim domos & familias videmus, ex quibus si aliquis ad honoris aut magistratus supremum fastigium assumatur, vt multum sint tenues atque ignobiles, tamen quasi stellæ fulgoris agnatione collucent, & propinquæ nobilitatis radiantur picturis atque luminibus. Quod idem cum eueniat in religioso statu, in quo religiosus quisque velut in propriam familiam cooptatus si è priuatæ vitæ tenebris tanquam è medio eductus, honoris igne accendatur, & ponatur super candelabrum vt luceat omnibus qui in domo sunt, mirum quantum in imperio atque in publica dignitate cæteris quoque refundat splendorem, ob munerum quæ exequitur gloriosam amplitudinem & præstantiam. Quam ob rem de iis nunc scribere

Prou. c. 17. 6.

bere operæ pretium ducimus, qui è S. Cassiani disciplina ad Ecclesiasticorum Magistratuum summos apices euecti venerationem & cultum à supremis illis luminibus haustum vniuersæ religiosæ familiæ communicarunt.

2. Primus in hoc ordine, dignitate quidem licet non ætate fuit *Guilliermus Grimoardi* qui post obitum Clementis VI. cum antea ne Cardinalis quidem fuisset sed Abbas Monasterij S. Victoris Massiliensis, tanta erat eius prudentiæ & probitatis opinio, ad Ecclesiæ vniuersæ clauum regendum Cardinalium suffragiis euocatus anno 1362. Vrbanus eius nominis Papa V. dici voluit. Quis verò fuerit hic Pontifex, quàm Sanctus, quo genere, quibus moribus ornatus variis historicorum Tritemij, Platinæ, Panuinij, Ciaconij & aliorum encomiis aperitur. Patre Grimaldo viro militari & Amphilisia matre, nobilissima fœmina Monferrana, quæ à multis sancta audiebat. Vtroque parente Gabalus, in oppido paternæ ditionis Grisacio natus. Id castri nomen in edito monte siti, duodecim passuum millibus ab vrbe Mimatensi Prouinciæ Galliarum Tolosanæ. Fuit verò illud prodigio aut potius miraculo simillimum, quod in eius natali euenisse narrat Stephanus Binetus in vita S. Elzearij. Elzearium aliquando per Gabalos, Gebennarum incolas populos, iter habentem atque Mimatensis Diœcesis supradictum castrum Grisacium aduectum, Toparches Grimoardus eques & Elzearij affinis domum suam abduxit multis quidem sollicitatum precibus, multaque hominis comitate pellectum, eò tamen singulari quadam prouidentia destinatum, vt ad egregium atque admirationis plenissimum facinus, Deo familiarem, deuotam, ac mirabilem operam exhiberet. Equitis enim vxor Amphilisia tunc prægnans, cùm Guillelmum nostrum Vrbanum V. in aluo contineret, infœlicem admodum atque pudendum partus exitum sortita, formosi pueri loco informem abortum & indigestam in speciem molam abegerat, quæ simul atque matris in conspectum venit, vberrimas ei excussit doloris lachrymas, sed & ipsi parenti qui excitus accurrit totique coactæ familiæ luctum indixit tam tristè spectaculum. Res tandem ad Elzearium delata tenerrimum eius ad sensum alienæ calamitatis animum non mediocris doloris vulnere sanciauit. Quamobrem optimorum hospitum cladem ægerrimè ferens, abortiuum illum fœtum ad se in cubiculum afferri iubet, quo facto remotisque omnibus arbitris summittens ipse genua suppliciter eximia quadam diuinæ bonitatis fiducia ad Deum, vt ad patrem optimum & amantissimum feruentissimas preces adhibuit. Loquentem adhuc necdum orandi finem facientem præuertit diuina bonitas, atque anticipatione beneficij miraculum perpetrauit. Informem enim malam puncto temporis in elegantissimi pueri formam digessit, qui de cæterorum more, fletu ac lachrymis vitam salutans eiulatu suo patrem ante fores cubiculi operientem admonuit prodigij; & incredibili gaudio cumulatum acciuit. Quamobrem post indictas pro tanto beneficio gratias diuinæ misericordiæ peragendas, in id omni studio cura & diligentia incubuit Elzearius, vt quamprimum baptismi salutaribus vndis

Trite. lib. 4. c. 39 & 40. Plati. in Vrba. V. Panui. in Epitome & Chroni. Ciaco. in Vrba. V.

lustraretur infans, & Guillelmi nomine insigniretur. Post hæc patri dixit in aurem. Vide quæso diligenter vti sedulo bonis moribus & virtutibus imbuatur hic puer, atque vt in literis apprimè instituatur, ipsum enim qualis est, ea manent quæ sunt inter Christianos summa. Quod monitum quamquam ab ipso parente haud quaquam intellectum est, vaticinium tamen fuit verissimum, quo vir Sanctus significauit eiusmodi puerum in summum totius Ecclesiæ Pontificem idoneo certoque tempore allegendum, ac etiam quod plus admirationis habiturum erat, Elzearium ipsum in Sanctorum numerum haud multum impari accepto beneficio gratiæ relaturum.

3. Guillelmus ab ineunte ætate liberalibus disciplinis imbutus artium & Iuris ciuilis ac decretorum Doctoratum ac sacræ Theologiæ lauream in gymnasio Monspeliensi, Tolosano, Auenionensi, ac Parisiensi demum accepit. Monasticam vitam adolescens professus est in Monasterio Chiriacensi Mimatensis Diœcesis, vbi sacris Ordinibus initiatus & habitu Monastico indutus quem continuo etiam Pontifex vsque ad mortem gestauit. Suscepto Magisterij gradu per 20. annos ius Pontificium & sacras literas publicè docuit, & multos nobiles & egregios auditores habuit. Vicarium Episcoporum Claromontensis & Vticensis integrè & seuere egit. Inde ad Romanam curiam veniens eius industria, doctrina, & pietate cognita ab Innocentio VI. Abbas Antisiodorensis primùm, deinde Massiliensis factus multis magnisque legationibus sæpe ornatus & præsertim nouissima Italica ad Vicecomites, in qua absens, summus Pontifex, vitæ annum 53. agens anno 1362. renuntiatus est. Erat enim vir singularis virtutis, & ingentis animi, morum, & innocentissimæ vitæ maiestatem adiunxerat, ita vt virgo esse ab omnibus crederetur. Pontificatum à Christi honore auspicatus contra Turcas expeditionem parauit, crucem prædicari fecit. Ad quod pium opus vt fideles efficacius excitaret his veniam non modo noxarum indulsit, sed beneficio vsus temporalis subsidij antiquam decimam beneficiorum ad medietatem, quam Clericos habere voluit, pro integra reduxit. Regni Christianissimi fautor ac defensor cuius alumnus erat, & in quo præcipuum esse situm bene sciebat Ecclesiæ fulcimentum, contra Regni Francorum inuasores eorumdemque receptores anathemata fulminauit suique decreti diploma ad perpetuum regni munimen Carolo Regi nuncupato *Sapienti* multa cum paternæ dilectionis significatione detulit, quod in regio thesauro Parisiis repositum hodieque extat. Ad hunc Pontificem Sanctissimum S. Brigitta Christi iussione profecta regulæ suæ confirmationem petens postulata obtinuit.

4. Anno igitur Dominicæ natiuitatis 1361. die Dominica 8. Idus Nouemb. Vrbanus V. Auenione in Cathedrali S. Mariæ de Donis consecratus est, & suæ coronationis insignia suscepit per manus Arnaldi de via Caturcensis, Diaconi Cardinalis S. Eustachij S. R. E. Archidiaconi, Cardinalibus, Episcopis, Clero & populo adstantibus, Vrbani V. nomen accepit seditque Carolo IV. Imperatore annos 7. menses 2. dies 24.

Ineunte

Ineunte Pontificatu ad ipsum obsequij & reuerentiæ causa anno 1365. Ioannes Francorum Rex venit, quo præsente Pontifex sacrum bellum & expeditionem transmarinam eleganti oratione habita pro recuperandis Hierosolymis publicè indixit. Legatum eius belli creauit Talairandum Cardinalem Albanum, Galliarum & Cypri Reges cruce signauit, eorumque opera vsus est qui ad eam rem sponte sua excitati erant. Mortuo Ioanne Francorum Rege Carolus V. ei successit, per id tempus cùm populi Romani legati Auenionem profecti Pontificem vt ad vrbem accederet rogassent, eorum precibus commotus, 4. Pontificatus sui anno Christi 1365. in Italiam venit, vt Romanis satisfaceret & res Ecclesiæ Romanæ componeret longa Pontificum absentia labefactatas. Romam ingressus incredibili totius ciuitatis gaudio & honore suscipitur, & apud Basilicam Vaticanam sibi sedem delegit, cuius propinquum palatium vetustate dilapsum restituit ornauitque hortis & viridariis, quibus excolendis octingentos & aliquando mille pauperes laborantes pauit. Cum Carolus IV. Imperator intellexisset Vrbani Romam profectionem eo statim cum vxore ac liberis aduolauit, ibique stratoris officio Pontifici exhibito, in Pontificiis sacris Euangelium decantauit, inde tertio mense post in Germaniam rediit. Ioannes item Palæologus Imperator Constantinopolitanus ad Pontificem tum Romæ commorantem venerationis gratia venit, quem Vrbanus pro foribus Ecclesiæ Vaticanæ more Imperatorum susceptum honorificè habuit. Is ante aram maximam Principis Apostolorum Missa Latina audita publicè Catholicam fidem quam Romana Ecclesia docet professus est, cúmque sæpius vnà comedissent Imperator aliquando Pontifici dixit se animo & corpore potissimum recreari, quod apud Pontificem epularetur. Basilicas Lateranensem, Vaticanam, & S.Pauli vetustate quassatas restituit Vrbanus, Sanctorum Petri & Pauli capita in Hypogæum olim abdita reperit, & in altum locauit, cùm enim sub Leone IV. Pontifice anno circiter 850. Vaticanus à Saracenis captus fuisset, & S. Petri Apostoli Ecclesia diriperetur, capita SS. Apostolorum à quibusdam piis Sacerdotibus ne raperentur tunc abscondita postmodum inueniri non potuerant. Vnde factum est propter eorum ignorationem vt honos qui prius eis exhibebatur in desuetudinem venerit. Quod ipsum attendens Vrbanus Pontifex, IV. sui Pontificatus sui anno, qui erat à Christo nato 1366. dum Romæ commoraretur, sacrum solenniter celebrauit, ieiunia instituit, supplicationes habuit, & Caluarias præfatas diuque quæsitas ac tandem repertas loculis argenteis operuit, & inclusit & ad aram maximam Lateranensi Basilicæ multa ceremonia collocauit. Iesuatas Senis Tusciæ ortos ab Vrbano V. Viterbij cum is Auenione in Italiam proficisceretur religiosas vestes accepisse die natali S. Ioannis Baptistæ Morigius testatum reliquit. Huius ordinis ortum ad annum 1368. reuocat Polydorus Virgilius. Apostolici viri dicebantur. Paulus V. anno 1. Pontificatus die 18. indulsit, vt ex iis nonnulli sacerdotali dignitate decorari queant. Cùm bellum arderet inter Francorum & Anglorum Reges, Vrbanus pacis inter eos faciendæ

Mori. in hist. religio. c. 55.

ſtudio incenſus in Galliam rediit, in eaque cogitatione defixum ſpiritum Deo reddidiſſe ſcribit Maſſonus in Annalibus Franciæ, & Petrarcha libro de vita ſolitaria.

Maſſo. lib. 4. Petrar. lib. 2.

5. Reuerſus in Galliam Monaſterium S. Victoris Maſſiliæ cuius Abbas fuerat ad inſtar arcis reparauit magnamque turrim Cymbalariam conſtruxit, in qua viginti & tres campanas appendit, & S. Victoris ac S. Caſſiani capita argenteis & gemmatis thecis condidit. S. Victoris pretio quatuor mille aureorum, multaſque ſacras veſtes diuinis vſibus obtulit. Quam Eccleſiam adeo veneratus eſt vt aliquando iam Pontifex Auenione pedes ad eam accederet, & conſecrato maiori altari pedes Auenionem rediret. Condidit & dedicauit Eccleſiam SS. Germani & Benedicti tractus Peſſulani, cui campani æris turrim 27. nolis inſtructam adiunxit, & 12. ſacella addidit, & altare maius dedicauit. Collegium ibidem erexit & fundauit 12. Medicorum ſtudentium, qui gratis ibi alerentur eiſque omnia tum victui tum ſtudiis neceſſaria tribuerentur. Eiuſdem ciuitatis Eccleſiæ maioris aram ipſe conſecrauit, & ſacras veſtes quibus in ea celebritate vſus fuerat Eccleſiæ eidem largitus eſt, & eam multis reliquiis, & vario tum aureo, tum argenteo ornatu ſcilicet vaſis, crucibus, calicibus, & aliis huiuſmodi ad ſacra miniſteria neceſſariis dotauit. Inſtructiſſimam Bibliothecam in ea fecit. Eccleſiam & Monaſterium Canonicorum ſæcularium in vicis *Bedon*, vbi mater quieſcit, & *Quaſaco*. Item particulare templum emptis ædibus paternæ ditionis, Griſatij ex patrimonij ſui reditibus condidit & dedicauit, multis ornamentis aureis argenteis & Sanctorum reliquiis donatis, & viginti millibus aureorum ad reædificationem Eccleſiæ Mimatenſis relictis, cum ipſe eam reficere animo deſtinaſſet, ſed morte præuentus non potuit. Qua vero in Italia vſus erat, ſupellectilem auream & argenteam, item pannos aureos & ſericos, qui ei donati fuerant & alia, in Gallias rediens cuncta Mimatenſi Eccleſiæ donauit.

Eodem tempore Vrbanus V. Elzearium de Sabrano Comitem Ariani Gallum è Narbonenſi Gallia otiundum qui obierat Pariſiis anno 1328. ætatis verò ſuæ 28. die 4. Calend. octo & apud Minoritas Pariſienſes habitu Minorum indutum, Virginem creditum, & multis miraculis clarum inter Sanctos Confeſſores retulit Auenione in Eccleſia S. Deſiderij, & de ea ſolennitate luculentum ſermonem habuit.

Anno 1370. ætatis ſuæ 61. Pontificatus anno 8. menſe 2. die 23. & 14. Calend. Ianuarij circa horam nonam obiit Auenione, & in ægritudine ſtatuit quod quando ab hac luce deceſſiſſet, corpus eius ſepeliretur more pauperum apud S. Mariam de Donis in Auenionenſi Cathedrali, & dum corpus eſſet incineratum, oſſa portarentur Maſſiliam, ad Eccleſiam Monaſterij S. Victoris vbi quondam ipſe fuerat Abbas, & ibi ſepeliretur ante altare maius, vbi adhuc iacet. Mortuus eſt in camera domus habitationis Cardinalis Albanenſis, ianuis patentibus & apertis omnino, vt quilibet veniens ad videndum eius finem fœlicem & Catholicum intrare poſſet, ſignum ſanctæ crucis tenens in manibus, & ſuis veſtibus ſemper indutus,

dutus, neque in illa ægritudine permiserat se vestibus suis Monasticis spoliari. Post eius mortem & sepulturam in Ecclesia S. Mariæ de Donis Auenione per 17. menses requieuit. Dominus Gregorius Papa XI. eius successor præcepit solenne sepulchrum more Pontificio in Monasterio S. Victoris Massil.ensi iuxta illius voluntatem fieri. Translatum fuit corpus eius ad sacrum Cœnobium S. Victoris & positum in sacello S. Petri prope maius altare anno 1372. Nonis Iunij, vbi nunc requiescit, eius effigies adhuc visitur ad memoriam posteritatis tradita.

6. Ad hanc gloriam quam summus Pontificatus inuexit, proximè accedit dignitas Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, quos ad Ecclesiæ subsidium omni ferme tempore hæc eadem S. Cassiani disciplina produxit.

Bernardus Gallus & Abbas S. Victoris Massiliæ, Presbyter Cardinalis creatur ab Alexandro II. anno circiter 1066. Hic sub Gregorio VII. cum Bernardo Papiense Diacono Cardinale legatione Germanica ob grauissima negotia functus est, ad vniuersos pene Imperij principes in Forchein Congregatos quibus præsentibus iidem proceres Henrico IV. Impreatori rebelles, anno Christi 1077. Conuentu publico acto, Rodulphum Sueuorum Regem Henrico reiecto Imperatore constituerunt. Iam vero ab Alexandro Papa II. Legatus in Hispaniam concesserat vt causam dissidiorum ac dissensionis factæ inter filios Raymundi Berengarij Barcinonensis Comitis hæredes cognosceret atque componeret, ne Maurusij vicini hostes conditionem suam conditione Christianorum inde potiorem, vt solet in turbis, ac meliorem facerent. Vix ea perfunctus, alteri mox Legationi destinatus cum Amato Episcopo Eleronensi ad dissociandum à coniuge Centulum Bigerrorum Ortiuorum Comitem, ac Beatnij Principem. Verùm cogitantem siue vlla mora ista itinera facere, immatura, & improuisa intercepit mors. In Synodo Tolosana consiliis Legati Hugonis Candidi Cardinalis interfuit, iussu Alexandri II. anno 1068. præsentibus vndecim Episcopis, & Abbatibus quamplurimis. Lateranensi Concilio in quo Henricus Imperator grauioris interdictionis fulmine mactatus est, subscripsit. Atque id vulgo de Bernardo dicitur ad commune historicorum iudicium, & ad popularem, sensum accommodatè, fuisse in eo incredibilem quamdam & prope singularem & diuinam vim ingenij, qui omnia quæ ad Dei cultum ac religiosæ perfectionis incrementum pertinent, ita diligenter pertractaret, vt eo Abbate nihilo secius aut segnius Monachi S. Victoris in religiosam disciplinam ac regularum obseruationem iucumberent, quàm superiori ætate S. Isarni. Quam ob causam Froterio Castrensi Episcopo, eiusque nepoti Raymondo Vicecomiti, dum vterque S. Benedicti & S. Vincentij in Diœcesi Castrensi Monasteriorum instaurationi consuleret, mens alia non fuit quam ea Bernardi Abbatis ac generalis Conuentus S. Victoris curæ ac institutioni committere, transcripto etiam in eos iure, ac prærogatiua perpetua collationis earumdem Abbatiarum.

7. *Richardus* Gallus Monachus & Abbas Monasterij S. Victoris Mas-

filiæ, Bernardi Cardinalis supra laudati Germanus frater, cùm ab Alexandro II. Presbyter Cardinalis factus esset, à Gregorio VII. in locum Bernardi Abbas Massiliensis ordinatus Legationem Hispanicam obiuit: cuius dum vixit partes constanter sequutus est; eius successorem Victorem III. cuius creationi interfuerat pro derelicto habuisse dicitur, Henricique Imperatoris precibus expugnatus Clementem Antipapam sectatus, à Victore in Synodo Beneuentana damnatus ne, vtrum in Clementis parte è rebus humanis excesserit an resipuerit? ob scriptorum dissensionem pene incertum est. Plures ad eum in Registris Gregorij VII. Epistolæ extant, sed & Leo ostiensis lib. 3. cap. 21. historiæ Casina. in actis Synodi Beneuentanæ eum & Hugonem Cardinalem commemorat.

8. *Robertus de Calach* siue *de Guibè* Britto Monachus & Abbas S. Victoris Massiliæ anno 1496. vt aliàs in Indice Abbatum commemorauimus, Episcopus Redonensis & paulo post Nannetensis Ludouici XII. Regis Gallorum apud Iulium II. orator, Reginæ Annæ precibus à Pontifice Iulio Senatorum numero tit. S. Anastasiæ Presbyter Cardinalis adscriptus, ex humili & inope fortuna, licet ipse stirpe esset obscurus ad principem locum & magnas opes emersit. Sed multo post Ludouico Regi suspectus quod Pontificio nomini magis quam Gallorum causæ faueret, omnibus, quos in Gallia haberet, Ecclesiasticis reditibus priuatus summa rerum inopia, si vererem opulentiam respicias, laborauit, quam Senatus Cardinalium ære collato duplici portionis parte subleuandam decreuit. Obiit Romæ sub Leone X. anno Christi 1513. die 5. Idus Nouem. & in Ecclesia S. Iuonis Brittonum sepultus est, scripsit orationem ad Innocentium VIII. habitam cum Francisci vltimi Britanniæ Ducis eidem Pontifici obedientiam exhiberet.

9. *Augustinus Triuultius* Mediolanensis salutatus Abbas eiusdem Monasterij anno 1517. ad Cardinalatum euectus à Leone X. vniuersæ huic S. Cassiani familiæ purpura sua splendorem adiunxit, Diaconus Cardinalis dictus S. Adriani, Papæ cubicularius & Prothonotarius Apostolicus de quo hæc Ciaconius. Multa in eo inerant decora, patriæ nobilitas, splendor generis, oris venustas, ingenij acumen, iudicij præstantia, eloquentia, eruditio, prudentia, gratia principum, opes, autoritas. Leo X. hominem laudibus, non solum purpura, Epistolà ad Ioannem Iacobum Triuultium ornauit. Plures ipsi crediti Episcopatus & post Sacramutiæ Cardinalis obitum regnum Gallicum eius fidei tutelæque à Rege traditum, à Clemente VII. Campaniæ legatio in bello contra Columnenses demandata, cui id muneris obeunti plures Epistolas Matthæus Gibertus Pontificis Datarius scripsit. Direpta à Cæsarianis vrbe, Cardinales hic Triuultius, Pisanus, Gaddusque dati obsides Neapolique in castro nouo custoditi, quo in loco Cardinalitiæ dignitatis grauitatem Augustinus nunquam intermisit, qui Gallicarum partium studiosus Cardinali Farnesio vt in Pontificem eligeretur egregiè fauit, à quo deinde Paulo III. ad Regem Galliæ Legatus decretus, vt de pace cum Rege transigeret. Bembum & Sadoletum amicos & laudatores habuit, ab vtroque literas accipit

accipit Augustinus. Dignitate qua poterat, sapientia qua auctus erat ad aliorum commodum & Reipublicæ bonum vtebatur, animo, studio, cura, diligentia pro Pontificis Romani dignitate & Apostolicæ sedis authoritate excubabat. Cardinalem Thomam de Vio præ cæteris dilexit. Subiicio hic quæ præstans Ecclesiasticarum rerum historicus Panuinius ad 2.partem libri de Pontificibus & Cardinalibus lectorem monuit. Omnium qui in hac parte desudarunt sine controuersia princeps fuit Augustinus Triuultias Mediolanensis Diaconus Cardinalis S. Adriani, qui indefatigabili propemodum studio per vniuersas Italiæ, Galliarum, Hispaniæ, & Germaniæ vrbes diligentissimè omnia quæ ad historiam Romanam Pontificum & Cardinalium pertinent conquisiuit, & magnis propositis præmiis conquiri fecit, cuius in eam egregio & laudabili labore perpetuus & præcipuus Comes extitit Antonius Lælius eius Secretarius, quorum lucubrationibus & vigiliis præcipuè vsus sum in ea Romanorum Pontificum & Cardinalium parte quæ est ab Vrbano VI. ad Paulum IV. Fuit etiam Archipresbyter S. Petri. Abiit è vita Romæ anno 1548. 13. Calend. Aprilis. Ditissima eius spolia ad Paulum III. peruenere, ex his pretiosis aulæis nonnulla adhuc in Vaticanis Maximi Pontificis ædibus aliquando conspiciuntur.

10. *Iulius de la Ruuere* in Abbatiæ iuribus titulisque successor Augustini, Francisci Mariæ Ruuerij Vrbini Ducis & Eleonoræ Gonzagæ filius, anno Christi 1535. die 5. Aprilis Vrbini natus non vna laude excelluit. Is Diaconus Cardinalis S. Petri ad Vincula absens creatus Bisauri à Ranutio Farnesio Cardinali S. Angeli Cardinalitium Galerum accepit. Vmbriæ & Perusiæ sub Paulo III. Iulio III. Pio IV. Legatus & Episcopus Vicentinus sub Pio V. Archiepiscopus Rauennas Diaconorum primus, Episcopus Cardinalis Sabinus & Prænestinus, Rauennæ vrbis diuersarumque religionum Conuentualium, Minorum, Obseruantium, Capucinorum, & Lauretanæ domus protector fuit. Perusij Legatus Societatis IESV Patres pedestri itinere ex more Societatis illuc profectos beneuole virper humanus excepit. Vicentinam Ecclesiam omni prauitate detersit quin etiam Cardinali Morono referente dimisit, ad eam autem Matthæus Oriolus euectus fuit. Rauennatem ex Concilij Tridentini instituto correxit. Obiit Forosempronij 3. Nonas Septemb. 1578. cadauer eius Vrbinum translatum in templo S. Claræ conditum est.

11. *Laurentius Strozius* eodem quo Iulius pacto atque conuento Abbatiæ possessionem iniit anno 1555. Philippum Strozium & Claricem Mediceam Leonis X. neptim parentes habuit. Natus est Florentiæ die 3. Decem. 1523. In humanioribus literis præceptorem habuit Benedictum Varchium illius æui virum doctissimum. Paduæ deinde adolescens iuris prudentiam didicit ac statim in Gallia martis disciplinam amplexus, miles strenuus ac dux inuictus euasit. In Narbonensi Prouincia Henrici II. Francorum Regis nomine præfectus multa hæreticorum loca munita, animi robore ac virtute maxima expugnauit & ad Catholicam religionem

nem

nem reduxit. Ad Ecclesiasticam vitam Catharina Medicea Galliæ regina eius consobrina hortante cùm se dedisset, ab eodem Henrico Rege Prouinciæ primum Regis procurator, S. Victoris Massiliensis & Stafardæ ditissimarum Abbatiarum Commendatarius factus, mox Biterrensis Episcopus, Regius Consiliarius, & Cardinalis eo petente à Paulo IV. creatus, ad vrbem eodem anno quo & Cardinalis renunciatus venit, ac die 2. Septembris pro collatæ sibi dignitatis Cardinalatus insignibus titulum S. Balbinæ accepit. Aliquo tempore in curia moratus in Galliam reuersus hæreticorum vires consilio & prudentia sua non parum debellauit. Auenione tandem anno 1571. Christiano orbi eripitur. Ibidem in Ecclesia S. Agricolæ absque vlla inscriptione iacet. Vir quidem nobilitatis ac virtutis rerum gestarum gloria celebris, de quo præter hæc quæ ex Victorello & Ciaconio recitauimus aliqua concessit eruditus vir Carolus Strozius Patritius Florentinus.

12. *Ludouicus De Nogareto* Tabalus Pernonij Ducis ac Paris Franciæ filius, ex nobilissima & peruetusta familia ortus iam tum à puero sacris infulis destinatus, varias fortunæ vices expertus est. Prima literarum stipendia fecit in Collegio Flexiensi Societatis IESV, inter reliquam pubem pene totius Galliæ nobilitatis florem. Cum enim Societatis IESV ante aliquot annos Lutetia aliisque ciuitatibus Senatus consulto iussa cedere, pristinas in sedes Regis edicto reuocatur exeunte anno 1603. quod edictum Senatus Parisiensis 4. Nonas Ianuarij sequentis anni ratum habuit, ideoque à plerisque regni ciuitatibus eadem Societas ad aperiendas scholas expetita est, quarum optandarum populis exemplum ipse Rex dedit, qui suopte sumptu, Fixæ Andegauorum itidem scholas Societati constituit, assignato ad eas Vindonicensium Ducum palatio, in quo primum satus ferebatur, decretoque vt post mortem cor ibi suum conderetur. Hic igitur studiorum posito tirocinio Ludouicus deinde migrauit Parisios, vbi Academicæ laureæ in facultatibus superioribus gradu suscepto, Ecclesiasticis censibus ac dignitatibus augeri cœpit. Inde Tolosanæ sedis infula decoratus, præclarum in eo ingenij specimen & virtutis indoles, qua prudentia, qua pietate rerumque ciuilium agnitione comparata ita sese magis prodebat in dies vt in Cardinalium etiam cœtum ab Vrbano VIII. fuerit aggregatus. Hic non modo Pontificem gessit sed fortissimum etiam militem & Imperatorem, Galliæ hostibus ipsius auspiciis atque consilio prostratis fugatisque. In Italica expeditione moritur, cinis in patriam delatus in maiorem suorum sepulchro funeratus est anno 1639.

13. *Alphonsus Ludouicus* Cardinalis *Du Plessis de Richelieu*, Gallus, Archiepiscopus Lugdunensis, Galliarum primas Victorinæ huius Abbatiæ præfecturam ad annum 1640. excepit quem Abbatem etiam olim suum insigni hoc elogio posteritati commendant Reomaensis Monasterij annales, autore Petro Rouerio è Societate IESV. Solem primum vidit Parisiis Alphonsus, Armando Cardinali de Richelieu fratri Germano natu prior, parente Francisco Du Plessis, Domino de Richelieu, quem non

tantùm

tantùm paternum Plessæorum stemma longa nobilium auorum ac proauorum serie propagatum, sed etiam maternum Franciscæ de Rupe Cauardi Principibus Drocensis familiæ insertum illustrabat. Mater fuit Susanna de la Porte Vezius Cordatissima ac grauissima fœmina. Sed parens eius cùm à prima adolescentia Regis Caroli IX. honorarius fuisset ephebus, tum Henrici III. & IV. maximis deinceps in rebus obsequio semper præsto fuit. Nam priorem ad suscipienda Poloniæ sceptra pergentem atque ad Francica subinde remeantem fidissimè affectatus, permouit imprimis vt in sanciendo fœdere cum Germanis equitibus, qui duce Casimiro irruperant in Galliam sua opera honorificè vteretur, tum vt se habere vellet magnum rerum capitalium in Prætorem, nec multo postea vtriusque Ordinis Francici equitem Torquatum. Posteriorem varias rebellantibus vrbibus obsidiones molientem numquam deseruisset, nisi morte immatura anno 1590. in obsidione Lutetiæ interceptus esset. Defuncto parente Alphonsus impubes matris sollicitudine egregia literarum ac pietatis imprimis rudimenta posuit. Quæ cum ætatis accessu non mediocres acciperent accessiones, visus est tandem Henrico IV. idoneus, qui Romano Pontifici nominaretur successor Iacobi Plessæi propatrui qui in Lucionensibus infulis paulo ante erat demortuus. Sed cum illi à puero tranquillitas animi atque erga Deum pietas impensè cordi essent, pertæsum est breui illius vitæ. Quare infusi de cœlo spiritus flatu impulsus, mutata velificatione ad tranquillum Cartusianæ vitæ portum mentem appulit. Quæ illi statio & tutissima tandiu fuit & gratissima, donec Armandi fratris humeris regni vniuersi negotia incubuere, quo factum est vt Alphonsi fraternis, vel solatiis sustentari, vel honoribus augeri oporteret. Itaque Alphonsus Aquensem primo Metropolim in secunda Narbonensi Prouincia regere iussus, paucis inde post annis ad principem Galliarum sedem Lugdunum traductus omnes eius muneris partes accuratissimè est perfunctus. Gradus illi hinc factus ad Romanam purpuram quam anno 1629. exeunte ab Vrbano VIII. est promeritus, posteaquam & honorificis Regis literis id fuisset flagitatum, & legi quæ fratres duos in Cardinalium numero simul censeri vetabat ab Vrbano esset cum hoc elogio derogatum. *Fecisse Armandi Cardinalis in Ecclesiam merita vt ius ei esset cæterorum legibus non teneri.*

14. Alios eadem purpura perillustres & religiosissimos præsules in hunc ordinem ac numerum inserimus quia in aliis passim diuersis licet à Massiliensi Monasteriis tamen eiusdem familiæ ac disciplinæ Cassiani alumnos eodemque tanquam municipio abductos aliò colonos agnoscimus. In his.

15. *Bernardus de Garuo* de S. Liberata Diœcesis Burdigalensis Vasco Gallus, Montis Maioris Abbas in Diœcesi Arelatensi electus est anno 1294. quo tempore Abbatia censebatur inter præcipua sub Abbate Massiliensi Generali Ordinis S. Cassiani familiarum Capita. Huic muneri cum annis 16. summa cum prudentia & pietate præfuisset à Clemente V. cujus erat consobrinæ filius renuntiatur Diaconus Cardinalis S. Eustachij

CCcc

eadem non ætate modo, sed & creatione qua Arnaldus Felquerins siue de Falteriis aut Falgeriis Vasco similiter & Gallus ex Archiepiscopo Arelatensi Episcopus Cardinalis Sabinus & S.R.E. Camerarius Clementis V. factus est anno 1310. Pontificatus VI. & Sabbatho quatuor temporum Aduentus Domini, Auenione. Demum adscriptus à Ioanne XXII. Bernardus numero Cardinalium Presbyterorum & S.Clementis moritur Auenione sub eodem Pontifice sepultusque est ad Minores.

16. *Petrus de Banislato* siue Bagnaco lectus Abbas Montis Maioris anno 1345. rexit vsque ad annum 1368. Vrbano V. Romano Pontifice à quo dicitur Petrus in tabulis eiusdem Monasterij creatus Cardinalis eadem tum ætate tum creatione qua Arnaldus Bernard. Verum mendose vt arbitror cognominatur in iisdem tabulis, de Banislato seu Bagnaco nam in Indice Cardinalium Vrbani V. duos, præterea neminem, reperies qui *Petri* nomine appellentur. Primus Petrus de Chinaco non de Bagnaco cognominatur natione Gallus, Comes Petragoricensis, Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentij in Damaso qui obiit Auenione anno 1370. Alter Petrus De Stagno item Gallus Archiepiscopus Bituricensis S.R.E. Camerarius Presbyter Cardinalis S. Mariæ trans Tiberim-tit. S. Calixti. Postea Episcopus Ostiensis & Veliternus à Gregorio XI. Papa creatus. Ab Vrbano V. in Gallias redeunte Italiæ Legatus factus & à Gregorio XI. confirmatus, qui Nicolao & Alberto Estensibus Ferratiam beneficiario iure concessit, cum annua pensione decem millium aureorum. Apud Democharem, Belforestium, Claudium Robertum, De Estanno *D'Estain* dicitur & ex Monacho Ordinis S. Benedicti & Episcopo S.Florentij Bituricensis Archiepiscopus. Romæ mortuum & in suo titulo S.Mariæ trans-Tiberim humatum refert Vuion lib.2. Ligni vitæ.

17. *Faiditus de Agrifolio* Lemouicensis Gallus Episcopus Auenionensis à Clemente VII. Schismatico creatus Presbyter Cardinalis tit. S. Syluestri anno salutis 1389. Auenione 10. Calend. Ianuarij, Abbatiæ Montis Maioris præfectura clarere cepit anno 1385. rexitque 6. annos diem enim claudit extremum Auenione 6. Nonas Octob. anno 1391. sepultus ibidem in Ecclesia Cathedrali.

18. *Galeotus Tarlatus de Petra mala* Aretinus Tuscus legitimè quidem titulo & infulis donatur Abbatis Montis Maioris anno 1393. Quam tamen adiunxit purpuram adulterina fuit ex parte, cum enim Romæ ab Vrbano VI. Cardinalatum suscepisset, postea sæuitiam austeri Pontificis cum Ludouico S. Mariæ nouæ Diacono similiter Cardinali detestatus & fugiens ad Clementem VII. Auenionem se contulit anno 1387. à quo inter sui Ordinis Cardinales cooptatus, mutata Diaconia S. Agathæ ab Vrbano VI. in titulum prius data, S. Georgij in Velabro Diaconiam suscepit. Ambos Vrbanus VI. dignitatibus exuit. Fuit dum vixit Galeotus in Clementis VII. parte quo mortuo Comitiis Benedicti XIII. interfuit nec longè post rebus humanis excedens apud Aluerniam in summis Apennini iugis ad Ecclesiam fratrum Minorum delatus dicitur, sepultus in ædicula quam ipse sibi viuens extruxerat. Hunc à Clemente VII. Antipapa

Antipapa defecisse & ad Vrbanum VI. rediisse eoque iterum honore purpura nobilitatum scripsit Garimbertus part.1. de Pontificibus & Cardinalibus lib.5. Clementi adhærentem ab Vrbano anathemate ictum scripsit S. Antoninus part.3. histo. tit.22. cap.2.

19. Iam in Episcopis princeps locus est *Mauronto Abbati* primùm S. Victoris tum Episcopo Massiliensi de quo aliàs scripsimus in Indice Abbatum nostrorum anno 780. Vir fuit certè singularis virtutis præstantisque animi, quique dignitatem Ecclesiasticam dum vixit mirificè tutatus est, qui humanioribus literis instructus, cum postea rerum diuinarum studio strenue operam nauasset, religionis feruore stimulatus cum esset adolescens bonis moribus & vitæ integritate conspicuus religionem S. Cassiani Massiliæ professus, ita in ea dum vixit excelluit, & morum sanctitate in cæterorum exemplum refulsit, vt per omnes gradus suæ religionis & dignitates ascendens Massiliensi Ecclesiæ, Clero & populo postulante dignè præficeretur, qua dignitate cohonestatus, non iam vt plerique efficere solent suæ religionis aut habitum perosus, fratrum suorum consortia aut familiaritates exhorruit, nec quicquam de prioris vitæ austeritate remisit, nec humilitati & mansuetudini resignauit, sed eadem homini in conuersatione facilitas, eadem vitæ professio & si fieri potuit peramplior atque illustrior fuit. Nihil enim quod ad religionis quam esset professus dignitatem, quod ad mansuetudinem quodque ad rerum humanarum contemptum attinere videretur omisit. Quin potius eo magis se vt virtutum omnium exemplar & formam exhibuit, quo iam non sui ipsius modo sed vniuersi gregis sibi commissi rationem se nouerat Domino redditurum. Quare populum moribus optimis instruxit, tranquillitati & paci studens, amplissimisque eleemosynis sua gratia & virtute fouit, quam ob rem omnibus charus & gratissimus fuit. Vnde Carolus Magnus Imperator audita tanti viri fama & sanctitate, ipsum in conscientiæ legibus sanciendis Imperiique grauioribus tractandis negotiis magistrum & arbitrum sæpè adhibebat. Censetur eius dies festus & Sanctorum ritu celebratur eius memoria, in fastis Ecclesiasticis Massiliensibus, die 22. Octob.

20. *Honoratus* plurimis certè animi & corporis bonis ornatus Bosonis Prouinciæ Comitis nepos Patre Pontio Vicecomite Massiliensi fratrem habuit Guillelmum eius nominis primum in Vicecomitatu Massiliensi, Patris hæredem ac successorem; cui cum administrationis portionem in Vicecomitatu sibi iure ingenuitatis adscriptam testamento reliquisset, ipse Cœnobium S. Victoris quod erat in eadem eius ditione periit, in quo ita virtutibus profecit vt etiam deinde Abbas factus sit, vitæque religiosæ rigorem perpetuo retinuit, Episcopales postmodum curas Ecclesiæ Massiliensis Monasticis officiis cumulans. Vidimus enim in Indice Abbatum num.62. de ipso, pro recuperatione bonorum quæ variis prædonum expilationibus & direptionibus Abbatiæ detracta fuerant, Chronici Victorini tabulas prædicasse.

Atque his tabulis annumerandus est *Pontius* Archiepiscopus Arela-

tensis quia licet ex Monacho in Episcopum non fuerit assumptus tamen de mundi vanitate tanto gloriosius triumphauit quanto illustrioribus infulis quas possidebat pro Dei amore abdicatis & Monasticæ tunicæ vilissimæ posthabitis, Episcopatu se exuens vitam religiosam sub S. Isarno Abbate & magistro spiritus magno animi feruore aggressus est anno circiter 1025. Autor est Antonius Ruffy lib.8. histo.Massilien.cap.2. num.13. & 74.

21. *Raiambaldus* seu Raimbaudus Monachus S.Victoris & S. Isarni Abbatis discipulus magnarumque virtutum eius imitator & quasi hæres, Massiliæ florebat honoribus & gratia, cùm in Arelatensem Antistitem assumptus fuit. Puer elegantis ingenij & ad bonas artes à natura formati, Patre Raiambaldo Comite & Patritio Arelatensi. Literis imbuendus traditus, magno & continuis studiis in omni fere doctrinæ genere clarus emicuit. Raynaldum, Guillelmum, & Lanfredum fratres habuit, auum Lambertum, qui potentissimi Iudicis nomen tulerat, quod nos docet Thesaurus Montis Maioris. Adolescens vitæ sanctioris ab Isarno Abbate cui addictissimus erat petiturus exemplum, Monachorum Cassianitarum Ordinem Massiliæ suscepit & inter tirones breui in virum fœlicis ingenij, eruditione, & consilio, insignem, virtutum omnium amatorem omniumque vitiorum osorem euasit. His nominibus charus omnibus esse cepit, magna præstitit authoritate, honoratissimisque apud viros primarios semper muneribus est functus. Primùm enim Arelatensis Archiepiscopus delectus, nihil in tanta dignitatis luce de pristina austeritate mutauit, eadem in eo semper integritas, continentia, benignitas, modestia, mansuetudo, temperantia, in opibus paupertatem, in imperio humilitatem, in honoris fastigio eamdem retinuit humanitatem. Neque sibi tantum vitæ Monasticæ disciplinam singularem & operam, sed etiam clericorum vbique suorum ordini communem esse voluit. Quamobrem nihil intentatum prætermittebat sapientissimus Pontifex vt officiis & muneribus Canonicorum animos demereretur, illo enim approbante Guillelmus Massiliensium Vicecomes S.Martinum de Palude Maiori, Ecclesiam Virginis, & S. Petri Galliculani & S. Mariæ ædem de Capella cum amplissimis latifundiis in Craudicampo Canonicis concessit, modo communiter viuerent regularémque vitam quam iam Raiambaldus instituerat profiterentur. Ad hæc cum Isarnus Abbas templo S. Victoris olim à Saracenis diruto tunc recens magnis sumptibus & arte refecto, Benedictum IX. qui Romanis perosus sæuissiméque ab iis exagitatus Massiliam confugerat, ad illius consecrationem inuitasset, ad sacrum illud spectaculum innumeri ferè homines ex non vicinis etiam vrbibus confluentes dedicationem celebriorem lætiorémque reddidere, cui præter Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos in eiusdem Pontificis diplomate recensitos, interfuisse dicitur & cum elogio singulari laudatur à Pontifice Raiambaldus. *Ego, inquit, Benedictus sanctæ sedis Romanæ Ecclesiæ Apostolicus & Raiambaldus Arelatensis Trophimi Vicarius cæterique præsules Galliarum Pontius videlicet Massiliensis, cuius tuitione & patrimonio prædicta*

prædicta consistit Ecclesia & Leodegarius Archiepiscopus Viennensis, &c. *Actum publicè apud Massiliam in eodem Monasterio Idibus Octobris die eiusdem loci consecrationis anno* 1040. *Dominica Incarnationis Indict.* 8. Præfuit item Raiambaldus Concilio Tolosano Papæ Victoris Legatus cum Pontio Aquensi Episcopo atque à Prouinciæ totius Episcopis fidei iuramentum & obsequij vt Primas admisit. Vide ab vno quibus verbis legitimis & solemnibus præstitum. *Ego Pontius S. Mariæ Aquensis sedis nunc ordinandus Episcopus debitam subiectionem & reuerentiam & obedientiam à sanctis Patribus constitutam, secundum præcepta Canonum, sanctæ sedi Arelatensis Ecclesiæ rectoribusque eius in præsentia Domini Archiepiscopi Raiambaldi perpetuo exhibiturum promitto, & super Sanctum altare propria manu firmo.* Hic ille Pontius est qui à Victore Papa Antistiti Raiambaldo datus est socius, vt Concilio Tolosano præesset. Paulo ante migrationem, vltimam suam voluntatem, Aycardo successore declarato, tabulis publicis consignauit Raiambaldus in Ecclesiæ suæ vtilitatem, Collegiumque Canonicorum Barioli, oppidum est Prouinciæ Diœcesis Foroiuliensis, dotauit & sub censu denarij aurei Alexandro Papæ II. subiecit. Extat ea de re in Autographo Episcopali Rubro fol. 299. pernobilis memoria Raiambaldi videlicet ad Alexandrum & Alexandri ad Raiambaldum & Bertrandum Foroiuliensem Epistolæ quæ zelum & animum Raiambaldi testantur. Lege sis quas verbo *Raiambaldus* profert Pontificium Arelatense. Demum ætate maturus, morum suauitate, doctrinæ varietate, vitæ integritate omnique virtutum cultu ornatus Benedicto IX. Victori II. Alexandro II. aliisque Principibus & omnibus cuiusuis ordinis hominibus charus ac dilectus ex hac mortali vita ad cœlestem patriam vir eximius euolauit Arelatis anno 1062.

Theodebertus Ordinis Monachorum Cassianitarum, ab ineunte ætate in Cœnobio Massiliensi S. Victoris religiosam vitam amplexus, ob doctrinæ & vitæ Sanctitatem per omnes honorum gradus ad Abbatis Generalis dignitatem ascendit in locum Maurenti præsentis mortui, an. 809. Cum verò vir doctissimus esset & ingeniosus ac in sacris literis versatus, creatus Episcopus Massiliensis Ordini atque Conuentui præfuit, Ludouico Pio Imperatori in gratiosis & singularis amore charus, vt supra meminimus in Indice Episcoporum cap. 25. num. 50.

22. *Aycardum* Gaufredi Massiliensis Vicecomitis filium & Raiambaldi Arelatensis Archiepiscopi nepotem in Cœnobio Massiliensi cum fratribus Petro & Fulcone vitam Monasticam professum esse testantur Annales Massilienses, autore Antonio de Ruffy lib. 9. histo. cap. 4. num. 13. quod & ipsi nos attigimus supra in Indice Abbatum num. 83. Archiepiscopatum Arelatensem ab auunculo Raiambaldo gratuita sacerdotij transcriptione suscepit. Ab anno sacræ inunctionis 1063. sedit ad annum vsque 1090. De quo ista fere ad verbum in Pontificio Arelatensi. Aycardus ab Alexandro II. excommunicatione percussus est, quod à partibus Henrici Imperatoris staret, sacrumque contra ipsum fulmen renouauit Gregorius VII. qui ipsos etiam Arelatenses literis monet vt consilio

Hugonis Diensis Episcopi & Apostolicæ sedis Legati, aut Leodegarij Vapincensis Episcopi eligant Archipræsulem, ad quem ipse pallium mittat. Verum inanes reddidit literas Pontificis, Arelatensium amor in suum Antistitem Aycardum, qui omnibus diuinis interdictus licet, ciuilique congressu nequicquam tamen Episcopale officium intermisit. Nam Pontio De Fos horrendas deuotiones minatus est, si pontem S. Genesij cæteraque iura quæ in agro Marticensi Arelatensis Ecclesia habebat à S. Cæsarij sæculo, non redderet. Berttannus Prouinciæ Comes inter eos quasi arbiter peruicit tandem vt cuncta restitueret: exinde querelas mouit aduersus Raymundum S. Ægidij Comitem, qui Arelatensem Ecclesiam municipio Furcarum aliisque vrbibus quæ in Argenteo solo sitæ sunt spoliauerat, qui quidem non reperira solum possidenda dedit imo etiam promisit se alias concessurum castrum Albaronis in ripa Rhodani positum, cæteraque iura quæ ad Arelatensem Ecclesiam spectabant, si ea à Bertranno Comite recuperaret. Item Auenione Concilium celebrauit Aycardus, cuius acta non extant, excepto quod ibi S. Hugo reperitur creatus Episcopus Grationopolitanus. Meminit Binius altera parte To.3. anno 1080. Id vbi resciuit Pontifex Aycatdum non solum acerrimum se Henrici Regis & Imperatotis defensorem gerete, imo imperterritum aduersus omnes persistere, Concilium Romæ indixit in quo ipse Gregorius sententiam depositionis Archiepiscoporum Atelatensis & Narbonensis atque excommunicationis pet Legatos Apostolicæ sedis promulgatam, his qui aderant collaudantibus firmauit. Quis autem hoc tempote quo Christianus orbis tanto schismaticorum incendio flagrabat, aut mentis suæ sensus aut vitæ status fuerit ipsi Bertranno Principi ac Comiti Prouinciæ, docet Baronius anno 1081. num.33. qui vt pietatem, inquit, & erga Apostolicam sedem studium & obseruantiam restaretur, & se ab Aycardi consiliis alienum profiteretur Sacramentum clientelare Gregorio sic præstitit. *Ego Bertrannus Dei gratia Comes Prouinciæ ab hac hora & deinceps tibi Domino meo Papæ Gregorio & cunctis successoribus tuis, qui per meliores Cardinales S. R. E. electi fuerint, fidelis ero, & quidquid mihi credideritis in damnum vestrum non manifestabo. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Dei Euangelia.* Et statim se fiduciarium Pontificis Regulum professus est. *Ego Bertrannus Dei gratia Comes Prouinciæ pro remissione peccatorum meorum & parentum meorum offero, concedo, dono omnem honorem meum, quantum ad me iure parentum pertinet, omnipotenti Deo & SS. Apostolis Petro & Paulo & Domino meo Gregorio Papæ VII. & omnibus successoribus suis, vt quidquid placuerit deinceps Domino Papæ Gregorio de me & de toto honore meo sine vllo contradicto faciat. Ecclesias autem omnes quæ in mea potestate sunt, præfato Domino meo Papæ omnino dimitto & omnibus successoribus suis & ad ordinandas eas iustè & secundum Deum pro posse meo fideliter adiuuabo.* Cæterum Aycardus Archiepiscopus & Berttannus Comes communi mortalium fato vitam amiserunt, ille Gibelino successore, iste Gilberto Bertrandi, aliis Vdonis filio anno 1090.

23. *Gibelinum* quoque Arelatensem Atchiepiscopum & Aycardi successorem

cessorem proximum ex Monastico S. Cassiani Ordine ac Cœnobio S. Victoris Massiliensi assumptum fuisse ad sacras infulas colligitur ex monumentis tabulisque pluribus MM. SS. eiusdem Cœnobij, aliique autores consentiunt, cuius eam ferunt fuisse sanctitatem vitæ, vt religiosæ omnes ipsius virtutes in tanto honoris apice semper effulserint, mansuetudo præsertim ac lenitas, diuitiarum autem contemptus huiusmodi vt vel in pauperes & calamitosos vel in Monachorum subsidium omnia pene conferret. Quod ad nimiam morum facilitatem ac profusiorem liberalitatem perperam reiicit autor Pontificij Arelatensis, quasi Ecclesiam suam lacerasse ac dissipasse videretur, distractis Prioratibus omnino duodecim siue Ecclesiis quibus auxisse dicitur Psalmodiense præsertim fratrum suorum Cassianitarum in Occitania Monasterium, sed ea lege vt qui præesset non pro Abbate se gereret, sed tantum Prioris titulo vteretur id forsitan in suscipienda capituli sui causa temere impulsum adolescentia dixisse existimo. Sub Vrbano II. ad varia Pontificatus obeunda negotia ab eo ob animi candorem, in rebus gerendis peritiam & singularem doctrinam adamatus & charus habitus est. Reuersurus Romam Vrbanus ex Galliis, vbi apud Regem & principes expeditionem transmarinam contra Ecclesiæ hostes permouerat, Arelatem diuertit ex itinere ad suum Gibelinum, Bertoldus enim tradit ipsum Natalem Christi diem celebrasse Arelate. *Dominus Papa*, inquit, *Arelatis diem Dominicæ natiuitatis cum diuersarum Prouinciarum Episcopis gloriosissimè celebrauit.* Post hæc vocatus in Orientem Gibelinus iussu eiusdem Vrbani Papæ, ac Legatus tum ipsius tum deinde Pascalis II. renuntiatus de causa Ebremari in Patriarchatum Hierosolymitanum intrusi cognouit, deposuit, deposito successit: postmodum vero inquit, Tyrius cum de substituendo Ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarcha clerus & populus disceptaret constituta ad hoc specialiter die, vt super eo negotio de more tractaretur post multas hinc inde deliberationum partes, in Dominum Gibelinum Apostolicæ sedis Legatum vnanimiter conueniunt, & eum in sedem locant Patriarchalem. Gibelinus verò ad suos Arelatenses redeundi spe destitutus literas dedit, lachrymis potius quàm atramento exaratas, quas recitat Pontificium Arelatense simul atque alias Pascalis Papæ ad Arelatenses, monentis vt Gibelino successorem darent. Contigere hæc anno Christi 1107. & initio sequentis Aripertus ex Episcopo Auenionensi ad Clauum Arelatensis Ecclesiæ venit, vt patet ex literis tum Gibelini tum Pascalis 2. quas Baronius edidit in Annalibus.

24. *Berengarius* ex Abbate S. Victoris Massiliensi creatus Episcopus Massiliensis, anno Christi 880. Ioannis Papæ VIII. ann. 8. vt fuse copioseque demonstrabimus in Massilia nostra Christiana ann. 880. V. *Berengarius*. Sedisse vero ibidem Berengarium non Carolo Magno sed Ludouico III. & Carlomanno regibus Francorum, ac filiis Ludouici II. cognomento Balbi & Ansgardis Reginæ, supra memini cap. 25. num. 54.

25. *Petrus* cognomento Gaufredi ætate suppar Gibelino, ex perillustri Vicecomitum Massiliensium genere ortus, Patre scilicet Gaufredo, & fratre

& fratre Aycardo, de quo mox supra, Arelatensi Archiepiscopo, qui ab infantia Monasticæ vitæ consecratus scribitur, vt ostendimus in Indice Abbatum num.83. Itaque profecit tum pietate, tum doctrina vt ab omnibus singularis haberetur. Ex Monasterio S. Victoris in quo S. Cassiani regulam profitebatur, ad Archiepiscopatus Aquensis curam translatus, id onus paulo amplius quam annis septem supra triginta sustinuit. Vir non solum meritis ac virtute abundans, quæ à Monacho expectari poterant, sed etiam insigni pectoris robore. Itaque fuit inter alia non solum vniuersæ Diœcesi sed ipsi Aquensi ciuitati imprimis fructuosus, templis præsertim ac Cœnobiis ædificandis. Crescente quippe in dies aduenarum donorumque copia, cum tantæ multitudinis quantum angusta spatia non caperent concursus fieret ad ædes sacras S. Saluatoris, Petrus Episcopus summa virorum principum approbatione ædificando longè ornatiori ac laxiori templo adiecerat animum. Id templum ære publico à fundamentis extructum S. Saluatoris vocatur, vel veteri Sanctissimi sacelli memoria, vel nouis sanctimoniæ incrementis nobile, & in eo ad altaris dexteram minoris fornicis sacellum visitur, humile illud quidem pro magnitudine, sed tamen iam tum à Christianis pene omnibus retro sæculis in monumentum Sanctorum numero venerandum ac colendum. In quo Magdalenam ab Angelis deportatam S. Maximino sacris operanti præsentem adfuisse, & sacro viatico ab eodem munitam admirabili tranquillitate animam suo procreatori reddidisse traditio à maioribus ad nos deriuata est. Quin etiam publicum inibi extat de noui templi consecratione instrumentum perantiquum, tanti miraculi ad posteros testimonium, quod dedimus aliàs in nostra Magdalena Massiliensi aduena c.17. num.17. Petrus is fuit inter Archiepiscopos Aquenses huius nominis 2. cui Paschalis 2. anno 4. Pontificatus pallium misit, vt pro tantis eius in Christianam Rempublicam meritis honores ei haberet gratiamque referret. Mortuus est Aquis Sextiis sepultus in sua Cathedrali anno 1110. qui successorem in Pontificatu habuit Fulconem.

26. *Richardum* Monachum & Abbatem S. Victoris in Archiepiscopum Narbonensem eiusque electionem à Pascali 2. singulari diplomate approbatam fuisse legimus anno 1107. In Episcopali administratione Aymericum huius nominis III. Vicecomitem Narbonensem honorum Ecclesiasticorum inuasorem & iniquissimum vsurpatorem minis primùm ac terrore multauit, tum etiam contumacem Christianorum sacris ciuilique cògressu interdixit. Quod opponit Ciaconius in Schismate Clementis III. Antipapæ, qui autore Henrico IV. Imperatore Brixini in Noricis à triginta Episcopis schismaticis contra Gregorium VII. & eius successorem Victorem III. Vrbanum II. & Pascalem II. Romanus Pontifex acclamatus fuisset, Richardum prodidisse Victorem III. cuius creationi interfuerat, Henricique Imperatoris precibus expugnatum Clementem Antipapam sectatum esse, quam ob causam à Victore in Concilio Beneuentano damnatus in Clementis parte ex rebus humanis excessisse dicitur; si odorari libet paulo diligentius hæc à nobis facilè suspicionibus

& con

& coniectura coarguuntur. 1. Quia Bernardi Cardinalis fratris sui germani pluribus officiis erga Alexandrum II. adhuc iuuenis promouerat, vt in Cardinalium Ordinem legeretur. Neque vir Sanctissimus Bernardus ad tantos honores promouere fratrem, eique ambire purpuram destinasset, nisi summam in eo spem, summam ingenij indolem, summamque virtutem esse cognouisset, qua non modo familiæ ac stirpi suæ gentilitiæ splendorem adderet, sed ipsam imprimis Abbatiam S. Victoris Massiliensem & vniuersum Cassianitarum Ordinem fraternis opibus Pontificisque amicitia & fauore tueretur. 2. Plures ad eum in Registris Gregorij VII. Vrbani II. Paschalis II. extant literæ grauissimis verbis sententiisque plenæ, quibus opinione certè non vulgari & existimatione quam de moribus eius haberent, Pontifices dilexisse Richardum satis liquidò constat. Addo magna quoque accessisse ipsorum in eum non dico officia sed merita, quorum recordatione vel plurima vincula cum ipsis summæ coniunctionis optaret, & erant amoris arctissima, tantum abest vt ab eo quo astrictus esset, vel ingrato animo reuellere, vel per iniuriam laxare aliquid vellet. Quam enim Gregorius VII. Bernardi fratris demortui Abbatiam S.Victoris ei dono concesserat, Paschalis II. infularum Episcopalium dignitate auxerat & amplitudine, Alexander II. Cardinalitiæ purpuræ singularibus honoribus condecorauit. Vtique ea manebat Richardi opinio & existimatio apud Gregorium VII. quæ virtute parta non quæ fortuito euentu ac temere illata esset, vt eum in Hispaniam Legatum miserit anno 1079. quo in itinere apud Pictauos diuersatus Legati nomine cum Hugone Diensi Episcopo, Nationali Synodo præfuit. In Hispania vbi cum Alphonso Castiliæ Rege confecisset negotium ex sententia, demum studio reginæ Constantiæ ex Gallia oriundæ tandem Regi ac principibus & vniuerso clero persuasit, quos in hac parte acerrimos experiebatur obtrectatores & aduersarios, vt antiquato diuini Officij ritu iam tum ab ætate Gothorum Arianorum in Ecclesiæ mores inducto, Romanum substituerent. Reuersus in Galliam ab Vrbano II. per literas iussus est curam suscipere in duobus Cœnobiis, scilicet Montis Maioris in Diœcesi Arelatensi, & S. Mariæ de Crassa in Carcassonensi, lapsam deformatamque regularis vitæ disciplinam ad meliorem frugem reducendi instaurandique. 5. Ad Richardi singularem integritatem multis magnisque rebus spectatam pro testimonio facit fama vulgi, quæ iam celebritate sermonum pluribus etiam absentibus longè latéque percrebuerat virosque primarios ad ditandum suis largitionibus Monasterium S.Victoris studio tanti Abbatis conciliabat in dies, de quibus nos alias in Indice Abbatum vberius ac fusius num.87.

27. *Robertum* item De Calach siue de Guibè Redonensi Ecclesiæ, & paulo pòst Nannetensi Episcopum seruiisse, ac demum purpuram obtinuisse supra mox commemorauimus in Indice Abbatum num 131.

28. *Otho* cognomento *Alamannus* Monasterij huius alumnus, primùm sede toto triennio vacante in Dumuiratu, quem ad tempus generalia Ordinis Comitia Massiliæ stabiliuerant, lectus in regiminis consor-

DDdd

tem ac socium cum Bonnassino efficacis ingenij acerrimæque eloquentiæ viro, personam magistratus & delegatæ iurisdictionis partem sibi tributam tanta prudentiæ ac pietatis laude sustinuit, vt communi procerum suffragio Abbas & supremus Ordinis Generalis Magister renuntiatus, Demum ob præclara in Christianam Rempublicam merita annuente Paschali 2. Ianuensis Episcopus creatus, non Ecclesiam modo sibi commissam variis structuris & ornamentis illustrauit, sed & Synodos celebrauit ac decreta pro Clero & populo salubria non pauca sanciuit.

29. De *Rodulpho* cum Arelatensis Pontificij annales sileant, si non etiam ipsi nos taceamus graue cuiquam videri non debet. Pontificatus enim eius Arelatensis non diuinationum coniecturis aut leuibus argumentis dumtaxat, sed ab iis omnibus signis, quibus veritas illustrari solet, ad testes tota exploratio traducitur, sedisse constat ex monumentis tabularij S. Victoris circa Christi annum 1124. atque adeo excepisse proximè Attonem vita functum, & præsedisse Bernardo inter Archiepiscopos Arelatenses eius nominis primo, quem ex Latinis primum Patriarchatui Antiocheno fuisse præfectum quamplurimi contendunt. Extat adhuc ad Rodulphum nostrum Calixti II. Epistola, qua hortetur currentem quidem, vt dignitati suæ ac diuinæ gloriæ seruiat, proponat sibi claros viros quod facere solent qui hortantur. Hic igitur vir tantus ad Trophimi Galliarum Apostoli sedem potestatémque euectus, quandiu eam administrauit, sacræ infulæ dignitatem magnopere amplificasse fertur, tum aliis multis, tum eo quoque quod occulta odia Clericorum Arelatensium quæ tunc Raymundum inter Episcopum Massiliensem & Monasterium S. Victotis tacitis simultatibus continebantur, restinxerit, pacem & amicitiam æquis vtrimque firmarit conditionibus, discordias dissiparit. Hoc eodem sæculo floruere clarissimi viri eiusdem cum Rodulpho gentilitij & nominis & stemmatis. Primus Rodulphus S. R. E. Cardinalis Presbyter creatus ab Alexandro II. anno 1073. de quo tamen nescio quo fatali & Rodulphorum familiæ communi casu siletur inter Cardinales, similiter atque de nostro inter Archiepiscopos Arelatenses, ac prætermittitur à Ciaconio & Onuphrio. Hic ab Alexandro Papa in Bohemiam adlegatur anno 1073. vt Gebehardi Pragensis Episcopi qui primum Ioannem Olnucensem Episcopum variis contumeliis affecerat, causam agnosceret. Coram se citatum Gebeardum & obedire nolentem Pontificio priuauit, ac Diœcesim Pragensem Ecclesiastico subiecit interdicto. De qua re vide Longinum in Annalibus suis Polonicis, & Cardinalem Baronium tomo 10. Posterior coæuus ac pene ætate suppar Rodulpho Arelatensi. Vixit anno Christi 1144. Cœlestino II. Pontifice à quo Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Septisolio renuntiatus Alexandro III. in schismate contra Octauianum suffragatus est, idque Epistola sua omnibus Christianis & Imperatori Friderico cum aliis Cardinalibus scripsit.

30. *Raymundum* eius nominis secundum inter Episcopos Massilienses anno 1121. Monachum fuisse lego in M. S. Chartarum Ecclesiæ Massiliensis, haud dubiè in proximo ac suburbano S. Victoris Monasterio vbi

tantam

tantam nominis sui celebritatem apud Massilienses comparauerat, S. Cassiani regulam professum. Is nobilibus parentibus ortus generis sui splendorem, tum literis, tum moribus auxit & ornauit. Adolescens cum politiorem doctrinam & liberales artes percurrisset ad maiora non Christianæ modo Philosophiæ, sed & religiosæ vitæ studia se contulit. S. Cassiani institutum & Ordinem in Cœnobio S. Victoris Massiliensi amplexus, atque in vtroque studio mirificos fecit progressus. A clero populoque Massiliensi Episcopus electus creditam Ecclesiam ad mortem vsque optimè gubernauit, non tam suis ouiculis imperans officij potestate, quàm prælucens pietatis exemplo. Vir qui in eximia nobilitate mansuetudinem, in amplissimis domesticisque copiis modestum earum vsum, in corruptis temporum moribus æquitatem, temperantiam moderationémque animi præstitit & exhibuit semper, ibidémque honesto in loco tumulum sed pompa carentem habuit. De hoc ex Archiuiis Massiliensibus ista habentur. *Raymondus Dei gratia Massiliensis Episcopus vir religiosus sub Monachi habitu atque regula cunctis diebus vitæ suæ viuens, in Hymnis, & Psalmis cum pudicitia Deo perseueranter seruiuit, qui multos libros multaque ornamenta auri & argenti & palliorum in Ecclesia S. Mariæ sedis Massiliæ emendo constituit. Ad vltimum autem sub Christi nomine Domini fecit, in qua ipsemet propriis manibus reliquias plurimorum Sanctorum in die Assumptionis S. Mariæ præsente suo clero & populo posuit, corpus S. Cannati Episcopi Massiliensis & Confessoris, & S. Antonini Confessoris, & S. Victoris Martyris ibi sunt. Hic sunt reliquiæ S. Petri Apostoli. S. Stephani, & S. Adriani Martyris, & S. Vincentij Martyris, & S. Ioannis, & S. Verani, & S. Apollinaris, & S. Reginæ Martyris, & S. Pauli, & S. Gregorij, & S. Polycarpi, De Sepulchro Domini, de veste S. Stephani, S. Sebastiani, S. Sulpitij Confessoris, S. Martini, S. Marcellini, S. Andreæ Apostoli, S. Laurentij De signo Crucis, S. Lazari quem Dominus suscitauit S. Faustini, S. Christinæ, SS. Innocentium & multorum Sanctorum quorum nomina nescimus. Deus scit.*

31. Post hunc exiguo interuallo quippe anno 1162. de eodem puluere religionis excitatus est vt solium gloriæ teneret *Fredolus* qui cum in vitæ Cœnobiticæ studiis quibus puer adhuc se addixerat multos annos posuisset, eam sanè tum victus asperitate tum frequentibus singularium virtutum exemplis, Sanctitatis famam collegit, vt extincto Guiberto Abbate in illum vnum Comitiorum Generalium suffragia inclinauerint. Deinceps verò factus Abbas nihil de pristino vitæ rigore nihil de sua humilitate remittens, vir doctrina, sanctitate & morum elegantia clarus, Alexandri III. à quo rescriptum habuit eximium & sanè perhonorificum, Procerum Prouinciæ iudicio Episcopi nomine dignus existimatus, & ad munus gerendum, Foroiulij adhibitus est, qui dignitatem Ecclesiasticam in his regionibus penè inolescentem vindicauit, auxit, & mirificè tutatus est. Hic genere nobilis ac notus licet, tamen maioribus suis atque posteris virtute sua illuxit. Duranto Fredolo imprimis qui anno 1289. Massiliensem cœpit regere Ecclesiam obiitque anno 1309. Iunij 30.

Item Berengario Fredolo qui cum Abbas sæcularis S. Aphrodisij Biterrensis Diœcesis Clementis V. Papæ Capellanus Presbyter Cardinalis SS. Nerei & Achillei tituli Fasciolæ, postea Episcopus Cardinalis ab eodem Clemente factus est anno 1305. Bonifacio VIII. in sexti Decretalium editione præsto fuit, qui cum esset in legum facultate versatissimus ad Guillelmum De Mandagoto Archidiaconum Nemausensem, à libri de Electionibus Prælatoriam nuncupatione honestatus fuerat. Vicissim insigne volumen scripsit super summam Ostiensis ordine alphabetico. Edidit & de sententia excommunicationis librum alium. Obiit Auenione anno 1321. Ioannes Villaneus lib. 9. cap. 79. Reges. Clementis V. Ioannis XXII. Clementis VI. Hæc præterea de eodem in additionibus ad Ciaconium. Bonifacius VIII. Decretales lib. 6. à Guillelmo Episcopo Ebredunensi, Berengario hoc nostro Episcopo Biterrensi, & Richardo de Senis R. E. Vicecancellario recenseri iussit. Berengarius Fredoli, non autem Stedelli dicendus. Creatus Cardinalis tit. SS. Nerei & Archillei à Clemente V. anno 1312. die 23. Decemb.

32. *Guillelmus De Sabrano* Abbas S. Victoris Nobilissimæ suæ genti Sabranæ opibus florenti Castellorumque ac Toparchiarum veteri dominatu, tum apud Salyos, tum inter Apulos, sanctitatis splendorem magnis suis virtutibus addidit. Ad infulas Diniensis Ecclesiæ non solum intuitu nobilitatis verum etiam meritorum gratia euocauit Clemens V. anno 1312. patrocinante Roberto Siciliæ Rege & Comite Prouinciæ, apud quem authoritate & gratia plurimum poterat Guillelmus. Integer enim vir & in sententia dicenda libertatis & religiosi Officij memor semper extitit. Quatuor Generalia Ordinis comitia Massiliæ habuit quo tempore Monasterio S. Victoris præesset Abbas. Sacerdotio deinceps Episcopali ditatus non solum authoritate in Ecclesia rexit, verùm multo magis doctrina & exemplo vsque ad extremum vitæ suæ profuit. Dictus nonnunquam legatusque ab Rege extra ordinem Iudex atque inspector rerum publicarum, negotiis in quibus eius amor erga pietatem Christianam maximè illuxit fœliciter obitis sub Ioanne XXII. In Episcopatu suo diem clausit extremum anno 1324. ibique amicorum bonorum omnium lachrymis tumulatus est.

33. *Guillelmus De Cardeillac* ex Abbate factus Episcopus Sampapulensis & amplis aliis Sacerdotiis in Occitania & in Prouincia præfectus inclaruit, tristibus magis quam lætis temporibus Roberti Siciliæ Regis & Comitis Prouinciæ, cui cum Carolo Humberto nepote Caroli Martelli Caroli II. primogeniti filio graues & magnæ contentiones pro regni successione intercesserant, & grauiores exarsissent nisi rem controuersam plenamque dissensionis inter doctissimos Iurisperitos Clementis V. authoritas, in cuius arbitrium patruus & nepos consenserant, pro Roberto Rege definiisset. Vix Episcopi honore illustratus multa præclarè constituisse dicitur & in Diœcesi & generatim atque vniuersè in Ordinis sui religiosis familiis Cassianitarum, idque præcipuè quod Laicorum dissolutas consuetudines sed & redundantes clericos ac superfluentes inutili

quadam

quadam impunitate & licentia, tanta cum grauitate moderaretur, vt singulos non tam offenderet obiurgatio, quàm delectaret animi constantia & verborum suauitudo. Hic anno 1324. Pontificatum iniit, quatuor circiter gessit.

34. *Raterius de Leuaco* seu *Lautunco* post obitum Guillelmi Abbas electus à prima ætate ingenij, modestiæ aliarumque virtutum specimen præbuit. Adolescens optimis artibus & virorum prudentium consuetudine studiis adhibitis, vberiorem virtutis quam ætatis cursum in se fecit Massiliensium testimonio, à quibus in Episcopatum Massiliensem assumptus Pontificis dignitatem perhumani ingenij virtute ac splendida liberalitate sustinuit, pluribus meritis in Christianam Rempublicam nobilis. Massiliæ clausit extrema. Funus vrbanæ multitudinis ordinumque omnium verissimæ lachrymæ vt solet decorarunt. In Ecclesia maiori & Cathedrali sepulturam accepit, anno circiter 1327. In quibusdam MM.SS. Massiliensium Episcoporum indiculis non nominatur Raterius, vnde aiunt electum & creatum quidem Episcopum Massiliensem, sed paulo pòst ereptum, ac proinde publicè, nec renuntiari, nec muneris sibi demandati officia & partes exequi potuisse, quem excepisse proximè scribitur Ademarius.

35. *Guibertus de Cantabrio* Monachus & Abbas S. Victoris in Episcopum Rutenensem electus iuris vtriusque consultissimus, tantam deinceps apud omnes famam consequutus est vt doctrina prudentia & singulari in rebus gerendis dexteritate, cum præcipuis illius ætatis hominibus non immerito conferretur, propter quas animi dotes Benedictus Papa XII. vnum esse voluit de Constitutionum suarum compositoribus, quæ factæ fuerunt anno 1337. vt patet ex fine earumdem Constitutionum, ex dictis supra in Indiculo Abbatum Massiliensium. Segoduni Rutenorum anno 1338. vale dixit huic sæculo, ibidem sepultus.

36. *Ogerius De Anglura* Monachus S. Victoris primùm Abbatis ac Generalis Ordinis Cassianitarum munus præclarè exercuit Massiliæ anno 1463. postmodum Cleri & procerum commendatione ad amplissimi Ordinis Pontificij dignitatem & Massilienses infulas peruenit, in qua integritati & prudentiæ eius decora & ornamenta emicuerunt. In hoc celebri viro tantum robur animi & consilij fuisse subiudicant atque innuunt annales, vt antequam Monachorum suffragio in Conuentu Ordinis Generalis lectus esset Abbas multo ingenij, consilij, sapientiæ in variis priuatæ vitæ Monasticis Officiis administrandis egregia documenta dederit, dignúsque habitus sit qui non in Abbatem dumtaxat ad vnius priuatæ familiæ commodum, sed & in Antistitem ad vniuersi cleri populique Massiliensis vtilitatem deligeretur, in quo munere obeundo opinioni respondit. Migrauit è vita sepultusque est in decessorum suorum monumento in Ecclesia S. Mariæ Maioris anno 1496.

37. *Adeodatus* seu *Deusdedit* Monachus Abbatiæ Castrensis Ordinis S. Cassiani & ex prædiis Monasterio S. Victoris Massiliensi vectigalibus, quam administrabat, primus institutione Ioannis XXII. Papæ, Ponti-

ficiæ dignitatis splendorem adiunxit, creatus est Episcopus cùm pluribus aliis Abbatibus summis viris, quorum Abbatias Ioannes XXII. vt alias exposuimus in Ecclesias Cathedrales erexit anno 1316. Pontificatus anno 1. tamen illos non publicauit, neque ipsi inaugurati sunt nisi peracto anno 1317. Id liquet ex eius æui monumentis. Cæterum Adeodatus inter Abbates Castrenses prisca omnes nobilitate clarissimos, ipse quoque nobili vt præsumere licet familia exortus, liberalibus disciplinis iisque artibus quibus informari prima ætas solet operam dedit, & cum in virum clarissimum & integerrimum euasisset, cepit eius fama apud omnes clarescere vnde ex Monacho Castrensis Cœnobij alumno, in Comitiis ad demortui locum communi omnium ordinum suffragio Abbas delectus, mox Episcopatus pallio donatus rexit annos 10. quo tempore singularem eruditionis scientiæ ac pietatis eminentiam maxima sui cum laude omnibus patefecit. Castri moritur anno 1327. & in sua Cathedrali S. Benedicti Ecclesia sepultus quiescit. Non tamen à perenni contestataque virtute maiorum degenerarunt Monachi, sed in Collegium Canonicorum adscripti cooptatique semper tamen in forma religiosi status ac Clericorum regularium vitæ vsu institutoque perstiterunt, constanterque hactenus & incorruptè perstitissent nisi Pauli III. Indulgentia Ioannes Turnonius Castrensis Episcopus, anno Christi 1535. ab Episcopatus fundatione 218. facultatem exorasset, Collegij vniuersi religiosam familiam ad sæculares Clericos transcribendi.

38. *Petrus De Orlagio* ex Abbate Vabrensis Cœnobij Cassianitarum primus Episcopus à Ioanne XXII. constitutus anno 1320. Hunc sapientissimum virum, suum Episcopum fuisse merito gloriabantur Vabrenses ciues, in quo prudentia doctrinaque cum Nobilitate certabant. Rebus gestis insignis fuit, & in grauibus quibuscumque negotiis conficiendis prouidi solertisque ingenij, magnis principibus charus, quorum singulari beneuolentia & studio non ipse modo hunc in locum atque in hanc celsissimam sedem Pontificiæ dignitatis atque honoris ascendit, sed & eiusdem Ecclesiæ habenas regendas, cùm iam ætate confectus esset, in Raymondum de Orlagio consanguineum, amicum, ac pernecessarium suum gratuita muneris abdicatione transmisit. Rexit summa cum iustitia, prudentia, ac vigilantia annos nouem obiitque anno 1329. Monachi Clericorum regularium vitam sectati per 257. annos constanter manserunt in suo statu. Nam primus in exequutione Bullarum sæcularisationis, quam indulsit Gregorius XIII. nominatur Franciscus De la Valette Couuisson Vabrensis Episcopus anno 1577.

39. Papuli Monasterium ab Abbatis S. Victoris Massiliensis iurisdictione diuulsum & Ordini Cassianitarum detractum, sub Tolosano Parlamento Ioannes XXII. in Episcopalis Cathedræ templum erexit ac religiosis fascibus cæterisque Pontificiæ dignitatis atque honoris insignibus donauit, vt notat Martinus Polonus anno 1317. à quo tempore vrbi Lauracensium nomen dedit. In Tolosæ similiter Episcopatu Metropolim instituit, eique recens creatam Papuli Diœcesim subiectam esse voluit.

Nec

Nec multo post Clementis V. constitutiones approbatas iussit publicè per vniuersitates explicari. Cæterùm primus ex Abbatibus Sampapulensibus sub Abbate Generali Ordinis Cassianitarum, inauguratus Episcopus fuit *Bernardus De Turre* ex per illustri ac nobilissima familia *De Turre* Diœcesis Mirapicensis, vir doctrinæ non vulgaris & inculpatæ vitæ, qui in tanto honoris fastigio non elatus, humilitati & pietati vacabat, in pauperes Christi beneficus & in Ordinis sui fratres mitissimus. Obiit ibidem circiter annum 12. Pontificatus Ioannis X X I I. Ludouici V. Bauari Cæsaris seu Germaniæ Regis 14. Christi 1327.

40. Monasterium S. Mariæ quod dicitur Tomeriarum ditioni olim Abbatis S. Victoris Massiliensis potestatique subiectum sedem præbuit, & fundamentum fuit ad constituendum Episcopatum Sampontiensem sub Parlamento Tolosano & Archiepiscopatu Narbonensi, eodem autore Ioanne XXII. anno 1317. S. Pontij Tomeriarum vrbs est in Conualle ad fontem ex antro scaturientem, tanta aquarum copia, vt statim molas frumentarias agitet, qui salares seu truttas gignat nutritque purpurei coloris, quique paulo post in Obrim incidit. Abbatem, qui primus Monachorum Cassianirarum in hoc Cœnobio sacras Episcopi infulas suscepit (etsi necdum nomen nancisci potuimus) tamen in hoc ordine ac numero reponimus. Solum occurrit illud singulare quod Abbati Florido Isarius Tolosæ Episcopus olim dederit Vaurum oppidum, cuius Isarius erat Dominus anno 1098. vt ibi Prioratum constitueret Ordinis S. Augustini, qui postea erectus in Episcopatum anno 1318. sicut & ipsa S. Ponrij Abbatia, cuius tamen Religiosi seruata diligentissimè Monastica disciplina, nonnisi posterioribus sæculis ad sæculares Clericos rescribi à Paulo V. anno 1615. consenserunt. Illud autem Monasterium Pontius Comes Tolosæ anno Christi 936. condidir inter Pezenatum & Carcassonem, vbi Dominus Ramires 40. annos vixit Monachus, indeque ad regnum Hispaniæ euocatus teste Surita, Mariana, Guillermo Catel De Comitibus Tolosanis.

41. His addo *Castorem* Abbatem S. Faustini Nemausensis Diœcesis discipulum S. Cassiani & in conuersione filium, cuius sanctitatis fama permoti Clerus populusque Aptensis in Prouincia, eum in Episcopum ac Quintini Antistiris sui demortui successorem assumpserunt. Ei verò non modo tum Pontificalis gratia accessit, sed simul etiam virtutum omnium augmenta, quibus populo sibi commisso egregia ad pietatem & iustitiam exempla præmonstrauit. Adolescens altæ indolis & animi integritate ac fortitudine præstans posthabitis mundi delitiis plures annos Anachoresim inter Monachos est professus, partim in Monasterio Nemausensi S. Iustini inter rupes & saxa horrida sito partim in aliis Cœnobiis postmodum ab ipso facto iam Episcopo suis sumptibus in Aptensi Diœcesi passim erectis & prouentibus dotatis. De eo diximus plusquam satis lib. 1. c. 84. & infra c. 29. n. 3. Diem obitus & locum annotat Martyrologium Gallicanum. *Apta Iulia, 11. Calend. Octob. Apta S. Castoris huius sedis Episcopi, qui sub Arcadio Imperatore Claruit meritis Apostolica virtutis.*

42. Iacobus

42. *Iacobus Martinus* Monachus S. Victoris Massiliæ ac perfectus rerum sacrarum siue Sacrista, Episcopatus Senecensis clauum administrandum Henrici IV. voluntate & Pauli V. consensu anno circiter 1607. suscepit. Pluces Ecclesiæ Senensi præfuit annos, quibus fortissimi Præsulis ac religiosi Pastoris non solum suis verum etiam toti Galliæ exempla præbuit. Mortuus ibidem in sua Cathedrali tumulatur lapide, elogio, insignibus exornatus.

Nec in Episcoporum modo sed & Abbatum sacras legiones, ex auxiliariis S. Cassiani cohortibus duces ac principes prodiere.

43. De *Nicolao Auriolo* Monacho S. Victoris in Abbatem Lerinensem electo hæc habent Annales Monasterij Lerinensis apud Vincentium Barralem, in Chronologia Sanctorum & aliorum virorum illustrium & Abbatum Monasterij sacræ insulæ Lerinensis. *Anno* 1313. *die vltimo Iulij datus fuit Abbas Lerinensis Dominus Nicolaus Auriolus Monachus professus S. Victoris Massiliensis, qui obiit die vltimo Iulij anno integrò videlicet reuoluto sua ordinationis. Iste licet rigide regeret erat tamen bene religiosus & zelotypus instituti, sed data sibi potione à quodam suo affine & propinquo, vt amplius ab ipso diligitur ei mortem propinauit.*

44. *Ioannes De Cominis* eruditione ac virtutibus clarus cum Abbas S. Victoris Massiliæ, summus in Monasterio Magistratus esset familiamque iam annos 11. prudenter iusteque rexisset, Parisios vocatus & ibi plausu Monachorum S. Germani de Pratis exceptus, nouo Præfecturæ honore inter insignes eiusdem Monasterij Abbates cohonestatur, quo in munere probitatis & grauitatis specimen dedit, pietatem, modestiam, humanitatem, affabilitatem, prudentiam & regiam prorsus celsi animi magnitudinem prodens.

45. *Ratherius De Lantauco* similiter Abbas Monasterij S. Victoris Massiliensis vbique vir optimus & religiosæ perfectionis studiosissimus æmulator, magnarum virtutum exempla ostendebat post aliquot annos vt Abbatiæ Mauzacensi Diœcesis Claromontensis consuleret, ad Prouinciam illam regendam, ad Monachos in officio continendos, ad instaurandam pene vetustate collapsam religiosæ vitæ disciplinam temporarius delectus Abbas, eo in regimine virorum Principum ac bonorum omnium expectationi respondit, & amantissimum patrem ac præclarum in Christiana Philosophia magistrum spiritus se gessit. Hinc verò ad Episcopatum Massiliensem gradum fecisse mox supra demonstrauimus num.32. De Mauzacensi Abbatia fundatam esse à Roberto Aruerniæ Comite memorant historici, sed longo post tempore sæculari toga donatur 1618. hoc autem in loco Monachus professus est Gilbertus Genebrardus Ecclesiæ Gallicanæ illustrè ornamentum, & Doctorum Sorbonicæ Academiæ clarissimum decus.

46. *Pontius De Vlmo* ex Vicario Generali in regimine Monasterij S. Victoris Massiliensis & vniuersi Ordinis Cassianitarum sub Vrbano V. summo Pontifice simul atque eiusdem Monasterij Abbate, post promotionem Petri de Bagnaco ad Cardinalatum, electus ac renunciatus est ab eodem

eodem Papa Vrbano Abbas Montis Maioris anno 1368. quem iam à nobis laudatum habes in Indice Abbatum num. 124.

De aliis sigillatim id genus viris illustribus nihil attinet dicere cum pene infinitos Abbates ad Monasteriorum gubernacula, quæ Principum liberalitate iurisdictioni Generalis Abbatis S. Victoris adiuncta fuisse supra commemorauimus, ex hac Massiliensi S. Cassiani familia prodiisse sciamus.

CAPVT XXVIII.

De Principibus, & Dynastis, ac de viris doctrina insignibus, qui in Ordine S. Cassiani vitam Monasticam complexi sunt.

1. QVod in Ecclesiæ sanctæ commendationem scribit Apostolus ad Corinthios Deum non vocasse ad prædicationem & fidem crucis ac salutis, sapientes, potentes, & nobiles mundi, sed stultos infirmos & ignobiles duntaxat, de Apostolis maximè aliisque primis fidelibus interpretatur Ambrosius in Lucam ad illud cap. 6. Elegit duodecim ex eis. *Aduerte, ait, cœleste consilium non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles sed piscatores & publicanos quos dirigeret elegit, ne traduxisse prudentia, ne redemisse diuitiis, ne potentia nobilitatisque authoritate traxisse aliquos ad suam gloriam videretur, vt veritatis ratio non disputationis gratia præualeret.* Et S. Augustinus de verbis Domini. *Magna*, inquit, *artificis misericordia sciebat enim quod si eligeret senatorem, diceret senator, Dignitas mea electa est. Si eligeret diuitem, diceret diues opulentia mea electa est. Si Regem, diceret Rex Potestas mea. Si oratorem, Eloquentia mea. Si Philosophum, sapientia mea electa est. Interim inquit Dominus differuntur superbi isti multum tument. Da mihi prius istum piscatorem. Veni tu pauper, nihil habes, nihil nosti, sequere me, tam largo fonti vas inane admouendum est, dimisit retia piscator accepit gratiam & factus est diuinus orator, leguntur modo verba piscatorum & subduntur colla oratorum.* Vanum ergo videtur quod de nobilitate & purpura S. Bartholomæi Apostoli fabulantur historici. Quamquam sapientes etiam & potentes non paucos fuisse vocatos, vt Dionysium Areopagitam, Nicodemum, Paulum Proconsulem, Paulum ipsum Apostolum, aliosque recentioris ætatis produnt Annales Ecclesiastici, *ne potentes*, vt ait Iob, *abiecisse videretur cum sit ipse potens*, & ne religioni hæc quoque laus deesset vt sæculari quoque nobilitate ornaretur, siue ob eam causam quam reddit Augustinus. *Quia cum multis noti sint, multis sunt authoritati ad salutem & multis præeunt sequuturis, ideoque multum de illis gaudetur, quia non de solis gaudetur. Et plus hostis vincitur in eo quem plus tenet, & de quo plures tenet, plus autem superbos tenet nomine nobilitatis, & de his plures nomine authoritatis.*

1. Cor. 1. 26.

Ambr. lib. 6.

Serm. 59. to. 10.

Iob. 36.

Lib 8. cõfess. cap. 4.

Igitur hoc ipsum tractandum iam est atque ex historiis virorum Principum ac Dynastatum nomina eruenda, qui Monachorum Cassianitarum ordinem suscepere.

2. Ac primum inter hos magnos & excellentes non dubitarim commemorare *Hugonem* Arelatenſem & Prouinciæ Comitem, Lotharij Lotharingiæ Regis nepotem, qui à Principibus Italicis è Prouincia euocatus, fauente Ioanne Papa X. Italiæ regnum Rodulpho Burgundiæ Regi ademit. Ac ſubinde Papienſium coniuratione ſolerter oppreſſa, tantam apud Italos prudentiæ famam collegit, vt nequaquam ludibrio quemadmodum cæteri Reges ſed admirationi omnibus foret. Anno itaque 926. Piſis à Legatis Pontificis exceptus, Italiæ regnare ceperat, ac 20. circiter annos in ea dignitate manſerat, cum Berengarius II. Berengarij nepos, aduerſus ipſum res nouas molitus ad Othonem Germaniæ Regem profugit anno 939. Inde poſt annos 6. reuerſus in Italiam. Hugone ab omnibus derelicto in Prouinciam Hugo rediit anno 947. cui Maſſiliæ in Monaſterio S. Victoris fuit illi quidem hoſpitium vetus, ſed ea cauſa etiam cum Monachis Caſſianitis familiaritas tanta, & ea cum officiis eius multis tum etiam conſuetudine quotidiana ſic eſt aucta, vt à mundi vanitate auerſiſſimus, quam ſcilicet ipſe quoque experiendo cognorat, humana omnia deſerere conſtituerit, atque ex iſtis imperij fluctibus in portum ſe religioſæ quietis recipere. Tetigit iſta leuiter Leo Oſtienſis in Chronico. *Ipſe Hugo*, inquit, *cum omni theſauro ſuo in Prouinciam* (non vt ibidem mendoſe ille ait in Burgundiam) *properans Monaſterium permagnificum conſtruxit ſumptibus propriis quod ſub titulo S. Petri appellari voluit, ibique omnibus traditis ibi Monachus effectus eſt, Bertha nepte Boſonis vidua opum ſuarum hærede dicta*. Vixit Manaſſe Pontifice Arelatenſi, qui Regi Burgundionum & Arelatenſium ſanguine coniunctiſſimus non Præſulis tantùm ſed etiam egregij & intrepidi militis partes egiſſe dicitur. Etenim ab ipſo Hugone noſtro propinquo ſuo & benefactore, ad Berengarium deficiens armatus ſemper inceſſit. Erat tum Foroiulij in Prouincia Princeps Berengarius, qui ad Italiæ imperium ſimiliter vocatus, collectis ingentibus copiis aduerſus Hungaros, quamquam interim parum fœliciter pugnarit, tamen ex ea expeditione tantam exiſtimationem nominis conſequutus eſt, vt poſtea Cæſarem ſe voluerit nominari, cuius honoris appellatione ne excideret inſtigauit Hungaros vt iterum Germaniam depopularentur, ſed hos ſuperauit Cunradus præſidio Othonis Ducis.

Lib. 1. c. 4.

3. Hugonem paulo pòſt imitatus eſt vterque Vuillelmus Maſſiliæ Vicecomes & Gubernator anno circiter 1013. quorum prior ampliſſimis olim perfunctus honoribus cum omnium admiratione omni mundano faſtu depoſito, & vtriuſque coniugis, quas variis nuptiis ſibi deſponderat, viduitate ſolutus, vt nudum Chriſtum nudus ſequeretur, principatu ſe exuens à Vuitfredo Monaſterij S. Victoris Præpoſito detonſus tunicaque Monaſtica ornatus, Maſſiliæ in ſacram ac religioſam S. Caſſiani familiam Garnerij Abbatis nominatione cooptatus eſt. Id enim ex Magno Chartario ſupra collegimus in Indice Abbatum num. 70. & ex eiuſdem Vuillelmi ſyngrapho ad poſteritatis memoriam teſſeræ ac nominis ſui ſubſcriptione firmato.

4. Alterum prioris filium exiſtimat Cheſnius eodem M. S. teſte de quo

quo nos ibidem num.76. Patrem è vestigio insequutum, & sanctitate insignem, miraculis celebrem, idem institutum professum, sese cum insigni pietate abdidisse in Arelatense Monasterium Montis Maioris ab se instauratum, & in quo nunc sepultus iacet, fundamentum propter superioris Ecclesiæ.

5. Anno circiter 1090. simile eius rei exemplum vidit Massilia in *Ottone Alamanno* qui ex nobilissimo ac perillustri Regum sanguine & familia oriundus prima literarum stipendia in variis Galliæ Academiis fecit inter reliquam primariæ nobilitatis plebem. Doctrinæ lauream adeptus, vbi iacere igniculos viriles & principum curiam frequentare cepit, maximè territus periculis quæ in tam vario & ad suspiciones ac simultates multiplici vitæ statu inesse videbat, Massiliam ad Cœnobij tunc tota Gallia celeberrimi claustra confugit, vbi apud vniuersos siue domi siue foris authoritate plurimum valuit. Quare Richardo Cardinali & Abbati S. Victoris demortuo in regimine Cœnobij subrogatus, post aliquot annos sancte exactos, per Pascalem I I. ad Ecclesiæ Ianuensis curam & administrationem vocatus est. Demum ætate maturus multis prudenter atque pie gestis supremo defungitur die, anno 1117. ibidem in Ecclesia sua Cathedrali sepultus. B. Ludouico Alamanno Cardinali & Episcopo Arelatensi eamdem cum Ottone nostro generis stirpem fuisse aiunt nonnulli. Quamquam hunc ex Bugesiorum familia ortum esse testatur, qui Pontificium Arelatense vulgauit. Petrus illi pater ex illustribus maioribus, qui Arbencio municipio apud Bugesios prope Cœnobium S. Claudij imperitabat: Mater verò soror Francisci de Conzi quæ præter Ludouicum peperit etiam Hugolinum Arbencij Dominum, qui vxorem duxit ex gente Baronum de Granson & S. Crucis. Illustris genere illustris sanctimonia etiam miraculis celebri, vt constat ex diplomate quod Sadoleti calamo scripsit Clemens VII. anno 1527. Illustris dignitate, sacra purpura illustrissimus euasit, quam à Martino V. simul ac titulum S. Cæciliæ suscepit an. 1426. Ipsum verò eximium fuisse apud Ludouicum III. Siciliæ Regem & Comitem Prouinciæ summa authoritate & gratia, testantur literæ quas consequutus est in vtilitatem Arelatensis Ecclesiæ, & quibus Rex ratas habuit Imperatorum Regumque Arelatensium concessiones in eiusdem Ecclesiæ decus & ornamentum factas. Alteram gentem Alamannorum apud Salutienses subalpinos (Plinius illos inter Alpium populos Latini iuris collocat, Ptolomæus verò inter Insubres, nunc Salutij sunt) inesse fama est in oppido S. Michaëlis ad vallem macram, vbi vicus & turris quæ ab Alamannis nomen habet, amplissimam familiam eas partes insedisse constat, Othonibus latè in Italia dominantibus. Ac licet diuersis aliis in Prouinciis nempe in Gallia Allobrogum, quos hodie Delphinates appellant, & inter Cauares propter Auenionem, diuersæ Alamannorum supersint familiæ, non alia tamen, si coniectura ducimur, quam Salutiensium dynastarum Cassianitis Monachis Othonem nostrum dedit.

Plin. lib. 3. cap. 20. Pto. lib. 3.

6. *Honoratus* Bosonis Comitis Prouinciæ nepos, Patre Pontio, primo

huius nominis Vicecomite Massiliensi, fratri Vuillelmo natu minori, (quem etiam mox supra in ipso mortis confinio, Abbatis Garnerij suasu, detonsum tunicaque monastica indutum fuisse demonstrauimus) num.3. spem imperij ac Vicecomitatus sibi hæreditatis iure contingentem, cum salutaribus monitis consignans, Dei famulatu sub Abbate Garino se obstrinxit in Monasterio S. Victoris, in quo ita virtutibus profecit, vt primum Abbas in locum Garini demortui, tum etiam deinde Cleri vniuersi populique suffragiis Episcopus Massiliensis factus sit.

7. Nulla sanè feracior nostra horum exemplorum fuit alia Prouincia. Ex quo illa penè eadem sunt de magnitudine, varietate, multitudineque nobilium Nouitiorum, qui tempore S. Isarni, vt annales loquuntur, instituto S. Cassiani Massiliæ se traderent, quæ S. Bernardus de Cisterciensi Monasterio in Epistola quadam scribit. *Legeram*, inquit, *non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus. At nunc præter regulam mira Dei potentia talium conuertitur multitudo, vilescit gloria præsens, iuuentutis flos conculcatur, non reputatur generositas, sapientia mundi stultitia iudicatur, non acquiescitur carni & sanguini, parentum & charorum renuntiatur affectibus, fauores & honores & dignitates reputantur vt stercora vt Christus lucrifiat.* Atque his pene similia de sua ætate Hieronymus. Nostris, inquit temporibus Roma possidet quod mundus ante nesciuit. *Tunc rari sapientes, potentes, nobiles Christiani. Nunc multi Monachi sapientes, potentes, nobiles.*

Epist.103.

8. Virtute inter cæteros præluxit *Ildephonsus Marchio* belli dux præstantissimus qui cum magnum nomen militari gloria sibi peperisset, omnibus tamen his religiosæ vitæ posthabitis Monasterio S. Victoris se inclusit, quod ipsemet prius Isarni Abbatis Magistri sui consilio, hortatu, authoritate, suis sumptibus maximam partem restaurarat, multisque reditibus stabilierat. Vixit hic anno fermè 1051. quo inscriptum habetur Instrumentum in Tabulario regio Aquensi de confirmatione quam fecit Dominus Ildephonsus Marchio Prouinciæ de Prioratu De Trigantia, Diœcesis Foroiuliensis.

9. De *Pontio* ex nobili prosapia Dominorum de Marignana ad stagnum Marticense, iam dictum est ex colloquiis frequentibus cum S. Isarno habitis, ita immutatum fuisse, vt Archiepiscopatu Arelatensi abdicato, quem pluribus annis iuste & pie administrarat, & religiosæ vitæ postposito, sese Massiliensi S. Victoris Monasterio concluserit, vbi eodem Isarno Abbate ac Magistro spiritus, homine sibi coniunctissimo officiis, vsu, consuetudine, reliquam vitam transegit in paupertate & obedientia.

10. Idem iam fecerat *Raiambaldus*, eiusdem Pontij affinis sui, proximus in Archiepiscopatu successor, grauis imprimis & doctus adolescens, patre Raiambaldo Comite & Patritio Arelatensi, & præstantissima omnium fœminarum matre Ermengarda. Raynaudum, Guillelmum, & Lanfredum fratres habuit, Auum Lambertum, qui potentissimi Iudicis nomen tulerat quod nos docet Thesaurus Montis Maioris. Actis publicis subscripsit hac formula. *Præsidente Raiambaldo Patriarcha Beato, tertio regnante*

regnante Henrico, qui regni licet Burgundici & Arelatensis iura titulosque sibi vendicaret, sub ipso tamen, vel à Regum qui eum præcesserant tempotibus, illud in multos variosque principatus dissectum erat, qui suis propriis Comitibus parebant & regebantur. Cæterum Raiambaldus noster priuatus & pauper in Cœnobio, tantos progressus in omni virtute ac præsertim humilitate effecit, vt ad Trophimi sedem potestatemque Arelatis euectus sit. Sedit annos 8. cum ingenti totius Prouinciæ approbatione, diemque clausit extremum anno 1062. De hoc Antonius Ruffy lib.9. histo.Massilien. cap.2. num.75.

11. Huic proximè successit *Aycardus* patre Gaufredo Vicecomite Massiliensi, & Rixende matre Nobilissimo genere clara & authoritate graui, qui Massiliæ Monasticam vitam in S. Victoris Cœnobio sub Isarno Abbate vixerat ex S. Cassiani disciplina; tum Pontificatum Arelatensem à Raiambaldo eiusdem Aycardi propinqui sui gratia abdicatum iniit, anno 1063. & viginti septem gessit. Cuius quidem præclara facta quamdiu hoc munus sustinuit recenset Antonius Ruffy lib. 9. histo. Massilien. cap. 4. num.13. & nos superiori capite proximo num.21.

12. Nec multo post id est anno 1078. Bernardo Cardinali Abbate idem Gaufredus Vicecomes artibus belli & pacis inclytus, pietate autem in Ordinem Sancti Cassiani adeo memorabilis, vt eius Monasterium donis datisque muneribus ditauerit amplissimis, & omnium penè rerum quas natura desiderabat suppeditarit abundantiam & copiam. Hic igitur vt arctioribus vinculis & propinquitatis & magni amoris cum religione coniungeretur, de filiis quos in numero habebat, præter memoratum Aycardum, duos alios eius fratres lectissimos adolescentes *Fulconem & Petrum* in Magistri nouitiorum disciplinam tradidit, qui deinceps sua sponte habitum Monasticum suscepere, reliquumque vitæ in ea S. Cassiani palæstra cum summa sanctitate transegerunt. Horum minor natu Petrus ad Episcopalem Aquensis gregis curam translatus, id onus paulo amplius quam annis 20. sustinuit, vir non solum pietate ac religione abundans, quæ à nobili ac religioso monacho expectari poterant, sed etiam insigni pectoris robore. De his plura in Indice Abbatum num.83. & cap.27. num.23.

De *Gibelini* ortu ac genere quamuis muta sit historia, tamen Vicecomitum agnatione ista teneri nouimus, tum propter omnes necessitudines, quæ ipsi cum Petro fuerunt vnà in Cœnobio S. Victoris eruditi religiosæ vitæ contubernales, post in Episcopatu hic Arelatensi, Petrus Aquensi dignitatis affines, in omni denique vita familiares: tum propter nobilissimam Legationem qua ab Apostolica sede Vrbano II. & Paschale II. Romanis Pontificibus sibi commissâ in Oriente tanto cum plausu & gratulatione ciuium functus est, vt ad suos Arelatenses redeundi spe adempta, in Ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarcham assumptus frustra eum honorem deprecaretur, egeritque sanctissime ac religiosissime in hoc Pontificio munere reliquum vitæ cum id anno salutis 1107. suscepisset.

15. Quid autem dicemus de *Roncelino?* qui fortassis ille idem est qui corruptè in Indicibus Suritæ legitur Trogelinus de Massilia. Hic homo quondam illustris honore ac nomine Vicecomitis Massil.ensis, & ita potens vt bona Massiliæ parte potiretur, fratrem habuit Guillelmum Grossi, Patrem Hugonem Gaufridum Dominum Tritis, Dominum Massiliæ & Vicecomitem, Matrem Cæciliam inter ætates suæ principes fœminas sanctissimam & religiosissimam. Cum sub Abbate Guillelmo de Aligno vitam Monasticam complexus anno circiter 1209. in S. Victoris cœnobium se recepisset, ibidemque annos vix aliquot strenue domi ac foris se gessisset nescio quo fato sensim languidior in virtutum studiis factus, cœpit inquietior agere, ac respectare mortalia seu vitam affectare vagæ liberiorisque disciplinæ. Vocatus sæpè à superioribus & præfectis spiritus curandus, in tironum eremis ac cellis secretioribus se conclusit, ibi cum stimulante conscientia tum Satana impellente nullo remediis loco relicto, è claustris fugit Monasterij. Ruebat miser in exitium ac viti boni vadimoniis omnibus desertis, vitæque religiosæ nuntio remisso, iterum purpura & terrenorum commodorum dominatu illigati placuit, insuper etiam vxore, vt nulla eius vitæ pars summæ turpitudinis expers esset. De quibus Innocentius III certior factus in reum lata sententia communionem sacrorum interdixit censetur in Regesto 14.eiusdem Pontificis lib.2. Epist. 40.

Vticensi Episcopo, & Abbati Cistercien. Apostolicæ sedis Legatis.

Vt seruetur sententia contra Roncelinum & Massilienses lata.

CVm in Roncelinum Apostatam & periurum, & ciues Massilienses pro eo quod ei obediunt & fauent in suis abominationibus manifestè, à vobis de multorum Prælatorum consilio, sententia fuerit promulgata. Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus eamdem sententiam rationabiliter latam faciatis appellatione remota per censuram Ecclesiasticam vsque ad satisfactionem condignam firmiter obseruari. Datum Laterani 17. *Calend. Maij Pont. num.* 14.

Plures habebat eisdem facinoribus conscios, viros primarios, Raymundum Comitem Tolosanum, & Comitem Forcalqueriensem, Guillelmus, is erat qui anno 1202. ob iura Garsendæ neptis Alphonsi Prouinciæ Comitis vxoris, post variam præliorum fortunam ad eam pactionem Alphonsum adegit, vt eo siue liberis ex vxore defuncto, sibi Sistaricum cederet. Quod fœdus dum rupit à Petro Aragonum anno 1204. oppugnatur. Item Guillelmum Ademari, Lambertum De Montilio, Dominos & Dominas Castri noui & Dozaræ, Siluium De Crista, Alasiam De Roca. Præpositum Valentin. Attaldum de Russillon. fratrem ipsius, & quosdam alios qui pedagia, exactiones indebitas, & alias iniquitates in stratis publicis & fluminibus committere non verebantur, quos eodem anathe-

mate

mate percellit Innocentius ibidem Epist. 36. 37. 38. & 39. sed minus fortè pœnitentes facti aut de emendatione vix ac ne vix quidem solicitos. Nam Raymundus vbi Roma rediit, Miloni Theodosio & aliis Legatis causa sua commissa, in villa S. Ægidij ab ipsis de contumacia conuictus quod summi Pontificis minora mandata spreuisset, scilicet hæreticis à suis terris non pulsis, vt rescribit Innocentius supra lib. 13. absolutionem habere non potuit, imo excommunicationis vinculo innodatus est eodem anno 1210. quam excommunicationem in Arelatensi Prouincia publicari mandat Pontifex Epist. 36. lib. 2. Reges 14. Lætior fuit exitus Roncelini, pœnam inflictam permotione mentis magis quam natura ipsa sensit vir spirantis adhuc animi ad salutem, nec planè diffidens aut desperans rebus suis, communicato enim cum administris conscientiæ sapientissimis & eruditissimis consilio, nec diutius ferre animi morsus ex culpa & diurnam nocturnamque luctationem sustinens, cùm Romam ad Innocentium Pontificem iter facere cepisset, Pisis in grauem morbum incidit, ac satis vehementer diuque ægrotauit. Quare Massiliam inde regressus valetudinis causa, nuntios ad Pontificem misit Petrum de Montelauro Ecclesiæ Aquensis Archidiaconum & in Monasterio S. Victoris Cellarium ac rei penuariæ Præfectum, simul & Guillelmum Canonicum Massiliensem forensium procuratorum suorum nomine, qui per Epistolam quam scripserat ab Innocentio veniam peterent, vt exempto deinceps exolutoque à religiosis legibus, quibus astrictus voto tenebatur, liceret ad Laicos & sæculares ordines transcribi. Indulsit benigne Pontifex non grauate, & comiter quidem certè non communiter eius voluntati gratiæque deditus fuit. Mandauit tribus designatis causæ cognitoribus Episcopis, quæ ipsos vellet tractare cum supplice reo, ita tamen ne impunitæ omnino iniuriæ aut inultæ forent, vt & ipsi & aliis prodesset exemplum. Docet ibidem scripta de hoc argumento Epist. 95.

Ebredunensi Archiepiscopo & Vticensi Apostolicæ sedis Legato, & Regensi Episcopis.

Absoluit Roncelinum Vicecomitem Massiliæ Monasticæ disciplinæ desertorem, eique patrimonij sui curam ex Abbatis venia permittit.

CVm Roncelinus qui habitu Monachali reiecto, Massiliensis ciuitatis Dominium sibi temere vsurparat, propter Apostasiam, periurium, & incestum necnon rapinas & quædam alia dudum à nobis & postmodum à te Frater Regen. & bonæ memoriæ Magistro Milone Notario nostro tunc Apostolicæ sedis Legato excommunicatus extiterit, tum ciuitate Massiliensi quam vniuersa terra ipsius Ecclesiastico suppositæ interdicto. Sano consilio tandem ductus, nobili muliere dimissa, reiectum habitum reassumpserit humiliter & deuotè, ac te Frater Vticen. excommunicationis & interdicti sententias petierit

rit relaxari. Tu sufficienti ab ipso cautione recepta in ciuitate Massiliensi relaxasti sententiam interdicti, eidem Roncelino firmiter iniungendo, vt per se ipsum vel per fidelem nuntium, si forsam infirmitate vel alia iusta causa personaliter ad nos accedere non valeret, nostro se curaret conspectui præsentare Apostolicæ benignitatis misericordiam petiturus. Qui humiliter tuis mandatis obtemperans laborem subiit ad sedem Apostolicam veniendi. Sed tam propter viarum pericula quàm propter inualitudinem corporis præpeditus procedere non potuit vltra Pisas, propter quod exinde dil. fil. P. De Monte Lauro Aquensem Archidiaconum & Cellarium Monasterij S. Victoris, & Vuillelmum Canonicum Massiliensem procuratores suos ad nostram præsentiam destinauit. Per quos fuit nobis humiliter supplicatum vt & absolutionis beneficium dicto R. faceremus impendi, & patrimonij sui curam habere permitteremus eundem, tam tuis frat. Vticen. & Metropolitani ac Abbatis sui quam Ve. F. N. Episcopi Capituli, ac Militum, & vniuersi populi Massilien. necnon & aliorum quamplurium prælatorum nobis super hoc literis præsentatis. Qui nos ad id triplici præcipuè ratione inducere satagebant. Cum enim nullus præter ipsum in domo sua masculus sit superstes, si terræ suæ hominibus qui eumdem sincerissimè diligunt non præesset, Ecclesiis, piis locis, & aliis grauia possent dispendia prouenire. Cum etiam multas violentias commiserit, & rapinas, & magna subierit hactenus onera debitorum, si prohiberetur eidem prouisio terræ suæ vix quisquam inueniretur qui satisfaceret de prædictis, & multi multipliciter non absque graui scandalo suis iustitiis fraudarentur. Quoniam igitur sacrosancta Romana Ecclesia nulli humiliter redeunti gremium suum claudit. Nos illius exemplo qui non vult mortem peccatoris sed potius vt conuertatur & viuat, Cùm maius gaudium sit Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustos qui se credunt pœnitentia non egere. De iam dicti Roncelini pœnitentia exultantes qui diu fuerat in vanitatibus sæculi euagatus, venerabili Fratri nostro . . . . . Pisano Archiepiscopo dedimus in mandatis, vt ipsi iuxta formam Ecclesiæ beneficium absolutionis impendat, & iniungat eidem vt mandatis vestris humiliter pareat, quæ super prædictis ipsis duxeritis facienda. Porro super patrimonij sui cura ita duximus ex benignitate Apostolica prouidendum, vt idem Roncelinus cum comparticipibus suis prius diuidat totam terram infra ciuitatem & extra, & de portione quæ ipsum de iure contingeret, cum Abbatis sui conniuentia & assensu eidem Cœnobio aliqua congrua portio designetur. De residuo verò cum vestro & eiusdem Abbatis consilio pro prædictorum omnium satisfactione disponat, prout melius videbitur expedire. Portionis verò Monasterio designandæ prouisio propter necessitatem vrgentem & euidentem vtilitatem eidem Roncelino à suo committatur Abbate, ita quod ipse ob gratiam sibi factam, noua conuersationis studio se reddere studeat omnibus gratiosum tam in habitu quam in aliis nihil prorsus attentans contra Monasticam honestatem. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus iuxta formam præscriptam in ipso negotio, sublato appellationis obstaculo, procedatis. Contradictores censura Ecclesiastica compescendo. Datum Lateran. 2. Nonas August. Pontif. n. anno 14.

De

De his quæ inde sequuta sint copiose diximus & abundanter in Indice Abbatum num. 106. & 107.

14. *Guillelmus de Sabrano* qui pluribus etiam annis in eo S. Cassiani instituto vixit anno circiter 1290. non solum virtutibus sed honorum etiam titulis effulsit. Primum dignitatem sustinuit cum esset Abbas & Generalis Minister Ordinis S. Cassiani, vnde ad altiorem gradum conscendit nobilitate siquidem generis & sanctimonia conspicuus, Carolo II. Siciliæ Rege ac Comite Prouinciæ apud Bonifacium VIII. intercedente, Diniensis Episcopus inauguratus est. Natalis illi locus Municipium *Dansouis* apud Salyos. Fratrem habuit Hermengardum de Sabrano ex per illustri gente, quæ Baronis Dansouis in Prouincia & Comitis D'Arian in regno Neapolitano Satrapiis geminis imperitabat. Vxorem duxit Laudanam D'Albes siue Daubes nobilissimam æque ac religiosissimam fœminam, quam vulgo pro eius eximia oris atque animi suauitudine *Benam Comitissam* appellabant. Egisse vero Hermengardum apud Carolum II. Regem Siciliæ summa cum authoritate & gratia testantur frequentes rei bellicæ curationes & administrationes, quibus sedulam interposuit operam. Equestri symbolo ac dignitate clarus inter aulicos primarios, ac iuri dicendo in forensibus Siciliæ tribunalibus summa cum potestate præpositus. Eius filium ac nepotem suum charissimum Elzearium de Sabrano Guillelmus Abbas, natura excellentissimum ac præstantissimum iuuenem, regendum & educandum suscepit in Monasterio cui præerat S. Victoris, iisque curauit instrui artibus & disciplinis quibus ad sanctitatem non virtutibus modo sed miraculis etiam illustrem perueneri. Ab autore Chronologiæ historicæ Præsulum S. Regiensis Ecclesiæ celebratur Rostagnus Episcopus huius nominis II. & cognominis Sabranij non minus clarus, quippe qui ex eius Rostagni Actis & Manuscripta serie, *Nobilis & potens Dominus Rostagnus de Sabran* passim nuncupatur, quibus titulis, inquit, non alium ex nostris Præsulibus memini me legere fuisse prænotatum. Quem merito his nobilitatis & potentiæ titulis insignitum nullus in dubium audeat reuocare. Cum Sabraniorum prosapiam ex Augustorum stirpe oriundam ex antiquis eius familiæ monumentis possit comprobari si sæculares honores & dignitates spectes, Comitum ac Ducum fascibus antecessores longa serie illustres; si sacras requiras, Vuillelmum de Sabran ab Innocentio Papa II. anno 1140. ex Vesaliensi Abbatia ad Lingonensem sedem translatum, ex eademque familia Guillelmum & Galterum Abbates S. Germani Parisiensis Ecclesiasticis functos honoribus ex Goluto sub anno 1440. reperimus. In tabulario Montis Maioris inscriptum quibusdam instrumentis habetur nomen Guillelmi de Sabrano Comitis Forcalqueriensis, vbi cum variis ac diuersis temporibus plures eiusdem gentis Guillelmos cognomines fuisse necesse est. Anno 1212. Fridericus huius nominis II. Imperator Ænobarbi filius, Neapolitanus & Siciliæ Rex ac Sueuiæ Dux in Guillelmum de Sabrano Comitem Forcalqueriensem animaduertit; Otho etiam Imperator, & quisque per duas vices. Anno 1150. vixit alius Guillelmus Comes For-

calquerienſis Prioris Guillelmi de Sabrano filius, coniux illius erat Asſindes Cunrado IV. Friderici filio & Imperatore, qui cum ſe deſtitutum videret præſidio Germanorum principum, contulit ſe in hæreditarium regnum Neapolitanum, ibique defunctus vita eſt anno 1253. Eius filius Cumradinus qui Siciliæ regnum Cumradi Patris iure ad ſe trahebat, à Carolo Comite Andegauenſi & S. Ludouici Francorum Regis fratre in inſidias arte pellectus, ac demum, victus poſtea Neapoli ſecuri percuſſus eſt. Anno 1255. Guillelmus ille Comes Forcalquerienſis fecit homagium fidelitatis coram R.P. Raymundo Abbate Montis Maioris & Ioanne Bauciano Archiepiſcopo Arelatenſi. Anno 1240. Guillelmus Dei gratia Comes Forcalquerienſis pro ſe & filiis ſuis Gerardo & Gaucherio, homagium præſtat, præſentibus Ioanne Archiepiſcopo Arelatenſi, Bertrando Priori, Bertrando De Villa Sacriſta, Guirano Infirmario, Raymundo Berengario Prouinciæ Comite, Domina Maria Forcalquerienſi Comitiſſa. Anno 1284. die 2. Non. Octob. Dominus Guillelmus De Sabrano Comes Forcalquerienſis cuius filius vocabatur Guillelmus De Pertuſio. Hic De Pertuſio tractat cum Bertrando de Baucio coram Reuerendiſſimo Raymundo Epiſcopo Aptenſi. Vxor Domini De Baucio dicebatur Alazacia. Anno 1309. Guillelmus Forcalquerienſis, Domina Alazacia Mater illius habuit filium nomine ſuo ſcilicet Guillelmum, Hic ſimul & Bertrandus Comes Auelinus quod poſſidebant Pertuſij vendiderunt, ſcilicet Bertrandus Carolo II. filio Domini Roberti Siciliæ Regis Vulgo *ſine terra* dicto. Ille vero ſuam partem dedit Domino Bertrando De Gotto Vicecomiti Alemanici, De Guillelmo Comite Forcalquerienſi qui Pertuſij oppidum per vim occupatum Abbati & Monaſterio Montis Maioris reſtituit, diximus ſupra in Calixto II. cap. 27.

15. In hoc numero *Guillelmus Griſacus* ſiue *Grimoardi* etiam fuit. Is Grimoaldi viri, & Fœliciæ De Monferrand nobilis fœminæ & religioſiſſimæ, quæ à multis ſancta appellata eſt, filius, vtroque parente Gabalus in oppido paternæ ditionis Griſatio natus. Nobilis eſt familia & priſca ex qua Iacobus de Griſaco Roboreus Comes ſiue *Du Roure*, & eius poſteri in generis ſui gloria & in omni actione atque adminiſtratione Reipublicæ nunc etiam florent. In Chiriacenſi Monaſterio Diœceſis Mimatenſis S. Caſſiani ordinem ingreſſus Guillelmus noſter, vir magnus ingenio & doctrina, ſpecimen dedit tum aliarum virtutum tum præſertim inſignis pietatis ac demiſſionis animi, quibus atque aliis vitæ integerrimæ teſtimoniis tam charus omnibus fuit, vt primum ad Monaſterij Maſſilienſis S. Victoris clauum regendum aduocatus Abbas, cùm deinceps Innocentio VI. ſummo Pontifice vita functo de ſucceſſore legendo inter Cardinales ageretur, facilè omnium ſuffragia tulerit. Vrbanus dictus Papa V. ſedit annos 8. menſes 2. dies 24. cum ingenti totius orbis approbatione.

16. *Petrus De Nogareto* inter Occitanos familia, cognatione, nomine vetus ac perilluſtris iſtud idem quod dixi inſtitutum S. Caſſiani complexus eſt, in eoque ſanctè vixit, ac demum creatus Abbas S. Victoris anno

anno 1164. multum in proximis & verbo & exemplo profecit. Ex hac quasi radice sui generis ac splendoris initium gignere atque etiamnum propagari aiunt, qui Annalium Galliæ monumentis celebrantur, Guillelmus de Nogareto De S. Felix, Gauterij de Nogareto filius, Rei iuridicæ ac diplomaticæ tota Gallia cum potestate præfectus, quem Regni Cancellarium appellant, anno 1315. Ludouico Hutino Philippi Pulchri Regis Francorum filio, qui iussu eiusdem Philippi Romam venit vt Regis appellationem contra Bonifacium VIII. quasi sede vacante ad Concilium publicaret. Verum ei longè alia mens fuit, vt testatur Platina, siquidem Sarra Columna vnus è Romanis proceribus seruili habitu Italiam ingressus, collectis vndique amicis, Nogaretium cum ducentis equitibus Gallis mercede conductis è militia Caroli Valesij, Ferentinum præmittit, qui inde ei si opus esset auxilium ferret. Ipse vero Anagniam clam noctu ingressus adiuuantibus Gibelinis, quos Bonifacius diu multumque vexauerat, Pontificem nihil tale metuentem in domo paterna capit refractis valuis, captumque Romam perducit, vbi quinto & trigesimo die post, dolore animi confectus periit, Pontificatus sui anno 8. mense 9. die 17. sepeliturque in Basilica Petri sepulchro à se antea extructo, quod quidem adhuc extat in sacello à se condito opere vermiculato. Benedictus porro XI. Pontificiam maiestatem exemplo sanciendam ratus Philippum Regem, Sarram Columnam, Guillelmum Nogaretium, cæterosque nefarij sceleris participes ignominia notatos sacrorum fecit expertes, sed veniam deinceps Philippus orans non modo Rex ipse sed eo deprecatore etiam alij in piorum cœtum recepti sunt. Alter inter Nogaretios clarus & inclytus fuit Ioannes Ludouicus De Nogareto Dominus de la Valette ac Pernonij Ducatus Toparcha. Is cum apud Henricum III. Regem Christianissimum in multa esset gratia, Talassiarches Gallicano Mediterraneo Præfectus in Annæi Ducis De Ioyosa vita functi locum subrogatus est. Bernardum De Nogareto fratrem suum maiorem natu abdicando se hoc suo munere, annuente Rege in successionem quidem vocarat, Verùm Bernardo demortuo ad intermissam eiusdem Talassiarchiæ administrationem se Ioannes Ludouicus recepit. De Ludouico Ioannis huius Ludouici filio, quemadmodum ab Vrbano VIII. in Cardinalium cœtum atque ordinem cooptatus, ac deinceps Ludouici XIII. suffragio Generalis Abbas Monasterij S. Victoris Massiliensis renunciatus sit, diximus quod satis, in Indice Abbatum num. 140.

Petrus cognomine *de Montelauro* ad Ecclesiæ Massilienses summum apicem peruenit quod & nobilitate & doctrina & sapientia præstaret. Primum enim cum in Aquensi Cathedrali dignitate Archidiaconi fungeretur ea erat apud vulgi ac Cleri primarios celebritate famæ & existimatione virtutis vt absentibus etiam notus esset. Scribens Innocentius III. ad Episcopum Vricensem Apostolicæ sedis Legatum dignum censuit Petrum nostrum de Montelauro, quem ipsi collegam & consiliarium adhiberet in suscipienda inquisitione & correctione Monasterij S. Victoris Massiliensis lib. 2. Reges 14. Episto. 80. Cum igitur Aquis Sextiis inter

Clericos nobilissimos strenuus & domi & foris haberetur omnia hæc vitæ Monasticæ post habuit, qua suscepta in Monasterio S. Victoris Massiliensi Cellarij Officium munusque sustinuit aliquandiu ac Roncelini Vicecomitis Massiliensis tunc etiam Monachi animum tantis studiis conciliauit sibi & ad vsus suos adiuuxit vt lubricam & mobilem eius ætatem mirum quantum moderatione paulo minus temperarit. Autor ipsi ac socius fuit adeundi Romam ad Innocentium Pontificem sed cum ex morbo Pisis remoratus Roncelinus periclitaretur, cœpto itineri Petrus insistens cum se pro Roncelino supplicem Innocentio profiteretur, pœnitenti vt dicebatur ac iam morituro pleniorem noxarum veniam & Indulgentiam Pontificiam impetrauit. Nec multo post Massiliam reuersus Petro Raymundo Episcopo demortuo suffectus est seditque annos omnino decem si pro certis putentur tabularum Ecclesiasticarum calculi.

17. Similis huic *Ogerij De Anglura* pietas, viri honore ac nomine perillustris qui religiosæ vitæ institutum in eodem Monasterio sequutus in Abbatem primùm generalibus Comitiis allectus, sedi postea Massiliensi præfuit, Ludouico XII. Francorum Rege anno salutis 1490. Huius familiæ nomen *De Anglura* sanguinis propinquitate attingit, & ad memoriam laudum domesticarum & illustrandam nobilitatem suam iure sibi vendicat Vicecomes d'Estanges, cuius filiam Annam de Sauigni dictam D'Anglure duxit vxorem Carolus De Liuron Marchionatus Borbonij Toparcha ac Regi in Campaniæ Prouincia Legatus. Alium præterea commemorant Annales Francorum Dominum militem *d'Anglaire* mendosè puto pro Danglura Caroli Magni ex filia vel ex sorore nepotem & Comitem Pariensem, quem manu sua occidit Aigolandus in valle Ronceuallensi, regnante Carolo Magno Imperatore anno 778. ibidem Rutlandus Danglure eiusdem filius & Aulæ Regiæ Præfectus, vt appellat Guaguinus, Carolum Imperatorem & sequutus est & coluit maximè, cum expeditione in Hispaniam facta Cæsaraugustam aggressus acceptis obsidibus Pampilonam inde discessit, cuius disiectis mœnibus dum per Pyrenæos in Galliam regrederetur, Vascones extremum per angustias agmen adorti, cæde aliqua Principum facta impedimentisque directis Francorum se ab armis inuiis saltibus latebrisque tutati sunt. Desideratus tunc est inter alios Principes Rutlandus noster Britannicæ Armoricæ oræ Præfectus.

18. *Astorgius De Canillac* præter multa fortè illi cum superioribus communia, perantiquæ nobilitatis suæ insignia & monumenta, singulare illud habet quod Ecclesiæ summos Pontifices duos, Cardinales, Episcopos, Abbates plurimos Ecclesiæ pepererit & educarit eius familia. Anno 1342. Benedicto Papa XI. vita functo Cardinales altero die post ingressum conclauis elegerunt in Papam Fratrem Petrum Rogerij creatum olim ab eodem antecessore suo Benedicto XI. presbyterum Cardinalem SS. Nerei & Achillei tt. Fasciolæ, qui Clemens VI. appellari voluit. Pater eius Guillelmus Monstrius dictus, oppido Malmonte, Lemo-

uicensis

nicensis agri in Galliæ Prouincia Tolosana nobili genere ortus, Rosei vici Dominus & Comes Bellifortis, quo titulo posteri deinceps, Marchionum licet de Canillac compellatione designati, semper tamen *Bellifortes* tanquam gentilitio syngrapho & familiæ tessera subscribi voluerunt. Petrus verò cum nondum excessisset pubertatis annos in Monasterio Casæ-Dei in Aruernia Monachus fieri voluit, vbi qui præerat cognito eius perspicaci ingenio illum ad Societatem Monasticam S.Benedicti admissum Lutetiam mittit ad capessenda studia Philosophiæ ac Theologiæ, in quibus ita profecit, vt non sine causa Petrarcha literatissimum Pontificem illum appellarit. Theologum quidem cum se in curia Romana excellentem præbuisset, subitò illum varij honores circumsistunt auctusque est amplissimis sacerdotiis. A Ioanne Papa XXII. donatus est Prioratu Basilij apud Nemausum vrbem, idque initium prosperitatis habuit, cúmque cæterorum Cardinalium gratiam iniisset in Abbatem Fiscanensem in Normannia assumptus mox regij scrinij id est sigilli munere donatus Senonensem & Rothomagensem Archiepiscopatum obtinuit, postremo Pontifex Auenione creatus est sequentibus verò ieiuniis Pontif. sui anno 1. Cardinales creauit.

Fratrem Hugonem Rogerij Monstrium de Malmonte, Lemouicensis Diœcesis, Papæ fratrem Monachum Monasterij Tutellensis, ex Episcopo . . . . . Presbyterum Card. tt. S. Laurentij in Damaso. Obiit Auenione 11. Calend. Nouem. 1363.

Hamerium de Suardia Lemonicensem Papæ propinquum Presb. Card. SS. Siluestri & Martini in montibus tt. Equitij. Legatus in Longobardiam & Romandiolam primùm, deinde in regnum Neapolitannm à Clemente VI. missus est ann. 1348. post mortem Regis Roberti Regni Gubernator, vt illud in Ioannæ reginæ fide contineret, & ab eo fidei Sacramentum exigeret, gubernauit regnum biennio, quo procurante Regina in Pontificis verba iurauit, & Magistratibus remotis ipse solus regia potestate regnum administrauit, Pontifex enim se eiusdem reginæ tutorem constituit. Cæterum paulo pòst rogatu ipsius Reginæ & regni procerum Pontifex Legatum reuocauit. Moritur an. 1340.

M. F. Gerardum Domarum Lemouicensem ex Prouincia Tolosana Papæ sororis filium, Theologum, Ordinis prædicatorum 17 Magistrum, de Conuentu Bricensi Presb. Card. tit. S. Sabinæ. Hic ordinem Prædicatorum ingressus in diuinis literis addiscendis ita profecit, vt eas breui per Prouinciæ suæ Monasteria publicè doceret, Prioratus aliquot egregie administrauit. In locum Hugonis Gallici Carcassonæ in Capitulo generali ann. 1342. omnium suffragiis 17. Ordinis Magister designatus est. Cuius electione Clemens VI. gauisus illico eum Theologicæ facultatis gradu Lutetiæ ornari fecit & Auenionem ad se vocauit, qui apud Auunculum cuncta quæ optabat impetrauit, & quæ Benedictus XI. contra Ordinem statuerat rescindi fecit. Cardinalis creatus omnium virtutum exemplar apparuit, erat enim vir innocens, gratus, humilis, pius, & pudicus in pauperes perlargus, in corpore imbecillis vixit in eo ho-

nore biennio duntaxat, mortuus est Tolosæ in legatione Gallica anno 1345. ibidem ad Prædicatores sepultus.

Guillelmum Iudicis Lemouicensem Papæ sororis filium Diaconum Card. S. Mariæ in Cosmedin Legatus ab Innocentio VI. in regnum Castellæ missus est. Moritur Auenione 6. Calendas Maij anno salutis 1374.

Anno sequenti 1343. duos alios creauit. Raymundum de Canilhaco Antisiodorensem Decretorum doctorem, Monachum & Abbatem Conchensem, Diœcesis Ruthenensis, Episcopum Atrebatensem Presb. Card. & S. Crucis in Hierusalem, postea Episcopus Cardin. Prænestinus ab Innocentio VI. creatur, scripsit librum recollectorum ad Septimianum Narbonensem Archiepiscopum. Excessit è vita Auenione 12. Calend. Iulij ann. 1373. ibidem ad Minores Sepultus.

Nicolaum De Ressa Lemouicensem Papæ sororis filium, Diaconum Card. S. Mariæ in via lata. Diem extremum clausit Romæ Nonis Nouemb. anno salutis 1369. ibidem sepultus.

Anno 1348. Pontific. VII. 4. Calend. Iunij creauit Cardinalem vnum. Is fuit Petrus Rogerij Monasterius de Malmonte Lemouicensem Comitem Bellifortis Papæ fratris filium Diaconum Monstrius de Malmonte Lemouicensem Comitem Bellifortis Papæ sororis filium, Diaconum Card. S. Mariæ nouæ qui postea Pontificatum adeptus est, & Gregorius XI. appellatus.

Cæsar Nostradamus in historia Prouinciæ meminit cuiusdam Cardinalis de Canillac anno 1317. Auenione Ioanne Papa XXII.

19. *Bernardus à Turre* vltimus Abbas S. Papuli & primus Episcopus, cuius meminimus in superiori proximo capite num. 37. Sanè magni nominis fuere huius familiæ viri. Tres Cardinales stirpis huius censentur in Regestis Pontificum. Primus Bertrandus à Turri de Cambolico Caturcensis Diœcesis, Vasco, Ordinis Minorum, Theologus, ex Ministro Aquitaniæ & Generali Ordinis creatus à Ioanne XXII. Salernitanus in regno Neapolitano Archipræsul, in Capitulo Massiliæ agens anno 1319. tum Presb. Card. & SS. Siluestri & Martini in montibus, postea Episcopus Cardin. Tusculanus Excessit Auenione circiter annum 1324. Sepultus ad Minores. Alter Bernardus de Turre cuius pater fuit Bernardus III. Turris in Aruernia Dominus, Claromontanæ Diœcesis. Mater Beatrix de Rhodès Henrici II. Domini Ruthenarum filia. Canonicus fuit Ecclesiæ Lugdunensis qui fratrem habuit natu maiorem Bertrandum II. huius nominis Baronem Turrianum, coniunctum matrimonio cum Isabella de Leuis filia Ioannis de Leuis Domini Mirapicensis. Diaconus Cardinalis S. Eustachij à Clemente VI. renuntiatus est. Pontif. anno 1. Christi 1342. Tunc erat Pontificis subdiaconus, inquit Bernardus Guidonis Appendicis autor. Peste sublatus est Auenione 6. Idus August. ann. salutis 1361. Postremus Ioannes à Turri de Aruernia Lemouicensis, Abbas S. Benedicti Floriacensis ad Ligerim, Cardinalis nominatur à Gregorio XI. Presbyter tit. S. Laurentij in Lucina. Obiit Auenione 10. Calen. Maij an. 1374.

Tres

Tres item continuata temporis serie censentur Episcopi Claromontani. Robertus, Roberti Comitis Aruerni filius, Odonis Burgundiæ Ducis cognatus, qui bello sacro in Albigenses hæreticos ann. 1219. nomen dedit, cuique Innocentius III. Pontifex scripsit cap. 10. de sepulturis, tandem Archiepiscopus Lugdunensis vbi in capella quadam Ecclesiæ Maioris D. Ioannis insignia eius spectantur. Hugo à Turri Antistes Claromontanus ann. 1227. Comitatus D. Ludouicum Regem in Africam properantem. Denique Guido à Turri Dominicanorum Ordinem professus, & eidem Regi percharus obiit anno 1285. Tres alij eiusdem domus Antistites Henricus Metensis ann. 1319. Bernardus Lingonensis & Abbas Tarnesianus anno 1374. Bertrandus Tullensis postea electus Podiensis vita defungitur anno 1381. apud Franciscanos sepultus.

20. *Allemandus de Roccalaura* præfuit Abbas Monasterio S. Victoris Massiliensis ex cuius prosapia vt aiunt perantiquæ nobilitatis suæ riuum aliquem accersit & ducit Antonius de Roquelaure Gallicorum Castrorum Præfectus. Eius filiam Rosam de Roquelaure habet in matrimonio Franciscus de Noailles Comes D'Ayen, Regiæ vicis præses in Aruerna regione.

Iam verò Dynastæ inferiorisque nobilitatis proceres qui Ordinem Cassianitarum amplexi sunt, ne numerari quidem aut nominari omnes possunt, ex quo genere fuit *Stephanus De Claperiis* Francisci De Claperiis summæ Curiæ Aquensis consiliarij, cuius eruditionis monumenta typis edita summam in Iurisprudentia & historia laudem suam habent, generatim verò atque vniuersè familiarum de Vauuenargues, De Colongues, De Sambuc cognatione illustris.

21. *Stephanus Alberti* Vrbano V. sublectus Abbas patria Lemouicensis, maioribus suis & consanguineis annumerat Stephanum Alberti Lemouicensem, ex Galliæ Prouincia Aquitanica, mediocri quidem genere ortum sed optimæ honestissimæque vitæ & non mediocris eruditionis fama conspicuum. Hic primùm fuit causarum in Romana curia procurator, deinde cum esset iuris vtriusque consultissimus iudex delectus, postea clericus factus Episcopatum Nouiodunensem & paulo pòst Claromontensem obtinuit. A Clemente VI. Presb. Cardin. SS. Ioannis & Pauli H. Pammachij & maior Pœnitentiarius demum Episcopus Ostiensis & Veliternus creatus, ex eo gradu ad summum sacerdotium ascendit & appellari in posterum Innocentius huius nominis VI. voluit anno 1352. Præterea in Cardinalibus duo eiusdem familiæ censentur, nemo tertius quod sciam. Primus Andoinus Alberti Lemouicensis, Vasco, fratris Papæ filius ex Episcopo Magalonensi Presby. Cardin. SS. Ioannis & Pauli tit. Pammachij postea Episcopus Ostiensis creatus ab auunculo Innocentio VI. anno salutis 1353. Pontif. anno 1. Consecrauit Vrbanum V. Romanum Pontificem defuncto Innocentio creatum. Obiit Auenione 6. Idus Maij anno Christi 1363. Posterior Stephanus Alberti Lemouicensis electus Episcopus Carcassonensis Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro postea Presbyter tit. S. Laurentij in Lucina ab Vrbano V.

no V. creatus. Moritur Viterbij 3. Calend. Octob. anno 1369. sepultus in Cathedrali.

22. *Raymundus de Aureilha* eiusdem Ordinis professus & Abbas anno 1194. habere creditur in posteris Pontium D'Alamanon virum præstantem ac nobilitarum multitudine rerum gestarum, quem ab Aureilha nobili prædio, quod Clientelari iure possidebat, vulgo Dominum de Aureilha vocatum fuisse liquido constat eiusdem testamenti tabulis die 3. Septemb. anno 1407. Scriba Oliuario Arelatensi consignatis. Huius affines à Nostradamo laudantur in Annalibus Prouinciæ, Bertrandus d'Alamanon Dominus de Rognas, Richardus, d'Alamanon Gallico Mediterraneo à Rege Præfectus De Aureilha. Et in veteri quodam emptionis M. S. edito 2. Mart. anno 1534. nominatur Petrus de Aureilha, scriba Nicolao Alberto ciue Arelatensi.

23. *Maynerius* Raymundi vestigia sequutus in Cœnobiarcham S. Victoris eligitur anno 1197. *Guillelmus de Aligno* siue d'Alens, *Guillelmus de Grese Dominus De Vlmo* nominis sui non cum vitæ tempore dimiserunt, sed in posteritate cui nobilissimæ familiæ Aquenses cognomines, præsertim Mayneriorum in supremo senatu Aquensi etiam hodie seruiunt, ad æternitatis memoriam propagantur.

Nec defuerunt huic ordini viri alij quamplurimi in artium studiis liberalissimis doctrinisque versati, quos tamen non omnes hoc loco commemorabimus, quod esset pene infinitum. Sed eos tantum qui præter eximiam doctrinam & eruditionem insuper etiam virtutem & dignitatem quamdam excellentem adiunxerunt. Atque ex his etiam ipsis præcipuos tantum ex omni ætate delibabimus.

24. Primùm autem offert se *Guillelmus Grisatus* siue Grimoardi de quo supra qui ab ineunte ætate liberalibus disciplinis imbutus, artium, iuris ciuilis, & Decretorum Doctoratum & sacræ Theologiæ Magisterium in Gymnasio Montis Pessulani, Tolosano, Auenionensi & Parisiensi demum accepit. Is deinde studiis absolutis cum de Abbate S. Victoris in summum Pontificem assumptus fuisset non *bibere modo placuit aquam de cisterna sua, & fluenta putei sui sed vt fontes quoque suos deriuaret foras, & in plateis aquas suas diuideret.* Collegium amplissimum Monachorum sui ordinis literas discentium Monspelij instituit, è cuius ludo tanquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt sed eorum partim in iure, partim in rerum diuinarum humanarumque scientia illustres esse voluerunt.

Prou. c. 5. 16.

25. *Petrus Flammenchi* per plures annos in hoc collegio multam operam & vtilem omnibus præbuit. Decretorum enim Doctor & Collegij Præpositus factus anno 1385. vtriusque muneris parti egregiè satisfecit iuuentutem in scholis docendo & instituendo ita valuit ingenio & industria vt inter Magistros iuris ac literarum & antiquitatis bene peritos sui sæculi esset clarissimus. Ioanni Boniuiui vita functo Massiliæ sublectus est Abbas S. Victoris anno 1405.

26. Huic penè similis aliquanto post fuit *Guillelmus Boscarim* Sacri-

sta, deinde Cellerarius anno 1517. Ipse quoque ab ineunte ætate Monachus Cassianita Decretorum Doctor sui sæculi eruditissimus habitus, de cuius etiam virtute simul & agendi cogitandique solertia mentionem faciunt in Tabulario Collegij Monspessulani, quædam Acta publica anno 1500. 1515. 1517.

Plures alij superioribus accessere Saluator Fornerius Cellerarius an. 1437. Antonius Laurentius Sacrista & Regens Prioratum Collegij anno 1459. Nicolaum Morier Regens Prioratum. Antonius Raymundi Camerarius anno 1471. Ioannes Cellone Prior Claustralis. Stephanus Sallelli locum tenens Præpositi anno 1500. Guillelmus Capellani Prior Claustralis anno 1515. Gaillardus Costaigni Prior Claustralis Bernardus Solages Præpositus anno 1517. De quibus quid laudatæ Collegij tabulæ & Annales loquantur, non conor attingere.

27. Sed vt ad propiora veniamus in Monasterio S. Victoris tanquam sydus quoddam effulsit *Guibertus de Cantabrio* Abbas vir planè magnus & hominum quoque opinione ac fama celeberrimus, cuius doctrinæ cum pietas etiam ac zelus accederet Ruthenensis Episcopus creatus maiora deinceps in Ecclesiæ vtilitatem perfecit.

28. Paucis post annis id est circiter annum 1442. *Petri* quoque *De Lacu* nomen in Prouincia viguit is qui certè inter doctissimos illius sæculi habitus cum Renatus Siciliæ Rex & Prouinciæ Comes facultatem per literas à Nicolao V. impetrasset perquirendi in oppido Trimariano territorij Arelatensis reliquias SS. Mariarum Iacobi & Salomes, Synodo ea de causa per Cardinalem & Legatum Auenionensem Petrum De Fuxo coacta inuentioni adfuit eique tanquam certæ & autenticæ subscripsit testis viuus ac præsens anno 1448.

29. His adscribi merito debet *Gancelinus Abbas* Occitanus Vuitfredo nostro ex domesticis atque intimis familiaribus, qui priuatis Monachi virtutibus illas adiunxit Apostolicas, quod assiduis concionibus publicis, quod secretis colloquiis, quod præclaris institutis ac legibus passim Christianos tum Laicos, tum Clericos & pascerè & excolere nunquam destiterit, quod S. Isarnum in ætatis flore priuatis suis publicisque sermonibus ad mundi contemptum induxerit, Deoque & Ordini Cassianitarum aggregarit, ductus enim ab eodem Abbate Massiliam ad S. Victoris, cum Vuitfredi Abbatis cæterorumque Monachorum virtutes non solo ipso aspectu & exemplo, sed opere etiam & labore atque industria exploratas haberet, ad eam illico animatus est vitam complectendam, in qua tantum esset sanctimoniæ & pietatis, quod tunc Gancelini Magistri studio exequutus, annos plures 30. in religione vixit non suo tantum sed aliorum plurimorum etiam profectu, qui dicendo imprimis valeret & multos suis institutionibus ad Dei amorem inflammaret.

30. Eisdem quoque temporibus sanctitate floruit *Guillelmus* custos Ecclesiæ siue Sacrista S. Isarni fidissimus Comes & percharus alumnus, qui eum sæpè noctu, hyeme summa, in templo ante aram maiorem rerum diuinarum contemplatione defixum, sensuumque vsu ita abalienа-

tum deprehendit, vt in tempestate perfrigida calere, in feruentissima frigere videretur.

31. *Bonassinus* familiæ splendore illustris, doctrina, rerum experientia, & prudentia eximius audiebat apud suos, cùm ei simul atque Othoni post obitum Richardi Cardinalis vacante Abbatia, propter graues in successore deligendo ortas simultates atque diffidia, commissa fuerit ad 3. annos consequentes regiminis cura, vt fœdus inter aduersantes sibi mutuo comitiorum factiones iniret, quod ob egregiam eius in omnibus rebus agendis industriam mirificæ præstitit.

32. *Raymundus de Mairosio* sub Abbate Guillelmo huius nominis II. De Petra in Cœnobio nostro vitam Monasticam professus, rigidissima abstinentia, eximia paupertate, pro funda humilitate, charitate feruenti, & profusa misericordia, aliisque admirandæ sanctitatis luminibus enituit pristinamque pietatem in multis Monasteriis Cassianitarum ac præsertim S. Sauini Tarbiensis Diœcesis, iussu atque consilio eiusdem Guillelmi Abbatis restituit. Hic sæpè abdicatis tum Abbatialibus, tum aliis Sacerdotiorum dignitatibus priuatæ vitæ studiosissimus, eoque annisus semper vt mores suos quam optime ad normam diuinæ legis institueret. Massiliæ quieuit in pace. Alium in Regestis Martini V. reperimus Raymundo nostro non cognominem modo sed haud dubiè gentilem ac stirpis & familiæ nobilitate affinem, Raymundum Mairosij Gallum Ruthenensis Diœcesis, Decretorum Doctorem, qui ex Tricastinensi ad Castrensem sedem translatus fit Cardinalis anno 1426. tit. S. Praxedis, vbi sepultus die 22. Octob. 1427.

33. *Fortauerius* qui primum eiusdem Monasterij S. Sauini Cœnobita deinde suffragiis Monachorum creatus Abbas, Raymundo meritis non impar, multum prudentia sua ac pietatis studio instauratas illas ac renouatas religiosæ domus reliquias promouit, ibique magna animi puritate vitæ reliquum traduxit, diuinisque visitationibus honoratus ad conspectum redemptoris desideratissimum perrexit.

34. *Percinalis De Clauoto* primarius Monasterij S. Victoris largitionum Præfectus, vir fide & sapientia clarissimus & ab ipsis infantiæ rudimentis mira Dei gratia præditus, qui muneris prouinciam sibi commissam magna cum ædificatione gubernauit, iuuans pauperes eleemosynis, religiosos patrocinio, omnes exemplo. Erat Abbati suo Guillelmo De Lacu pernecessarius & coniunctissimus, à quo in celebrandis Comitiis Generalibus Vicarius renuntiatus Monasticam disciplinam plurimis decretis edictisque instaurauit, egregiaque multa operatus est, quorum affluentem mercedem tandem à cœlesti munerario percepit.

35. *Petrus De Montelauro* homo summa prudentia & rerum experientia clarus Abbatis & Monachorum suffragiis primùm designatus domi rei penuariæ ac Cellarij Officio Præfectus, quod egregiè præstitit, tamen cùm virtutis eius vera gloria semper radices ageret atque etiam latius propagaretur, à Guidone Archiepiscopo Aquensi in Clerum suum cooptatus anno 1210. vt si qui fortè dissolutæ consuetudinis ac licentiæ

in Clericis ab eo iustitiæ tanquam à sapiente peteretur exemplum, breui Archidiaconus renuntiatus summum inter Canonicos adeptus est gradum dignitatis & gratiæ. Ex nobili ac nota prosapia ortus, qui velut ex auita hæreditate sub Vicecomitibus Massiliensibus continuo stipendia fecit. Roncelinum Vicecomitem imprimis summa semper obseruantia coluit ac dilexit, à quo Romam missus vnà cum Guillelmo Canonico Massiliensi, eius causam implicatam multis operosisque negotiis ita fœliciter tractauit atque egit cum Innocentio III. Pontifice, vt tantamque sui copiosè sapienterque dicentis admirationem mouit, vt deprecatus vacationem adolescentiæ, veniaque petita conciliauerit Roncelino Pontificis animum & ad vsus suos adiunxerit. De hoc supra inter Episcopos Cassianitas.

36. Ex eadem schola prodiit *Hilarius De Martinis* nobili inter Salyos ortus sanguine, suo tempore circiter annum 1500. illustris admodum fuit, & est adhuc nostro, ob doctrinæ & artis potissimum Poëticæ vbertatem, quæ se per tot libros ad posteritatis vtilitatem effudit.

Præter hos aliorum etiam præclara opera in manibus sunt, & inter cætera sub signo habentur seruanturque diligentissimè à Carthophylace Monasterij S. Victoris Volumina MM. SS. non pauca siue Commentarij, in ius Pontificium, & Magistrum sententiarum, scriptorum nomine siue casu compresso, siue vsu per diuturnitatem temporum contracta cariè vitiato.

Post virorum exempla reliquæ sunt Principes fœminæ quæ nobilitatis splendorem cum virtutis & sanctimoniæ excellentia coniungentes, luxere in variis religiosis S. Cassiani familiis & nunc etiam lucent ad distinguendum & illustrandum vniuersæ Christianæ Ecclesiæ firmamentum.

Commemorabilis esse imprimis videtur *Respecta* Abbatissa olim Monasterij S. Cassiani Massiliensis, quæ occasione vsa quam diu optarat expediendi se à sæculi deliciis ac dignitatibus, Massiliam se recepit, ibique in Monasterio nomine S. Cassiani à Dinamio & Aureliano Patriciis Massiliensibus constructo vel amplificato vitam religiosam aggressa, plures annos transegit tam excellenti probitate, vt constanti fama atque omnium sermone commotus Gregorius Magnus non ipsam modo suauissimis literis, sed Conuentum quoque in multitudine litium & varietate causarum amplissimis decretis ac priuilegiis honestarit.

Alia inter eiusdem Monasterij Abbatissas floruit insigni deuotione & animi puritate Virgo, nomine *Garcinda*, quæ à teneris vnguiculis Christi amore incensa, florem illibatum suæ integritatis illi diuino afflatu irradiata deuouit, tandemque in Antistitæ demortuæ locum suffecta, diuinis actionibus splendores gratiæ quam à cœlesti sponso acceperat mirabiles exercuit. De ea apud Annales præclara est mentio in Archiuiis Virginum S. Saluatoris Massiliæ. *Notum sit igitur fidelibus vniuersis, quod ego Pontius Episcopus Vrbis Massiliæ sanctimonialium fœminarum Parochiam dono infra Massiliam in Vicecomitali parte, videlicet vt ad Ecclesiam S. Ma-*

ria Abbatiæ omnis cura ipsam habitantes vsque ad veteres vrbis muros Parochialiter pertineant, in omni Ecclesiastica ordinatione, nostro donatu. Hac autem donatio seu restitutio, quam sic antiquitus constitisse vera fama testabatur, facta à me Præsule Pontio Massiliæ Abbatissa Garcinda, quam ibi electam inthronisaui ac consecraui, omnibusque ibi Deo seruientibus, præsentia Canonicorum meorum Ioannis Stephani, aliorumque omnium, præsentibus quoque fratribus meis Gaufredo & Petro & aliis pluribus. Die scilicet Abbatissæ consecrationis prædicta, anno ab Incarnatione Domini 1072. *Indict.ix. Epacta* 9. 7. *Idus Ianuarij, Luna* 23. *regnante Christo qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per infinita sæcula. Amen.*

38. *Maria De Espinosiis* parentibus nobilitate atque affluentia conspicuis, orba viro Dionysio de Lumere equite per illustri ac generossimo, calcatis florenti adhuc ætate carnalibus nuptiis, post admirandæ vitæ exercitia insigniaque eximiæ sanctitatis, vix anno ætatis 30. peracto, inter cursus varios & peregrinationes longè lateque per Ægyptum & Palæstinam obitas, tandem Massiliam se contulit, vbi sub regula S. Cassiani Deo se consecrauit. Cellula enim siue Ecclesia rurali quæ ditionis erat Monasterij S.Victoris & *S.Mariæ Virginis* siue *Speluncæ Minoris De Balma* dicebatur sub annuo censu oboli aurei, stipulante Abbate Guillelmo De Lacu per Vicarium suum Generalem Perciualem De Clauoro accepta, solitudinem in priuato illo recessu ac vitæ Monasticæ studio tanto ardore excoluit, vt breui ad magnam virtutis perfectionem gradum fecerit.

Varbergem Massiliensem ex Godefrido patre & Sfortia matre nobilissimis ortam parentibus tradunt occasione vsam noui cœtus Virginum Cassianitarum, ex Parthenone S.Saluatoris in Cœnobiticum Beneficium seu Prioratum dictum *Domine Des Acoules*, propagati anno 1033. migrasse inter virgines Deo sacratas, vitæque religiosæ & conuersationis ex Regula S. Cassiani fœlicem æmulatricem, ita breui factam esse, vt perfectionis Euangelicæ quam ex iis hauserat ideam mirificè referret, insignis omni virtute ac præcipuè humilitate. De ea loquuntur Annales in Archiuiis Virginum S. Saluatoris Massiliæ. *Notum in omnibus, quod anno Dominicæ Incarnationis* 1033. *Ego Ioffredus & Scotia vxor mea quamdam filiam nostram nomine Vvarburgis immortali cupientes iungere sponso, ex parte hæreditatis suæ quæ ex nobis sibi prouenit, eam Sanctimonialem in templo Domini offerimus in Monasterio Monacharum quod vocatur Alas Acoas, quod ædificatum est in honorem Dei genitricis Mariæ; est autem ipsa hæreditas in valle quæ vocatur Spaisaco, & in valle quæ nuncupatur Als Allards, id est vna medietas de ipso Alode qui fuit de Lamberto iure, sicut terminatum & diuisum est in vineis, campis cultis & non cultis, Garricis, & Aquis pascuis, & arboribus nihil nobis reseruantes sed prædicto Monasterio, & filiam nostram damus Deo omnipotenti; hoc fuit factum in præsentia istorum, scilicet Hugonis Guillelmi, Ianfredi Hugonis, Vbinardi Dodoni, Aldoaldi Farraldi, Amnonis Vvaldaldi Clerici, & Stephani Cancellarij Ecclesiæ Massiliensis Canonici, quam Cartam scripsit mandato.*

Hermelina

Hermelina Bauciorum Dynastarum in Prouincia clarissimis Natalibus suaque virtute nobilis, germana Hugonis atque Raimondi Procomitum Massiliensium, eius perficiendi voti, quod ab ineunte ætate concupierat, facultatem nacta in Parthenonem S. Saluatoris se abdidit, vbi religiosam vitam aggressa ac tandem in Antistitam electa, charitatis, humilitatis, zeli diuini, solicitudinisque maternæ eximios protulit fulgores. Extant nobilia excelsæ huius mentis monimenta, quibus vt prædictam Ecclesiam Dominæ des Acoules ditioni suæ subiectam, in eam quæ nunc visitur magnificentissimæ amplissimæque structuræ formam restituit, hic ordinem suum perenni gloria illustrauit. Obiit Massiliæ statuta die, quæ in hac sepulchrali Epigraphe templi à se constructi columnæ incisa, consignatur.

Anno milleno centeno bis duodeno.
Ter tribus abstractis illinc & pleniter actis,
Istius Ecclesiæ factæ sub honore Mariæ
Eximiæ, clare ciues opus hoc renouare
Nostri cæperunt, nec alius munera quærunt
Isti famosi non ad bona quæque morosi,
Hermelina pia quam diligit alma Maria
Abbatissa bona fuit illo tempore dona,
Mente gerens, morum dux nobilis illa sororum
Vt lux cunctarum fuit & speculum Monacharum,
Ecclesiam quarum tenet hæc ditio dominarum,
Hic eximiam dulcem venerando Mariam
Alma, decora, pia, genitrix & Virgo Maria
Te precor absque mora natum tu dulciter ora,
Hoc opus vt crescat, tua lux in eoque nitescat,
Omnes audite qui vultis gaudia vitæ
Pro cunctis operis conantibus huius in actis
Oretis veris æterni pascua factis
Ac prece Sanctorum vigeant regione bonorum.

Idem fecit *Tillisiola* quæ rebus humanis valere iussis in eodem Parthenone Deo se consecrauit, ac tirocinio religionis expleto tantum fuisse ferunt pietatis eius ardorem vt in administrationem Parthenonis assumpta gregis sibi crediti clientelam vigili solertia inierit, charitate singulari peregerit, magno suo bono, maxima omnium admiratione. Eius venerandæ exuuiæ in Monasterij Ecclesiam S. Victoris relatæ, & in eodem Hypogæi sacello quo S. Eusebia Abbatissa aliæque eiusdem Ordinis Virgines & Martyres, cum hoc elogio abstrusæ iacent atque reconditæ.

✠ ✠ ✠

In hoc tumulo sita est Tilliosa
Abbatissa, quæ nominis sui decus
Vita factisque seruabit

Christi ei, ia°. Mariam mente
Sec. tua fidem Virgo
Virginibus sacris LX Præfuit
Annis Vs XII. A III. IX. X.
Diebus VII. Idus Aprilis Indict. VIII.

39. Quid autem mirabilius quam *Cæsaria* quæ Cæsari fratris sui germani de quo supradictum est cap. 18. num. 16. & prius consiliis impulsa & postea etiam facto sequuta virginitatem in Massiliensi Cassianitarum Monialium Parthenone Deo deuouit, & in ea quidem familia quæ rigorem pristini illius instituti exactè retineret. Quare huius quoque vt sanctæ natalis dies ab Ecclesia commemoratur vixit autem anno ferme 543.

Paulo pòst in Arelatensi Cœnobio quod ipsi Cæsarius frater Archiepiscopus Arelatensis suis sumptibus fundauerat, cum religiosæ vitæ riuulos, quos ex Cassianitarum fontibus Massiliæ hauserat inter aliquot Christi ancillas deduceret tantam sui expectationem & sanctimoniæ famam concitauit vt concursus virginum pietatis discendæ causa ex vniuersa penè Gallia ad eius Parthenonem fierent. Sed imprimis nascentis familiæ ortum ac nomen illustrarunt quatuor Reginæ, quæ ex parentibus Galliæ Dynastis & Regibus natæ, tantorum Principum tantique sanguinis soboles, mundanas nuptias & terrena omnia contemnentes virginitatem Deo in hoc B. Cæsariæ Monasterio deuouerunt. Nomina prætermittimus quia ex tabulis Cæsarianis, in quibus res ipsa describitur, exciderunt casu aliquo & elapsa sunt. Quamquam in hac laude minimum fuit sanguinis nobilitas, multo enim illustrior est vitæ sanctitas & rigor in corpore castigando, tum perpetuis ieiuniis, tum flagellis, denique etiam summa quædam humilitas & vitæ perfectio quam primæ quatuor Monasterij Antistitæ, Cæsaria Cæsarij Archiepiscopi soror, tum alia quæ iunior dicitur Cæsaria, deinde Liliola, quarta Resticula, tanto ardore profitebantur vt etiam miraculis claruerint, atque adeo etiam num decernantur eis honores cultusque Sanctorum.

40. *Radegundem* quia ducem habuit & Magistram spiritus S. Cæsariam in Parthenone Arelatensi quam, vt diximus alias, constat ab Abbate S. Victoris Massiliensi detonsam tunicaque Monastica ornatam tirocinium posuisse Massiliæ, inter sacratas Deo virgines Cassianitas, non temere nec sine causa reponimus in hoc loco. Cùm Theodoricus qui in Metensibus regiam habebat, accito fratre Clothario in Thoringos bellum cepisset, Victo Hermonefrido Rege cui Amalaberga neptis Theodorici Regis Ostrogothorum nupserat, Thoringiam suis rebus adiecit. Clotharius in prædæ partem captiuos inter, Radegundem accepit Bertharij Hermenefridi fratris ab eoque cæsi filiam, quam & matrimonio sibi iunxit inuitam. Quare post aliquot annos facultate ab eo magnis precibus impetrata, vt rebus humanis valere iussis quod ab ineunte ætate concupierat in aliquo Monasterio se abderet, Pictauos se contulit vbi se Deo consecrauit, eo ardore quo breui ad magnam virtutis perfectionem gradum fecerit. Porro Congregationi suæ regulam indixit S. Cæsariæ Arelatensis

Arelatensis Abbatissæ, quæ magna sanctitatis opinione & celebritate famæ non ipsi modo Radegundi sed quam plurimis etiam aliis virginum sacris familiis per totam Galliam nota atque insignis erat.

41. Ludouicus Pius Irmingarde vxore Nonis Octobr. anno 818. demortua *Iuditham* Vuelphi Comitis filiam duxit in matrimonium. Peperit autem inuidiam omnibus præsertim aulicis, quod cum Bernardum Comitem Hispanum defensionis suæ causa Imperator vocasset in aulam, constituissetque Præfectum cubiculi, exinde sparsus rumor auctaque suspicio, creditumque à pluribus eumdem Bernardum admisceri Iudithæ Imperatrici. Id quidem cùm filiorum quoque animos haud leuiter sanciasset, commouisset verò amplius odium in nouercam, auxisset verò magis ingens amor, quo prosequi visus est Imperator natos ex ea Carolum & Rodulphum, his fomitibus admotis ingens accensa flamma mox erumpere in incendium visa est, adeò vt Pipinus Ludouici ipsius filius contra patrem parauerit exercitum quod fusè tractat Baronius anno 830. huius enim, inquit, timore percitus Imperator mox præcipuam iurgiorum causam dimouere conatus Bernardum à se dimisit, Iudith verò imperatricem Laudum in Monasterio S. Mariæ morari præcepit. Sed nec ista satis fuere aduersariis, qui eductam è Monasterio Imperatricem ipsam promissere coëgerunt, persuasuram se Imperatori vt deposito imperio retruderet se sua sponte in Monasterium, id ipsumque se esse facturam, comisque præcisis Monasticam vitam se professuram. Hac facta promissione, ad ipsum Ludouicum Imperatorem cum custodia missa est, cumque secretò eum allocuta esset, Monasticum ipsa sibi velum imposuit, Imperator verò ad deliberandum de hoc tempus accepit. Illa verò sic velata in Monasterium S. Radegundis à Pipino detruditur. Cum interea rediens ex Italia Lotharius Rex, quæ essent facta probaret, non tamen in patrem quid vlterius peragi passus est, remque geri non armis sed iure voluit.

42. Mitto alias nonnullas stirpe Regia ortas virgines in hoc eodem S. Radegundis Cœnobio vitam Monasticam professas, quas etsi ordo Cassianitarum non genuerit in Christo, eas tamen Cæsariæ Magnæ matris documento simul atque exemplo innata quædam virtus & pietas erga S. Cassianum, Massiliensi eius Monasterio, primigenio velut trunco religionis traduces & surculos inseruit. De clarissima virgine Leubouera post obitum S. Radegundis lecta Cœnobij præside, à Gregorio Turonico dictum satis, quemadmodum hic & quanta in turba, quantaque in perturbatione rerum, omnium puellarum factiosarum molitionibus vixerit, quæ in superbiam primum & arrogantiam odio concitato non tantum ab ea discesserunt, sed immissis etiam in Cœnobium satellitibus ac direptis omnibus Leubouerem inde per vim abstraxerunt. Sed tandem Childeberti iussu in Pictauis, Episcoporum collecto Concilio à communione reiectæ sunt; & Leubouera pristinum in locum restituta. Id anno Childeberti 14. Christi 589. cœptum, sequente terminatum est.

Greg. lib. 9. hist. c. 26. 39.

43. Massiliæ historia nota atque apud omnes peruulgata Eusebiæ

Parthenonij

Parthenonij quondam Cœnobij *B. Virginis de Veaune* Abbatissæ cum qua aliæ 39. Moniales à piratis barbaris interemptæ, mortem pro Christi fide oppetitam ad vnam omnes perpetua constantia roborarunt, semperque in proposito susceptoque tuendæ virginitatis consilio permanserunt. Cæteras id genus Moniales sanctissimas, quæ tum in hoc Eusebiæ Monasterio, tum in S. Cassiani cum supra memorata Respecta, tum in aliis quæ adhuc extant, nempe Artacellensi, S. Zachariæ, S. Saluatoris Massiliensi, & aliis passim vbi Christiani orbis sub disciplina Cassianitarum se Deo consecrarunt, magnum omnino & longum opus esset connumerare. Sed neque prædicare aut certò nominare quis posset, cùm de iis historicorum incuria vel potius temporum iniuria vox nulla missa sit, & omnino sileatur in Annalibus.

CAPVT XXIX. & vltimum.

Sancti Ecclesiæ oraculo renuntiati, publicisque tabulis designati, qui ex disciplina eiusdem ordinis prodiere.

1. POstremum illud in religiosis ordinibus commendandis diuina egit sapientia, vt non modo nobilitate ac doctrina sed multo magis sanctitate virorum præstantium multitudo in eos se receperit, quorum vel sola authoritas satis esse possit ad hæc priuata vitæ Monasticæ studia omni laude cumulanda. Inter hos igitur sanctitate magnos & excellentes viros, primus in hunc ordinem adducitur.

S. Ioannes Cassianus qui autor & conditor huius conuersationis in nostra Prouincia fuit. Duos habebat Dominus IESVS disseminandi per orbem Christianum instituti religiosi quasi principes & authores in Ægypto senem Antonium, in Palæstina Hilarionem iuniorem, his tertium quasi adiunctum habere placuit in Gallia, Ioannem Cassianum. Itaque eius exemplo vt scribit Hieronymus de Hilarione, ceperunt ibi esse innumerabilia Monasteria, & omnes ad eum certatim concurrere, vt cœlestis vitæ præcepta haurirent, quod ille cernens laudabat Domini gratiam & ad profectum animæ singulos cohortabatur. Deinde multo maximè vergente ætate, cum hic domicilium Massiliæ multos iam annos haberet, ac virorum Principum largitionibus ad suburbanam D. Magdalenæ specum duo circumquaque Monasteria ædificasset, vnum fœminis, alterum viris, in hoc sibi sedem fixit, eiusque etiam amplitudinem & gloriam laude atque honoribus amplificauit. De eo plura Fasti Massilienses, & Martyrolo. Gallicanum ad 21. Iul.

2. Æqualis penè Cassiano *S. Germanus*, ipse quoque ab ineunte ætate Monachus, quem amore ac vitæ societate in Monasterio Bethleemitico sibi coniunctissimum fuisse testatur passim ac libere Cassianus. Is enim cùm religiosi tirocinij curriculo absoluto, peragrare proximas Orientis solitudines atque ita peregrinari tota Ægypto destinasset, vt seniorum ibi

degentium sanctissimorum seuerissimis optimisque se oblineret moribus, S. Germanum etiam cum quo familiarissimè viuebat, quasi manu iniecta secum abduxit. Itaque per annos plures in celeberrimis Monasteriis religiosæ disciplinæ ac vitæ perfectæ legibus & institutis operam tantam dederunt, quantam postea in euulgatis illorum scitis & collationibus orbis terrarum sensit, donec accitu Ioannis Chrysostomi vterque Constantinopolim euocatus, & in Clerum adscriptus, Germanus quidem Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Cassianus Archidiaconus factus est. Quæ verò deinceps egerint, quæ pertulerint, quæ etiam scripserint, superfluum est recensere cum sint omnia notissima. Illud ergo hic tantummodo addendum puto, adeo vitæ Monasticæ amorem ambos retinuisse, vt Cassianus Massiliæ Presbyter factus, semper eius Officia cum Clericali honore non ipse obierit modo sed in obeundis ducem quoque & antesignanuum se aliis præbuerit; Germanus etiam deposito eo omni munere, ad priuata Monachi studia se receperit, in quibus vsque ad extremum spiritum se exercuit. Idem argumentum tractatum habes lib. 1. cap. 23.

3. Vixit *S. Castor* Magistri sui Cassiani æuo, cuius primam ætatem dediram eius disciplinis fuisse iisque artibus quibus instructus est ad capessendam Monasticæ vitæ perfectionem, constat ex dictis lib. 1. cap. 84. Huius acta celebrantur in fastis Ecclesiæ Aptensis, in cuius sedem assumptus multos annos Episcopi munere & graui opere gloriosè perfunctus est. Totidem verbis reddo scriptam ibidem orationem. *In Galliis ciuitate Aptensi natalis S. Castoris Episcopi & Confessoris precipui qui Nemausensis ciuitatis indigena nobilibus satus parentibus, & rerum præsentium copiam affluens, Arelata imbuendus à parentibus liberalibus literarum studiis summopere traditus est. Vbi etiam ita ad plenum hausit omnium nobilium studia, vt & mundialibus abundaret diuitiis, & postea cœlestis disciplinæ amator effectus, & contemptibilibus cœlestia præponeret, quatenus expeditius familiariusque Domino adhæreret. Denique paucorum annorum spatio vacans mundanis actibus & triumphis, in quodam sui ruris agello, S. Faustini summo studio Ecclesiam construxit, vbi deputatis Monachis sub regularibus disciplinis se libere Domino seruiturum arctius constituit implicandum. Ibique Epistolam hortatoriam fingens Clarissimo Abbati Cassiano Massiliensis Cœnoby Patri direxit, in qua ipsius sibi deposcens ad futurum auxilium suis videlicet rudibus Monachis profuturum, quod & promeruit. Igitur præclarissimus dictus Abbas, qui ferme vt verè reperimus quinque millium pater extitit Monachorum, huius precibus libenter annuens scripsit ei regulam decentissimè luculentèrque compositam quam Speculum Monachorum vocauit, in qua normam & totius vitæ cœlestis censuram diligenter exprimens distinxit, eamque transmisit. Quam ille non parui pendens se suosque his subegit disciplinis. Inde præsule ciuitatis Aptensis communi sorte distracto, clerus sanctus & ruralis plebs vnanimes, sibi Castorem præfici poscunt Pontificem. Quem adeuntes inuitum coactumvè à claustris erutum sibi pastorem statuunt. Vbi deinceps qualis quantusvè extiterit, vita eius, quæ exterioribus extat plena*

virtutibus, manifestat. Cæterum quæ eius intima fuerint cordis & animæ simplicitatis commoda, non nostram reor posse sentire scientiam. Cum itaque in eiusdem Monasterij regimine successorem sibi niteretur constituere, contradicentibus imo lacrymosis precibus obsecrantibus Monachis & eiusdem loci Pontifice iubente quodammodo compulsus est retinere. Diem suum Obiit 11. Calend. Octobris anno circiter 440. Valentiniano V. & Anatolio Coss. Pontificatus Leonis Magni anno 1.

4. *S. Eusebium* Abbatem Castori Episcopo adiicimus quoniam is quantuscumque fuit, eiusdem Castoris institutis ac legibus factus est qui Sanctorum amicus & sedulus imitator abdicatis vitiorum illecebris fortitérque sæculi fastu calcato, postquam Cœnobij Aptensis ab Episcopo Castore fundari sacras ædes visitasset, & primos religionis fauos ab aluear io Cassianitarum Monachorum ibidem Deo famulantium suauissimè degustasset, vltimam ibi stationem figere placuit, vbi ob multa gratiarum priuilegia quibus micabat, in Abbatem assumptus omnium in se pellexit amorem, sobrietate, continentia, malorum fuga, virtutum cultu, deuotionis spiritu, sanctæ religionis propagatione, tandemque absoluto fœliciter vitæ mortalis decursu in summa animi pace & tranquillitate defunctus, splendore beatitudinis tam signis quam honoribus refulsit. De hoc Clerus Aptensis in Sanctorum suorum solemnitatibus ferias indicit 19. Calendas Septembris.

5. Massiliæ Cœnobio S. Victoris Venerario *S. Mauri* Abbatis eiusdem Cœnobij Massiliensis, de quo Martyrologium Gallicanum pridie Idus Iunij. *Massiliæ*, inquit, *S. Mauri Abbatis virtutibus praeclari.* Vitam & elogia sancti viri describunt Chronicon generale Ordinis S. Benedicti Centuria 6. Martyrologium Menardi, eiusdemque liber 2. Obseruationum. Non est hic Maurus notus ac nobilis ille Romanus, qui à patre Euthychio sub S. Benedicti disciplina oblatus, quo de Latini omnes Chronologi in tabulis Ecclesiasticis 18. Calend. Februar. Hinc ad discrimen illius hic noster Abbas Massiliensis nominatur, & in serie temporum vixisse fertur Massiliæ anno salutis 610. obiisse verò circiter 640. Ille S. Benedicto oblatus cepit erudiri eius disciplinis in Italia anno 522. mansitque apud eum annos 15. Deinde missus in Gallias petente Berthigranno Episcopo Cenomanensi, cum aliquot Monachis sibi sociis adiunctis Aurelias venit, vbi intellecta Berthigranni quæ interuenerat migratione, substitit aliquandiu, donec à Floro vno ex Galliæ proceribus inuitatus in Andegauensium fines concessit, illicque studiosè exceptus quatuor primum Ecclesias extruxit, deinde celebrè illud Monasterium ædificauit, quod Theodebertus, Theobaldus, & Clotarius Francorum Reges multis donatis prædiis amplificauerunt. Cui Cœnobio Maurus ipse annos 40. religiosè præfuit, sacræque Monastices disciplinam mirificè prouexit. Omni igitur virtute & miraculorum magnitudine clarus, quæ multa vsque ab Adolescentia edidit, septuagenario maior ad beatæ immortalitatis gaudia conscendit.

6. *S. Mauronus* Adriano Papa I. Ecclesiam administrante, Irene Imperatrice

Imperatrice vnà cum filio Constantino VII. Augustis in Oriente, primo verò Occidentis Imperatore Carolo Magno, flore iuuentutis, forma & oris dignitate præstantissimus, in Monasticæ palæstræ rudimentum & & tirocinium conscriptus Massiliam ad Cœnobium S. Victoris deductus est, rara vir scientia, eloquentia, pietate, ea porro morum suauitate vt mirabiles sui excitaret amores, & omnibus non domesticis modo sed etiam externis summis, mediis, infimis iuxta esset charus. Imperatori maximè Carolo Magno gratissimus atque & iucundissimus, apud quem quidquid authoritate valebat, & gratia (valebat autem plurimum) non sibi suisque commodis valuit, sed Monachorum quibus cum versabatur honori, amicis vtilitati, Reipublicæ vniuersæ Christianæ emolumento. Qua de re tota cum vnum factum ex omni antiquitate protulerim in Indice Abbatum num.43. plura non dicam. Cæterum ita breui eius sanctitas eluxit, vt ob morum claritatem & singularia gratiæ insignia, conspiratione Monachorum, atque consensu à sanctissimo Præsule Massiliensi Berengario ordinatus sit Abbas, in cuius postea demortui sedem euectus præclaro exitu reliquam vitam & religiosas omnes virtutes verissimi & sanctissimi Episcopi diuinis laudibus ac dignitate cumulauit. Huius quoque nomen in Indicem Sanctorum transcribit Martyrologium Gallicanum in supplemento, 12. Calend. Nouemb. anno 804. *Massiliæ S. Mauronti Episcopi, cuius corpus plerisque beatæ animæ irradiationibus illustratum in templo Cathedrali eiusdem vrbis plurima cum veneratione seruatur.* Multi sunt alij hoc nomine insignes Episcopi & Abbates, de quibus Fasti Ecclesiastici & Martyrologium Gallicanum. Celeberrimus est is de quo Philippus Abbas in vita S. Amandi cap.24. vbi de B. Adalbaldo & S. Rictrude eorumque filio Mauronto. *Simili B. Rictrudis cum filia S. Eusebia exemplo gloriosi Pontificis monitis animata, munita consiliis, adiuta precibus, euecta suffragiis, Martianis Monasterio quod S. Pater ante fundauerat sub eius discipulo Ionatho Abbate, vouit & exoluit Domino salutaris continentiæ cælibatum. Filius eius Maurontus S. Patre diuina celebrante mysteria, cum sacris astaret reuerenter altaribus, vidit idem S. Pontifex auis volatu caput girante circumdari. Concipit hic altius aliquid perspicax animus viri Dei, & quia ministra dulcioris est & castitatis mater apicula, fideli coniectat auspicio perpetuæ suauitatis in eo gratiam castimoniæ merito propagari. De hinc adolescentem secretius euocans, quid viderit indicat, quid visio portendat edisserit, & ad formam propositi sanctioris inuitat. Ille licet amicis suadentibus & matris conniuente consilio, & hæreditatis orbatæ prouocante defectu propensius ad coniugij copulam traheretur, ruptis necessitatum vinculis salutaribus monitis animum pariter & caput inclinat, & præstito solenniter continentiæ voto, iuxta morem Ecclesiasticum B. Pontificis ministerio tonsuratur, & diuinis efficaciter totus mancipatur obsequiis. Factusque in Hamatico Cœnobio Monachus, deinde & Abbas Breyli prope Leodium, quod ex propriis facultatibus ædificauerat, sanctis moribus ac disciplinis insistens post vitæ religiosissimæ decursum Martianis pio fine quieuit. Cuius sacra Carnis sarcina hinc Duacum peruecta, in Collegiata Ecclesia*

S. Amati cuius exulis præcipuus solator fuerat, & quem suo in Monasterio extrema obeuntem sepelierat, honorificè reposita est; vbi nunc vsque asseruatur. Vixit sub annum 700. Christi in Belgio. De eius ætate constat ex ætate S. Amandi qui obiit anno 660. sub Vitaliano, regnante in Gallia Theodorico, vt habetur in calce vitæ S. Amandi.

7. *S. Honoratus* ex Abbate S. Victoris Episcopus huius nominis III. Massiliensis, Vicecomitibus parentibus natus Massiliæ, patre Pontio Bosonis Prouinciæ Comitis fratre, vir maximæ humilitatis & conuersationis sanctissimæ, qui ouium pastor idoneus quandiu vixit Episcopale munus moribus, doctrinis, atque eloquentia imprimis magnificè adornauit. His temporibus rexit Abbatiam quibus Normanni sub exitum superioris sæculi 900. Prouinciam vniuersam & in ea Massiliensem vrbem clade immani, prostratis mœnibus, euersis propugnaculis, domibus incensis, interemptis ferè ad internecionem ciuibus deuastarant. Qua è strage Monachi S. Victoris qui pro Christo fortissimorum militum animo extrema quæque discrimina oppetierant, cum non solum honoribus populi verùm etiam patientia paupertatis ornati, se inique etiam à suis iactari, ac bonis quæ reliqua super erant spoliari grauiter quererétur. S. Honoratus ad Bosonem auunculum suum Prouinciæ Comitem Arelatis tum agentem se recepit, qui Princeps æquis Episcopi postulatis indulgens, prædia quæ super Yuelinum fluuium in territorio Massiliensi alieni iuris detinebat, Ecclesiæ Maiori & Abbatiæ S. Victoris, quæ cuiusque fuissent, restituit. Nec multò post à Guillelmo Comite Prouinciæ ac Bosonis successore, dum Aquis sextiis *Vassos Domineos tam Romanos quam Salicos* sicut loquuntur annales, ad vniuersorum ordinum cœtus de more conuocasset, haud difficile fuit impetrare, vt qui tot inter viros nobiles ac potentes, expilationis bonorum Abbatialium aut peculatus conuicti essent, Monasterio suo cumulatissimè satisfacerent. Patet ex instrumentis recitatis in Indice Abbatum num. 74. & 75. Quibus plura quoque alia pro sua eximia liberalitate maximisque beneficiis in suos Guillelmus ipse adiecit, agros enim spatiosissimos propter Massiliam, cum Monte Rotundo, quem *de Gardia* vocant continentes & Ecclesiam S. Victoris de Marignana, duas quoque alias S. Euphemiæ & S. Damiani, insuper tertiam partem dominij de Leixaroles cum Valle Isola, ac cætera non pauca quæ longum esset & non necessarium connumerare, in gratiam S. Honorati dono dedit Monasterio S. Victoris. De hoc argumento scripsi aliàs in citato Indice Abbatum num. 62. & 63. Hic igitur sanctissimus Præsul tot fluctibus subductus in tranquillo ceu portu respirans, animum penitus cœlo subiexit, ieiuniis, orationibus, vigiliis, sancta prædicatione, lectione & omni exercitio pietatis alumnis Clericis vtique suis prælucens, donec tædioso huius vitæ incolatu emenso, in æternæ pacis somnum concessit nomenque immortale reliquit ex meritis conspicuæ sanctitatis. Ex Calendario Ecclesiæ Massiliensis *Sanctum* inscribit Honoratum hunc nostrum Antonius Ruffy lib. 9. hist. Massilien. c. 1. n. 31. Obiit an. 987. Ioan. Papæ XV. an. 3. Othonis III. Rom. vel Germaniæ Regis an. 4.

8. Cele-

8. Celebratur ab historicis apud eumdem Ruffy lib. 3. cap. 2. Beata memoria *Vuillelmi I.* Fratris dicti S. Honorati, & *Guillelmi II.* nepotis, Vicecomitum Massiliensium, quorum prior vere magnus & maxime pius multas ædes sacras & imprimis Cœnobium S. Victoris copiosis reditibus amplificauit, & moriens Ecclesias æque ac pauperes patrimonij sui maximam partem fecit hæredes. Sui æui religiosos quoque viros & Episcopos maximè sanctos coluit. A quibus de peccatis reprehensus meliorem ad frugem reuersus est, eaque demum, per viduitatem in matrimonio solutus vixit castimonia & religione, vt ante mortem principatu se exuens, Garnerij Abbatis consensu à Vuitfredo tunc Monasterij Præposito detonsus tunicaque Monastica ornatus in sacram ac religiosam S. Cassiani familiam Massiliæ aggregatus sit, ac pietatis plenum nomen & non minimam opinionem suæ sanctitatis tam generoso & illustri exemplo posteris reliquerit. Alterum prioris filium existimat Chesnius, eodem M. S. teste, de quo nos in Indice Abbatum num. 76. Patrem è vestigio insequutum, & sanctitate insignem, miraculis celebrem, idem institutum professum, sese cum insigni pietate abdidisse in Arelatense Monasterium Montis Maioris ab se instauratum, & in quo nunc sepultus iacet, fundamentum propter superioris Ecclesiæ. Vide quæ in hanc rem fusius commemorata sunt, tum à nobis proximo cap. 28. num. 3. & 4. & Tum ab autore Pontificij Arelatensis num. 70. sub Pontio Arelatensi Archiepiscopo.

9. *S. Vuitfredus* qui & Guitfredus & Siffredus Abbas S. Isarni dignissimus antecessor, magna cum cura, & diligentia ea dumtaxat incubuit, vt Monachorum suorum amplitudinem & gloriam non tam laude atque honoribus quàm sanctimonia & Religiosis virtutibus amplificaret, quibus verbo & opere prælucens cum vias æternitatis indicasset, ad supernæ patriæ migrauit beatas, quas emeruerat, mansiones, anno Christi 1020. Benedicti Papæ IX. Nono, Henrici II. Regis Germaniæ 18. & primi eius nominis Imperantis anno 7. Eius reliquiæ in Cœnobio S. Victoris Massiliæ debito cultu seruantur. *Sancti* nomen quo ipsum appellamus ponit Martyrologium Gallicanum in supplemento pridie Idus Septembris. *Massiliæ S. Siffredi Abbatis qui B. Isarnum, cuius nomen cum elogio, hoc in Martyrologio signatum est, præcessit in religioso regimine.* Similiter Martyrologium Menardi & lib. 2. obseruationum, vbi legitur quod S. Isarnus Beato succedere meruit Siffredo ex Centuria 6. Chronicorum Generalium Ordinis S. Benedicti. Celebrat eumdem Benedictus Romani nominis Pontifex IX. in diplomate, *Supernæ diuinitatis potentia.* De iterata dedicatione reparatæ Ecclesiæ S. Victoris Massiliensis. *Post nempè multorum annorum curricula temporibus Romanæ sedis Antistitis Ioannis 19. claruit sacris virtutibus Vuitfredus Abbas loci director, qui se mundo crucifixit & mundum sibi. Hic ergo has ædes condens miris doctrinis dilatauit, velle nec non posse Vicecomitum seu egregij Præsulis Massiliensis,* &c. Quantu authoritate valeret & gratia imprimis apud Guillelmum Prouinciæ Comitem & eius vxorem Adelaidem aliosque plures primarios viros, do-

cent Annales in Magno Chartario S. Victoris quod euulgauimus in Indice Abbatum num.74. & sequentibus. Singulare illud fuit & opera præcipua Vuitfredi, quod communicatis cum eo consiliis Euolongus vir copiosus & diues, vxore Tenssenia ac liberis Raymundo, Guillelmo, & Lanfredo consentientibus, legarit Monachis Cassianitis anno 1016. Ecclesiam S. Perpetuæ Diœcesis Aquensis haud procul ab oppido Brinoniæ, cum omni iure dominij & accessionibus agrorum territorij Aquensis, quos Episcopus cognomento Inguiltanus superiori anno 1011. eidem Ecclesiæ pro beneficio tradiderat. Nec multo post cessit hoc donum fundando ibidem Parthenoni Monialium Artacellensium, vt habetur in magno Chartario S. Victoris fol.82. de quo supra cap.17. num.9.

10. *S. Isarnus* Vuitfredo proximè subrogatus est Abbas. Nescio quis Diuorum nostrorum plures hoc heroë habeat encomiastes. Plerique hunc fasti Martyrum Massilienses, Lirinenses, Cluniacenses; Chronicon Benedictinū, Menæa & Menologia, Martyrologium Gallicanum certatim laudant. Ipse Catholici orbis Pontifex Benedictus optimus maximus huius nominis Papa IX. in citato diplomate singularem huic orationem dicit. *Post enim,* inquit, *obitum* (scilicet Vuitfredi) *Isarnus sumpsit ad regendum Cœnobium, vt eius meritis floreret in seculum per quod Cœnobiale studium nostris in partibus accepit initium.* Magnificis olim cultus est sacellis atque altaribus, & Massiliæ certatunt viri principes inter se, fabricis huic Diuo moliendis. Leguntur sanctissimorum præsulum testimonia atque imprimis Odilonis Abbatis Cluniacensis in vitæ actis eiusdem S. Isarni cap.10. & 11. de quibus infra mox. *Quid tandem*, inquit, *de illo*, scilicet Isarno, *virtutum familiarissimus* (sanctissimum Odilonem Cluniacensem Abbatem dico) *breuiter dixerit ponam, Erant enim ista duo tunc orbis terræ lumina cor vnum & anima vna. Dum ergo ille virtutes huius numeraret. Octo inquiebat in Domino Isarno cum cæteris bonis suis, vix in alio aliquo simul inueniendæ reperiuntur. Horum vnumquodque singulatim quilibet alius si haberet, tantumque in eo profecisset, culmen non immerito sanctitatis apprehendisse videretur. In hoc autem octo ista beatitudines, id est castitas, humilitas, misericordia, patientia, ieiunia, vigiliæ, orationes, vanæ gloriæ contemptus, tam perfectè cumulantur vt cum singulatim vnumquodque perpenderis videatur in singulis ipse Isarnus singularis. Cilicio asperrimo ad carnem semper induebatur, vsum femoralium omnino non habebat, nisi cùm eum apud Cluniacum semel cum femoralibus & flaminio S. Odilo violenta charitate vestiuit, quæ Massiliam rediens deposuit illico. Solebat autem eum S. Odilo dum simul recumberent amica quadam contentione vocare hypocritam, eo quod speciem humanæ communisque conuersationis prætenderet; & se vltra omnes homines fame & ærumnis variis cruciaret.* Scripserunt res ab eo gestas prolixius historici, in vetere quodam Latino M.S. quod Gallicè reddidit nuper autor anonymus, ex quibus accipe breuiarium.

Isarnus propè Tolosam in vico, cui Fredentium nomen, ortus est. Parentes habuit honestos, religiosos viros educatores, apud quos tantùm breui profecit, vt illibatum virginitatis florem perpetuo retinuerit. Adolescens

lescens à Gancelino Abbate ad religionem incitatus in patria, in itinere demum ab Stephano Episcopo Agathensi sacris vestibus indutus est. Inde cum Gancelino Massiliam ad S. Victoris venit. Erat per id tempus Abbas Vuifredus vir sanctitatis eximiæ. Is perspecta Isarni modestia cæterisque animi dotibus Monasterio Priorem esse voluit, in quo genere Officij non vulgaris difficultatis ac ponderis ita se religiosis probauit, vt mortuo Vuifredo in eius locum summa omnium alacritate suffectus sit, mirantium scilicet ac stupentium pueruli cuiusdam diuinam vocem, qui in media fratrum turba rogatus, quis in Abbatem eligendus esset, Isarnum continuo nominauit. Difficile dictu est quam multa virturum omnium exempla dederit nouus Abbas. Vnum illud præterire non licet, sæpius interceptum cum vestes suas aliaque id genus pauperibus clam impartiret, reprehensumque non cessasse, sed quod ipse olim factitauerat, per Pontium fidissimum sibi comitem multo liberalius ac securius egisse. Abstinentiæ deditus fuit prope supra hominum fidem, in mensa discerptos & in frusta dissimulanter comminutos pisciculos quibus vescebatur, ossibusque suis apte contectos opertosque pauperibus statim mittebat, nemine id genus abstinentiæ aduertente. In quadragenario ieiunio nihil prorsus cibi secunda, quarta, sexta feria sumebat. Addebat abstinentiæ asperrimum cilicium, quod nunquam omnino in vita deposuit. Somni parcissimus fuit. Sub noctis initium sese è cubili proripiens ad subterraneam S. Victoris Ecclesiam adrepebat, ibique vsque ad Matutinas Monachorum preces pernoctabat adeo immotus, vt sæpe hybernis noctibus rigens ac semiuiuus inde in cellulam fratribus succollantibus deportatus sit. Sæpius obseratis Ecclesiæ illius ianuis à Christo Domino introductus est. Non ferebat eas vigilias atque orationes dæmon, cui precatio flagellum est. Induit aliquando immanis draconis speciem occupatoque ædiculæ aditu hiantibus faucibus virum sanctum excepturus videbatur. Vertit se ille intrepidus ad ferale monstrum, effictaque manu cruce fugauit ac vicit serpentem antiquum quem non timebat. Discipulos habuit multos, honoribus & sanctitate illustres, in his Pontium & Raiambaldum Archiepiscopos Arelatenses, Dodonem etiam ac Raynaldum miraculis claros. Barremmam castellum ex itinere diuertit vir Sanctus, hospitium rogat, negant incolæ, cogiturque in horreum quoddam sese cum comitibus recipere sine cibo, sine igne. Miserata paupercula quædam viri casum, cibarij panis aliquantulum donat. Nec frustra, paulò post totum castellum conflagrauit sed horreum & viduæ domuncula incendio diuinitus erepta sunt. Idem aliàs accidit Arelatæ precibus S. Cæsarij in Parthenone ab ipso fundato. Rainoaldus vir nobilis raptis quæ à pia matrona Sancto afferebantur muneribus, cum domesticis à malo dæmone fœdum in modum correptus est, ad Monasterium cum illis adductus Sancti precibus liberatus est. Redemptus prædo insignis, capta vacca cuidam rustico S. Victoris Villico, adeo etiam insaniit vt in præsentia Abbatis rusticum pede solo alliserit. Nec mora tantis in eo pene sacrilegio doloribus cruciatus est, vt illum arrepta

securi

securi amputauerit. Peruigilio Natiuitatis Christi, mari turbulentissimo, Martinum Monachum piscatum mittit, ille conscensa nauicula loco minimè piscoso tres delphinos placidè accedentes intuetur, vnum tridente aggreditur, petit, sauciat, ac trahit in nauim. Aqua lustrali fulgura & tempestates, à Demandolis ita fugauit, vt nunquam ibidem postea apparerent. Aqua qua manus lauerat, cœcis visum reddidit, febrim ac laterum dolorem curauit. Vini exiguum quid, adeo multiplicauit, vt triginta viris potandis toto conuiuio largiter sufficeret. Georgius Massiliensis Monachus ad sæculum redire cogitabat, occurrit illi Abbas, placidè & solito diutius intuetur, ac per internuntium monet vt pessimas quas tunc versabat animo cogitationes quippe lethales abiiceret. Sicut vitam charitati dederat ita & mortem dedit. Cùm enim ex Hispania piratæ Saraceni Lirinense Monasterium immisericorditer vexarent, monachosque in Hispaniam captiuos per summam indignitatem abducerent, Rogatus Isarnus à Monachis Lirinensibus & si affecto grauissimè corpore omnibusque summa vi renitentibus, non eò mittere quemquam sed ire ipse voluit. Itaque transmisso Rhodano, in Monasterio S. Michaëlis ad Alsalium consedit. Raymundus Berengarius & vxor Elisabetha Comites Barcinonenses facta apud sanctum virum confessione de captiuis omnia se prolixe facturos recipiunt. Scribunt *Maio* Saracenorum Regi, ac ni captiuos reddat excidium & bellum crudele minitantur. Paret ille mittitque Monachos ad Berengarium. Nautarum consilium erat, eos in Siciliam deportare ac vendere. Sed S. Isarni precibus factum est, vt cùm iam in conspectu Siciliæ esset, reflantibus subito ventis in Hispaniam inuiti redire cogerentur. Inde in Prouinciam appulere, captosque Monachos S. Isarno ac sitis non sine suo mœrore ac ipsorum gaudio reddiderere, ipso die resurgenti Domino sacro. Inde Isarno lectica Massiliam redeunti morbus in assiduam quatuor mensium febrim mutatur tantis insuper doloribus cumulatam, vt incredibile dictu videatur, quantum vir Sanctus cruciatus sit. Quo equidem tempore nullum nisi ex IESV cruci confixo eiusque necis ac cruciatuum instrumentis solatium capiebat. Denique in filiorum amantissimorum corona, sumpto æternæ vitæ viatico, commendatisque Christo Domino filiis tota penè carne ad ossa consumpta expirauit 8. Calendas Octobris, anno Christi nascentis 1048. eadem prorsus die qua ante annum Hispanicam suscepturus expeditionem, suos Massilienses in luctu & squalore reliquerat. Eius corpus in Septentrionali templi Victorini parte honorificè sarcophago marmoreo sepultum ac multis deinceps miraculis illustratum est.

111. Per id tempus magna illico discipulorum eius fama surrexit & de sanctitate *Dodonis* ac *Raynaldi*, propter inusitati moris & miraculi plena facinora quæ perpetrabant, feruenter loqui est cœptum: ad eos enim multi valetudinarij delati, multi cœci producti, multique claudi pristinam valetudinem sanctissimis eorum precibus & meritis à Deo recepere. Traditur hæc historia fusius apud authorem vitæ S. Isarni c. 13. in commendationem eius Monachorum descripta. *Factum est autem vt virtutum*

virtutum eius fragrantiam plurimi subodorantes eius se cuperent institui disciplinis. Primi ergo sub eo conuersi Dodo & Raynaldus & ab eo ceu par turturum aut duo pulli columbarum Domino oblati, tantam gratiæ illius exuberantis, ac primitiuæ benedictionis eius traxere pinguedinem, vt eorum admirandam sanctitatem antiquis per omnia Patribus comparandam plurimis certum sit miraculis claruisse. Et Dodo quidem iam Magistrum ad beatam vitam glorioso fine sequutus est. Venerabilis autem Raynaldus nihil sic quotidie vt dissolui & cum Christo esse desiderans, hactenus nobis virtutum Magistri fidelissimus testis seruatus est. Hos ex diuersis subsequuta veneranda posteritas ex satis modico immensum in breui gregem Domino effecerunt, inter quos multi quoque nobilium cælestis vitæ amore succensi præclara sæculo suæ conuersionis exempla tradidere. Tunc etiam Pontius Arelatensis Archiepiscopus, nec multo post & successor eius totius tunc Prouinciæ vnicum decus Raiambaldus sub eodem Patre sanctæ regulæ se submiserunt.

12. *Pontius* itaque Almarico Arelatensi Archiepiscopo sublectus, Apostolica gratia & virtute annos prope 40. illam Ecclesiam direxit. Satis tamen quam bene meritus fuerit beatus iste vir, de religione & patria, hinc apparet, cui Deus demum digne adimpleto Episcopatu piorum laborum amplam mercedem retribuit, fœliciter euocato in Monachorum Cassianitarum ordinem & consortium, cum quibus se quoque ipsum sub Isarni Sanctissimi Abbatis disciplina Deo consecrauit in Monasterio S. Victoris, & sacras infulas cum mundo deserens, reliquum vitæ ibidem cum summa sanctitate transegit.

13. Aliquanto post *B. Raiambaldus* ex Monacho S. Victoris, Pontij successor in Archiepiscopatu, cum gregi sibi commisso quidquid poterat curæ & operæ exhibuisset, memor vberum maternorum cupidusque mortis pure ac fœliciter obeundæ, abdicato Episcopatu se in claustrum vbi ætatem primam exegerat recepit, vbi humilitatis cultor præcipuus, Sacramentis demum piissimè susceptis animam beatam exhalauit relicta non modica opinione sanctitatis.

14. Illud quoque non prætermittendum quod in hac eadem historia tangitur de latrone quem S. Isarnus eximia mansuetudine ac patientia sua conuertit. Erat is *Adalardus* immanis prædo qui Monasterij villas & prædia populabundus percurrebat. Inuitatur ab Isarno, discumbit, post epulas tantis ventris doloribus corripitur, vt ab exitio parum abesse videretur. Sacras Monachorum vestes ex animo petit, induitur, sanatur, ac repente religiosus & S. Isarni filius ex prædone & hoste, sub eo in omni pietatis disciplina effloruit, humilitate præcipuus, deuotione singularis, charitate insignis. Latrones porro præter illum qui Christo ad dextram pependit non paucos venisse ad summam vitæ sanctimoniam acta Patrum in Mutio, Pafnutio, Dauide latronum principe & Cyriaco ostendunt. In actis S. Ioannis Euangelistæ leges iuuenem Episcopo commissum in latronem euasisse, & à S. Ioanne reuocatum. Apud Climacum Gradu. 5. pœnitens latro miris modis commendatur. Lege & Ioannem Moschum

cap.143. 165. & 169. Menæa celebrant 7. latrones Martyres 29. Aprilis. Et Cæsarius lib.7.cap.59. alium. S. Franciscus tres ad pœnitentiam adduxit. Mitto in speculo exemplorum cap.21. collocatos.

15. *S. Hugo* cognominatus sacrista quod Æditui credito ac commisso sibi à superioribus fungeretur maximo munere, vir sua ætate sanctitatis, prudentiæ, raræ eruditionis fama celebris, qui Christi gloriæ sedulus propagator talenta gratiæ in fœnora iustitiæ & charitatis erogauit, vexillumque crucis quam iugiter in suo corpore tulit sequutus, regni cœlestis gaudia faustis progressibus virtutum ingressus est. De inuentione crucis S. Andreæ ab ipso diuinitus facta, quod Annales restantur, dedimus cap.22. huius libri num.9. cuius rei monimento superest sacellum & arca in eius recordationem & cultum erecta, in Ecclesia inferiori siue hypogæo Monasterij S. Victoris Massiliensi, vbi prædicta crux multorum Sanctorum collatis pignoribus veneranda à nobis & colenda proponitur.

16. *B. Vrbanus, Papa V.* post nouemdialia Innocentij Papæ VI. in Ecclesia Aueniomensi celebrata, die 10. Calend. Octobris sacris Spiritui Sancto habitis, Cardinales Congregati vnus & viginti tantum fuere in palatio Pontificio Aueniomensi, in quo post multas acres, sed non longas comitiales contentiones eligitur absens & extra collegium ad 5. Calendas Octob. anno 1362. scrutinioque habito consentientibus omnium suffragiis, vir annum ætatis 53. agens, summus Pontifex renunciatus est, qui cùm gregis dominici curam annos 8. mensem 1. & dies 25. strenuè gessisset, ab iis qui tantæ virtuti & gloriæ inuidebant intoxicatus puram à sæculi contagio animam, Christo cuius vices omni cum obseruantia religionis & iustitiæ obierat fœliciter resignauit. Mortuus est Aueniome in domo Angelici Cardinalis Albanensis Episcopi 14. Calen. Ianua. anno salutis 1370. At vero cadauer eius Massiliam deportatum & in Ecclesia S. Victoris cuius Abbas fuerat sepultum, sanctitatis eius clara indicia prodidit. Ob quæ diuina eius beatitatis indicia & vitæ piissimæ conspicua merita, Apostolica authoritate canonisationis eius processus inchoatus, at propter schismata paulò post suborta intermissus, quo minus iam albo Sanctorum inscriberetur, obstaculo fuit.

17. *S. Elzearium* quem multis miraculis clarum inter Sanctos Confessores retulit Aueniome in Ecclesia S. Desiderij & de ea solemnitate luculentum sermonem habuit idem B. Pontifex Vrbanus V. in hunc ordinem adducimus, quoniam à prima ætate in Dei timore & bonis literis erudiendus, & sub disciplina Monachorum & Abbatis imprimis Guillelmi De Sabrano auunculi sui viri Apostolici, virtutibus & factis præclari, Massiliæ in Cœnobio S. Victoris, Christianis moribus imbuendus traditus est. Cuius magisterio iactis omnium virtutum solidis fundamentis in tantum pietate & sapientia profecit, vt dotis vtriusque splendore maxima quæque sui æui lumina coæquaret. Adeo vero in illa tenera ætate profecit, vt diceret cuidam Monacho religioso Abbatis iam dicti, magno

se

se teneri desiderio proficiscendi ad regiones infidelium atque illic in confessione Christi per martyrium excedendi è vita. Quæ verba & admiratione Monachum illum affecerunt & singularem quamdam in intimis eius animi penetralibus deuotionem excitarunt. Vita eius habetur in fastis Ecclesiæ Aptensis & in Martyrologio Gallicano ferè in hunc modum. *Anno ætatis 13. ieiuniis vacans, chorda multorum nodorum subtus cingebatur ad carnem, frænum lasciuiæ petulantis & secretum memoriale vulnerum Saluatoris. Præcepta salutaria suæ familiæ dedit, quibus offensa Dei caueretur, proximi vitaretur iniuria, & maiestas altissimi laudaretur. Cum somni interpellaret necessitas nunquam nudus legitur obdormisse. In die cilicium portabat vt & luce & tenebris dolores sustineret sine quibus spiritus desideria nequeunt possideri. Cæterum pro carnis reprimendis cupiditatibus & pro sapientiæ fructibus capessendis, arctioribus se abstinentiæ astringebat frænis, corpusque suum ieiunando castigans in seruitutem spiritus redigebat. Pudicitiæ virtute ab annis tenerrimis vt pote in viro Dei tam præstanter effulsit, vt Sanctam & immaculatam virginitatem non solum animo sed etiam corpore conseruaret, & cum S. Delphina coniuge sua duceret perpetuum cœlibatum, non aspernentes iura coniugij, nec virginitatem in aliquo violantes, adhærentes spiritu, sed thesauros absconditos in vasis fictilibus possidentes. Porro intelligens quod ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, vix vnquam cum poterat ab oratione cessabat. Sicque in omni loco aptus erat orare vt in omni sede terrarum constituta monstraret regna cœlorum. Horas canonicas ritu quem tenet Romana sancta Ecclesia tam deuotè dicebat, quasi oculis mentis Deum iugiter cerneret, & tam integrè vt nec quidem vnum iota vel apicem prateriret. Arma patientiæ ad exercitium virtutis fertur sic induisse, vt eum quamuis multa perpessum nunquam ad indignationem vix vllus compulerit, & nemo turbatum viderit, nemo mutatum, quin imo opprobria & contumelias passus cuncta sic humiliter sustinebat vt in ore ipsius non nisi vox laudum & gratiarum actio personaret. Hostibus suis clementer indulsit ac omnem offensam tanta facilitate donauit, vt non solum mitigatum aut sedatum sed neque vel modicum indignatum se fuisse monstraret. Denique vita in omni religione exacta, virginitate quam cum Delfina vxore castissima illibatam seruauit Angelis coæqualis, ex aula terrena ad cœlestis regni præmia beatissimo fine euolauit, ætate florenti scilicet ab ortu suo anno 28. cum à Roberto Siciliæ Rege & Prouinciæ Comite fuisset ablegatus ad Carolum Regem Christianissimum cognomento Speciosum. Corpus eius in habitu Franciscano, quod tertij Ordinis instituta coluisset, apud Minoritas Parisienses primò sepultum, eodem anno sicut in extremis castæ coniugis memor præceperat, Aptam Iuliam translatum est magnis in via coruscans signis diuinæ clarificationis. Atque illic tandem in æde S. Francisci depositum crebris miraculis refulsit, excitatis per eius inuocationem mortuis, illuminatis cæcis, infirmisque quauis morbi genere optata sanitati restitutis.* Stephanus Binetus eius vitæ scriptor Gallicus hunc à singulari miraculo celebrat in hæc verba. Vrbano V. ante initum Pontificatum

cùm in minoribus esset, puer in studiis literarum educatus adeo piè adeoque fœliciter adolevit, vt Cœnobio Massiliensi, cui à S. Victore nomen est, præpositus Abbas magnam sibi tota Prouincia sanctimoniæ famam confecerit. Obeunti autem aliquando religiosam peregrinationem ad præruptam illam & arduam Petræ speluncam, quæ D. Magdalenæ cœlestium in terris deliciarum paradisus, quædam olim fuit, obiecta est ex itinere species hominis equo albo insidentis, quem ad se effusis habenis ac citatissimo cursu vidit aduolantem. Hic mirari primò pius Antistes, tum etiam obstupescere nec parum certè commoueri tam subito improuisoque spectaculo. Terrorem augebat insolitus quidam equitis splendor, quem tamen propius appulsi voces amicissimæ discusserunt. Ne timeas, inquit, ne timeas charissimè, Elzeatius sum Iusticus pater tuus. Per me tibi Deus mandat, vt eas confestim Auenionem, te namque diuina prouidentia designauit supremum Ecclesiæ suæ moderatorem. Vide vt munus illud obeas pro dignitate, nevè vlla pars tui erga Dominum optimum Officij desideretur. Hæc eloquutus euanuit, ancipitémque admodum cogitandi curam Pio Abbati reliquit, incerto animi quid opus facto, eundumne an remanendum? Num inanis spectri imagine oblata diuinivisi veritatem æmulatus esset spiritus mendacij. Destinatis tandem pietatis in D. Magdalenam Officiis functo constitit, vel probandæ visionis adeo nouæ gratia, proficisci Auenionem, quo postquam peruenit, nihil cauit diligentius, quàm vt ne diuinitus obiectorum mentionem vllam consultò faceret cuiquam, neuè in colloquiis imprudenti ea de re verbum vllum excideret. Interea verò temporis nimirum anno circiter 1362. mortuus est Innocentius V I. cui postquam parentauit sacrum purpuratorum Patrum Collegium, conuenit frequens ac numero vnius supra viginti capitum, quibus (vti contingit sæpè in illo conclaui cum Deus ipse quosdam nec optimates suffragio suo creatos cupit) dissidentibus in electione summi Pontificis, ecce diuinam vnius illorum vocem, Massiliensem Abbatem cuius vita suauissimum sanctitatis odorem funderet, in supremum Christi vicarium assumendum esse. Nec mora consentiunt omnes in eius electionem. Accersitur perhonorificè, in solium Pontificium euehitur, coronatur, consecratur, Vrbani V. nomine insignitur, non parum quidem attonitus, multo magis tamen admiraturus ac perturbandus, nisi visione præmonitus esset. Accurrit gratulabundus Rex Galliæ Regio more Pontificioque splendore acceptus, dicentem audit è superiore loco Pontificem. Expeditio transmarina decernitur, eique Rex ipse coram præficitur. Alia denique opera pia dum fœliciter exequitur Pontifex, disrumpitur liuor tartareus, veneno sæuit quod per nefarium Iudam nescio quem adhibetur. Sublatus è medio vir Sanctus ingens sui desiderium reliquit, omnibus, sepultus in Cœnobio S. Victoris Massiliensis, qua fruatur in cœlo gloria, perpetrata in terris ad sepulchrum miracula declarant.

18. *S. Florentinum* Abbatem suburbani Monasterij Arelatensis quod à S.

à S. Hilario Archiepiscopo, vt dicitur, fundatum anno 445. Gothorum incursionibus & latrociniis excisum & euersum est, nostris annumeramus Cassianitis, quia S. Hilarius nouæ familiæ suæ trunco non alios inseuit quam S. Cassiani surculos atque propaginem, vt aliàs docuimus cap. 18. huius libri num. 4. Qua ex schola Hilarianus & Ianuarius viri tam pietate quam sapientia præclari fœliciter edocti prodierunt. Qui diuini sui magistri sanctimoniæ inspectores non solum at imitatores, præcipui etiam encomiastæ fuerunt dignissimi. Postquam enim vir Dei Florentinus sanctissimæ conuersationis cursum absoluit, in memoriam eius, quam mirabiliter illustrabant, etiam elogiis sculptis in marmore versibus scilicet heroïcis & acrosticis decorarunt. Humatus quidem fuit B. Confessor in veteri Monasterio Arelatensi cuius etiam in postrema ætate curam habuit, vnde anno ab transitu 33. ob fulgentia signa beatitatis, ad Cœnobium S. Crucis translatum fuit sactatissimum eius corpus, quod nunc vsque ibidem colitur magna populi veneratione, præsertim 10. Calend. Iulij quo eius festiuitas celebratur.

19. Post hunc secundus Abbas *Redemptus* qui primum in hoc Hilariano Arelatensi Monasterio religiosum institutam amplexus, Magistri sui S. Florentini Abbatis ad superos obeuntis ob præclara morum ornamenta delectus successor fuit, sicque supremi magistratus condigno initiatus honore suscepta suorum cura, nihil prius habuit quàm vt erudiret tirones suos ad maiorum instituta, verboque & factis ad cœlum deduceret, quibus insistens studiis cum iam affecta ætate militiam suam prorogaret, laborum vocatus ad mercedem, iustitiæ coronam quieto fine percepit.

20. Verum verò *S. Cæsarium* Archiepiscopum Arelatensem iure nobis aliquo vindicare possimus, cum ex eius annalibus liquido constet, Eonio Episcopo procurante Diaconum & Presbyterum ordinatum ac deinceps in prædicto Cœnobio Hilariano in locum defuncti Abbatis suffectum esse S. Cæsarium, antequam in Episcopum præfici, vir sinceræ humilitatis assensus esset, bene qui coniiciet vatem hunc perhibeto optimum. Porro conuenienter ad mentem nostram congruentérque, de S. Cassiani disciplina delibasse atque explorasse aliquid S. Cæsarium tantummodo coniectura ducimur ad suspicandum, tum quod peragrare quoque ipse & adire Massiliam voluerit commotus fama & opinione cœpti recens cum nominis commendatione religiosi Ordinis Cassianitarum, vt ne auditor gloriæ tantum, sed etiam spectator virtutis & eiusdem palæstræ discipulus sanctissimis ac religiosissimis à Cassiano traditis sese obliueret moribus, cuius propositi exitum fœlicissimum non aliis quam miraculorum auspiciis ibidem auguratus est Deus, de quibus scriptum à nobis est in Indice Abbatum num. 9. tum quod Cæsariæ sorori suæ virguniculæ in Parthenone Monialium, tunc nobilissimo orbis terrarum gymnasio, Massiliæ locum delegit, vbi primum apud Moniales Cassianitas Institutionum Sancti Cassiani coloribus tincta, ipse dein-

ceps quasi quamduam palæstram & extrema lineamenta virtuti eius afferret.

21. *S. Cæsaria* virgo & Abbatissa. Martyrologium Gallicanum & tabulæ Cæsariani Monasterij Arelatensis huius continent acta Idibus Ianuarij. Cæsaria virgo quæ S. Cæsarij Senioris Arelatensis Episcopi soror, ab ipso virginitatis sacræ proposito inflammata, à teneris annis in Monasterio Massiliensi sanctissimæ professionis tirocinium iniit ac expleuit. Vnde cum iam idonea esset quæ didicerat alias edocere, ab ipso Arelatum reuocata, atque Monasterio quod eidem & aliquot eius sodalibus præparauerat præfecta, breui diffusa magnæ castitatis & religionis fama numerosam illic aggregauit sacrarum virginum caternam, quas ad regulæ præscriptum quam ab ipso Sanctissimo fratre acceperat prudenter ac piè direxit, iisque virtutibus ac disciplinis informauit, quarum in se viuum exemplar præferebat. Hinc diuulgata vndique S. Cæsariæ regula plurimæ virginum familiæ sub ea se Christo consecrarunt. Denique B. ipsa virgo etiam miraculis insignis accensa lampade charitatis & fidei obuiam sponso processit, atque ad supernas eius nuptias multis decorata meritis fœlici decessu euocata est.

22. *S. Radegundis* propè simili perfuncta vitæ genere. Huius quoque acta in Martyrologio Gallicano Idibus Augusti describuntur, quo die Martyrologium Romanum eamdem commemorat & nos supra in Indice Abbatum num. 14. *Quæ Berthario Thuringiæ Rege nata, ipso Hermineſrido fratre cæso, euersoque non diu post Thuringiæ regno, à Clotario Francorum Rege in Galliam abducta est honestè educanda adhuc vix decennis. In tam tenera ætate nihil tamen puerile aut ludicrum affectabat, non corporis ornatu nec aulicis deliciis sed precibus ac piis humilitatis & charitatis officiis delectabatur. Ob quas egregiæ venustati coniunctas dotes ab ipso Clotario in vxorem accepta ita ei hæsit, vt tamen à cælestis sponsi placitis & famulatu omnino penderet. Martyrij cupida atque religiosæ vitæ appetens à viro non semel separationem poposcit, qua tandem impetrata, consilium quod in Regia premere cogebatur liberè aperuit. Nouioduni primùm vbi amputatis crinibus depositoque Regio ornatu sacro velamine amicta fuit à B. Medardo nota sanctitatis Pontifice, Deinde Chinoni, postremò Pictauis in Cœnobio à se constructo in honorem S. Crucis sub regula S. Cæsariæ Arelatensis Abbatissæ institutum religiosæ vitæ amplexa atque gloriosè persequuta est, suoque exemplo ad propositi sancti cultum innumerabiles penè virgines pertraxit, quibus ob clara diuinæ gratiæ testimonia omnium efflagitatione præfecta potius ministrauit quam præfuit. In officiis siquidem humilitatis & charitatis assiduè versabatur, suisque actibus cum nec vilissima officia respueret ad harum studium virtutum cæteras prouocabat, vt quæ se ignobilem existimaret nisi nobilitaretur ipsa ministerij vilitate. Ad extremum gratiæ plena fœnoribus, miraculisque clara plurimis, Christi ad optatum euocata est conspectum vitæque sanctissimæ monimenta conspicua relinquens præstantissimorum scriptorum, qui commentariis*

mentariis res sacras consignarunt, excelsa retulit præconia corpus eius Beatus Gregorius Turonensis propriis manibus sepeliuit, atque magnifica quæ ad eius tumulum postmodum coruscarunt virtutum diuinarum signa luculenta recensione testatus est. Moritur Radegundis Augustoriti Pictonum 14. August. feria 4. anno 587.

23. *S.Cæsaria* iunior obiit Arelatis magna cum innocentiæ & sanctitatis fama. Huius historia refertur in Breuiario ad officij Ecclesiastici vsum Arelatensis Ecclesiæ 12. Ianua. iisdem penè verbis. Cæsariæ verò defunctæ, de qua supra mox loquuti sumus, successit alia Cæsaria mater illa ducentarum virginum, quas inibi Deo seruientes vidit Cæsarius antequam vita discederet. Tricesimo etenim anno post sui Monasterij institutionem tam paruis initiis ortum, diuina fauente gratia in tantum culmen illud suspexit euectum, quod non censibus tantum aut prædiis sed rectè piéque viuendi norma & exemplis fœliciter locupletauit. Tanta ei de hac congregatione cura fuit, vt die tertio ante obitum in Monasterium famulantium manibus gestari voluerit, quo Cæsariam matrem cæterasque virgines inuiseret, consolaretur, illis benediceret, atque ad æternæ vitæ præmia vt verus pastor & pater plenus dierum hortaretur, illas commonens vt regulam quam ante aliquot annos ipsis constituerat fideliter custodirent. Testamento illas successoribus suis Episcopis commendat & subiicit.

24. *S. Liliola* Abbatissa religiosissima, informatrix & magistra S.Rusticulæ Virginis quæ ei in Abbatia successit. Legitur in vita eiusdem Rusticulæ quod ad S.Liliolam spectat. *Monasterio virginum quod Arelatæ S.Cæsarius olim sorori suæ Cæciliæ construxerat tunc præerat Liliola, cui etiam de hac virgine adsciscenda diuinitus reuelatum fuerat. Itaque Rusticula iussu Gumtranni Regis, ad id suadente Syagrio Augustodunensi Episcopo, inscia matre, & inuito Cheraonio Arelaten ducitur, exceptaque à Sapaudo Episcopo Liliolæ traditur educanda.* Qui plura de huius vitæ actis scire desiderat inspiciat Gregorium Turonensem lib.4. de gestis Francorum cap.25. & Pontificium Arel.tense in Sapaudo, siuè Sabaudio Archiepiscopo, vbi Theodegildis Chariberti Regis demortui vxor, Liliolæ suscepisse leges dicitur, inuita licet, quod vidua vltro se offerens in matrimonio Guntramno fratri mariti defuncti, ab eo delusa & thesauris spoliata retrusa est in Monasterium, è quo moliens fugam deprehensa, arctiori vsque ad mortem custodia sub disciplina Liliolæ Arelatensis Abbatissæ tradita est.

25. *S. Rusticula* virgo erat formæ liberalissimæ apud Vasionenses ex familia Martia, Valeriano & Clementia Nobilissimis & Christianis parentibus Romanis orta. Nata est in agro Hebocasiaco qui situs est in territorio Vasionensi. Vna & eadem dies mortuum patrem & filiam mundo editam excepit. Filio itidem non multo post orbata mater, sicque duplici viduitatis veste contecta, mœrorem & luctum quem ex coniugis & filij iactura conceperat hac sibi residua prole quoquo modo

do poterat subleuabat. Illam itaque ad sacri baptismatis fontem statutam ex suo genere Rusticulam vocauit. Pulchra facie & corpore eleganti sed animi dotibus insignior. Tantò in sui amorem affines, amicos, vicinos rapiebat vt omnes de tali gemma veluti è cœlo concessa matri congratularentur. Cum quinque esset annorum rapta est à quodam principe viro Cheraonio Guntramni Regis Aurelianensium familiare vt illam cum nubilis esset filij sui connubio iungeret. Verumtamen quid de illa Dominus statuisset per somnium matrem admonuit. Arelaten profecta, & in Parthenone Cæsariano sub Liliola Abbatissa regularem vitam amplexa, tot charitatis, humilitatis, prudentiæ, patientiæ, & benignitatis signa in omnes edidit vt defuncta Liliola sancta, illa virginum congregatio hanc sibi matrem elegerit. Psalterium integrum & totos sacræ scripturæ libros memoria tenebat. Vix 18. ætatis annum impleuerat, cùm Monasterij curam suscepit. Ex quo deinceps ita se ieiuniis & vigiliis dedidit, vt tertio tantum quoque die cibum sumeret & cilicio tegeretur, Reliquis verò sororibus nocturnis horis quiescentibus per totam noctem in Ecclesia Psalmis, orationibus, & lacrymis insistebat. Lectum ad somnum nunquam nisi semel in anno sibi componi permisit. Inuidia Ricamiri Principis falsò accusata, ope Nymphidij Præfecti Arelatensis ad Clotarium Regem ire vincta compellitur, permultis in itinere & in aula miraculis editis innocens honorificè remittitur. Incredibile est quanto cum gaudio sorores atque illam tota plebs redeuntem susceperint. In Monasterio sacras ædes & virginum cellas auxit & ampliauit. Multa oratoria itidem in vrbe suis sumptibus extruxit. Tandem 14. anno post reditum suum & septimo supra septuagesimum ætatis suæ sub Theodosio Episcopo Arelatensi supremum diem obiit anno salutis 664. Corpus eius cum magna funeris pompa maiorique ciuium luctu in Ecclesiam S. Trophimi per optimates vrbis illatum, ad dextrum latus altaris maioris collocatur. Nec illud mirabile prætereundum est quod dum inferretur, multi ægrotantes colla eius feretro submittentes illo sanabantur. Florentius Presbyter Tricastinus eius vitam eleganter conscripsit. De hac Martyrologium Gallicanum & Fasti Monasterij Cæsariani Arelatensis 17. Calend. Septembris.

26. *S. Eusebia* Virgo & Martyr Cœnobium Parthenium nostræ Dominæ de Yuelino vulgo *De Veaune* à Cassiano fundatum in oppidano Massiliæ territorio rexit per aliquot annos, & fructus authoritatis cepit extremos. Cassianum enim duo Monasteria Massiliæ instituisse alterum virorum, mulierum alterum passim loquuntur annales, ex quibus nos supra cap. 17. num. 3. quæ de hoc Yuelino Cœnobio iactantur satis mihi videor delibasse. Cæterum quo tempore Prouincia maritimas regiones ac præsertim Massiliæ suburbana piratis prædonibusque patefacta tam atrocem in fideles persequutionem passa sunt, vt ex eorum lauiena cruoris effluentes riui vicos & agros miseranda strage inundarunt,

rum, Yuelino Monasterio à barbaris occupato, cum S. Eusebia, Deoque sacratæ Virgines nouem supra triginta sub eius regimine vitam profitentes Monasticam, altis præconiis Christi nomen efferrent, illico in odium piæ confessionis & glorificationis trucidatæ, receptis repentinæ victoriæ palmis, militiæ cœlestis cuneos sua accessione ampliarunt. Sacræ Martyrum exuuiæ postea à Massiliensibus Christi nomen ac Yuelini Cœnobij pietatem vindicantibus, in vrbem transuectæ, apud Sancti Victoris Cassianitarum Monachorum primariam Basilicam collocatæ sunt, vbi amplius quoddam & patentius Sacellum visitur in inferiori templi parte, cui nomen *B. Virginis à Confessione* summa frequentia celebratum, tum ob elegantem B. Virginis propositam in eo effigiem, tum quia in eo Sancti Eusebiæ ac sociarum eius corpora sepultæ sunt, eoque fit vt & puellæ cæteræque mulierculæ ab illius aditu etiam num hodie, quod à maioribus religiosè obseruatum vidimus, prohibeantur. Ideo enim ferreis cancellis ex munificentia & liberalitate Reginæ cuiusdam & Salyorum Comitis septum est. Ad huius sacelli dexteram marmoreum sepulchrum constitutum est, in quo Sanctissimarum Virginum & Martyrum lipsana suis vt decet loculis condita, piorum clientum votis ac venerationi exhibentur.

27. Sed finis fit, nam ex hac eadem Cassianitarum familiæ nobilitate & sanctitate tum aliis temporibus longè plures extitere, tum his etiam nouissimis non pauci perillustres Monachi existunt, qui mundi procellas & scopulos fugientes Massiliam ad S. Victoris Cœnobium quasi tutissimum religionis portum magno cum gaudio emerserunt, vt si omnes percensere Velimus, separato & bene longo volumine opus esset. Quare liceat mihi, Patres religiosissimi quod Sanctus Maximus homilia 59. ad Sancti Eusebij Vercellensis Episcopi gloriam tanto verborum splendore commendat eius discipulis, illud idem extollere de vestro magistro æque atque Patriarcha sanctissimo Cassiano, vobisque non tantum pro rerum magnitudine quas gessit, sed pro diuturnitate temporis gratulari, quod eius virtutis memoriam iam ab annis pluribus mille supra ducentos perpetuis vernantem floribus etiam hodie vestris meritis summa laus & summa gratia prosequatur. Ad sancti, inquit, ac beatissimi Patris nostri cuius in hoc opere complexi sumus omnem vitæ consequentis statum; *laudes addidisse aliquid decerpsisse est, siquidem virtutum eius gratia non sermonibus exponenda est sed operibus comprobanda. Cum enim dicat scriptura diuina, gloria Patris est filius sapiens; quantæ sunt gloriæ qui tantorum filiorum sapientia & deuotione lætatur. In Christo enim* IESV *per Euangelium ipse vos genuit. Quidquid igitur in hac sancta plebe & familia vestra potest esse virtutis & gratiæ, de hoc quasi quodam lucidissimo fonte, omnium riuulorum hæc puritas emanauit. Etenim quia castitatis pollebat vigore, quia abstinentia gloriabatur angustiis quia blandimentis erat præditus lenitatis, omnium vestrum in Deum prouocauit affectum, quia sa-*

KKkk

pientissimi Abbatis administratione fulgebat, inter plures è discipulis vos non communi tantum officio sed singulari aliquo beneficio reliquit disciplinæ suæ & instituti successores.

Philippen. 4. 19. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum, secundum diuitias suas in gloria in Christo IESV. Deo autem & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM AC VERBORVM.

A

C

Calceamentis

D

E

F

G

H

I

Bethlehemum

L

N

O

P

Q

R

F I N I S.

LVGDVNI,

Ex Typographia IACOBVM DV CREVX.

Errata sic corrige.

PAgina 28. num.9. qui vos viderint (actio ne) actiones, &c. Deleatur illud (actio ne) Pag.30.n.3. nuodo, lege nudo. Ibi Antinouum , lege Antinoum. Pag. 34. assuefactl, lege, assuefacti. Pag.38. commisit', l. non' omisit. Pag. 42. alaceriterque, l. alacriterque. Pag.62. Institutioni, l. institutioni. Pag.61. Pindalus, l. Pindarus. Pag.77. præcibus, l.precibus. Exortus, l.exorsus. Pag.78. Nicephorum, l. Nicephorus. Pag.86. rebus, l. verbis. Pag.67. sequitiæ, l. segnitie. Pag.69. apud vtramque, l. vtrumque. Pag.108. rotundere, l. retundere. Et ibidem quæ eis ibi sufferre, l.eos. Pag.130. quasi vnius studij , l. stadij. Pag.133. institutionis obseruantissimi, l.obseruantissimo. Pag.135. odie, l.odio. Pag.158. Nemansi l.Nemausi. Ibid. præcarentur, l. precarentur. Pag.186.num.5. illud orationis filium, l. filum. Ibid. iudices, l.indices. Pag. 208. n. 8. affirmamus hos tam ipsi Cassiano, l. non tam ipsi Cassiano. Pag.215.n.5. indignum potaret, l. putaret. Pag.216. n .6. mortuoram , l. mortuorum. Pag. 217. Aransicanos, l. Arausicanos. Pag.229. n.4. in dis, l.in dies. Pag. 225. n.4. præscriberet, l. proscriberet. Pag.226. n.3. charis, l. choris. Pag.247. n.1. inscrendis, l. inferendis. Pag.253. n.3. Nam ergo curam, l. non ergo. Pag. 299. Canonæ 20. l. Canone. Pag.303. n.1. Cantum est , l. Cautum. Pag.418.n.7. Magistri aulæ filiis, l. filius. Pag.435. n.29. Ex Parthemone , l. Parthenone. Ibid. Indique , l. indigne. Pag.533. Extant certè laudata , l. extat. Pag.535. egregie doctus priusque, l. piusque. Pag.542. siue erga diuinas, l. res diuinas. Pag.568. magnum est gratiam, l. magnam. Pag.591. Mortuo nepote, l.nepoti. Pag.586. extollit Gregorius VII. lege VIII. Pag.645. putatus delicias , l. deliciæ.